

CÆSARIS BARONII

ANNALES ECCLESIASTICI

TOMUS TRIGESIMUS SEPTIMUS

Cet ouvrage, par les corrections et les additions considérables qui y ont été opérées, est devenu la propriété de l'Œuvre de Saint-Paul, qui se réserve tous ses droits. Toute contrefaçon ou imitation, quelle que soit la forme sous laquelle elle se présente, sera poursuivie rigoureusement, conformément aux lois.

Hoc in opere tam multa sunt aut correcta aut addita, ut id suum Consociatio Saneti Pauli reddiderit et, quidquid sui juris si, sibi vindicent. Itaque, si quis idem aut furlo ediderit a quoquo modo erit imitalus, in crimine erit et de injuria postulabitur.

CÆSARIS S. R. E. CARD. BARONII

OD. RAYNALDI ET JAC. LADERCHII

CONGREGATIONIS ORATORII PRESBYTERORUM

ANNALES ECCLESIASTICI

DENUO ET ACCURATE EXCUSI

TOMUS TRIGESIMUS SEPTIMUS

1570 & 1571.



2221
1571

IN LIBRARIIS CONSOCIATIONIS SANCTI PAULI

PARISIIS, 6, VIA DICTA CASSETTE

BARRI-DUCIS

36, VIA DICTA DE LA BANQUE, 36

Friburgi helv.

13, VIA DICTA GRAND'RUE, 13

M DCCC LXXXIII

VENERABILI FRATRI AUGUSTINO

EPISCOPO VIRDUNENSI, VIRODUNUM

LEO PP. XIII

Venerabilis Frater, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Libenter excepimus novam Annalium Cæsarî Baronii editionem cura Consociationis S. Pauli diligenter excusam, quam eadem Societas tuo Nobis ministerio offerendam curavit. Hoc munus gratum admodum Nobis extitit. Venerabilis Frater, tum propter insigne Auctoris nomen et opus, tum propter zelum quem in te erga optima studia, in eo opere offerendo, emitere conspeximus. Cum porro Nos magnopere gaudeamus hoc misero tempore, quo tot impia scripta ad perniciem mentium et animarum evulgantur, haec magni momenti opera quae ad cultum optimorum studiorum et ad rationes Religionis pertinent, in lucem proferri, iis ulti gratulamur qui suas euras in hujusmodi editiones impendunt, et cupimus ut ii, te interprete, nostram commendationem accipiant, ac paternae dilectionis gratique animi sensus, quibus filialis eorum obsequii Nobis oblatum testimonium prosequimur. Hac autem occasione libenter utimur, ut tibi, Venerabilis Frater, denuo testemur et confirmemus sincerae Nostræ caritatis studium, ac in auspicio celestium gratiarum tum tibi, tum prædictæ Consociationis Rectoribus et Sodalibus, Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romæ apud S. Petrum, die xxiii Octobris an. mcccclxxx. Pontificatus nostri anno tertio.

LEO PP. XIII.

SUMMARIUM

TOMI XXXVII

MDLXX.

1-6. Turcae Cyprum appetenles miltunt Venetas nuntium qui causas querimoniae coram senatu exponat: Venetorum responsio. 7,8. Veneti ad arma se accingunt et Christianorum principum opem implorant. 9-11. Pius solus causam Venetorum amplectitur. 12-15. Pius concedit decimas, et Jubileum indicit. 16. Columna huic expeditioni dux praeficitur. 17-19. Cosmi, Etruriae ducis, et Melitensem equitum studium a Pontifice laudatur. 20. Auria Romani evocatur. 21-23. Per nuntium et litteras Pontifex Hispanum regem invitat ad fœdus contra Turcas. 24,25. Ad cardinalem Spinosam et ad Joannam Portugalliae principem Pontificis litteræ. 26,27. Rex Hispanus se promptum exhibit ad exequenda Pontificis vota. 28. Landatur a Pio regis Hispani studium. 29-31. Quid sentiendum sit de cunctatione Hispanorum. 32-34. Pontificis labor in conjungendis principum Christianorum classibus. 42-44. Melitenses triremes, suæ classi coniunctas, Pius jubet Coreyram mitti. 45-54. Lusitanum regem ad fœdus invitat et incitat ad matrimonium. 55,56. Lusitanus rex classem præstare et matrimonium inire almut. 56-60. Quænam fuerint partes in rebus Portugalliae moderandis, tum avie Catharinæ, tum regis Hispani. 61-63. Pius frustra incitat Galliae regem, imperatorem et regem Polonum, ut, si non arma, saltem nomina, federi contra Tureas præstare consentiant. 64-66. Principum orthodoxorum passus repulsam, Pius ad Moschum schismaticum se convertit. 67. Italiae principes una cum Pontifice coniuncti. 68. Solemni pompa Columna Pontificie classi præficitur. 69,70. Veneti Zanum rei militaris dueem erant, sed subjectum præfecto Pontificis. 71,72. Dum litigant inter se duces Christiani, Turcae Sicilie littora infestant. 73,74. Ragusai sibi metueutes ad Pium confugiunt qui illos commendat Hispanis. 75-81. Nieosia a Turcis capta et horribili eade fœdata. 81-83. Auditio Nieosiæ easu, classes Christianæ turpiter redunt. 84-86. Tristis hujus inertie exitus. 87-89. Preces publicæ a Pio indictæ. 90-92. Pontificis vehemens exhortatio ad principum oratores, de novo fœdere inenundo. 93-102. Teritur tempus colloquiis et altercationibus. 103-107. Ex auditâ Nieosiæ amissione Veneti proelviores ad fœdus. 108-110. Melitensem equitum magistrum a proposito abdicandi Pius deducit. 111-114. Cosnum Pius Magnum Etruriae ducem creat et coronat. 115-119. Imperator nullitatis arguit hanc promotionem, et per oratores protestationem opponit. 120. Ducem Ferrarensim Pius vetat sistere ad aliud tribunal quam ad Romanum. 121. Cosmus ad Maximilianum mittit legalum. 122,123. Philippi Hispanie regis infensus animus in Cosnum. 124-126. In ornando Cosmo purus et rectus Pontificis animus. 127. Creatio cardinalium. 128. Constitutiones in gratiam canonieorum Lateranensium. 129-131. Agitur de reformatione Cisterciensium. 135. Pius reprimit abusus qui irrepserant in conferendis præceptoris Ordinum militarium decentium in Portugallia. 136. Invigilat Pontifex ne quid simoniaca labis subrepat in provisione beneficiorum. 137,138. Prohibet disputationes de B. Maria Virginis conceptione. 139-140. S. Philippus Nerius in suis familiaribus concionibus orthodoxus. 141. Crucis signatorum societas nova Constitutione a Pio exornatur. 142. Gratulatur Pontifex Octavio Farnesio quod Sanseverinum haereticum in vincula conjecerit. 143,144. Rogat Pius Philibertum Sabaudiae ducem ut Joannem Thomam haereticum sibi tradat. 145,146. Comiti Tenda seribit Pius ut Albingensi episcopo plenum jurisdictionis exercitium relinquat. 147. Pestifera origo Appellationum *ab abusu* dictarum. 148-152. Ad Maximilianum Pontifex mittit Madrueum cardinalem, qui de rebus suæ Ecclesie Tridentinæ sit coram imperatore ipse tractaturus. 153,154. Mediolani jura Ecclesie primæva restituuntur. 155. Constitutio contra monetarum lonsores. 156-158. Animadvertisit in eos qui Carolum Borromeum occidere tentaverant. 159,160. Sealenses canonici ad meliorem sensum redunt. 161. Per Helvetiorum pagos instituta Catholica denno in honore habita. 162,163. Pius missalis Romani reformationem inchoatam absolvit. 164,165. Constitutio Pontificia de censibus. 166,167. Vexilla Hungonottis crepta Pius suspendi jubet in Lateranensi Basilica. 168-194. Regem Galliae a pace cum haereticis ineunda Pius revocare studet et jam factam improbat. 195-200. Pontifex ditionem Avenionensem tutatur et expeditionem Arausicieensem

cogitat. 201. Carolus Galliae rex nullum benevolentiae signum negligit erga haereticos. 202-203. Maximilanus ad eomitiis Spirensia se confert. 204-216. Pontifex vetat ne quid de religione agatur in Spirensibus eomitiis. 217-221. Attente invigilat Pontifex ne haeretici in Ecclesiis et capitula Germaniae obrepant. 225-226. Carolus Austriae archiducem hortatur Pius ut Iudicarios haereticos e suis ditionibus expellat, et in auxilium mittit societatis Jesu religiosos. 227-230. Quid senserit Hosius de Altemburgensi colloquio. 231-234. Maximiliani segnities in pletendis haereticis. 235-236. Sandri liber contra Altemburgense colloquium. 237. Praelata Hosii Epistola ad regem Poloniae contra Augustanam Confessionem. 238-240. Sandomiriense colloquium in quo haeretici frustra querunt inter se concordiam. 241-244. Fortiter obsistit Hosius haereticorum eonatus. 245-249. Reprehendit Hosius regem Poloniae quod permiserit religionis negotium ad alia eomitia rejici, et docet iniri non posse concordiam Catholicos inter et haereticos. 250. Revocatur a rege Poloniae mandatum haereticis favens, unde a Pontifice commendatur. 251-256. Poloniae legati a duce Moschorum male habiti propter eorum detectas blasphemias. 257-261. Laskium senatorem ab haeresi revocant dissidia et scandala seetariorum: Hosii ad eundem gratulatoriae litterae. 262. Hosius monet alios Polenos de haereticorum fraudibus. 263-265. Hosius calumnias Bezanorum diluit. 266. Gedanenses ad regis obsequium reducti dant spem redendi ad veram fidem, si ealicis usus eis permittitur. 267. Disputatio theologica inter orthodoxos et haereticos in laudem veritatis terminatur. 268. Misericors arammarum Lithuaniae Hosius Sigismundum a bello abstinere monet. 269-272. Pius Hosio Cromerum ecclesiarum dat, cum titulo Posnaniensis Ecclesiae. 273-278. Suecise regno Pius redditum ad veram fidem procurare emittit. 279-281. Dux Albanus edictum generale, venie nuncupatum, promulgat, ex his tamen quibusdam reorum classibus. 282. Saevit Pontifex in judices praevaricatores, et adulterinae monetae fabricatores. 283. Libros vetitos in flammis injici jubet Albanus, et typographis leges prescribit. 284-288. Concilium provinciale Mechlinie habitum, in quo recipiuntur decreta Concilii Tridentini. 289-290. Diocesana Synodus Ruremundae et Namurei. 291. Immunitates suas a decretis Concilii Tridentini pesas Belgae arbitrantur. 292-296. Causa Baiana iterum agitat scholas, et imprimis Lovaniensem Academiam: qualis reipsa fuerit iste Iainus ex Bellarmine. 297-298. Anna Austriaca, uxor futura Philippi regis, per Belgium transit, et magna pompa excipitur. 299-302. Agitur de discessu Albani e Belgio. 303-304. Archiepiscopum Bisuntinum, dia Romae defentum, Pius ad suos redire permittit. 305. Sub recte intentionis specie tegit Auriacus pyraticas depradationes. 306. Festo Omnim Sanctorum, tremenda tempestate Belgium atterritur. 307-309. Moravius, nothus et infensissimus frater Mariae Scotiae, occiditur ab Hamiltonio ob privatam vindictam, non ex conjuratione. 310. Nothi scelera. 311. Hamiltonius ex Calvinista Catholicus. 312-315. Elizabetha nothi cædem ægre fert, et Seotos fideles vexat. 316-320. Apud Philippum Hispanie regem agitur de liberanda Maria Scotiae regina. 321-325. Processus originalis juridice instruetus, quem sequitur Bulla excommunicationis. 326-327. Diluntur objectiones circa hujus Bullæ promulgationem. 327. Non ex solo externo eventu Bullæ effectus judicandus est. 328-329. Feltonii invictum animi robur, tum in Bullæ affixione, tum in dire mortis perpassione. 330. Gravi terrore pertinetur Elizabetha ob sententiam a Pio latam. 331-332. Pii studium pro confirmatione et executione Bullæ. 333-336. Omneam operam impendit Pontifex in succurrendis Catholicis. 337-339. Elizabethæ in Seotos crudelitas. 339-343. Ab Elizabetha decernitur legatio Caeciliæ ad Mariam Scotiae reginam: qualis fuerit iste Caecilius. 344-346. Iniquæ pacis conditiones per Caecilium propositæ rejiciuntur. 347-348. Pii litteræ consolatoria ad Scotiae reginam, et Marie responsum ad Pontificem. 349-350. Quædam explinantur in litteris Marie Scotiae. 351. Troemortonus veneno sublatus. 352. Elizabethæ jugum prægrave exentere tentant et ipsi Hiberni. 353-354. Sigismundus, Poloniae rex, pacis sequester inter imperatorem et principem Transylvanianum: nude Pontificis litteræ gratulatoriae. 355-356. Pontificis zelus in purganda haereticis Transylvania. 357. Pius statuit evellere abusus e quibusdam Hispaniae Ecclesiis. 358-359. Mira fidei Catholicæ propagatio inter Mexicanas regiones. 360. S. Claræ eomobium in Mexicana civitate Pius confirmat. 361. De pluribus ad Ecclesiam Ilascensem pertinentibus agit Pontifex apud legatum Faruffinum. 362-367. Antequarensi Ecclesie inopia laboranti subvenire Pius hortatur Hispaniae regem. 368. Repellit Pontifex instantias episcopi Meuanensis contra regulares. 369-370. Confirmat Pius Acta Concilii Goani et landat Cochinensis episcopi pietatem et zelum. 371. Gloriosum martyrium Jesuitarum a Calvinianis pyratis occisorum. 372-373. Longe lateque in extreum Orientem diffunditur fides per operarios Evangelicos. 374-375. Terræ motu conuentiuntur insula Tertia et complures Italiae urbes. 376-377. Baldunni et Brentii obitus. 378. Laudibus exornat Pius opus a Surio conceinnatum. 379-380. Pius Ortonensem Ecclesiam in Cathedralem erigit, et Dublinensem episcopum exulum Ecclesie Vasconensi pastorem sufficit. 381. Beatae Claræ de Montefaleo sanguis mirum in modum ebullit. 382. Nicosiae casum Gambara earmine deplorat et describit.

MDLXII.

1. Caecilius ab Elizabetha baronis titulo insignitur. 2,3. De abdicatione reginæ Scotiae agitur. 4. Proceres qui pro regina stabant vexantur: archiepiscopus S. Andreæ suspenditur patibulo. 5. Fingit Elizabetha se nuptias exoptare cum Andium eomite. 6-11. Pius de sorte Marie et orthodoxorum anxius. 12. Haereticis pyraticam exerceentibus favet Elizabetha. 13-15. Zelus Pontificis et Hispaniae regis in ornanda expeditione contra haereticos Anglos irritus eadit per Albani invidiam. 16-17. Rodulphus, hujus expeditionis præcipuus ordinator, in Gallia subsidere cogitur. 18. Roffensis episcopus in aream Londonensem detruditur. 19-22. Diversa decreta sancta contra Catholicos. 23-27. Storei præclarum martyrium: multiplicia iræ divinæ signa. 28. Nonnullæ cum rebellibus Belgis Hispanorum concertationes. 29. In aree

Antuerpiensi monumentum sibi Albanus erigit, quod a successoribus dejicitur. 30. Novis impositis veetigalibus turbas excitat Albanus, cui dux Medina-Caeli subrogatur. 31. Hispanie rex a Pio obtinet decimas Ecclesiasticas pro haeresium extirpatione. 32,33. Lundani Ruremndensis episcopi sollicitudo pastoralis. 34,35. Aliorum episcoporum socioria a Pontifice reprehenditur. 36. Decernitur in Consistorio nullum jus competere Capitulo Cameracensi in electione sui presulii. 37,38. Leodienses in oppugnandis haereticis strenui. 39. Litterae Pii gratulatoriae ad Sursum Carthusianum Coloniensem. 40,45. Ex mutuis haereticorum in Germania collectationibus, neenon ex zelo Alberti Bavariae ducis, spem concepit Hosiis status melioris. 46. Albertus Hosiis exponit cur ab errorum tenebris haereticis, in primis principes, tam difficile emergant. 47. Hosius censet nil remittendum esse de cura quam Albertus impenderat ad conciliandos haereticos. 48. Albertus novas Hosiis objicit difficultates. 49. Hosius ad Carolum Austriam archiducem se convertit. 50-51. Colloquium inter *Substantiariorum* et *Averbiatariorum* desinit in motuum dilacerationem. 55-57. Pius monet principes Germanos ne quid mali subditis Catholicis eveniat. 58,59. Pontifex imperatorem laudat quod suis monitis ostenteraverit. 60. Hosius gratulatur Mendozam, quod averterit imperatorem a concedenda Bohemis Confessione Augustana. 61. Sedes Viennensi in Austria diu vacat propter *ecclsum* quod vocant *regimen*, cui subiecere certant Politici caeteras etiam sedes episcopales. 62. Cardinalem Machicium Ecclesie sua Tridentine possessionem non oblitentem, Romanum redire permittit Pontifex. 63. Ernestus, episcopus Frisingensis, licet imperatoris nepos, coram tribunali *ecclsi regimini* astare cogitur. 64. Queritur Hosius quod in Indice librorum in Bohemia vetitorum, nulla facta sit mentio librorum Lutherorum. 65. Lutherum ex impura muliere et diabolo inuenit Hosius pronuntiat. 66-68. Decreta concilii provincialis Salisburgensis a Sancta Sede approbata observari curat Pontifex. 69,70. Portenta in Germania. 71. Elector Brandenburgensis veneno interfactus. 73-78. In locum Joannis Transylvanie principis, cum Ariamini maesta defuneti, sufficitur Bathorius Catholicae fidei egregius instaurator. 79. Sigismundus Poloniae rex graviter ab Hosiis reprehenditur ob concessum haereticis in ipsa urbe Graeviensi templum. 80-83. Litterae Pontificis gratulatoriae, et Hosii simul inereptoriae ad palatinum Graeviensem. 84. Hosius Elbingensem sedem ut suam vindicat. 85-98. Totis viribus Pius avertit Sigismundum a divortio. 99,100. Annam regis Poloniae sororem. Pontifex eumulat landibus et gratiis spiritualibus. 101. Praeclaro elogio Nicolaus Radzvill commendatur. 102,103. Joannes Ghodkwie et Schadielius in gremium Ecclesiae redempti. 104. Cromerus, coadjutor Varmiensis, datis litteris a Pio laudatur. 105. Moschi sue inumanitatis danis poenas. 106-108. Carolus Gallie rex agit cum Navarra regina de conjugio inter ejus filium et sororem suam incundo. 109-112. Psendosynodus Hungarorum Rupellae coacta. 113,114. Cum Salvatio legato Pontificio denso agitur de matrimonio principis Navarrai cum Margarita regis sorore, ut rei Catholicae utilissimo. 115-121. Haereticis addictus Carolus, unde pluribus in locis tumultus et cades. 123-126. Pius Bisuntinos ad pacem et jus reducere studet. 127-133. Monet Pontifex cardinales a Lotharingia et Pelleum ut abstineant omni consuetudine cum episcopo Valentino haeretico. 134. Cardinalis a Lotharingia virtutes. 135. Queritur Pius quod Aquensis episcopus, licet haereticus, ornatus fuerit legatione ad Turcas. 136-138. Odeli Castillionei olim cardinalis mors infasta. 139,140. Soncherii cardinalis, et Espencii insignis theologi obitus. 141. Burdigalae magiae artis cultores. 142-144. In regionibus etiam conterainis Carolus fovei haereticos. 145. Apud Pium frustra agit Carolus in gratiam Comitis S. Severini heresis insimulati. 146. Friburgenses monentur ut causam Lausaniensis episcopi defendant. 147,148. Carolus Borromiens Iudicagistros haereticos ab Helvetiae pagis ejici curat. 149-151. Humiliatorum Ordo extinguitur. 153-157. Humiliatorum bona in meliorem usum Pontifex convertit. 158. Contentiones inter fratres Eremitanos et canonicos regulares Papiae commorantes. 159. Pius Papiae gymnasium institut. 160. Finalium occupat Hispanie rex. 161-164. Causa praecedentiae inter magnum Etrurie Dueum et Dueum Ferrariae agitata ad Pontificem defertur. 165. Musici concertus prohibentur in Majori Hebdomada. 166. Ecclesias et alia loca sacra, etiam exempta, episcopi visitare adstringuntur. 167,168. Abusus circa missae sacrificium tollit Pontifex. 169-171. Sodalitates *Doctrinae Christianae* mincipatae. 172-175. S. Philippus Neri fundator Archiconfraternitatis peregrinorum et convalecentium. 176-193. An S. Philippus Neri methodum orationis mentalis didicerit a S. Ignatio, et in ejus Societatem ingredi postulaverit? 194-196. Religiosorum familias novis munieribus ornat Pontifex. 197,198. Pius Mendicantium privilegia quoad saecularium confessiones restringit. 199-202. Clericorum avaritia fortiter comprimitur. 203-205. Officium B. Marie Virginis, sed non nisi a se vel a S. Sede approbatum, edi curat. 206-209. Pius animarum pastor vigilantissimus. 210-212. Joannes Austriae dux summus imperator praeficitur classi contra Turcas dirigendae. 213-216. Columna a Pio ad regem Hispanie mittitur ut obstantia fedeli dirimat. 217-220. Cautionibus cardinalis Granvellani impulsu Veneti a federe declinant, et ad componendam pacem cum Turcis attrahuntur. 221-224. His electus Pontifex Venetas mittit Columnam qui persuadeat senatu ut fedus accipiat. 225-235. In consistorio solemniter fedus perentitur: hujus federis conditiones. 236. Promulgatur fedus coram populo. 237-238. Divinam opem implorat Pontifex. 239,240. Invigilat Pontifex ut quamprimum unusquisque federatorum suas partes impletat. 241. Pius Sorianum, federis egregium propugnatorum apud se retinet: signa letitiae apud Venetos et Hispanos. 242-245. Sumptibus belli Pius providet. 246-248. Mortatur litteris Pontifex imperatorem, neenon Gallie et Poloniae reges ut ad fedus initum accedant. 245,250. Messanam convenire praeserbitur variis navibus Christianae classi. 251-253. Consistorium in quo legationes ad Christianos principes decretae, et haereticorum consortium repulsum. 254-260. Cardinalis Alexandrinus aulam Hispanam petit, et cum rege agit tum de rebus ad bellum contra Turcas pertinentibus, tum de causis dissidiorum tollendis. 261-278. Singula capita que inter regem Philippum et cardinalem Alexandrinum tractata fuere. 279-284. Mera fabula concordia a Roecho

SUMMABIIUM.

Pirro exegitata. 285. Constitutio pro utriusque Siciliae regnis. 286. In quibus rex Hispaniae aequum se praebuerit legati postulationibus. 287-290. Cardinalis Alexandrinus Lusitanum regem adit, a quo nihil nisi vanas promissiones obtinet. 291-293. De legatis in Persiam mittendis agitur. 294-308. De nubendo Lusitano rege Pontificis irriti conatus: an reipsa Jesuitae juxta severorem normam hunc principem edueaverint. 309-317. Commendoni legatio ad Maximilianum de fædere ineundo: responsio dilatoria imperatoris. 318-321. Querelæ imperatoris de titulo Magni ducis Cosmae Medicæo, absque ipsius voluntate a Pontifice concesso. 322. Turcarum tyranni iniuræ litteræ ad imperatorem. 323. Pii legationes ad Italæ principes. 324-331. Venetorum insulas Tureæ vastant. 332-353. Famagustæ exēdium: Turcarum pertidia. 357-363. Joannis Austriae diu expectatus adventus: causæ hujus tardioris moræ. 364-366. Austria Messanam appellit, et a dueibus enim magna letitia excipitur. 367-377. Post multas procerum altercationes, decernitur, Pio præsertim hortante, prælium haul diutius differendum. 378-381. Christiana classis Christianæ aeingitur ad pugnam. 382-384. Messana solvit classis. 385. Inter Turcarum duees disceptatio. 386-391. Classis Christiana ex re parvi momenti in maximum discrimen adducta. 395. Apud Echinades insulas naves utriusque partis in conspectu veniunt. 396-399. Ultimi pugnae apparatus. 400-417. Summam cladem subeunt Turcæ, qui nunquam antea navalí pælio a Christianis profligati fuerant. 418-423. In ipso momento quo pugna committitur, Pius cœlitus electus victoriam noscit et nuntiat. 424-433. Quanta fuerit clades hostium, et fortitudo Christianorum. 434-435. Ex historiis nulla clarior victoria, sed ob pravum usum nulla minus fructuosa. 436. Favente numine, tempestati subortæ se subdueit federatorum classis, in portum Petalam confugiens. 437-441. Discrepantes sententie de reudeenda classe in hiberna: dueum querelæ mutuæ. 442-443. Terror Othomanicum imperium undique pervadit: pictura, victoriae commemorativa, in Vaticano. 444. Duees inter se prædam partiuntur, et ad redditum se comparant. 445-447. Summa letitia excipitur tum Venetiis, tum Romæ, nuntius de reportata victoria, ob quam a Pontifice instituitur festum Commemorationis S. Marie de Victoria. 448-453. Ingressus Columnæ in Urbem et ei delati triumphi honores. 454-455. Lutheranis neenon imperatori ipsi haec victoria tristitiam parit. 456. In Hispania duplex letitia et ex victoria Christianorum et ex filio regi nato. 457-459. Ad Lusitanum regem Pii litteræ letum nuntium afferentes et principis ad Pium gratulatoria Epistola. 460. Cardinalis infans Lusitanæ, post acceptas Pii litteras, Pontificis benignitatem et eximias dotes celebrat. 461-464. Per fidos Lusitani regis nuntios Pius litteras curat preferendas ad reges Persiæ, Arabiae et Æthiopie, nt eos ad proterendos Tureas incitet. 465-467. In locum cardinalis Alexandrini, diutius in Lusitania commorantis, Salviatus mittitur ad regem Galliarum ut ipsum ad sociale bellum inducat. 468. Inter eundum, Salviatus a Genuensibus petit ut subsidium tribuanæ pro sacro bello prosequendo. 469-471. Constitutio qua Pius bona aliqua alienare permittit ob timorem conceptum novæ Turcarum invasionis. 472-473. Martyrium inflatum ab haereticis quibusdam societatis Jesu alumnis. 474-476. In Orientalis Indiæ partibus, per conspirationem regum indigenarum, Ecclesiæ recens erectæ in magnum discrimen adduenuntur. 477. Constitutio qua præcipitur Inventorium aetorum criminalium in utriusque Sicilie regnis. 478. Coneilium provinciale Neapolitanum. 479,480. Monstra et prodigia in Germania. 481. Plurimorum principum mortibus annus memorabilis. 482,483. Merlini et aliorum Ecclesiæ inimicorum obitus.

ANNALES ECCLESIASTICI.

PII V ANNUS 5. — CHRISTI 1570

1. *Turcæ Cyprum appetentes mittunt Venetas nuntium qui causas querimonias coram senatu exponat: Venetorum responsio.* — Anno Jesu Christi millesimo quingentesimo septuagesimo, Indictione tertiadecima, Selymus Turcarum Tyrannus ex eo, quem in Christianos odio conceperat, tandem peperit iniquitatem, et sicut turbo impellens parietem, impetum in eos fecit; tantam gloriae proprio nomini ac imperio accessionem se facturum existimans, quantam Christiano detraxisset.

2. Juxta illud vero Sapientis: Qui volt recedere ab amico occasionem querit: sic infringendæ pacis, quam a Solimani patris obitu, Venetis se inviolatam servaturum Selymus idem juraverat, plures emendiebat rationes et auecupat causas. Ad facinus impulit, ut Tarcagnotta¹ scribit, et impiæ eujusdam pietatis species, et qui apud Turcas pietatis ac religionis magisterium tenebat, Moplitinus: nam cum Selymus primis statim imperii auspiciis, Hadrianopolim profectus esset, curaturus, ut xenodochium magnificum pro advenis extrueretur, a viæ comite præfato Moplitino edoctus est, opus illud spoliis Christianorum esse locupletandum; eamque ad rem perficiendam, Cypro insula nullum locum esse opportuniorum. Hoc consilium adjuvit quoque (præter Mahumetem², qui inter cæteros Bassas eminebat, et Pialim alterum Bassam regis generum, cui navalium rerum cura destinabatur), pestilens Hebræus, patria Lusitanus, nomine Joannes Michy, qui, ut narrat Thuanus³, se in Selymi gratiam, miro artificio insinuaverat. At ab eo abhorrebat, ut Campana⁴, ac Maurocenus⁵, referunt, Mehemetes purpuratus primarius, qui lieet et ipse fide ac moribus barbarus, tamen

ægre ferebat Selynum dataim Venetis fidem irrationabiliter infringere velle, ideoque, ut animum ejus ab ea sententia revocaret, ex occasione legationis nuper ad Selynum missæ a Bœticis Mauris, qui ante biennium contra Philippum Hispaniæ regem rebellaverant, opemque illius imploraverant, Hispanicam potius expeditionem, quam Cypriam suadere studuit. Verum nil apud Selynum, jam Cypri regni cupiditate illectum ac abstractum, hæc profecerunt, ideoque quo astus ambitionis Selynum ipsum rapuit, consiliariorum etiam oratio incumbens, magno assensu Cyprus bellum statuitur, cuius dux Mustaphas creatur, collega addito Piali, maritimæ classis præfecto: et Mehemetes ipse jubetur Antonio Barbaro Veneto oratori rem significare, ac pro amicitia monere, ut cum pares Turcarum potentiae Venetæ suæ reipublicæ vires non essent; conditibnibus potius cum Selymo, quam armis rem ipsam agere vellet, ne temeritatis pœnas totius ejusdem Reipublicæ periculo daret.

3. Selymus ante hæc Venetas exploratorem miserat, sub legationis in Galliasabituræ prætextu, qui cum Venetiis aliquandiu substisset, quod se publicam fidem, ex Hispaniis a rege, cuius ditiones transiturus esset, expectare diceret; interim omnem reipublicæ statum diligens indagator exploravit, ac de eo Selynum certiore reddidit; et nisi infausta pro voto certe referre potuit, ex superioris anni navalis incendio, et extrema annonæ caritate ea urbe haud parum afflita. Antonius Barbarus nihilominus haud aliud quam temporis dilationem molitus est; unde, ne imparatam omnino rempublicam hostis aggrederetur, ad Mehemetis postulata respondens enixe petierat ab eo, ut antequam hostilia pararentur, legatum Selymus Venetas mitteret, qui illius voluntati ad senatum deferret: nam sperare se dixit, tanti futurum patribus jura pacis non abrum-

¹ Tarcagnot. Hist. par. 3, lib. 13, pag. 213. — ² Ibert. Foliet. de sacr. fæder. lib. 4, p. 11. — ³ Thuan. Hist. l. 49, p. 705. — ⁴ Campan. Vit. Philipp. II, p. 3, p. 80. — ⁵ Mauroce. p. 351, lib. 9.

pere, ut rationem aliquam inituri essent, quanta imperatoris desiderio satisficerit; interimque edicta sustineret, ne qui motus in finibus fierent, quibus magis utrinque animi irritarentur: nec enim se desperare, subjunxit, Venetos, ut a se tantam belli tempestatem averterent, pacem concessione Cypri redempturos.

4. Decernitur itaque ad id Tureici legati munus Abrahamus quidam, qui paucis ante annis renovando fœderi Venetiis fuerat. Erat is, ut narrat Gratianus¹, genere Potonus, perhonesta Strassorum familia in Borussia natus, qui adolescens a Tureis captus, Christianæ fidei desertor, prophanis Turcarum ritibus sese addixerat; et exinde in regis militiam adseritus, Chiaiususque effectus, industria ac nobilium linguarum intelligentia, barbaris magno obeundis legationibus usui erat. Iluie orator Barbarus, summa sagacitate, Aloysium Bonricium, reipublicæ scribam, et adolescentem filium adjunxit, specie quidem, ut tutius Abrahams Venetos fines ingresso iter foret, revera, ut impuber filius instanti servitio eriperetur, et senatus de omnibus rebus per Bonricium erudiretur.

5. Exeunte Martio, Venetas appulit Abrahams, quem tamen patres statim urbem ingredi vetuere, sed sequenti dumtaxat die, parvo navigio ad se adduci jusserunt; quod cum fieret, vix ille iram ae impetum impotentis ac frenementis populi evasit. Nullo cum honore ae magnificientia susceptum, oblatas ab eo litteras seribit ab Isselt minimie fleetas fuisse; at contrarium asserere videntur Folieta ac Gratianus, qui literarum earumdem summam referentes, in his fuisse scribunt: Eusochos, Christianam gentem ac Venetorum sociam, assidue incursare Turcarum fines, et infesta omnia latrociniis facere, neque cohiberi, quin incitari a Venetis atque immitti solere. Venetos ipsos inusitata rabie in Tureas, qui piraticam faeerent, ferri, eosque etiam captos ac deditos immaniter trueidare: sed quod ultra ferri non posset, insulam Cypri, receptaculum Christianorum piratarum, illa maria late prædantium esse factam. Itaque eum imperio suo euneta circum insulam parent, sibi constitutum esse, ea subaeta, pacare navigationem. Proinde postulare, ut si paeem quam secum habuissent reddi sibi Veneti vellet, quando fœdus ipsi multiplieiter violassent, Cypro decederent: Eusochos latrones coercent, atque illam sœviendi in Tureas acerbitas remitterent. Ad hæc addunt alii, rationem quoque regni Cypri repetendi se habere Selynum dixisse, quod summum ipsius regni imperium Sultanorum Osmanidarum, a quibus Veneti illud, ut feudum tenebant, pro quo, et annum tributum persolvebant, aliquando fuisse.

¹ Gratian. de bello Cypr.

6. Magna inter patres ista audientes orta disidia, tradit ab Isselt, Laureiano duce et plenisque senatoribus Cypro cedendum, eum ad resistendum hosti vires non suppeterent, suadentibus: cæteris vero indignum gloriae nominique Veneto existimantibus, ad simplicem Turcarum petitionem, ex Ionio, Ægeo et Euxino turpiter exceedere. At verosimilius præfati Gratianus et Folieta, hanc inter Patres sententiarum diversitatem, non Tureico legato coram, sed antea fuisse scribunt; ideoque priusquam ipse veniret, jam quid responderetur deeretum. Nulla igitur mora deliberandi petita, responsum in hanc sententiam ante compositum ac descriptum Abrahams dederunt: Venetos, vel injuriis provocatos, pacem tamen eum fide semper coluisse: Eusoehos, gentem inopem et latrociniis vacantem, prædas æque a Christianis quam a Turcis reportare eonsuevisse. Turcas piratas a Venetis ducibus jure belli cæsos fuisse ae imperfectos, idque, absque fœderis fraetura, licuisse. In Cyprio regno, non modo perfugium piratis non datum; sed ad eos insuper arcendos, quatuor longas naves dedita opera se in ea insula habere. Nullum jus Selymi in Cypro agnoscere, quandoquidem, quod ei Veneti præstare eonsueverant, honorarium munus erat, non tributum, quo gratitudinem suam Cypriis regibus, erga Ægyptios Sultanos benefactores et amicos suos declarare, mos fuit. Cæterum, si per hæc commenta abrumperet pacem placeret, ultorem falsæ fidei futrum, Deum, quo adjuvante ita se bellum gesturos sperarent, ut citius illum, quam ipsos nefarii consilii pœniteret.

7. *Veneti ad arma se accingunt et Christianorum principum opem implorant.* — Hoc responso, nuntio dimisso (qui protinus etiam, extra reipublicæ fines reportari, nullo publico vel officio vel munere cultus, præcipitur); consilia sua omnia ad ea quæ belli erant Veneti convertunt, partisque euris, atii classi ac navibus præficiuntur; alii finitimas Turcis regiones eustodiendas suscipiunt; alii littora servandi curam assumunt; alii demum in comparanda et quærenda auxilia aeriter intendunt; ae legationibus, in primis ad Christianos principes tota Europa circummissis, opem implorant, precibus consilia addentes, ae multa de Barbarorum cupiditate disserentes, quibus eosdem principes, non tam opis sibi præstandæ studio, quam proprii periculi admonitos ad tam ingens avertendum malum commoverent.

8. At haec legationes (inquit Folieta), quanquam vera dicere viderentur, neminem tamen moverunt, fatali quadam insita hominum ingeniiis cæcitatem, qua nemo gliscentem pestem, ac proxima quæque et ante oculos posita eorripientem, prius ad se non perventuram eredit, quam illam visceribus hærentem sentiat. At

nec ipse quidem Maximilianus (ut idem refert), quidquam motus est, licet in Turca contundendo et profligando, non minores ejus partes quam Venetorum esse viderentur, ob finitimas Turcæ eidem ditiones, quotidianis illius neque parvis damnis expositas. Nec moveri est passus, sed quod pæne effatu horrendum simul ac incredibile videtur, nec Jacobum quidem Superantium, Venetum legatum, ad se accedere permisit, ut omnes suspicionum causas tam potenti hosti præcideret. Quæ superstitiosa nimis Maximiliani inurbanitas effecit, ut Antonium Teupolum ad regem Poloniae missum, Veneti ex itinere revocarent, haud dubii, Polonum minoribus odii ac minus necessariis belli causis stimulantibus, nihilo alacriorem aut promptiorem ad arma capessenda futurum. Auxilia pariter rex Galliae præbere detrectavit, licet pluries ipsi non modica (ut diximus), Veneti præbuissent auxilia. Hispaniarum autem rex, si præstítit, vel Pii tantum studio fuit, vel quod ea suppeditando suis ipse rebus consultum iri existimaverit, non certe quod rerum Venetarum magna sibi eura fuerit. Unus inter omnes (inquit Folieta) repertus est Pius V, qui officiæ ac munericæ sui memor, causam Venetorum, non libenter modo, sed ita cupide est amplexus, ut illis ipsis ardore pæne præeucurrerit.

9. *Pius solus causam Venetorum amplectitur.* — Ab initio statim belli ab eo Veneti auxilium petierant, qui quanquam (ut narrat Gratianus) alienior ab iis ad id tempus visus fuisset, quod et Pontificium jus usurpare saepe eos, et hæreticos, pestiferum genus hominum, parum severe, atque interdum oscitanter, vindicare solere, vir Christianæ pietatis vindex acerrimus opinaretur; tamen Tureci belli nuntio, haud secus quam summum religionis antistitem et parentem Christianæ Reipublicæ decebat commotus, Venetos suscepérat. Debuissent tunc saltem hi levissimas ac excogitatas humanæ suæ prudentiæ deponere suspicções, quibus saecularum legum specie, alienum illorum jus Pium præripere voluisse perperam existimaverant; dum tam sollicitum ipsorum servando undequaque imperio ac suprema potestate cernebant: nec ultra debuissent eorum rebus inhiantem credere, quem ad eas custodiendas, nec propriis parcere velle conspiciebant. Debuissentque tandem hoc exemplo (quod passim, usque in hæc nostra tempora, fidelissime secuti sunt Romani Pontifices). commoniti cæteri principes intelligere, ideo persæpe eis in Ecclesiastica bona jus usurpare prohibitum, quo eis opportuniori tempore cumulationiora serventur; nec ab Ecclesia ipsis ablata, sed apud eos sic potius esse deposita. Ac multo minus immemores esse deceret beneficiorum, quibus haud semel Romana Ecclesia, non modo sacris rebus quæ in eorum ditionibus conti-

nentur, sed suis etiam suique juris provinciis ac populis exhaustis, illis servavit imperium; eum tamen, vel gratiam pro gratia reddere raro admodum conspiciantur; et, quod deterius est, in eam levissimis de causis insurgant, cuius singulari beneficio, a gravissimo eripi periculo, modo sunt quidquid sunt: unde modicissimi juris vel unam speciem ei detrahere contendunt, quæ totum tamen jus illorum protexit: ita ut ipsas causas amoris, quæ ex ipso servato jure in se derivasse diffiteri non possunt, non Christianæ modo, sed humanæ etiam charitatis oblii, in acerba odia intlectere videantur.

10. Pius igitur, nec indignatione commotus, nec his offensus Venetos deseruit; quin etiam immemor injuriæ, memor clementiæ, ubi ipsorum periculum animadvertisit, advocate cardinalium consistorio, ea de re consilia cum illis habuit: « Erat tum in eo ordine atque consilio, » inquit Gratianus¹, « Antonius Perenotus, cognomento Granvellanus, cuius pater ferrario fabro apud Vesontionem in Sequanis natus, sua industria, et Caroli Cesaris gratia, ad ingentes opes in Belgis pervenerat, filiosque produxerat. Et Antonius cum copiis ac divitiis, quas maximas et a Patre acceptas et a se partas possidebat, tum Philippi magnitudine, apud quem auctoritate pollere credebatur, tum vero etiam ingenii opinione, et multarum linguarum scientia, et magnarum rerum usu, quibus prope a parvulo exercitatus fuerat, magnopere eminebat, magnoque in honore atque existimatione erat. Quibus ex rebus animus, natura ferox et insolens, et imperiis assuetus, tantos sibi sumpserat spiritus, ut saepe immodice atque impotenter efficeri soleret. Patribus igitur ad unum omnibus, non deserendos gravissimo eorum tempore Venetos censemibus, solus ignaviae ac formidinis incusatos, multis ac per aeribus verbis eos, ut indignos, quibus quicquam ferretur opis est insectatus, quam non ad bellum enixe ac strenue gerendum, sed quod superioribus annis fecissent, cum Carolum ipsum Quintum armorum socium haberent, ad pacis æquiores conditiones ab hoste impetrandas petere insimulavit: proindeque debere Pontificem, dixit, sinere prius id procedere paulum et cruentari bellum, quam ei se immiscere; tum enim veram opem imploraturos, cum aliqua affecti clade, et incumbentem exitio eorum hostem, et se sine alieno praesidio impares libertati suæ tuendæ esse sensissent: quandoquidem fieret, justo Dei immortalis judicio, ut qui ante aliorum pericula ex tuto semper spectare voluissent, aliquando adversarum rerum socios quererere atque implorare ipsi egerentur.

« Mussitantibus ad hæc cæteris Venetis

¹ Gratian. de bell. Cypr., pag. 52.

cardinalibus Cornelio, Amulio, Delphino, Philiippi el Granvellani respectu, non facilis tulit fam arroganter Italie periculis et patriæ sua malis insultantem hominem Belgam Joannes Franciscus Commendonus cardinalis, studiosus vir boni æquique, et quem, nec gratia, nec metus avocaret ab officio aut deterret. Is sententiam Granvellani gravioratione refutavit; et commemoratis Venetorum Reipublicæ merititis, cum universe in rem Christianam, tum proprie in Pontifices maximos, dubiis eorum temporibus; auxilia iis nec neganda censuit esse nec differenda, sed ipso statim initio juvandos atque fulcierendos, eorumque, ex recenti contumelia violati ab hoste fœderis, iram ardoremque, ad capessendum naviter bellum accendendum, non debilitandum frangendumque esse: quod fieri necesse foret, si deseriri se illi a Pontifice Maximo Christianisque regibus intellexissent. Quod enim id consilium esset, ut prius bellum sanguine imbueretur, expectare, se quidem non videre. Nam qui integrorum, ac recentium constantiam in suspicionem poneret, quid esse eur percussis adversa aliqua re, et belli incommoda perpessis magis fidaret, aut firmiores et audacieores ad reliqua fore speraret? Sed nec Venetos dignitatis suæ ac reipublicæ defuturos, si adversus immanes et non ipsis solum graves, sed Christianis omnibus terribiles Turcarum vires, Pontifices maxi- mi ac reliquorum studio atque ope regum sublevarentur; et qui in Italia nati, Italiæ incolumitati consultum euperent, haud magis Venetis id bellum a barbaris, quam sibi et toti Italiæ illatum esse, existimare debere: nec porro minori contentione, aut animo ad illud propulsandum consurgere. Postremo mirari se dixit, superioris belli pacisque cum Turcis initæ mentionem fieri, cum ita se Veneti tractatos a sociis eo bello quererentur, ut optandum esse videretur, ut ejus commemoratione, et alii abstinerent, et ipsos perpetua Venetos oblivio caperet».

11. Ista Gratianus, nimis forte erga cardinalem suum Commendonum studiosus, cuius gratia plus aequo etiam Granvellano detrahitus visus est. Quidquid enim intercesserit in antiquo eo fœdere, Paulo Tertio auctore, cum Carolo Quinto imperatore habito, certum est tamen alienarum eladium ac funerum spectatores, nullamque partem publicorum discriminum subire nonnunquam Venetos delrectasse, recentibus sub ipso Pio Quinto exemplis probatum iri. Cum enim totius illi Italiæ propugnaculo Melite Tureæ inhiasset, tanquam commune illud periculum, nihil ipsos attingeret, nulla ratione, nec Pontificis ipsius enixis precibus adduci potuere, ut in communem hoslem arma sumerent; quod id forte privatis suis commodis minime accommodatum cen-

suisserint. Minus etiam detrahendum erat Granvellano, quod male Venetos habituros belli socios palam dixisset; cum sapienter præviderit, quod deinde exitus comprobavit, dum omnino insciis fœderalis, pacem cum hoste composuerunt; cum tanta Pontificis Gregorii XIII, licet ingenio milissimi, indignatione, ut nuntium improvisum aversatus, inquit Folieta, illorum legatum verbis male acceptum, e conspectu protinus facessere jusserit; quidquid Gratianus ipse, ne sibi contraria disserere videretur, de hujusmodi fœderis fine adnotaverit, ut suo loco dicendum erit.

12. *Pius concedit decimas, et Jubileum indicit.* — Nihilominus pronus ad pietatem erga Venetos animus Pii, vel ipsius in Christiani nominis hostes ardor effecit, ut approbantibus Patribus, iis auxilia decernerentur. Decimæ igitur in primis iis concessæ sunt, ab ipsis quoque cardinalibus, sacerdolia in Veneta di- tione possidentibus, exigendæ. Hinc, ut illos propria quoque pecunia adjuvaret, magni quæstoris, quem vulgo camerarium vocant, amplissimum munus, quod Michael Bonellus cardinalis Alexandrinus, ex sorore pronepos obtinebat; ipso consentiente, et una cum Pontifice rempublicam, privatis commodis antepo- nente, venale habuit, pecunia ex illo redacta, in usus belli impendenda. Pro eo, alii septuaginta, alii sexaginta scutorum millia cardinalem Cornelium persolvisse scribunt; quodque Folieta hoc anno factum diei, Catena, post fœderis publicationem, in sequenlem rejicit; quo etiam scribit, Apostolicæ cameræ clericatum (qui septem dumtaxat erant) numerum ad duodecim auxisse, quorum tres dumtaxat postmo- modum vendidisse dicit, duos extinxisse. At Campana, Natalis Comes, et alii sub præsenti anno id commemorant, et ex ea venditione 125000 nummum Pontificem collegisse asserunt. Protonotariorum ad id quoque numerum multipli- casse, Comes ipse refert: ac demum novis vectigalibus cuncta Ecclesiastica suæ ditionis bona, neconon Italiæ totius onerasse, patet ex sequentibus ipsius Apostolicis litteris¹, quas hic ponendas existimavimus:

« Pius episcopus. servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

« Christiana res publica, quo redacta sit, quantisque incommodis conficitur, omnibus perspicuum esse non ambigimus: quando inter maximos amplissimorum regnorum tumultus, ab impiis hominibus contra proprios principes jamdiu (peccatis nostris facientibus) concitatos, cruentasque passim cædes, sevissimus Turcarum tyrannus intelligens summos reges intestino bello implicatos, alque confectos, in- gentes exercitus cogit, potentissimam classem

¹ Extant in Bullario parv. Pii, pag. 193.

instruit, ut quas sibi in areano instituit, Christianorum partes improviso adoriatur, insitamque expleat feritatem. Nam et si opprimendi Cypri causa fama vagatur, et id Venetis indixerit, ipsique alioqui hoc conjectantes, ad defendendum bellum. Cyprium, egregias numerosasque eo militum manus classe trahere maturant; quibus et nos jam pecunia succurrimus, et quibus possumus rebus necessariis subvenire conamur; certum tamen non scimus, ejusne sit ille consilii proprius accedere, atque invisae sibi Italie portus idoneos opprimere, ut itinere patefacto, in reliquam Italianam et alias fidelium provincias pro libito irrumpere possit. Quare provisa quaquaversus omnia sint necesse habentes, ut quo cumque illius furor irruerit, potentibus armis reprimatur. Hoc eum ubique factum iri vehementer expetimus, et que possumus auxilia, cuique agenti impertimur, tum eliam a nobis illud sedulo curandum est, ut omnes orae maritimæ muniantur, praesidia disponantur, novi equitum peditumque delectus primo quoque tempore habeantur. Sed immensi sumptus, quos principibus Christianis, pro sua et fidei defensione laborantibus, ubi res tulit, suggestimus, et pro exercitu, quem superiore anno in Galliam contra haereticos misimus, ac pro tutela Avenionis Comitatusque nostri Venu-sini, tamdiu suppeditavimus; et nunc ad tenendas ibi alias novas, quas imminentibus quotidie magis dictorum haereticorum periculis proxime decrevimus militum copias, amplius facere compellimus; aliae item diversorum generum calamitates usque eo tempore Romanæ Ecclesiæ statum afflixerunt; ita came-ran Apostolicam ordinario proventu exinaniverunt, ut si repente vis aliqua ingruerit, ad eam propulsandam necessaria manifesto sint defutura. His nimirum angustiis et difficultibus circumventi et obsessi, omnia prius conari decrevimus, quam subditos nostros, aliis oneribus et miseriis nimirum affectos, gravioris ponderis accessione vexare. Quare habita pro rei gravitate cum fratribus nostris deliberatione matura, ad peculium Ecclesiæ (eujus causa ut maxime agitur) de necessitate indicimus et imponimus sex integras decimas omnium et quarumcumque fructuum, reddituum, provenientium, jurium, obventionum, distributionum quotidianarum, et emolumentorum ordinario-rum et extraordinariorum, omnium et quarumcumque Ecclesiarum, patriarchalium, metro-politanarum, cathedralium, collegatarum, et parochialium; ne non monasteriorum et con-ventuum, ac etiam mensarum patriarchalium, archiepiscopalium, episcopalium, abbatialium, capitularium, et conventionalium, prioratum quoque, præpositurarum, præceptoriarum, canoniciatum, præbendarum, dignitatum, personarum, administrationum et officiorum, cæ-

terorumque beneficiorum Ecclesiasticorum, cum cura et sine cura, sæcularium, ac S. Ben-dicti, S. Augustini, Cluniacensis, et Cisterciensis, Praemonstratensis, S. Basili, Humiliatiorum, Sylvestrinorum, et (qui proprietates redditusque certos ex privilegio vel alias pos-sident) Mendicantium, ac quorumcumque aliorum Ordinum utriusque sexus; ne non Congre-gationum Regularium et præterea Hospitalium eliam pauperum, hospitalitatem non exerceen-tium, seu bona et redditus ultra infirmorum necessitates, et alia, pro quibus instituta sunt pia officia exercenda possidentium; ne non B. Mariæ Thentonicorum, S. Lazari de Alto-passu, Templi Dominic, et aliarum Militiarum (Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani, que pro sui tutela, contra dictos Turcas et alios infide-les, alienis auxiliis continuo egel, dumtaxat excepta) in omni Italia (præter dominium præ-dictorum Venetorum, cuius clerum universum causa hujusmodi expeditionis in Turcas jam oneravimus) consistentium, secundum vero annum valorem fructum, reddituum, pro-ventuum et aliorum prædictorum. Ac eliam indicimus et imponimus sex alias decimas omnium et quarumcumque pensionum annua-rum, super fructibus, redditibus, provenientibus, juribus, obventionibus, emolumenis et distri-butionibus supradictis assignatarum et assig-nandarum percipiendas, exigendas et levandas ab omnibus et quibuscumque episcopis, archie-piscopis, et primatibus, patriarchis, et aliis Ecclesiarum præfatis, ac cæteris ejusdemque dignitatis, status et conditionis personis, præ-dicta quo cumque jure et titulo obtinentibus et obtenturis; ne non economis et administra-to-ribus perpetuis, et temporalibus usufructuariis, ac fructus, et pensiones, res et alia hujusmodi jura, ex quacumque causa sibi Apostolica auctoritate in toto vel in parte reservata haben-tibus et habituris, sæcularibus et regularibus Ordinum, Congregationum, Militiarum et Hos-pitalium prædictorum. Ne non ab ipsis Ecclesiis, Capitulis, Conventibus, Ordinibus, Congre-gationibus, Collegiis, Hospitalibus, Mili-tiis, mensis, massis et locis, quo cumque privilegio et exemptione, reali, personali, pacifica et con-tinua suffultis. Quos omnes, ad hoc efficaciter obligatos, pro una intra proximum diem festum S. Michaelis Archangeli, qui mense Septembris indicit, et pro alia intra eundem festum anni proxime futuri, et pro tertia partibus æqualibus, intra illum ipsum diem festum consequentis protinus anni, cameræ prædictæ, et illius pro-ecutoribus constituendis omnino volumus persolvisse. Quicunque vero decimas hujusmodi nullo modo, vel non integro, scienter, aut non secundum verum annum valorem, fructum, redditum, provenientum, jurum, obventionum, distributionum et emolumento-

rum, sive non terminis constituendis exhibuerint, seu in illorum exhibitione, malitiam commiserint sive fraudem; Ecclesiarum antismites suspendimus a divinis, Capitulo vero, Conventus et Collegia quaecumque, Ecclesiae interdicto supponimus, ac singulares personas, antistite inferiores, excommunicationis sententia innodamus. Cæterum ad prædictas decimas consequendas, præcipimus etiam omnibus conductoribus censuariis et locatoribus proprietatum, fructuum, rerum et jurium prædicatorum, etiam hujusmodi pensionibus onerorum, ut utrasque decimas, nomine dominorum et pensionariorum, ad computum suæ quisque locationis; omnibus vero possessoribus, usufructuariis, et aliis, pensiones solvere debentibus, ut ipsi etiam decimas hujusmodi nomine pensionariorum cameræ, et procuratoribus prædictis integre persolvant. Decernentes decimas fructum, redditum, proventum, et aliorum jurium prædicatorum, secundum communem illorum estimationem arbitrandas, alias vero pensionum decimas, ad rationem decem pro centenario præstari debere, et secundum ea prædictos omnes in solidum cogendos esse, ipsarumque decimarum procuratores, a quibus libuerit integre exigendi optionem, facultatemque habere. Neque ulla omnino immunitates et exemptiones, etiam ex causa resignationis, cessionis, juris, concordiae, conventionis, aut quaenamque alia gravi et onerosa occasione, quoecumque modo concessas, et interim concedendas, integrum solutionem hujusmodi minuere vel impedire; neque possessores, usufructuarii, aut alios pensiones hujusmodi solvere debentes, etiamsi ipsi juri et actioni petendæ, vel retrahendæ, vel retinendæ portionis, et ratæ partis pensionarios contingentis jurejurando renuntiaverint, et illam libere donaverint, atque ex forma dictæ cameræ amplissima caverint modo aliquo obligari, nec ad id pro dicto tempore constringi posse. Omnes vero confessiones, et quietantias receptionis decimarum a procuratoribus et ministris cameræ prædictæ tam conductoribus, censuariis et locatoribus nomine snorum principaliū, quam etiam ipsis, neconon possessoribus, usufructuariis, et aliis pensiones solvere debentibus, nomine pensionariorum facendas, perinde valere, atque in iudicio et extra illud ubique locorum fidem facere, ac si ipsimet principalibus, ac pensionariis præsentibus, et solventibus factæ et exhibitæ fuissent. Conductores autem, qui premium locationis dominis legitime anticipaverint, locationem suam hujusmodi, quam ad hoc prorogamus, usque ad integrum satisfactionem, ut prius etiam adveniente successore, continuare debere, sieque per quocumque judices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac

S. R. E. cardinales in quavis causa et instantia, sublata eis et eorum cuiilibet, quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique judicari et definiri debere. Neconon irritum et inane quidquid securus, per quoscumque scienter vel ignoranter configerit atten-

“ Ul autem omnia supradicta, sicut causa urgens postulat, diligenter et fideliter exequuntur, dilectum filium nostrum Aloysium tituli S. Clementis presbyterum cardinalem, Cornelium nuncupatum, camerarium nostrum, cuius integritas et experientia jam pridem nobis perspecta est, generalem omnium decimarum prædictarum collectorem, in universa Italia, cum omnibus et quibuscumque privilegiis, jurisdictionibus et juribus, quæ omnes alii antehac hujusmodi collectores habuerunt, auctoritate prædicta tenore præsentium constituimus et ordinamus, eique plenam, liberam et absolutam potestatem, facultatem et auctoritatem tribuimus, omnes ipsas decimas cameræ prædictæ nomine, ubique procurandi, prædictos omnes, tam conjuntem quam divisim, ad integrum illarum solutionem, ut prædictum est, faciendam, etiam per edictum locis publicis affigendum monendi et requirendi, non parentes, fraudantes, et cæteros contumaces in censuras et pœnas prædictas incidisse declarandi, proprietates, res, fructus, et alia bona ipsorum, etiam manu regia apprehendendi, et usque ad condignam satisfactionem refinendi; contradictores et perturbatores, molestatores et rebelles quoscumque, eisque auxilium, consilium vel favorem publice vel occulte, quovis quæsilo colore præstantes, cujuscumque dignitatis, gradus et ordinis fuerint, prædictis aliisque censuris et pœnis Ecclesiasticis, neconon pecuniariis, cælerisque juris et facti remedii opportunis compellendi, illosque etiam iteratis vicibus aggravandi, dignitatibus, beneficiis et officiis omnibus privandi, et amovendi, et ad futura inhabiles faciendi, interdictum Ecclesiasticum apponendi, auxiliumque brachii sæcularis, quandocumque opus fuerit, invocandi. Ad sanitatem vero reversos, qui debile satisficerint, ab omnibus censuris et pœnis supradictis in forma Ecclesiae consueta absolvendi, super irregularitate forsan incursa dispensandi et ad pristinum statum omnino resliguendi.

“ Prælerea collectores et subcollectores fide et facultatibus idoneos in omnibus civitatibus, terris et provinciis Italie prædictæ, quotquot viderit expedire, cum simili aut limitata, non tamen absolvendi potestate, constituendi, cumque, vel eos arbitrio suo revocandi, negligentes et morosos removendi, ac alium seu alios surrogandi, quotiescumque ei videbitur, in delinquentes et suspectos per se, vel alium,

sen alios, etiam simpliciter, et de plano, ac sine strepitu, et figura judicii inquirendi, et meritis paenit puniendi: modos et formas in prædictis servandis præscribendi, dubia quæcumque in præmissis forte oritura declarandi, et prorsus omnia et quæcumque circa ea necessaria et opportuna faciendi, statuendi et exequendi, etiam si talia forent, quæ mandatum exigerent magis speciale, quam præsentibus est expressum.

« Non obstantibus felic. record. etc. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo septuagesimo. Pridie idus Maii, Pontificatus nostri aun. quinto ».

13. Apostolicas has litteras nonnisi tertia-decima die Julii vulgatas fuisse, ex eis mox apposita publicatione constat. Paulo post vero considerans Pontifex (ut ipsem fatetur), hujusmodi sex decimarum impositionem, quæ pariter Fratres et Moniales Ordinum Mendicantium, illorumque domos ac monasteria complectebatur, haud ab illis ferri posse; quoad ipsos ad tres tantum reduxit, datis super hoc, sub die vigesima nona Augusti Apostolicis litteris, quæ in parvo seorsim impresso ejusdem Pii Bullario¹ leguntur.

14. Nacquoque occasione, cum in coacervanda pecunia sollicitum undequaque permulti animadvertisserent Pontificem, restituendos esse in beneficiis regressus eidem suaserunt. At id ipse consilium (ut narrat Natalis Comes²), rejecit; quinimo in re beneficiaria quamlibet turpis lucri maculam ex corde aversatus, kalend. Junii hujusmet anni edita Constitutione³, Tridentini Concilii cap. xiv, sess. xxiv, deeretur, quo aliquid vel peti vel exigi in collatione aliave provisione beneficiorum Ecclesiasticorum, vel ad illorum possessionem, admissionem prohibebatur; non modo confirmavit, sed etiam extendit.

15. Et quidem cavenda erat Pio noxa omnis, noxaeque vel levis suspicio, utpote qui compertum haberet, non modo inoffensum in primis Numen, sed propitium insuper habere necesse esse; quod nisi ipse civitatem custodisset, frustra humanis quibusve studiis, qui eam custodissent esse vigilaturos. Ante omnia idecirce vix commotionum Turcicarum nuntium accepit, divinum auxilium implorandum censuit, edito universali Jubilæo, cuius exemplar, ex Vaticano Regesto¹ acceptum, hic damus:

« Pius episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

« Universis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis, salutem et Apostolicam benedictionem. Miserabilem populi Christiani sta-

tum, perturbatissimaque Pontificeatus nostri tempora mente contemplantes, tanto animi dolore afficimur, ut nullis faerymis nullisque gemitis quemquam præsentia reipublicæ Christianæ mala, instantiumque periculorum magnitudinem, satis digne deplorare posse judicemus. Nam, et perniciosis de religione discordiis et dissidiis, suggestente Diabolo adversario nostro, per omnes fere provincias excitatis. antiquam populi Christiani unitatem atque concordiam disjunctam disruptamque aspicimus, ac perditissimorum hæreticorum adversus proprios legitimosque principes nefaria conspiratione, omnia fere regna turbata videamus; sic ut nihil aliud illis propositum esse appareat, quam inconsutilem Dei Redemptorisque nostri tunicam, cui impiae gentilium infideliumque manus olim pepercerunt, quantum in ipsis est, horribili schismate introducto, conseindere. Ad haec mala illud quoque accedit, quod refrigerato ac pæne extincto apud reliquas Catholicas nationes pristino charitatis ardore, nulli vel pauci admodum reperiuntur, qui non modo, ut æquum erat, publicam populi Christiani calamitatem, gravissimumque casum dolentes, his tot tantisque malis mederi conentur: sed etiam qui ita vivant, ut moribus professioni Christianæ parum congruentibus, Deum graviter nou offendant. Quo factum est, ut corroboratis jam confirmatisque Christianæ reipublicæ morbis, quibus nascentibus obsistere facile fuit, ne domi quidem satis tuti securive esse videamur. Ne quis autem veteribus nostris cladibus novæ calamitatis cumulus deasset, immanissimus Turcarum tyraillus, cuius interea potentia intestinis discordiis mirum in modum est aucta, maxima hoc anno classe instructa, magnis equestribus perditibusque copiis contractis, ingenti conatu bellum adversus Christianos molitur, ut nostram, non modo religionem, si posset, sed etiam nomen penitus extinguat. Huie turbulenta tempestati obviam ire, et pro commissio nobis ab Omnipotenti Deo, Apostolicæ servitutis officio, saluti populi Christiani, pro qua etiam sanguinem et vitam libenter perfundemus, quantum in nobis est, prospicere cupimus. Quia vero, sicut ob peccata, divinæ animadversionis flagella, undique in nos intenta, vehementer timenda: ita, si populus Christianus ad Deum in humilitate cordis conversus pœnitentiam egerit, sperandum est, Deum, ut est benignus, multusque ad ignoscendum, præstabilisque super malitia, nec vult mortem peccatorum, sed magis ut convertantur et vivant; quique non obliviseatur misereri, sed ipse ad pœnitentiam nos invitat dicens: *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos, fide-*

¹ Bullar. parv. pag. 489. — ² Natal. Comes, ut supra. — ³ Extat in Bullario magn. Constitut. 64. Pii V.

¹ Ex Reg. Vatic. ut supra.

libusque suis affuturum, neque ab infidelibus hæreditatem suam occupari dissiparique passurum. Quanvis enim hostis nostri vires maximæ sint, major tamen est, qui pro nobis Deus futurus est, quam qui contra nos: potensque est Dominus, tam in paucis salvare quam in multis. Idcirco, ex parte Omnipotentis Dei, et per viscera misericordie illius, omnes et singulos utriusque sexus Christi fideles monemus atque hortamur, ut hoc periculosisimo Christianæ religionis tempore, ad Dominum et Redemptorem nostrum humiliter conversi, conscientiam suam diligent studeant examine discutere, jejuniisque, orationibus et eleemosynis pro eorum facultate vacare, juxta ipsorum conscientiam, sive sacerdotum, quibus peccata sua confitebuntur, salutare consilium. Ut autem dignos pœnitentia fructus eo libentius faciant, quo majorem talium operum fructum et præmium sunt percepturi: nos, de Omnipotentis Dei misericordia, ac BB. ejus Apostolorum Petri et Pauli auctoritate confisi, et pro ita quam nobis, licet indignis, Deus dedit, ligandi atque solvendi, et thesauros Ecclesiæ aperiendi potestate, omnibus et singulis utriusque sexus fidelibus, qui postquam harum litterarum notitiam habuerint, in sequentis prime vel secundæ hæbdomadæ quarta, et sexta feria, et sabbato jejunaverint, et pro defensione reipublicæ Christianæ, contra communes hostes, proque unione Christi fidelium et principum Christianorum, adversus eosdem hostes conjunctione, pias apud Deum preces fuderint, ac pro eorum facultate devotionisque affectu, eleemosynas erogaverint, sacramque Eucharistiam postea Dominicæ perceperint devote; plenissimam peccatorum suorum indulgentiam, quæ Christi fidelibus Ecclesiæ alma Urbis, et extra Urbem, ad id deputatis, anno Jubilæi visitantibus concessa est, misericorditer in Domino clargimur. Dantes eis potestatem eligendi quem voluerint confessorem, cuiusvis Ordinis Regularium, sive sæcularem presbyterum, ab ordinario tamen loci vel ab eo deputato approbatum. Qui eorum audita confessione, ipsos et quemlibet ipsorum deficientibus a fide Catholica, eorumque, vel fautores, recipientibus, vel libris sine nostra Sedi que Apostolicæ licentia scienter legentibus, vel domi relinentibus, et reimprimentibus, vel imprimentibus, vel disseminantibus, vel sanctæ Inquisitionis Officium quovis prætextu impedientibus dumtaxat exceptis) a quibusvis peccatis, quantumvis gravibus et enormibus, etiam Sedi Apostolicæ reservatis in Bulla, quæ in die Cœnæ Domini legi consuevit contentis, et a censuris quomodolibet, præterquam ab homine lati, et ob violentas manus in clericos injectas, Ecclesiasticamque libertatem violatam, incursis; injuncta eis, pro modo culpe, pœnitentia salutari, ad effectum dumtaxat harum littera-

rum consequendum, absolvere: et quævis vota ab eis emissa (votis dumtaxat castitatis et religionis exceptis) in alia pietatis opera commutare possit. Non obstantibus Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Quia vero, ad Dei iram placandam obtainendamque salutem, nihil bonorum operum perseverantia est efficacius, dicente Scriptura: Non qui inceperit, sed qui perseveraverit usque in finem, hic salvens erit; ideo eosdem utriusque sexus Christi fideles hortamur, ut non solum indictis a nobis his nostris Apostolicis litteris, diebus, sed reliquo etiam tempore eisdem aliisque item bonis piisque operibus exercendis, divinam sibi gratiam conciliare, Deumque populo suo propitium placatumque reddere ne desistant, sic, ut priorum hominum, servorumque suorum precibus elementissimus Dominus nosler exoratus, fideles suos in hostium suorum potestatem, miserrimamque servitutem venire non permittat, ne quando inhumana et efferata Turcarum gens glorietur, et dicat: Ubi est Deus eorum?

« Cupientes autem has litteras primo quoque tempore in omnium notitiam perferri, mandamus universis et singulis venerabilibus fratribus nostris patriarchis, primatibus et archiepiscopis, ut eum primum poterunt, eas et promulgent ipsi in civitatibus suis, et a suffraganeis suis promulgandas eurent. Ipsi vero episcopis, ut statim ipsi quoque, per parochos suæ diœesis eas faciant publicari. Idcirco quo facilius fieri possit, transumptis ipsarum litterarum, manu alienus publici notarii scriptis subscriptisve, vel in hac alma Urbe, aut alibi impressis, et sigillo ac subscriptione munitis personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, fidem sine ulla dubitatione haberi volumus atque decernimus. Præsentibus post primam vicem minime valituris. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris. Die VI Aprilis MDLXX. Pontific. nostr. ann. quinto ».

16. *Columna huic expeditioni dux præficiatur.* — His quæ ad divinam promerendam elemosiam essent ita dispositis, ad humana alia comparanda subsidia, præter ea, quæ retulimus, Pontifex se totum convertit. Acceptos namque a Venetis duodecimi longarum navium alveos, atque Anconam deductos Pius ornavit, quibus adjicere statuit Melitenses tres et Sabaudienses quatuor item longas naves; omnibusque Marecum Antonium Columnam, principem, tum Romanæ nobilitatis, tum spectatæ virtutis et consilii virum præficere decrevit. « Is, » ut narrat Gratianus¹, « ab eximia facundia ita se per obsequia in Pii gratiam insinuaverat, tantamque opinionem industriæ ac scientiæ rei bellicæ

¹ Gratian. de bell. Cypr., p. 54.

dissendo apud talium rudem, fecerat, ut eum honorem appetentibus multis Italiae principibus. Columnam omnibus praelatum imperatorem ejus belli declaraverit. Qui expectationi de se Pii, et pacis et belli artibus plenissime respondens, meruit ut ei quotidie charior acceptiorque evaderet, ejusque dignitatem, cui maxime Hispani adversabantur, multisque artibus fabefactare studebant, non solum defunderet Pius, sed etiam longe augeret. Renuerant etiam initio Veneti Columnam ducem, quod eum haud dubie partium Philippi esse, et quia in regno ejus aliquot oppida possideret, obnoxium imperio fore Hispanorum dicereunt. Sed Columna ipse ita dextere se Venetis suamque fidem probavit, ut brevi publice privatumque acceptus civitati, unus maxime ab iis imperator ejus belli expeteretur».

17. *Cosni Etruriæ ducis, et Melitensem equitum studium a Pontifice laudatur.* — Cum autem eo ferme tempore ad capienda Magni Etruriæ Ducatus insignia Cosmus se Romanum contulisset, ut inferius dicendum erit, ipse quoque, ut Adrianus et ab Isselt referunt, sua quanta posset auxilia ad id bellum, tum Venetis, tum Pontifici obtulit, ac fidelissime deinde, ut suo loco dieendum erit, suppeditavit.

18. At præ aliis commendandum visum est Pio Melitensem Equitum Magistri Petri de Monte studium, utpote quem non solum suis monitis obsequentem habuerit, sed insuper quod, nec de sua voluntate ipse admonitus, se suaque ultiro sibi libertissime obtulerit. Eum ideiro sequentibus litteris ut prosequeretur, dignum censuit.

« Dilecto filio Petro de Monte, Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani Magno Magistro¹.

PIUS PP. V.

« Dilecte, etc.

« Quamvis de tua erga Deum Omnipotentem pietate, et erga nos sanctamque hanc Sedem Apostolicam devotione, omnia summa semper nobis polliciti fuerimus; nihil tamen minus nobis gratum fuit officium tuum, quo tam necessario reipublicæ Christianæ tempore, triremes istius religionis, omnibus rebus ad bellum navale instructis, non minus amanter, quam prompte nobis obtulisti. Quocirca studiorum tuum erga Christianam religionem, debitis in Domino laudibus commendantes, tibi que ejus rei nomine gralias agentes, devolucionem tuam hortamur, ut eas ipsas triremes, tantisper paratas instructasque habeat, donec nos eam, quam in animo habemus, triremum classem instruendam atque ornandam curaverimus; ut cum primum ea navigare incœperit, classem tuam erga eadem loca missam cum

nostra conjungere possis, quo lucilius omnibus maritimis copiis simul coniunctis, consociatisque auxiliis, communibus hostibus uno animo et consilio resistere possimus. Quia in re non dubitamus te esse eam diligentiam fidemque adhibitorum, quam in rebus ad tuendam Christianam Rempublicam pertinentibus, pro egregia tua pietate insignique fortitudine, praestare solitus es. Pro tam pio juvande Christianæ religionis studio, et premium aeternae remunerationis a Deo, et a nobis reliquaque omnibus maximam fidem consecuturus datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVI Maii M.DLXX, Pontifici, nostr. ann.

19. Quo prospicerit Pius cum ista Petro de Monte mandavat, ex inferius dicendis perspicuum erit. Interim cum ad ipsum Pontificem egregia quae nos suis locis commemoravimus, Mathurini Romagassi, ejusdem Ordinis Equitis, alias patrati adversus Turcas facinora perlata tuissent, strenuissimi viri operam, ad ea quæ commoliebatur opportunissimam fore existimans, ad se statim venire jussit, datis ad eum hujusmodi litteris:

« Dilecto filio Mathurino, Ordinis S. Joannis Hierosolymitani Equiti, Romagasso appellato².

PIUS PP. V.

« Dilecte, etc.

« Reipublicie Christianæ tempus et necessitas flagitare videtur, ut in propulsando bello, quod communes omnium Christi fidelium hostes Turcæ hoc anno adversus Venetos, sive potius adversus universum Christianum populum gesturi sunt, omnium, qui ubique sunt fortium virorum, rerumque bellicarum usu præstantium opera utamur. Quocirca, cum de tua spectatissima virtute, navalique disciplina et fortitudine eam opinionem habeamus, ut persuasissimum nobis sit tui præsentis operam utilissimam fore nobis in ea classe, quam nostris et S. Sedi Apostolicæ sumptibus Venetis auxilio futuram instruimus: ideiro his nostris litteris tibi mandamus, ut relictis omnibus aliis negotiis, quamprimum fieri poterit, te huc ad nos conferas, eo animo ut in hac periculosisimi belli dimicazione, egregiam operam nobis atque hinc S. Sedi Apostolicæ, Ordini tuo, reipublicæ toti Christianæ, Deoque ipsi Omnipotenti præstes. Quod quanquam te, pro tua erga nos sanctamque hanc Sedem obedientia, sine ulla mora, quemadmodum par est, facturum esse pro comperto habeamus; tamen te intelligere cupimus, nobis quoque eam rem gratissimam futuram, daturique esse operam, ut quæcumque cum Domino palerna erga te nostræ benevolentiae indicia tibi impertiri pote-

¹ Ex Arch. Vatic. ut supra.

² Ex Arch. Vatic. ib. ut supra.

rimus, haec a te nunquam desiderari patiamur. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die prima Junii M.D.LXX, Pontificie nostræ ann. quinto ».

20. *Auria Romanam erucatur.* — Eodem quoque consilio, quo ardenterissime instruenda classi, quam Pius Venetis auxilio mittere decreverat, incubuit; sub ejusdem mensis Junii die septima, scriptam habemus ab eo Epistolam ad Petrum Francicum Auriam, qua « hortatur inquit, et vehementer requirimus, ut relictis omnibus aliis negotiis, quamprimum fieri poterit, te hue ad nos conferas, et quamplures habere poteris maritimos viros navigandi peritos, tecum addueas, eo animo, ut in hac periculosissimi belli dimicacione, egregiam operam nobis atque huic S. Sedi Apostolicæ, reipublicæ toti Christianæ. Deoque ipsi omnipotenti praestes, etc. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris. Die septima Junii M.D.LXX, Pontificatus nostræ ann. quinto ».

21. *Per nuntium et litteras Pontifex Hispanum regem invitat ad firdus contra Turcas.* — Validiora tamen his, quæ vel ipse suis viribus, vel aliunde studiose collecta, Venetis subsidia parare poterat, ea fuere, quæ a Catholico Hispaniarum rege subministrari curavit Pius, misso ad hoc in Hispaniam viro probatissimo Ludovico de Torres, Apostolie camere clerico; scriptaque ad Philippum ipsum luculentissima sequenti Epistola :

« Charissimo in Christo filio Philippo II, Hispaniarum regi Catholico¹.

PIUS PP. V.

« Charissime in Christo fili nostre, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Cum præsentem reipublicæ Christianæ statum, intentis in eum nostræ mentis oculis intuemur, ita multa ubique miserabilia calamitosaque nobis objiciuntur, ut sæpe laerymis animi nostri dolorem, ob tot tantasque populi Christiani miseras calamitatesque susceptum testificantes, atque una cum Apostolo dissolvi cupientes, illud Eliæ Prophetæ usurpare cogamus: *Suffici, mihi, Domine, tolle animam meam: neque enim melior sum, quam patres mei.* Quippe in ejusmodi tempora Pontificatus noster incidit, ut in his vivere non solum pigrat, sed etiam quodammodo pudeat: etenim quo cumque oculos vertimus, omnem ubique fere Catholicæ fidei integritatem corruptam, omnem veteris Ecclesie speciem decoloratam et quasi sublatam cernimus: ancillam videmus, quæ fuit libera et domina gentium. Atque, ut veteres populi Christiani clades omittamus, nonne ipsi nos, vix dum suscepto Apostolicæ servitutis officio, Turcarum tyrannum, maximis copiis ad

occupandas Hungarici regni reliquias profectum, charissimi in Christo filii nostri Maximiliani in imperatorem electi cervicibus, totiusque Germaniae exitio imminentem, tantum non oculis nostris aspeximus? Quod nisi illam periculosisissimi belli flammam Redemptor noster, servorum suorum precibus exoratus, ipsius immanissimi Turcarum imperatoris morte misericorditer extinxisset, facile eodem incendio tota Germania conflagrasset, patefactoque ab ea parte semel in Italiam aditu, communes Christianorum hostes, eamdem provinciam ferro ac flammis vastantes visissemus. Sed numquid ea, quæ postea consecuta sunt tempora, pacatiora tranquillioraque fuerunt? minime omnium: imo vero paulo post inferior Germania fœdationis provincia, turbulentissimorum haereticorum nefaria conspiratione petita, ex manibus suis regis pæne est extorta. Horret animus memoria recolere, nedum oratione perseQUI, ea quæ toto illo impiæ seditionis tempore, in Deum et in servos ipsius in ea provincia facinora sunt admissa. Sacrosancta Dei Redemptoris nostri Iesu Christi Ecclesia, vel igni suæ censæ, vel dirute, vel pollute sunt. Altaria disjecta atque prostrata: Sanctorum Imagines, aut deletæ aut fœdatae: sacerdotes vexati aut interficiuntur: sanguis innocentium effusus: infandi mulierum virorumque cœtus passim habiti, nullo libidinis genere praermisso; denique omni conatu ab impiis haereticis actum est, ut ex animis omnium Catholicæ religio radicitus extraheretur. Eodem fere tempore in Gallia haud dissimilis haereticorum furor et audacia quas ibi turbas, quas seditionum flamas non excitavit? Charissimum in Christo filium nostrum Carolum Francorum regem Christianissimum, arreptis de improviso armis, unius vix horæ anticipatione, ex seeleratis eorum manibus fuga elapsum, abscondere se coegerunt. Urbes haereses suas profiteri nolentes, diripuerunt: Catholicorum domos spoliaverunt; eadem rursus ibi seelerum flagitorumque dedecora sunt iterata: coneuleatum Evangelium, abjecta sacra: episcopi saeris vestibus induiti, per ludibrium in publicum acti, in puto precipitati: carnes sanctorum bestiis terræ ad devorandum objectæ: ipsi sacerdotes summi Dei, variis suppliciis excarnificati: rex ipse denique etiam insidiis sæpe petitus, divino potius miraculo, quam humano consilio adhuc stal, et in medio domesticorum hostium positus, regnum ineolumitatemque obtinet precario. Quid de florentissimo olim Anglia regno dicemus? in quod femina, quæ se pro Anglia regina gerit, sævissimam tyrannidem exerceente, quasi in quamdam sentinam omnium quæ ubique sunt haeresum sordes confluxerunt; quæ sublato sanctissimo Missæ sacrificio, episcopis Catholicis in carcerem

¹ Apud Goubb. Epist., lib. 4, Ep. 43.

inclusis, nobilibus et honestis viris a consituītis exclusis, ipsa se quod dictū miserabile atque horribile est, Anglicana Ecclesia caput appellavit. Haec eadem fallacissima mulier, sive potius reipublica Christiana labes, charissimam in Christo filiam nostram Scotie reginam, regno fortunisque omnibus spoliatam, captivam detinet: superbisque edictis Catholicos ad profittendam heresim, veramque fidem abnegandam, cogit; unum illud praecepue studens, ut nullum in eo regno Catholicarū religionis vestigium relinquitur. Ecce autem nunc, ne qua hisce temporibus, peccatis nostris id facientibus, nova semper desit calamitas, saevissimus Turcarum tyranus, classe maxima instructa, magnis equestribus pedestribusque copiis contratis, bellum ingenti conatu adversus Christianos molitur, et rupto palam federe, quod ei ad hanc diem cum Venetis fuit, Christianis regibus atque regnis exitium, agris vastitatem, urbibus minatur incendium. Nos autem tot tantarumque arorumnarum futuri speelabores, quid adhuc vivimus, si aliquod labenti reipublica Christianæ præsidium afferre non valeamus? Sed quid agere possumus soli? non sunt ejusmodi nostre Sedisque Apostolicae vires, quæ tantæ communium hostium potentiae resistere queant. Socordia nostra usque adeo auctum est Turcarum imperium, ut nonnisi magno Christianorum principum conatu, magnisque classibus et exercitibus eorum impetus sustineri possit. Quid igitur restat, nisi ut officii nostri, cuius a Propheta admonemur, memores, venientem gladium, speculatores a Domino constituti, populis ac regibus annuntiemus, ne animarum quæ perierint sanguis de manu nostra requiratur? Futuram igitur calamitatē in tempore nuntiamus; exaltamus quasi tuba vocem nostram. Omnia nos quidem Christianorum principum, in primis autem tuam, charissime in Christo fili, opem auxiliumque imploramus, Majestatemque tuam, ad fœdus societalemque belli, adversus potentissimum immanissimumque hostem, cum reliquis Christianis regibus principibusque ineundam, hortamur atque excitamus. Non patitur periculi ante oculos positi magnitudo, diutius differri communis salutis auxilia: in orbis angulum redacti sumus, et nisi per eos qui possunt communī consilio reipublica Christiana tam necessario tempore subveniatur, periculum est, ne quæ adhuc reniantur Christianorum popolorum miserae reliquiae, omnes in extremum disserimen addicantur. Et quoniam res ipsa jam antea docuit, nullius Christianorum principum vires, seorsum ab aliis, Turcarum potentiae pares esse posse, omnium vero simul collectas, ad eorum impetum frangendum sufficere: idcirco necesse est, communibus hostibus, communi omnium principum Christianorum con-

sensu atque ope resistere. Quod ut fiat, Majestatem tuam, que inter ceteros orbis Christiani principes non minus erga Deum omnipotentem pietate, quam virum potentis excellit, potissimum decet adjuvare. Vides ferocissimam gentem, tot tantisque nationibus in suam potestatem redactis non contentam, inexplebili quadam dominandi cupiditate, omnium Europæ regum et principum regna ditionesque spe et avaritia devorasse. Si qurus factus sit seire volumus, quid fecerit consideremus. Asiam omnem, et Lybiam, et Greciam, brevissimo temporis spatio occupavit. Occupata Graecia, in Hungariam, hoc est, in viscera nostra, gladium adegit; eamque fere totam sibi subegit: haec vero subacta, quæ ante hoc tempus Germania atque Italiae propugnaculum fuit, facilissimus illi ad Italiā aditus est patefactus; per Istrō et Forum Julii terrestribus copiis aperta est via: classis ex Veleno, breviori quam unius noctis navigatione, Brundusium pervenire potest. Errat, si quis putat bellissimam nationem, pecunia abundantem et dominandi cupiditate inflammatam, unquam esse quieturam: proxima quoque Victoria gradum semper sibi ad aliam faciet, donec Occidentalibus regibus sublati, deleto Christi Evangelio, Mahometis nefariam sectam, ubique terrarum constituat. Tu igitur, charissime in Christo fili, quem omnipotens Deus tot egregiis virtutibus ornavit, tot opulentissimis regnis ditavit, primus Christianos principes ad fœdus contra communis hostes ineundum hortare. Sequentur auctoritatem tuam cæteri reges: nemo erit, qui commune periculum, proprium non existimet. Nos ipsi, quantum vires nostræ ferre poterunt, plium tuum cæterorumque principum conatum, quibus poterimus rebus, prompto atque alaeri animo adjuvabimus. His omnibus rebus, assiduas Christo Domino nostro preces addimus: miserebitur nostri, ut speramus, qui misericordia fons est, nec populum suum in Turcarum manus venire permittet. Erit nobiscum Deus, qui neque nos neque causam suam deseret. In eo faciemus virtutem, et ipse inimicos nostros ad nihilum deducet. Non est abbreviata Domini manus, et quamvis ob nostra peccata illius a nobis misericordia sit elongata, tamen propitiabilis est Deus noster, et multis ad ignoscendum. Facile cum obedientia placabimus, quem contumacia irritavimus: qui ut primum viderit nos humili corde, pro ejus gloria fortiter pugnaturos, hostibus nostris terrorē et fuga immittet. Interea vero, dum principes ad sanctissimum adversus communis hostes pro communi omnium Christianorum defensione fœdus ineundum excitantur, dum arma, dum cætera ad bellum gerendum necessaria comparantur; Majestatem tuam rogamus, et per viscera misericordia Dei nostri obsecra-

mus, ut primo quoque tempore classem quam maximam comparare potest, in Siciliam mittat. Sive enim Turcae Melitensem expeditionem suscepient, classis ipsa (quod alterius ejusdem insulte obsidionis tempore factum est), in loco erit valde ad deterrendos hostes nostrosque confirmandos opportuno: sive Tunetum profecti, Guletam oppugnare maluerint; magnam eadem classis, ad subveniendum in tempore Christianis castellum illud defendantibus, utilitatem opportunatamque habebit. Quod si Cyprum Venetorum insulam (quemadmodum existimatur) petentes, classe opposita, Christianorum auxiliis aditum maris claudere conentur; eadem Majestatis tuae classis, cum Venetorum classe conjuncta, hostibus nostris, aut maris aditum eripere, aut aliqua fortasse meliore conditione eum eis navalii prælio configere, victoriisque, Deo iuvante, obtinere poterit. Hoc vero a Majestate tua sic postulamus, ut majori animi nostri studio postulare non possimus; quippe qui, classe tua stationem in Sicilia habente, adversariorum nostrorum quemcumque conatum non medioeriter reprimi posse intelligimus; eamque rem in omnem partem utilissimam esse cernimus. Moveat Majestatem tuam commune Reipublicae Christianæ et proprium tuæ salutis dignitatisque periculum. Memento tuæ professionis, cui te in baptismale addixisti, quantum Omnipotenti Deo, ejusque Ecclesiæ debeas cogita; non solum propterea quod a Deo creatus, ejusque Unigeniti Filii pretiosissimo sanguine redemptus es, et ab eodem tot regnis auctus; sed etiam quia a sancta hac Apostolica Sede, communis omnium Christi fidelium matre ac magistra, majores tui, inelytæ memoriae reges, magnis sæpe beneficiis et gloriissimo Catholici cognomine sunt ornati. Stat sancta mater Ecclesia dolens ac gemens, tuamque præcipue opem auxiliumque implorans. Matris voces nisi filius audiverit, quis eas præterea auditurus est? Stamus et nos, quibus Deus, licet indignis, animarum Ecclesiarumque omnium curam et sollicitudinem commisit; atque in his tot hæresum tenebris, tot Turcarum procellis, obscurissimæ noctis vigiliis super Dominicum gregem custodientes, Christianis principibus, tibique, in primis, adventantium luporum clamorem lachrymis et gemitu significamus; et sicut ipsi pro commisso fidei nostræ grege, ab immanissimis hostibus defendendo, omnia subire pericula, nullos labores subterrangere parati sumus; sic Majestatem tuam hortamur, et per omnipotentem Deum obtestamur, ut, et classe sua in Siciliam mittenda, et fædere cum reliquis Christianis principibus incedendo, et nullis rebus prætermittendis, quæ ad Turcicum bellum, a Christianorum finibus propulsandum utiles esse possint, pristinam suam erga Deum omnipotentem pietatem, divi-

nique honoris zelum, toti orbi Christiano ostendat. Quod quamvis eam sponte sua facturam non dubitamus; tamen, ut et ipsi officio nostro satisfacti amus, hoc paternæ nostræ sollicitudinis officium prætermittere non debuimus. Cælera vero, ad hoc idem negotium pertinentia, quoniam omnia litteris mandari commode non possunt, Majestati tue exponenda mandavimus, dilecto huic filio magistro Ludovico de Torres, nostre camerae Apostolice clerico, viro obeximiam probitatem et egregiam erga nos Sanctamque hanc Sedem Apostolicam fidem nobis probatissimo, ejusdemque tue Majestatis obsequientissimo addictissimoque vassallo, quem hujus ipsius negotii causa, dedita opera, ad ipsam mittimus. Ejus autem orationi supra his rebus, quas illi nostro nomine exponet, ut parem fidem habeat, ac si nos ipsos præsentes secumque loquentes audiret, Majestatem tuam rogamus. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die octava Martii m^{lxx}, Pontifici nostri anno quinto ».

22. Praeter ea, quæ in hac Epistola habentur, id etiam auxilii a Philippo se deposcere Pius per Torrium significari voluit, quod rex ipse illud praestare ex debito teneretur: Ecclesiasticorum siquidem Hispaniae fructuum, quos Pius Quartus regi eidem condonaverat, concessionem, ea tantummodo ratione confirmaverat, ut ille se ad centum armatas triremes contra Christiani nominis hostes sustentandas obstringeret, ad Mediterranei maris oras tutas et integras conservandas; ideoque triremes ipsas, ad perfidorum hostium propellendos ausus, hac potissimum occasione ipsum Philippum debere, ei a Torrio edici imperavit.

23. His igitur mandatis instruetus, ad dec. sept. kal. Aprilis, ut Gabutius¹ refert, Roma profectus Ludovicus de Torres, Cordubam (quoniam rex concesserat, ad tenenda illius regni comitia, et, ut propius copiis suis contra Mauriseos bellum gerentibus astaret), magnis itineribus se contulit, ab coque benigne et honoriſſe acceptus, legationis suæ causam Pontificiis litteris obtulit, ejusque consilia breviter exposuit. Loquentem (inqnit Gabutius) rex attente et libenter audivit, deque singulari sua in Pium Pontificem observantia ac pietate nonnulla præfatus, se in ejus studia votaque propensum esse, classeque et commeatu Venetis se, Pontificis gratia, subventurum ostendit. Sed de ineuenda societate, quæ majore indigeret deliberatione, consiliarios suos Hispani, quo tum ire properabat, velle consulere.

24. Ad cardinalem Spinosam et ad Joannam Portugallie principem Pontificis litteræ. — Hispanum præficescentem regem Ludovicus prosequitur, denuoque cum eo, et cum Didaco

¹ Gabut. Vit. Pat. hb. 4, c. 1, p. 126.

Spinosa S. R. E. cardinali, regii consilii praeside, et cum aliis summis viris, qui apud regem gratia et auctoritate plurimum poterant, de negotio saepe congressus est. Ad eorum singulas perferendas, suas Epistolas Torrio ipsi Pius tradiderat; nimurum ad Rodericum Gomez Eboli principem, ad Feriae ducem, ad episcopum Conchensem, ad Antonium de Toledo: ex ipsis, quas omnes in Vaticano Regesto reperimus, unam hanc, cui caeterae concordant, ad Didacum cardinalem Spinosam scriptam hic sal inserere duximus, estque huiusmodi:

« Dilecto filio nostro Didaco cardinali Spinosa vocato¹.

PIUS PP. V.

« Dilecta, etc.

« Quamvis ejusmodi sit negotium, cuius causa dilectum hunc filium magistrum Aloysium de Torres, camerae nostræ Apostolicae clericum, virum, ob excellentem probitatem, et egregiam erga nos sanctamque hanc Sedem Apostolicam fidem, probatissimum, ad charissimum in Christo filium nostrum Hispaniarum regem Catholicum mittimus, ut apud eos, qui Christianam religionem salvam cupiunt, nullius commendatione indigere videatur; tamen tuam erga Deum omnipotentem pietatem, et Christianæ religionis studium perspectissimum habentes, prætermittere non debuimus quin circumspetionem tuam his nostris litteris vehementer hortaremur ad officium suum, hoc tam necessario tempore, nobis, imo toti reipublicæ Christianæ præstandum. Omnino namque major res in disserimen versari non potest, neque ampliorem occasionem ad bene de omnipotente Deo, Christianæque reipublicæ salute merendum habere vales, quemadmodum ex prædicto magistro Aloysio copiosius intelliges: cui mandavimus, ut post paternæ nostræ salutationis officium tibi persolutum, re tecum communicata, tuam apud serenissimum regem Catholicum operam, auxilium auctoritatemque, ad conficiendum ex sententia negotium postulet: quod, ut omni tuo consilio, atque ope adjutum velis; atque ei eamdem fidem habeas, quam nobis presentibus, tecumque loquentibus haberes, rogamus. Datum Roma apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris. Die n^o Martii M^{DC}LXX, Pontific. nostr. ann. quinto».

25. Praeter eos quos innuimus, huic similes, ad alios quoque Pium seripsisse ejusdem argumenti Epistolas, diserte in Vaticano Regesto adnotatur. Mirum ideireo esse non debet, solertia ipsius Joannam Portugallie principem, Hispaniarum regis sororem, præterire quoque non potuisse, ad quam ita scripsit:

¹ Ex Reg. Vatic. ib. ut supra.

« Dilectæ in Christo filiae nostre nobili mulieri Joanne, principi Portugallie.

PIUS PP. V.

« Dilecta, etc.

« Cum gravissimam et maxime necessariam ob causam mitteremus hunc dilectum filium magistrum Aloysium de Torres, camerae nostræ Apostolicae clericum, virum nobis, ob eximiam probitatem suam, et erga nos Sedemque Apostolicam fidem, probatissimum, ad charissimum in Christo filium nostrum Hispaniarum regem Catholicum fratrem tuum; præterire noluimus, quin nobilitatem tuam salutaremus, eique debitum nostræ paternæ salutationis benedictio-nisque officium persolveremus, cui etiam mandavimus, ut hoc eodem officio presens cum praesente nobilitate tua fungatur, a qua illud etiam petimus, ut supra his, quæ illi nostro nomine exponet, fidem sine ulla hesitatione habeat. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die x^o Martii M^{DC}LXX, Pontificatus nostr. ann. quinto».

26. *Rex Hispanus se promptum exhibet ad exequenda Pontificis rotu.* — Ludovicus de Torres igitur, cum his et aliis, ad quos Pii litteras detulerat, sœpe, ut diximus, congressus, varias quæ objiciebantur difficultates prudenter superavit, magnamque inde virtutis suæ laudem apud omnes consecutus, Pium voti compotem effecit. Quo quidem etiam in negotio confiando Joannis Baptista Castanei Roffanensis archiepiscopi, per id tempus (ut toties vidimus) ordinarii apud regem internuntii Pontificii, studium et opera commendatur. Rex itaque, quoad fœderis conditiones attineret, spatio ad deliberaandum sumpto, delegatisque interea, qui de illis, cum Pontifice ac Venetiis Romæ agerent, Granvellano et Paceco nimurum cardinalibus Hispanis, ac Zunica oratore, summa voluntate se Pontifici obsecratur, sequenti Epistola¹ testatus est:

« BEATISSIME PATER.

« Ludovicus de Torres Sanctitatis Tuæ camerae clericus, litteras tuas mihi reddidit, salisque luse ac sigillatim quid cupiat, et quam gratum tibi acciderit, si cum Veneta republica belli societas iniretor, coram explicavit. Quam ad rem, dum Beatitudo tua me cohortatur, eximium plane religionis studium quo ardet uriturque iis rebus procurandis, qua ad Dei Opt. Max. cultum et ad propagandam Catholicam fidem, Christianæque reipublicæ salutem pertinent, aperte declarat. Quid quidem, vel maxime proprium ejus muneris est, atque personæ quam tua sustinet Beatitudo; quæ jure optimo Christianorum principum sensus ac vires, sane

¹ Exstat inter Epist. Pii apud Gauss. Ep. lib. 4, Ep. 14.

tissimo fœdere consociandas esse arbitratur. Enim vero Turcæ, Christianæ reipublicæ hostes acerrimi, ceterarumque infidelium gentium potentia ac insolentia ambitioneque in dies magis insurgente, nisi Catholiceorum principiū animi et opes conjungantur, ægre admodum poterit, aut illis obsistī, aut ea detimenta malaque vitari, quæ continenter inferunt Christianis. Quocirca eum, quem semper apud me habebit, locum habuit amplissimum, mentemque meam in idipsum valde propensam ac paratam inveniet. Sanetitatis Tuæ cohortatio. Evidem, quæ partes in eo sunt meæ, vel ob eximia in me divinitus collata beneficia, non ignoro. Et quanquam, ob graves motus ac bella, quæ in regnis ditionibusque meis nuper exarserunt (quibus vel sedandis vel avertendis, cum antea diu, tum nunc maxime sum vehementer implicatus), ad novas expeditiones, aut res agendas si minus ingredi possim, jure videor excusandus, cum presertim rebus meis modum aliquem et quietem afferre sit omnino necessarium; nihilominus cum plene perspiciam optimum propositum, sanctumque consilium, quo adducitur Beatitudo tua, et honestam cohortationem ac petitionem, quæ mihi tuo nomine facta est: pro summo, quo teneor Sanetitati tuæ, in his quæ mihi proponit obsequendi desiderio, ad id conspirare, atque hisce rebus omnibus, quæ ad fœdus ipsum pertinent, quantum in me erit, nullo modo deesse constitui. Qua de re quoque in eamdem sententiam respondi, cum ipsi Ludovico, tum etiam viris ad hoc ipsum agendum a me deleulis, quorum ego consilio judicioque prorsus acquiescam. Et vero quoniam felicem hujus explicationem consilii vehementer cupio; ut etiam ea, que nobis aliam ejus rei tractandæ rationem ac viam ineunlibus suboriri prorogatio posset, diligenter caveatur; et potissimum, quia propositum mihi est, omnia Beatitudinis tuæ suam ipsius praesentis auctoritatem interponentis opera pertractari; admodum reverendis in Christo patribus Granvellano et Paeeco, et Joanni Zunicæ meo, et senatori et apud Sanetitatem tuam oratori, potestatem feci, mandavique, ut cum viris, tum a Veneta republiea delectis, tum iis, quos ipse decernere volueris, sese conjungant; omninoque hoc ipsum negotium ad præscriptam a me sibi rationem conficiendum procurent. Faxit Deus Optimus Maximus, ut id consilii exitum illum consequatur, et fructum, quem, et ad ejus nominis gloriam, et ad Christianæ reipublicæ salutem augendam, valle pertinere. Beatitudinique tuæ propositum esse non dubitamus. Cæterum illud scribere non prætermittam ejusdem Ludovicie præsentiam, mihi pergratam fuisse, placuisseque vehementer Sanetitatem tuam, in hac ipsa decernenda legatione usam esse illius opera, quem ejusmodi munere dignum esse cognovi-

mus. Deus Dominus Beatitudinem tuam tueatur incolumem, illique dies vitæ et prosperam Catholicæ Ecclesie administrationem adaugeat, atque fortunet. Hispali decim. sept. kal. Ju-nii **VDLXX**.

27. Sub eadem die, ab eodem rege ad Gabrielem a Cueva ducem Alburquericum, ducatus Mediolanensem gubernatorem, datæ quoque Epistolæ recensentur, in iisque, quid de præbendo Venetis auxilio, ac de ineundo fœdere statuerit illi significat: jubet tamen, ut ipsius fœderis occasione, cuiusdam juris, quod Mediolanensis ditionis ratione in Venetos obtendebat, controversiam componere studeret. Epistola, quæ inter litteras¹ Pii habetur, hujusmodi fuit:

« Corduba in hanc Urbem cogitanti mihi præsto fuit Ludovicus de Torres Apostolicæ camerae clericus, a Summo Pontifice legatus, ad negotium saeri fœderis cum Venetis contra Turcas faciendi, qui ejus nomine mecum egit, oravitque, ut primo quoque tempore in ditione nostra Siciliensi quamplurimas possem triremes, et item ex eis, quæ stipendia nostra faciunt, cogendas curarem, paratas ad id quod accidere facile posset. Turcia classe hac Estate (ut certo ereditur) in expeditionem prodeunte; et quanquam per id tempus plorimis rebus aliis eram vehementer implicitus; tamen pro summo, quo teneor Pontificiæ majestati obsequendi desiderio, atque in omnibus Christianæ reipublicæ difficultatibus, ut antea semper facere consuevi, opem ei prompte ferendi, per gratum mihi accidit, et ipsi Ludovicō aures præbere, et præslare id quod de triremibus colligendis Pontifex summus exposuit; ac propterea statim Joanni Andreæ mandandum decrevi, ut cum nostris omnibus ibi subsistentibus, atque aliis are nostro mereutibus triremibus in regno Siciliensi alque in illis oris præsto sit, rebus omnibus ineundæ societatis in subsidium comparatis. Proinde mecum ille super hæc re fusiū verba fecit, descriplasque mihi rationes, optimaque Pontificis consilia detulit; quæ nos itidem, ut in hanc sanctam belli societatem nomen demus apprime debent impellere: cumque super hæc re multa jam diligenter exagitata sint et consulta, per ipsum Ludovicum Pontifici respondi, me ipso cohor-tante, in hoc fœdus cum Veneta republica, contra Turcas percutiendum, conspirare decrevisse. Quod, ut facilius primo quoque tem-pore conficiatur, Joanni Zunicæ nostro et consiliario, et in Urbe oratori, atque Granvellano et Paeeco cardinalibus id negotii dedi transi-gendum: qui omnes conjunctis animis, tan-quam procuratores nostri ea de re agant, cum iis viris quibus eam curam Pontifex ipse et Veneta respublica delegaverint. Ac proplerea

¹ Pii Epist. lib. 4. Ep. 17.

mandatum ejus rei conficienda ad eos mittimus, summa cum potestate, ac monitis de iis rebus, quae in hoc genere, vel praescribenda vel cavydæ esse videantur. Qua de re te commonefaciendum esse putavimus, ut intelligas oportere, cum ipso Joanne Zunica aliisque a nobis deleetis viris optime convenire, eosque identidem tibi admonendos esse rerum omnium, quæ contingent, et ejus item juris, quod principatus noster Mediolanensis in Venetos, eorumque ditiones, sibi esse prætendit; præclareque factum iri, si per hanc occasionem id controversie inter ipsos componatur. Idecireo etiam ipsi Zunicæ per litteras mandavimus, ut de eō, in quem pro tempore res hæc deducta fuerit, statu, te statim certiore faciat: ut cum primum fœderis ipsius negotium fuerit expeditum, admoneat te de his rebus, quas in ista ditione nostra ejusmodi expeditionis in subsidium adornare oportebit, secundum ea, quæ super ipsa re decreta fuerint et constituta. Itaque mandamus tibi atque præcipimus, ut quaecumque in isto nostro regno in sequentem Estalem nostro nomine apparanda esse idem Zunica monebit, ea tempore ante capto parare velis atque disponere; ac quidquid super ea re fiat, cures nobis renuntiari. Hispali, decim. sept. kal. Junii MCLXX».

28. *Laudatur a Pio regis Hispani studium.* — Eodem exemplo Philippum scripsisse ad suos Neapolis et Siciliæ proroges scribit Bzovius, et probabile censendum est. Quam Pio placuerit piissimi regis studium ac alacer animus, quo, posthabita quodammodo rerum suarum cura, in suam protinus sententiam descendere decrevit, aestimare licet ex sequentli, quam, acceptis paulo ante relatis Philippi ejusdem litteris, ipsi respondit, Epistola¹:

« Charissimo in Christo filio Philippo Hispaniarum regi Catholicæ.

PIUS PP. V.

« Charissime in Christo fili nostre, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Non facile verbis consequi possumus, quanta in Domino letitia affecti fuerimus, ex litteris majestatis tuæ, xvii die Maii ad nos datis, quibus cognovimus majestatem tuam, non solum adversus communes omnium Christianorum hostes Turcas, cum Venetorum republiæ fœdus inire paratam esse, sed etiam, quantum in se est, id ipsum exequi jam cœpisse, data potestate dilectis filiis Antonio, tituli S. Anastasie, cardinali Granvellano, et Francisco tituli S. Crucis in Jerusalem, cardinali Paceco, et suo apud nos oratori, ut, et cum illis qui a Venetorum republica delegati fuerint, et cum eis, quos nos pro parte nostra delegando esse

judicabimus, de eo ipso fœdere incundo apud nos agant. Quia in re licet eximiam majestatis tuae erga Deum omnipotentem pietatem, dignumque Catholicæ rege Christianæ religionis zelum, ne antea quidem nobis incognitum, recognoverimus: tamen animum istum tuum, ad rempublicam Christianam ab imminentibus periculis defendendam promptum atque atarem perspexisse, gratissimum nobis fuit; ejusque rei nomine eas, quas debemus primum quidem omnipotenti Deo, deinde majestati quoque tuae, gratias agimus: quæ quod ut par fuit) potissimum auctoritate, interventuque nostro agi de hoc fœdere voluerit, in ea quoque re pristinam majestatis tue erga nos Sanctumque hanc Sedem observantiam ac reverentiam agnovimus; quam quidem nos, pro Apostolicæ servitutis officio, ad tam egregiam voluntatem suam constanter retinendam hortaremur, nisi ex iisdem litteris suis perspexissemus, majestatem tuam paternas hortationes nostras, eo animi studio, eaque alacritate accepisse, ut nullis aliis præterea hortationibus locum reliquerit. Omnipotens Deus, charissime in Christo fili, det majestati tue in suo timore semper prolicere; eamque ad nominis sui gloriam, universæque reipublicæ utilitatem diu, sicut cupit, sospitem incolumentemque custodiat atque conservet. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xiii Junii MCLXX, Pontificatus nostri ann. quinto».

29. *Quid sentiendum sit de cunctatione Hispanorum.* — Philippum autem, dum fœderis conditiones agitarenlur, quinquaginta triremes interim Venetorum auxilio, sub principe Amalphie Jo. Andrea Auria, addixisse, scribunt Bzovius, Tarcagnotta, Spondanus, Gabutius; ipsumque Auriam Pontificia classis præfecti monitis obsecundare imperasse, asserunt. At ex præfata ejusdem Philippi Epistola ad Alburquerque Mediolanensem gubernatorem perspicue intelligitur id minime a rege in mandatis Auriae datum; nam dicit de Torrio¹ loquens: « Oravilque uti primo quoque tempore in ditione nostra Siciliensi quamplurimas possem triremes, et illem ex eis, quæ stipendia nostra faciunt cogendas enrarem, paratas ad id quod accidere facile posset. » Et inferius: « Propterea statim Joanni Andrea, mandandum decrevi, ut cum nostris omnibus ibi subsistentibus, atque aliis ære nostro merentibus triremibus in regno Siciliensi, atque in illis oris præsto sit, rebus omnibus ineunda societas in subsidium comparatis, etc. » Quapropter, quod Gratianus etiam de studiosa Hispanorum cunctatione refert, qui priusquam, nimirum, in Cretam, ut Zanio Venetorum duci conjungerenlur, venirent, aestatem totam prolabi siverunt, ne præclarí

¹ Ut supra Epist. 13.

¹ Foliet. pag. 130.

videlicet aliquis facinoris aggrediendi occasio esset; minus aequum dictum videtur, immeritoque de Hispanis exegitatum cognoscitur, cum revera, ut maturius Venetis adderet Hispanicas suas triremes, ut vidimus, Auriæ Philippus idem minime præcepit, sed tantum, ut præsto in Sicilia esse, rebus omnibus ineundae societatis in subsidium comparatis, imperaverit.

30. Haud tamen diffitemur Hispanorum procerum animos, a consiliis Pontificis, tanquam parum Hispanicis rebus faventis, abhorruisse; nam de eo in pluribus querebantur, si fides Folieta¹ sit. In bello siquidem Granatensi, quod illorum cervicibus imminebat, dolebat nullum extitisse Pii officium, nullamque illum in tanta occasione, benevoli animi in regem significationem dedisse; nulla unquam per nuntios, aut litteras regi dedisse solatio, nunquam non modo illius pietatem et constantiam faudasse in tantis exantlandis laboribus, et subeundis discriminibus pro Christiana re, quæ illius in primis virtute et opibus innixa staret; sed ne quæ gessisset quidem approbasse. Insuper nulla quotidie manare, ad jura et jurisdictionem regiam, tam in regno Neapolitano et ditione Mediolanensi, quam alibi immuinuendam; aliudve ex alio Diploma, contra ipsum nasci: quæ omnia regi gravia et acerba essent. Postremo superiorum Pontificum munificentiam, perpetuo promptam et prolixam in regem extilisse; idque rebus regis minus asperis minusque duris temporibus. At hujus Pontificis nullam regem adhuc expertum fuisse benignitatem. Assiduis impendiis in religionem undique oppugnatam tuendam, sanguineque quotidie mittendo, exsangua et enecta esse regna sua; nulla tamen ope regem tantis circumstantibus bellis suffocatum, tantisque angustiis circumventum, a Pontifice sublevatum neque ea rogatum concedere Pontificem, quæ ultro deferre debuisset, cum non minores Pontificis atque adeo majores partes in religionis oppugnatoribus atque hostiis reprehendis, quam ipsius regis agerentur. Jus Deemas a singulis carpim laribus paroeciatum exigendi, nullis precibus impetrare potuisse: concessam quidem Societatem Crucis titulo insignitam: verum beneficium tot conditionibus adstrictum ac coaretatum, ut regi plane inutile esset.

31. At sicut haec et hujusmodi querimoniae (quæ veræ an falsæ fuerint, ex dictis ac dicendis facile lector judicare poterit), minime effecerunt, quominus Philippus ab instituto obsecundandi in ineundo fœdere Pontificis monitis revocaretur; sic pariter Hispanis crimen (ut innuimus) falso infertur, quod statim classem suam Venetæ ac Pontificiæ non conjunxerint; cum id eis a rege minime imperatum agnoscatur. Cum vero hoc in negotio se totum, tanta

animi pietate in polestate Pontificis futurum rex significasset, ut vidimus, sibi facile suasse Pium censemus, illud quoque, quod postulaverat, a rege imperatum, ut nempe, Hispanica suæ ac Venetæ classibus statim adjungeretur. At sicut, vel obliuione, vel potius seribæ lapsu, ut dicetur, quam alia de causa id mandare Philippum prætermisso (si tamen illud unquam spopondit), ea alacritas suadet, qua, ut rem cognovit, illico Pontificis desideriis satisfieri voluit; sic immerito Hispani (ut diximus) administrî coarguntur, quod arte cunctati fuerint, nec mandatis quæ nunquam acceperint obtuperaverint. Sed de his inferius.

32. *Pontificis labor in conjugendis principiis Christianorum classibus.* — Estimans igitur Pius, Auriæ Philippum classem Hispanam, suæ ac Venetorum consociare præcepisse, cupiensque, ut id quæ primum efficieretur, ad enidem Auriam sequentem Epistolam¹ dedit:

« Dilecto filio nobili viro Joanni Andreæ de Auriæ, militi Genuensi.

PII'S PP. V.

« Dilecte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Non dubitamus nobilitatem tuam, pro sua prudentia, rerumque bellicarum usu intelligere, totam immanissimo Turearum tyranno sævissimum hæc Estate bellum, adversus rem-publicam Christianam molienti, resistendi spem, in eo positam esse, ut Christianorum maritimæ copiæ omnes in unum locum conveniant, quo facilius coniunctis viribus potentissimorum hostium impetus ab reipublicæ Christianæ finibus arcere repellique possit. Quia vero putamus nobilitati tuæ, a charissimo in Christo filio Hispaniarum rege Catholico mandatum esse, ut cum eo tritemum naviumque numero, qui ei a majestate sua constitutus est, Venetorum classi se conjugat; idecirco nobilitatem tuam vehementer in Domino horfamur, ut primo quoque tempore, versus sinum Coreyrensem, eaque loca naviget, apud quæ Venetorum classem stationem habere cognoscet. Opus est enim celeritate, quæ si, ut speramus, a te adhibita fuerit, resistendi communibus hostiis, ratio procul dubio facilior expeditiorque futura est. Quamvis autem multis maximisque in rebus perspecta virilis tua magnum certamque nobis spem afferat, te in hac expeditione communi hominum omnium, nostraque insuper de tua virtute expectationi, abunde responsum esse; lamen rei periculique communis magnitudine commoti, prætermittere non possumus, quin nobilitatem tuam ad operam diligentiamque suam hoc tam necessario reipublicæ Christianæ tempore, fortiter navandam

¹ Ep. lib. 4. Epist. 13.

etiam atque etiam excitemus. Pertinebit ea res, non solum ad populi Christiani salutem, Catholique regis securitatem, sed etiam ad nominis sui laudem, quamvis antea quoque insignem, clarius adhuc illustrandam. A nobis quoque ejus rei nomine tantum gratiam inibit, ut quæcumque erga se paternæ nostræ voluntatis indicia nobilitati tuæ cum Domino impetrari poterimus, haec nunquam passuri simus ab ea desiderari. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xxiii Maii MDLXX, Pontificie nostr. ann. quinto ».

33. Putavit Pius in mandatis a rege accepisse Auriam, ut Messana cum classe Hispanica solveret, et se ad Venetam conferret; nil ergo mandati hujus certi aliquid sciebat, quod vere nec Philippus dederat, nec Auria acceperat, nec se daturum rex idem Pio ipsi spoponderat. Pontifex tamen illud, jam datum autumans alias, ad eundem Auriam haud multo post Epistolas dedit, quibus magis ad iter impelleret, fueruntque hujusmodi :

« Dilecto in Christo filio nobili viro Joanni Andreæ Auriae.

PIUS PP. V.

« Dilecte, etc.

« Quamvis superioribus diebus nobilitatem tuam vehementer per litteras nostras hortati fuerimus, ut cum eo triremium naviumque numero, qui ei a charissimo nobis in Christo filio Philippo Hispaniarum rege Catholico mandatus est, Venetorum classi se conjungeret; nec dubitemus eam, pro sua in re navalii administranda prudentia ac celeritate, et communium hostium reprimendorum studio, id ipsum, quam celerrime poterit, esse facturam; lamen quia, et reipublicæ Christianæ necessitas id flagitare, et educendæ classis tempus jam instare videtur; idecirco nobilitatem tuam in Domino vehementer hortamur, ut sua ad nostram classem adjuncta, versus sinum Coreyensem, eaque loca quamprimum navigare velit, apud quæ Venetorum classem stationem habere cognoscet; ut inde coniunctis omnibus maritimis copiis, consociatisque auxiliis, universa Christianorum classis, vel adventanti communium hostium Turcarum classi in tempore occurrere, vel refugientem persecui, vel ad omnes ejus conatus intenta parataque esse possit. Hoc a nobilitate tua eo animi nostri studio petimus, ut quamvis pro certo habeamus illam in tali tantaque re, eam, quam par est, celeritatem esse adhibitaram; tamen ipsa rei periculique communis magnitudine commoti, priermittere non possumus, quin ad ejus rei desiderium nostrum flagrantissimum nobilitati tuæ significandum, iterata hac hortatione utaniūr. Quantum autem in conjungendarum maritimorum copiarum celeritate positum sit, ad rem oppor-

tune gerendam; nemo quam nobilitas tua melius intelligit, quam quidem nos pro certo habemus, neque omnipotentis Dei causa, neque reipublicæ Christianæ saluti, neque gloriae sua ullo esse loco defuturam. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die vii Junii MDTX, Pontificatus nostr. ann. quinto ».

34. His acceptis litteris, Pii mandata Auriam statim fecisse, scribit Gabutius¹; at ceteri, et quidem fide digni scriptores, ac inferius ponendæ ejusdem Pontificis Epistola, aliud docent. Veritati magis accessit Gratianus², eum dixit, negasse Auriam injussu regis Messana ac Sicilia discedere posse. At rem funditus exploratam habuisse Folietam censemus, qui eam hismet prosecutus est verbis : « Per idem tempus Joannes Andreas Auria triremes regias, quotquot erant in Italiae portibus, Messanam contraxerat. Ibi litteras Pontificis accipit, monensis et postulantis, ne tempus gerendarum rerum totum inane elaboratur, porro pergere iter matureret, ac cum classe Veneta et navibus suis, quæ tota Estate tanto cum suo detimento sedentes, eum præstolatae sint, se conjugat. Negare Auria ulla se habere de ea re a rege mandata, litterasque regis proferre, in quibus erat scriptum, ut quoniam pro comperto affirmaretur præpotentem Tureicam classem eo anno e portibus exituram, sese Auria in Siciliam conferret, ac quot plurimas posset naves eo contraheret, cum quibus ad omnes Turcarum conalus paratus esset; ut Pontifici, qui per litteras et nuntios ea de re secum vehementer egerat, gratificaretur; si tamen res Tunetanae aliaque vicina loca regia irruptionibus hostium opportuna, ut jam mandatum fuerat, justis præsiidiis et apparatibus prius firmata essent. Quibus litteris affirmare se non obscure prohiberi, ne procul ab insula Sicilia abscedat, ne dum imperetur, ut Orientem petat; sese igitur injussu regis pedem ultra prolatarum negare. Hoe responso graviter exarsit Pontifex, majestatemque suam Iudibrio esse vociferari. Neque mentiebatur, aut extrahebat Auria. Causa erroris fuit, quod Torrio responsum fuerat, regem Auriæ imperaturum, ut Pontificis voluntati obsequens, sese cum Italiciis triremibus, Pontificis et Venetorum causa Messanam conferret. Id pro eo acceperat Torrius, et ita Pontifici scripsérat; tamquam Auriæ mandasset rex, ut jussis in omnibus pareret. Rem ad verba litterarum Auria interpretari : in quibus erat scriptum, ut Pontificis honoris causa, cui obsequendum sit, sese Messanam conferret; obsequium erga Pontificem, non ad omnia, quæ mandare libuisset, pertinere, sed loco Messanæ terminari. » Sic ille.

35. Prius haec vero ad Pontificem rescri-

¹ Gab. Vit. Pi., lib. 4, cap. 44. — ² Gratian. de Bello Cypr., pag. 55. — ³ Foliet. de Sacr. fœd., pag. 48.

bens Auria, illud etiam sibi fore impedimento addidit, ne eitus classe e Siciliæ portibus solveret, quod tum milite, tum aliis necessariis rebus classis ipsa nondum instructa esset. At hujusmodi protelationis causas removere statim etiam Pius studuit, tum ad ipsum rescriptis litteris¹, tum aliis ad Neapolitanum proregem datis, quas hic pariter afferre libuit :

« Dilecto filio, nobili viro, Joanni Andreæ de Auria, militi Genuensi.

PIUS PP. V.

« Dilecte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Lectis nobilitatis tuæ litteris, quibus sibi milites cæteraque ad instruendam alendamque classem necessaria deesse significabat, eaque de causa se impediri aiebat, quominus (quod ab ea nostris litteris superioribus diebus petieramus), versus sinum Coreyensem navigare, seque cum nostra et Venetorum classe conjungere posset; subito ad dilectum filium nobilem virum, ducem de Alcala, regni Neapolitani proregem, litteras dedimus, quibus eum ad milites cæteraque quæ tibi opus erant, quamprimum ad te mittenda vehementer hortati sumus : quibus ille nostris litteris nuper ita respondit, quemadmodum ex illius litterarum exemplo, quod ad te cum his litteris nostris mittimus, intelligere poteris. Quæ cum ita sint, et praeterea totius reipublicæ Christianæ periculi magnitudo diutius non patiarur differri communis salutis auxilia ; nobilitatem tuam vehementer in Domino hortamur, et quo maiore animi nostri studio possumus requirimus, ut postquam milites, et cætera quæ sibi ad navigandum necessaria sunt, habuerit, eam in sua cum nostra Venetorumque classe conjungenda pro parte sua diligentiam ac celeritatem adhibere studeat; quam, et rei magnitudo postulat, et nos ab eximio nobilitatis tuæ, in adjuvanda republica Christiana studio, expectamus; jam enim, et Venetorum classein Coreyram appulisse intelligimus, et nostram quoque brevi eodem prefecturam coguovimus, ut nihil aliud praeterea ad resistendum communibus hostibus, quam tuæ classis in eadem loca adventus desiderari videatur. Qua quidem re, non solum communem totius populi Christiani causam, vehementer adjuvabis, sed etiam charissimi nobis in Christo filii regis Hispaniarum Catholici rebus non mediocriter proderis, tibi que apud omnipotentem Deum merita, et apud homines gloriam comparabis; et a nobis ipsis ejusdem rei nomine non parvam gloriam inibis. Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xx Julii MDLXX, Pontificatus nostri anno v».

36. Ad proregem Neapolis vero hujus exempli litteras dederat :

« Dilecto filio nobili viro Perafanio de Riberia, duci de Alcala, in regno Neapoitanico proregi¹.

PIUS PP. V.

« Dilecte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Superioribus diebus, cum dilectum filium nobilem virum Joannem Andream Auriam per litteras hortati essemus, ut se cum ea classe, cui a charissimo in Christo filio nostro Hispaniarum rege Catholico præfeclus est, ad Venetorum classem adjungeret, quo facilius consociatis auxiliis, communium hostium Turcarum, adversus rempublicam Christianam impetus repelli possit; ad eas ipsas litteras nuper ita rescripsit se, et hortationem nostram libenter alacriterque suscepisse, et sibi a majestate Catholica imperatum esse, ut quæcumque illi a nobis, et ab eodem Catholici regis super hoc negotio Romæ delegatis mandata forent, omnia exequeretur, seque paratum esse in ea re, et voluntati nostræ morem gerere, et eorumdem delegatorum jussa facere; sed tamen, et militum quos in classem imponat facultatem sibi deesse, et communalium copiam ad eosdem milites, et reliquam navalem turbam alendam non habere, ad eamque causam se ad nobilitatem tuam de utraque re diligenter scripsisse. Quod cum ita sit, nobilitatem tuam his nostris litteris in Domino vehementer hortamur, et quo majori animi nostri studio possumus, rogamus, ut prædicto Joanni Andreæ eas militum communaliumque copias, quæ ad armandam alendamque ipsius classem sufficere possint, quam celerime mittendas curet. Quanta celeritate opus sit, ut immanissimi Turcarum tyranni classi, Cypro jam imminentí, in tempore occurrere possimus, nobilitatem tuam pro sua prudentia intelligere arbitramur. Quantum vero hoc periculum, quamque commune sit, quod non minus Venetorum quam toli Christianæ reipublicæ, ac præcipue regi Catholico a communibus hostibus impendet; nemo est qui non videat. Quocirca officio nostro adducti, et communis discriminis magnitudine commoti, a nobilitate tua petimus, ut comparandis mittendisque militibus ac commensibus, qui in prædicti Joannis Andreæ classem imponantur, eam diligentiam celeritatemque adhibeat, quam et rei periculique magnitudo exposcit, quamque nos ab eximio suo Christianæ religionis defendendæ studio expectamus. Nihil neque Dei Omnipotentis cause, neque regi ipsis Catholico utilius, nobisque ipsis gratius facere potest, quam si in tanto tolius populi Christiani discri-

¹ Ep. lib. 4. Epist. 20.

¹ Ut supra. Epist. 21.

mine diligentiam suam a nobis desiderari non patiatur. Quod nos, pro sua erga Deum omnipotentem pietate, nobilitatem tuam facturam esse non dubitamus. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die undecima Julii MDLXX, Pontificatus nostri anno quinto».

37. At quamvis visus sit Pius has cunctationis Auriæ rationes penitus amovisse, ut palet ex allatis ad ipsum litteris, præcipuum nihil minus illam, quant Auria idem obtendit, injussum videlicet a rege, Messana, nisi ea de re interpellato rege ipso, classem solvere non posse, removere nequivit: quod, ut opinamur, licet sibi a Catholica majestale imperatum esse scripsisset Auria, ut quæcumque Pontifex et regis ejusdem delegati super hoc negotio mandata sibi fecissent, impleret; tamen Sicilia discedere, ac se Venetis jungere, id nunquam præceplum disseret, nec ei regis nomine se id præcipere posse delegati ipsi existimarent, sed novis mandatis opus esse. « Quare (inquit Folieta) Pontifex fremens, tabellarium ad Torrium præcipili cursu mittit; jubelque, ut regem adeat, ac secundum jussum postulet. Cui enim usui classem in portibus Siciliae desidem, sibi aut Venetis fore? Rex æqua postulare Pontificem fateri, erroremque scribæ assignare, qui sententiam suam, ut sœpe fit, non salis perceperit. Dat igitur e vestigio litteras ad Auriam, ut omnibus in rebus sine ulla retrahatione, Pontificis jussa faciat, illiusque præfeco pareat, alque illum quoenamque is duxerit sequatur».

38. Sic ille; et revera haud multo post ad Auriam nova regis mandata perlata fuerunt, ut evidentissime ex sequentibus Pii Epistolis colligitur, quibus Philippo et Didaco cardinali Spinosæ gratias egit, quod Auriæ eidem, regiam cum Pontificia ac Veneta classe conjungere jusserit. Haec vero sub die ultima Julii datae adnotantur. Quod autem ad Torrium miserit Pontifex tabellarium, ut scribit Folieta, erroris convincitur, ex ipsis Epistolis, ex quibus hac de re cum rege, non Torrium, sed archiepiscopum Rossanensem egisse intelligimus; et ex eo insuper, quod hoc tempore, Hispanica aula relata, Pio ipso jubente, in Lusitaniam, ut diceatur, Torrius concessisset. Quæ igitur ad Catholicum regem et Spinosam datae a Pio fuerunt litteræ ¹ hujusmodi extitere:

« Philippo Hispaniarum regi Catholico.

PIUS PP. V.

« Charissime in Christo fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Certiores facili, ex his, quæ venerabilis frater archiepiscopus Rossanensis, noster et Sedis Apostolicæ apud majestatem tuam nuntius, copiosius ad nos scripsit, quanta voluntatis

sue erga nos Sanctamque hanc Sedem Apostolicam propensione, quamque prompto alacri- que animo, majestas tua, rogatu nostro, dilecto filio nobili viro Joanni Andreae Auriæ, classis sue præfeco mandaverit, ut se cum eis, quibus præest triremibus, ad nostram Venetorumque classem adjungeret, quo facilius omnibus maritimis copiis in unum coactis, communibus hostibus, communni auxilio et consilio obsisti possit; magnas Omnipotenti Deo gratias egimus, qui talem tamque egregiam erga Christianam rempublicam voluntatem, majestati tuae misericorditer indulsisset; in quo etsi nihil fecit majestas tua nobis novum, qui ejus erga Christianam religionem studium bene cognitum habemus; lamen ea ipsa de re, eas, quas debemus majestati tuae gratias agimus, quæ quod patris voces filius non despexit, in eo suam non solum erga nos, sed multo magis erga Redemptorem nostrum pietatem declaravit, ejus ipsius pietatis fructum procul dubio æternum ab eo perceptura, qui nihil quod ejus causa fiat, quantumvis exiguum, sine remuneratione reliqurum se pollicitus est. Quia vero tale tantumque de republica Christiana benemerendi majestatis tuae omnibus perspectissimum studium, nobis animum dat, ut quæ ad ejusdem reipublicæ commune bonum, utilitatemque pertinent, non minore, quam antea fecimus, confidentia a majestate tua postulemus; idecirco eamdem majestatem tuam hortanur, et quo majore animi nostri studio possumus, rogamus, ut quod illius jussu, auctoritateque nostra, inler majestatis tuae mandatarios, et a nobis delegatos, de fœdere inter nos Sanclamque Sedem Apostolicam, et majestatem tuam, Venetorumque rempublicam, adversus immanissimum Turcarum tyrannum ineundo, apud nos superioribus diebus, communis parlum confœderandarum consensu actum statutumque est, id ratum habere quamprimum velit. Sic ut, omnibus rebus, quæ huic sanctissimo fœderi concludendo moram aliquam afferre possint, majestatis tuae pietate prudentiaque sublati, habeat respublica Christiana quorum præsidio ac tutela adversus communium hosium impetum luta securaque sit: quæ quidem in tanto suæ salutis discrimine, quod ab avidissima Christiani sanguinis gente sibi imminere intelligit, in tuam polissimum majestatem oculos suos conjectos habet. Videt enim, si (quod absit) majestatis tuae potissimo ad se tuendam auxilio destituta fuerit, frustra se cœterorum Christianorum regum ac principum opem præsidiumque esse imploraturam, quibus etiam si voluntas ad se defendendam non defuerit, parem tamen voluntati facultatem ac vires defuturas esse non ignorat. Quæ cum ita sint, charissime in Christo fili, majestatem tuam, per omnipotentem Deum obsecramus, ut pro parte sua, ad

¹ Ut sup. Ep. 24.

salutare piumque fœdus quamprimum concludendum incumbat, eaque in re, tum communi totius populi Christiani, de sua erga Redemptorem nostrum pietate, expectationi respondeat, tum nostris paternis hortationibus satisfaciat. Quod, quamvis pro certo haberemus, majestatem tuam, pro suo divini honoris zelo, Christianæque reipublicæ adjuvandæ studio, esse facturam; tamen paternam nostram hortationem, vel ad officii nostri partes implendas suscepit, neque ingratam neque injucundam majestati tuae, pro sua erga nos Sanctamque hanc Sedem Apostolicam devotione, fore pulavimus. Eisdem autem de rebus, ut cum majestate tua, nostro nomine copiosius ageret, prædicto venerabili fratri nostro et Sedis Apostolicæ apud majestatem nuntio mandavimus; cuius orationi majestas tua ut fidem habeat, ab ea vehementer petimus. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die ultima Julii MDLXX, Pontificatus nostri ann. quinto ».

39. Ad Didacum autem cardinalem Spinosam¹:

« Dileete fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Cum ex litteris tuis proxime scriptis certiores facti essemus, charissimum in Christo filium nostrum Hispaniarum regem Catholicum, dilecto filio nobili viro Joanni Andreæ Auriæ, classis suæ præfecto, mandavisse, ut cum eis, quibus majestatis sue Catholicae nomine præest triremibus, se ad nostram Venetiamque classem adjungeret, quod nos litteris, per tabellarium dedita opera, ad majestatem suam missum, ab ea vehementer postulaveramus; cumque ea de re majestati suæ gratias quas debemus egissemus: præfermittere noluimus, quin eo ipso tempore cum circumspectione quoque tua eodem officio his litteris fungeremur; cuius unius maxime opera atque diligentia illud ipsum, quod tantopere cupiebamus, ab eadem majestate sua impetratum esse sciebamus. Scriptis enim ad nos venerabilis frater archiepiscopus Rossanensis, noster et Sedis Apostolicæ apud serenissimum regem Catholicum nuntius, quali quantaque humanitate, quamque alaceri promptoque animo, omnem adeundi alloquendique regis laborem, negotiumque ipsum, ex nostra sententia confiendi curam, circumspectio tua sponte suscepit: sic, ut ne ipse quidem prædictus nuntius noster, majorem in ea re diligentiam sedulitatemque adhibere potuisse. Quocirea circumspectionem tuam, pro tam egregia nobis reipublicæque Christianæ opera navata, debitum in Domino laudibus commendantes, illi etiam gratias agimus quas debemus, taliaque suæ erga nos Sanctamque hanc Sedem Apostolicam

observantiae ac devotionis indicia, præterquam quod sua erga Deum Omnipotentem pietate dignissima sunt, nobis præterea, ut par est, gratissima fuisse significamus. Quia vero qui semel ad aratrum manum posuit, eum fas non est retro aspicere; idecirco vehementer in Domino hortamur, ut quæ ad reipublicæ religiosisque Christianæ salutem pertinere cognoveris, haec omni semper studio adjuvare contendas; in primisque omnem gratiam, opem auctoritatempne tuam apud eumdem seruissimum regem Catholicum interponere studeas, ut quod superioribus diebus, de fœdere inter nos Sedemque Apostolicam, ac majestatem suam Catholicam, Venetorumque rempublicam, adversus immanissimam Turcarum gentem ineundo, inter majestatis suæ ac reipublicæ Venetorum mandatarios, et a nobis delegatos, illius jussu, auctoritateque nostra actum statutumque est: id majestas sua, quam celerime ratum habere, fœdusque ipsum concludere velit. Ut enim talis Christianorum principum, contra communis hostes confederandorum societas atque conjunctio, una ex omnibus humanis rebus esse videtur, quæ sola imminentem a sævissimo Turcarum tyranno reipublicæ Christianæ calamitatem propulsare posset; sic nos eam rem quamprimum ad effectum adduci sic desideramus, ut quicunque ejus ipsius fœderis celerem conclusionem omnibus viribus adjuverint, hi præter divinæ remunerationis præmium a nobis quoque magnam sint gratiam inituri. Quod circumspitionem tuam in primis effecturam esse ita persuasum habemus, ut quominus ab ea pluribus verbis petamus, ea de causa prohibeamur, ne tam egregia tua erga nos Sanctamque hanc Sedem Apostolicam, ac rempublicam Christianam voluntati diffidere videamur. Cætera vero, quæ tecum agenda erunt, ea prædicto venerabili fratri, nostro et Sedis Apostolicæ nuntio, tibi exponenda mandavimus, cui in omnibus plenissimam fidem habebis. Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die ultima Julii MDLXX, Pontificalus nostri anno quinto ».

40. Ut autem ex his cognoscitur, Spinoza polissimum agente, Pii consilia ad felicem exitum fuisse perducta; ita ejusdem Pontificis summa prudentia ac sedulitate, jam ab hoc tempore nonnulla, quæ ad fœdus statuendum pertinebant, absoluta fuisse intelliguntur. Reliqua nihilominus, non nisi sequenti anno, tum a rege, tum ab aliis confirmata ac approbata, suo loco dicentur. Hæc autem, et ad regem, et ad Spinosam scriptas litteras, ad archiepiscopum Rossanensem, utrique tradendas Pontifex misit, ut copiosius ille coram, et voce, de beneficio accepto gratias rependeret, ut probat ad ipsum Rossanensem scripta sub eadem die a Pio eodem in hunc modum Epistola:

¹ Ut supra lib. 4. Ep. Epist. 25.

« Venerabili fratri Joanni Baptista archiepiscopo Rossanensi ¹.

PIUS PP. V.

« Ven. frater, etc.

« Scribimus ad serenissimum regem Catholicon, atque ad dilectum filium nostrum Didacum, tit. S. Stephani in Cœlio-Monte, cardinalis Spinosam appellatum, utriusque gratias agentes; majestati quidem sue Catholicae, quod de sua cum nostra Venetorumque classe conjungenda postulatis nostris benigne satisficerit; eamque ipsam rem dilecto filio nobili viro Joanni Andreæ Auriae, ejusdem sue classis præfecto, exequendam mandaverit: cardinali vero, quod eam ipsam rem apud M. S. gratia auctoritateque sua tantum adjuverit, quantum ex illius fraternitatisque tuae insuper litteris cognovimus. Eas ipsas litteras, te utriusque eorum reddere volumus, quodque nos gratiarum actionis officium, utriusque litteris nostris præstitimus, hoc idem copiosius coram persolvamus. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die ultima Julii MDLXX, Pontificatus nostri anno quinto ».

41. Regiis igitur his munitus mandatis, Pontifex rursus Auriam aggreditur, exigitque, ut quam cito, quæ ipsi fuerant imperata executioni demandet, scriptis ad eum quæ sequuntur:

« Dilecto filio nobili viro Jo. Andreæ Auriae ².

PIUS PP. V.

« Dilekte, etc.

« Etsi pro certo habeamus nobilitatem tuam, perspecta charissimi nobis in Christo filii, regis Catholici, voluntate, quam ex illius litteris, et ex his, quas dilectus filius Joannes Zunica, ejusdem regis apud nos orator, ad te mittit, prospicies, majestatis suæ de sua cum nostra Venetorumque classe conjungenda, mandatum diligenter, pro suo erga rem publicam Christianam studio esse executurum; ob eamque causam supervacaneum esse existimemus, pluribus ad eam rem verbis nobilitatem tuam hortari: tamen, quia, et communis reipublicæ Christianæ periculi magnitudo id possit, et tempus rei gerendæ ita maturum esse videtur, ut differri jam diutius non possit; idecirco te eo quo majori possumus animi nostri studio hortamur ac requirimus, ut quam celeriter fieri poterit, classe cui præs instruenda atque armata, navigare, teque cum nostra Sedisque Apostolice classe conjungere festines, eo consilio, ut tua ad nostram classe adjuncta, tutius et securius, ad Venetorum classem accedere, teque in his locis in quibus eam reperieris

cum ea conjungere possis. Nihil hoc tempore, aut tibi gloriostius, aut regi Catholico atque adeo toti reipublicæ Christianæ utilius, aut nobis gratius nobilitas tua facere potest, quam si pro parte sua nullam moram fecerit, quomodo omnium Christianorum maritimis copiis in unum coactis, communium hostium impetus e reipublicæ Christianæ finibus repelliri possit. Quod nobilitatem tuam pro tua erga Deum omnipotentem pietale, et religionis adjuvanda studio, diligenter facturam esse non dubitamus. Datum Romæ, sub annulo Piscatoris, die II Augusti MDLXX, Pontificatus nostri anno quinto ».

42. Melitenses triremes, suæ classi conjunctas, Pius jubet ad Coreyram mitti. — Quid post haec aetum fuerit, dicitur inferius.

Interea dum Auria e Siciliae portibus solvere classe retardat, Melitenses triremes classis ejusdem cursum præstolari minime passus est Pontifex. Praecepit siquidem Petro de Monte, ejusdem militiae magistro, qui contra Turcas ultra suas ei, ut diximus, triremes obtulerat, ut ad nulum suum eas dispositas haberet, utpote qui illas propriis conjungi vellet. Auria tamen, qui Hispani regis jussu in idem consilium conspirare videbatur, quo forsitan classem suam validiorem haberet, una secum stare, neque a se divelli Melitenses triremes optaverat. Idem curasse pariter Venetos, scribit Bossius ¹. At, hoc cognito, Pius id sibi præ aliis deberi, haec ad ipsum Auriam data Epistola significavit:

« Dilecto filio nobili viro Joanni Andreæ de Auria militi Genuensi ².

PIUS PP. V.

« Dilekte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Quoniam ad propulsandum communium hostium Turcarum adversus rem publicam Christianam bellum, utilissimum esse constat, Christianorum auxilia unum in locum primo quoque tempore tuto posse convenire; quo facilius deinde omnibus copiis simul conjunctis consociatisque auxiliis, potentissimorum hostium conatus uno animo et consilio resistere possimus; idecirco nobilitatem tuam his nostris litteris vehementer in Domino hortamur, ut ne impedimento esse velit, quominus quatuor triremes, quas dilectus filius Petrus de Monte, Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani magister, instructas paratasque ad hoc bellum se habiturum esse nobis pollicitus est, ad nostram Ecclesiasticam classem adjungantur; nam præterquamquod honestius est religiosorum classem auspicis nostris, qui religionis caput sumus, militare potius quam aliorum; sic etiam futurum est, ut et illæ qualuor tutius navigatura

¹ Ex Archiv. Vatic. — ² Ex Archiv. Vatic. Ibid. ut sup.

¹ Bossius, Histor. Melit. — ² Epist. lib. 4, Epist. 19.

sint, si se cum nostra classe conjunxerint, et nostra classis, additis illis, securius se cum reliquis copiis conjunctura sit. Quae res, cum ad recte bellum administrandum maximum momentum habitura esse videatur, non dubitamus nobilitatem tuam, pro sua prudentia id, ut quamprimum fiat, omni ope pro sua parte esse adjuturam. Quod ut nostris paternis vocibus admonita, aliquanto etiam alacrius faciat, a nobilitate tua magnopere postulamus. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xxix Maii MDLXX, Pontificatus nostri anno quinto ».

43. Ad præfatum deinde Petrum de Monte sequentes litteras dedit :

« Dilecto filio nobili viro Petro de Monte Magistro Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani¹.

PIUS PP. V.

« Dilecte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Quamvis superioribus diebus ad te seripserimus, ut tuam et istius Ordinis classem, quam omnibus rebus ad navale bellum necessariis instructam hoc tam necessario Turciei belli tempore nobis pollicitus es jam diu paratam haberes, donec nos eam, quam in animo habemus classem instrueremus; neque dubitamus te id ipsum diligenter faclurum esse: tamen, cum et reipublicæ Christianæ necessitas id flagitare, et conjungendarum omnium maritimarum copiarum tempus appropinquare videatur, devotionem tuam iterum in Domino hortandam esse prævidimus, ut eas ipsas triremes instructas paratasque habeat, ut cum tibi a dilecto filio nobili viro Marco Antonio Columna, nostræ classis generali, significatum fuerit, tua ad illius classem adjuneta, una cum eo versus ea loca navigare possis, in quibus Venetorum classem stationem habere auditum fuerit. In quo etsi non dubitamus te, pro tuo eximio reipublicæ Christianæ juvandæ studio, eam, qua par est, diligentiam celeritatemque esse adhibitum; tamen ob rei communisque periculi magnitudinem, tibi, quamvis currenti, Apostolicæ nostræ hortationis calear admodum esse existimavimus. Datum Romæ apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die x Junii MDLXX, Pontificatus nostri anno quinto ».

44. Huic vero, et alteri, tertiam demum Pius adjecit Epistolam, qua eumdem Petrum de Monte monuit, ut Melitenses suas triremes ad Coreyensem sinum quamprimum mitteret, non expectata, vel Hispanicæ classis protectione, vel Columnæ nutu, quod hic jam in eumdem Coreyensem sinum se contulisset. Hujusmodi ipsa fuit :

« Petro de Monte Magistro, etc.².

« Dilecte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Superioribus diebus binas ad te litteras dedimus, alteras xxvi Maii, alteras decimo die Junii datas: in utrisque autem vehementer te hortati sumus ac requisivimus, ut luas istiusque Ordinis triremes, quas omnibus rebus ad navale bellum instructas, hoc ipso tam necessario Turciei belli tempore nobis obtuleras, paratas instructasque haberet; ut cum tibi a dilecto filio nobili viro Marco Antonio Columna, nostræ classis generali, significatum esset, tuas ad illius triremes adjungeres, et cum eo versus ea loca navigares, in quibus Venetorum classem stationem habere auditum fuisse. Quod quidem eo ad te consilio scripseramus, quid interea charissimi nobis in Christo filii regis Hispaniarum Catholieci classem eisdem locis appropinquaturam sperabamus, ut omnibus maritimis copiis simul junctis, communibus hostibus, uno animo et consilio facilius obstatere possemus. Sed cum, et prædicti regis classem diutius quam putabamus tardare videamus, et Venetorum classem Coreyram jam appulisse audiamus, eodemque nostram etiam classem, aut profectam esse, aut quamprimum profecturam intelligamus; devotionem tuam in Domino vehementer hortamur ac requirimus, ut una cum suis triremibus eodem, hoc est, Coreyram navigare, seque cum nostra et Venetorum classe conjungere quamprimum studeat. Quia in re, etsi exploratum habemus te, pro tuo eximio reipublicæ Christianæ adjuvandæ studio, eam, quam par est, diligentiam, celeritatemque esse adhibitum; tamen ut ad eam ipsam diligentiam, aliquid etiam harum ipsarum ad te litterarum nomine addas, vehementer a te pelimus. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die xix Julii MDLXX, Pontificatus nostri anno quinto ».

45. Lusitanum regem ad fœdus invitat, et incitat ad matrimonium. — Quomodo autem Columnam summum classis suæ præfectum Pius elegerit, ac ipsius expeditionis reliqua, inferius ponenda erunt, cum modo cætera Pontificis ejusdem studia ad alia comparanda contra communem hostem subsidia, recensenda esse videantur. Rebus igitur in Hispania bene constitutis, Ludovicus de Torres, ut diximus, ad Sebastianum Lusitanæ regem ex Pontificis mandato se contulit, quem cum Sintrae (quæ villa est haud longe ab Ulissipona, ubi se receperat, ut Iuem, eamdem urbem vastantem, ut anno præterito memoravimus, declinaret) convenisset, Pontificis mandata aperuit ac sequentes ei litteras obtulit :

« Charissimo in Christo filio Sebastiano Portugalliae et Algarbiorum regi¹.

¹ Epist. lib. 4. Epist. 32. — ² Ibid. ut sup. Epist. 33.

¹ Epist. lib. 4. Epist. 26.

PIUS PP. V.

« Charissime in Christo fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Quod tua singularis in Deum omnipotentem pietas, et erga nos sanctamque hanc Sedem devotio nos hortatur, id tiderter admodum facimus, ut in his, quae ad reipublicæ Christianæ salutem, religionis fideique Catholicæ defensionem pertinent, tuam opem auxiliumque, ubi opus est, imploremus. Quocirea ex litteris charissimi in Christo filii nostri Hispaniarum regis Catholicæ certiores facti, immanissimum Turcarum tyrannum classe maxima instructa, magnis equestribus peditibusque copiis collectis, rupto foedere, quod ei ad hanc diem cum Venetis fuit, bellum ingenti conatu adversus Christianos moliri; dilectum hunc filium magistrum Ludovicum de Torres, cameræ nostræ Apostolicæ clericum, virum, ob eximiam probitatem egregiamque erga nos Sedemque Apostolicam fidem, nobis probatissimum, ad majestatem suam Catholicam misimus, ut eam ad classem primo quoque tempore mittendam hortaremur. Cui etiam mandavimus, ut ad majestatem tuam se conferat, eamque nostro nomine enixe roget, et per Deum omnipotentem obsecret, ut ad serenissimi regis Catholicæ classem, suas quoque triremes, quas decem numero esse audivimus, adjungere velit; ut communia navalia auxilio, communibus hostibus, quantum fieri potest, obsisti possit. Quod ita a majestate tua petimus, ut majori animi nostri studio petere non possimus. Prædicto autem magistro Ludovico, super his rebus, quas ille nostro nomine exponet, majestatem tuam eamdem fidem habere volumus, quam nobis præsentibus secumque loquentibus haberet. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die **xiii**, **M.DLXX**, Pontificatus nostri anno quinto».

46. Reginæ Catharinæ, et cardinali Infantæ tradendas has quoque litteras Torrio Pontifex dedit :

« Charissimæ in Christo filiæ nostræ Catharinæ, Portugalliae et Algarbiorum reginæ illustri ¹.

PIUS PP. V.

« Charissima, etc.

« Dilectum hunc filium magistrum Aloysium de Torres cameræ nostræ Apostolicæ clericum, quem ad charissimum in Christo filium nostrum Hispaniarum regem Catholicum, implorandi contra immanissimum Turcarum tyrannum, magno, ut audivimus, conatu bellum Christianis molientem, auxilii causa misimus; isthuc quoque ad serenissimum regem nepotem tuum, eadem de causa venire jussimus,

cumque M. S. quibusdam de rebus, nomine nostro agere, magnopere, ad commune Christianorum omnium periculum depeltendum pertinentibus. Ei autem mandavimus, ut majestatem quoque tuam nostro nomine salutet, et quædam ad hoc ipsum negotium spectantia, nostris illi verbis exponat; cuius sermoni, ut eamdem fidem habeat, quam nobis ipsis secum loquentibus haberet, utque ei consilium, operam auctoritatemque suam, apud serenissimum regem nepotem suum impendat, pro sua in Deum omnipotentem pietate, et erga nos sanctamque hanc Sedem devotione, majestatem tuam rogamus. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die **xiii** Maii **M.DLXX**, Pontificatus nostri anno quinto ».

Ad cardinalem Infantem :

« Dilecto filio nostro Henrico, tit. SS. Quatuor Coronatorum presbytero cardinati, Portugalliae Infantæ ¹.

PIUS PP. V.

« Dilecte, etc.

« Certiores facti sævissimum ac potentissimum Turcarum tyrannum ingenti conatu contra Christianos hoc anno bellum apparare, necessarium esse duximus, dilectum hunc filium magistrum Aloysium de Torres, cameræ nostræ Apostolicæ clericum, virum ob spectatam probitatem et fidem nobis probatissimum, ad charissimum in Christo filium nostrum Hispaniarum regem Catholicum, implorandi ejus auxilii causa mittere. Cui mandavimus, ut isthuc quoque se conferret, cumque serenissimo rege nepote tuo quibusdam de rebus nostro nomine ageret, ad hoc idem negotium magnopere pertinentibus. Rogamus autem circumspetionem tuam, et per omnipotentem Deum obsecramus, ut pro sua eximia in Deum omnipotentem pietate, communisque reipublicæ Christianæ salutis studio, ut ad conficiendum negotium, cuius causa a nobis missus est, suam opem, consilium favoremque apud eundem serenissimum regem nepotem suum accendet, ejusque sermoni, super his rebus, quas ipse nostro nomine exponet, perinde fidem habeat, ac si nos presentes secumque loquentes audiret. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die **xiii** Maii **M.DLXX**, Pontificatus nostri anno quinto ».

47. Rex Sebastianus, tuum Apostolico internum honorificentissime suscepto, tum Pii litteris, pro summa sua pietate omni veneratione acceptis, et voce illi et scripto his, hoc dedit Catholicæ vere principe dignum responsum ² :

« Sanctissime in Christo pater, ac beatissime domine.

¹ Ex Archiv. Vat. ut sup.

² Ex Archiv. Vat. ut sup. — ² Epist. Lib. 4. Epist. 27.

« Sanetilatis tuae litteras pridie idus Martii datas, reddidit mihi pridie non. Junii Ludovicus de Torres, ac beatudinis tuae nomine quæcumque habuit in mandatis exposuit; de maxima videlicet expeditione, et exercitu terra marique comparato, quem Turca communis hostis, antiquo pacis fœdere, quod cum Veneta republika pepigerat, soluto, adversus orbem Christianorum adornabat. Quamobrem admonebat me Sanetitas tua, et etiam atque etiam postulabat, quoniam principum Christianorum communis causa agitur, oportere etiam ipsos communis periculo eonjunctis viribus occurrere, ut meas triremes in Siciliam deduci, atque eas ibi una cum serenissimi regis Castellæ avunculi mei triremibus jungi curarem. Certe enim, ut verum fatear, sanctissime domine, ita me pius zelus et paterna sollicitudo, qua nobis, communis totius reipublicæ Christianæ tuendæ causa, ad obeundum munus nostrum persuadet devinctum et obligatum reddit, ut existimem novo quodam nos beneficij genere adstringi, ad ingentes Deo Optimo Maximo gratias persolvendas, quod his temporibus, dum Christiana religio ubique premitur et affligitur, talem Pontificem Ecclesiæ sue et nobis donaverit, qui omnibus his calamitatibus sufficientissimum remedium præbeat, et qui principes Christianos ad tam necessariam expeditionem cohortetur, eorum animos concordes efficiat, et communis fœdere quodammodo in unum cogat atque conjugat. Et quanquam Ludovicus ipse de his rebus ita mecum egit, ut facile ex eo intellexerim, facultatem mihi a sanctitate tua concedi, ut prius de auxilio quod petebatur mittendo, mature considerarem, quid mihi facere pro ratione temporis expediret: nihilominus tamen rationes et causas omnes, quæ desiderium meum ad obsequium, tum in hac re, tum etiam in omnibus aliis Sanctitati tuae præstandum commoverent, repetendas esse existimavi. Ad hoc enim facilius ac celerius exequendum sese offerunt primum maxima et gravissima pericula quæ Turcia ista classis Christianæ reipublicæ potest asserre, his præsertim temporibus, quibus principes Christiani, tot et tam variis curis et periculis, quibus est occurendum, urguntur: deinde reverentia et observantia, quæ in omnibus Sanctitati Tuæ debetur, in hac præcipue tam publica causa, principibus quidem omnibus communi, sed beatitudini tuae propria, et quodammodo peculiari, quam, veluti universalis pastor, et omnium primus et caput, omni præsidiorum genere sollicite juvare nunquam desinit, tum etiam majorum meorum exempla, quæ in rebus levioris momenti et minoris etiam periculi, prompto animo Sedi Apostolicæ et Christianæ reipublicæ semper adfuerunt. Accedit præterea privata quædam obligatio, qua Sanctitati Tuæ

devictus sum, tum propter loci in quo residet celsitudinem, tum propter benevolentiam et amorem paternum, quo omnes res meas fovet ac prosequitur, vetus etiam et antiqua amicitia, quæ inter hæc nostra regna et Venetorum rempublicam semper intercessit, in cuius auxilium felicis memoriae rex Emmanuel proavus meus, classem olim ingentem misit. Ex adverso autem quædam alia mihi occurruunt, frequentes scilicet occupationes, quibus me ad meorum propugnationem et tutelam, et ad maximi etiam ponderis expeditiones ad hoc ipsum necessarias, sedulo intentum esse oportet; tum vero, quod quamvis hujusmodi auxilium nunc mitteretur, opportuno tamen tempore adesse non posset, propterea quod nunc primum Sanctitatis tuae litteras receperim, atque inter hæc regna, et portum, quo tota hæc classis convenire debet, intersint maxima locorum intervalla. Quibus omnibus exacte consideratis, visum tandem mihi fuit, de auxilio hoc anno intempestive mittendo supersedere. Verum si sequentibus annis bellum hoc continuabitur, et Sanctitas tua subsidium meum duxerit esse necessarium, libenter illud mittam, idque præstabo, posthabita ratione earum rerum, quæ regnis et ditionibus meis defendendis debentur. Etenim tanti facio obedientiam et observantiam, quam omnes principes Christiani Sanctitati tuae merito ac jure optimo, hoc præserlim tempore, in omnibus præstare debemus; ut si summe piis beatitudinis tuae monitis paruero, quod me semper facturum spondeo, non dubium quin Deus Optimus Max. meorum regnum patrocinium suscipiat, eorumque tranquillitati et honori benigne prospiciat. Beatissima enim Sanctitatis tuae benedictio, causa erit potissima, non solum ad id sperandum, sed etiam ad optatum tam sancti desiderii finem obtinendum. Atque ita fiet, ut nos omnes principes Christiani communis sensu vires, opes et facultates nostras, ad bellum Turcæ cominus inferendum præsentes conferamus, certatimque, pro antiqua illarum regionum libertate recuperanda, nostrarum contentionum nervos intendamus, et Ecclesiæ Catholice sanctam Hierosolymam, ut ego impense desidero, et Deo fautorum futurum spero, restituamus. Datum Sintæ sext. id. Junii MDLXX».

48. Præter hæc autem his litteris contenta, quæve ad subsidia contra Tureas tantummodo spectasse agnoscuntur; quæ ad ipsius Lusitaniae regis ac regni bonum et utilitatem potissimum pertinebant, ex Pontificis mandato Torres etiam egit; sicutque quod tandem aliquando, ut uxorem duceret Sebastianus in animum induceret. Quo certe in negotio tam anxiu et sollicitum se præbuit Pius, ut ex ea re infecta, infaustum illud, quod tandem accidit (ut supra pluries monuimus) divinitus prævidisse visus fuerit.

49. Torrio autem hac in re quid acciderit, hic duximus inserendum; tum quia a proposito non aberrare cognoscitur, dum occasione suscepit ab eodem contra Turcas legationis evenit; tum etiam, ne rursus hoc anno Lusitanas res, quae ad unam hanc ipsam Torrii legationem pertinent, reficieare cogamur. Ubi igitur Pii jussu de nuptiis cum Sebastianio verbum injecit Torrius, ille loquentem interpellavit, admonens in fidei litteris ad se a Pontifice scriptis, de hoc negotio ut secum ageret in mandatis ei datum fuisse, sibi minime Pium significasse. Denunciavit Torrius regis responsum Pio, qui statim ut obicem omnem amoveret, ad Sebastianum perbreves has litteras dedit :

« Charissimo in Christo filio nostro Sebastiano, Portugallie et Algarbiorum regi¹.

« Charissime, etc.

« Dilecto filio magistro Aloysio de Torres cameræ nostræ Apostolicæ clericio, quædam super majestatis tuæ matrimonii negotio secum communicanda mandavimus, ejus verbis ut sine ulla hæsitatione fidem perinde habeat, ac si nos ipsos loquentes audiret, majestatem tuam rogamus. Erit id nobis gratissimum. Datum Romæ apud S. Petrum, etc., die viii Junii MDLXX, Pontificatus nostri anno quinto ».

50. Nec modo has ad regem, sed ad alios quoque ejusdem fere tenoris Lusitanæ aulæ proceres Epistolas Pontifex dedit; nempe ad reginam Catharinam, ad Henricum cardinalem infantem, ad celeberrimum etiam fratrem Aloysium de Granata, Ordinis Prædicatorum alumnum, ac demum ad Aloysium Gonzalez, ut cum his omnibus, de re quæ maxime sibi cordi esset, Torrius agere posset, ad eamque ex sententia perficiendam omnes hi adjumento ei esse valerent. Quod præfato Gonzalez² scripsit, hujusmodi fuit :

« Dilecto filio nobili viro Aloysio Gonzalez.

PIUS PP. V.

« Dilekte fili, etc.

« Dilectum magistrum Aloysium de Torres, cameræ nostræ Apostolicæ clericum, quædam tibi nostro nomine exponere jussimus, ad charissimi nobis in Christo filii Sebastiani Portugallie regis matrimonium pertinentia, cui ut sine ulla hæsitatione fidem perinde habeas, ac si nos ipsos præsentes tecumque loquentes audires, magnopere a te petimus. Hortamur autem, ut quantum gralia auctoritateque apud prædictum regem vales, tantum ad confidendum ejusmodi matrimonii negotium, conferre velis. Quod nos nisi reipublicæ Christianæ salutare, regique regnoque ipsi utile existimaremus, non tantopere confici desideraremus. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Pisca-

toris, die viii Junii MDLXX. Pontificatus nostri anno quinto ».

51. Huius multo post, etiam iis quas paulo ante retulimus Sebastiani respondens litteris, ea occasione arrepta, eadem confirmat ac antea Torrio, et nunc rursus in mandatis dedisse assent, ut cum illo, nempe de ipsis in atrio suo, ageret, et de re eadem cum ipso rursus copiosissime disserit, ut quas hic damus ejusdem Epistolæ¹ testantur :

« Charissimo in Christo filio Sebastiano, Portugallie et Algarbiorum regi.

PIUS PP. V.

« Charissime in Christo fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Non facile verbis consequi possemus, quantopere in Domino gavisi sumus, litteras majestatis tuæ, octava die Junii datas, legentes, et ea, quæ dilectus filius noster magister Ludovicus de Torres, cameræ nostræ Apostolicæ clericus, copiosius ad nos seripsit, cognoscentes; qui, cum inter cetera, de quibus nos certiores fecit, illud etiam adjeccisset, quanto cum honore, quantaque cum majestatis tua erga nos sanctamque hauc Sedem Apostolicam devotionis et observantiae significatione ab ea exceptus fuerit, opinionem nostram, quam de tua erga Deum Omnipotentem pietate, ex multis nec dubiis ejus signis conceptam jam pridem habeamus, non solum confirmavit, sed etiam vehementer auxit. Quod vero eadem majestas tua, et nobis ipsis seripsit, et prædicto etiam Ludovico confirmavit, se, quod ab ea per litteras nostras postulavimus, classem suam, omnibus rebus ad navale bellum necessariis instructum, contra communem hostem Turearum tyrannum, reipublicæ Christianæ auxilio mittere paratam esse : laudamus summopere tam promptum alacremque majestatis tuæ animum, ad defendendam religionem Catholicam piunque istum divini honoris zelum, eximiumque reipublicæ Christianæ tuendæ studium, debitibus laudibus, quemadmodum debemus, vehementer in Domino commendamus. Quia in re, majestas tua veterem charissimorum majorum suorum in clytae memoriae regum virtutem egregie imitatur, qui bellis contra infideles gerendis, magnam sibi et apud homines laudem, et majora apud Redemptorem nostrum merita pepere runt; et causas quidem, quas majestas tua in suis ad nos litteris affert, quare eam ipsam, quam mittere parata est classem, hoc anno sibi mittendam non esse existimaverit, verissimas atque justissimas esse ipsi quoque intelligimus: satisque habebimus si sequenti anno ejusdem suæ classis auxilium nobis ac reipublicæ ipsi Christianæ paratum fuerit. Quam quidem ad

¹ Ex Arch. Vatic. ut supra. — ² Ex Arch. Vat. ut sup.

¹ Ut supra Epist. 28.

rem majestatem quoque tuam, pro nostro officio hortaremur, nisi eam nullum cernemus hortationibus nostris locum reliquisse. Illud tautummodo a majestate tua nobis significari cupimus, quanto, vel triremium vel cæterorum navigatorum numero existimet Christianam rem publicam, in hoc adversus communes hostes bello, a se posse juvari, ut sciamus quid nobis certi auxilii ab ista parte polliceri possimus. In quo tamen majestatem tuam nolumus quidquam supra vires conari, sed sui regnorumque suorum eomodi, eam, quam par est, rationem habere: ut enim exploratum habemus majestatem tuam quibus recte potuerit viribus communi reipublicæ Christianæ defensioni affuturam, ita nihil eam suo incommodo agere volumus. Quæ vero idem Ludovicus de matrimonio, inter majestatem tuam, et charissimi nobis in Christo filii regis Christianissimi sororem contrahendo, cum eadem majestate tua locutus est, et egit nostro nomine: haec pro certo habere debes illum, jussu mandatoque nostro omnia egisse. Quanvis enim in ipsis nostris ad te litteris, decima quarta die Martii datis, nihil tale adscriptum esset: id ob eas causas factum est, quæ sibi a predicto Ludovico expositæ fuerunt: nostra vero voluntas eadem nunc est, quæ semper fuit ab eo tempore, quo ad hujusmodi matrimonium majestatem tuam hortari cœpimus; ut scilicet, quamprimum fieri potest, ad effectum adducatur: videmus enim tali matrimonio non solum provideri periculis, quæ isti, qua majestas tua est, ætati imminere solent a variis voluptatum illecebribus, sed etiam istius regni prosperitatì consuli: et quod maxime existimamus reipublicæ Christianæ tranquillitatem summopere adjuvari. Nihil enim ad Christianorum principum concordiam statuendam, hæc eorum interesse affinitatum conjunctione firmius esse existimamus. Pertinere hoc etiam ad dignitatem nostram, et hujus Sanctæ Sedis Apostolicæ majestatem putamus, ut de quo matrimonio, nobis auctoribus, neque invila majestate tua, semel agi cœptum est, id potissimum perficiatur. Denique quia nostræ erga majestatem tuam paternæ benevolentiae, nobis ipsis conseui sumus; illud quoque scimus, nos, nullas ob privatas, vel nostras, vel cujuscumque alterius rationes, tale matrimonium majestati tuæ suadere, sed ob eam tantummodo causam, quia illud, et privatim sibi, regnisque suis utile, ac communi reipublicæ Christianæ tranquillitati conducibile fore non dubitamus. Quæ quidem vel sola causa videtur majestatem tuam ad obsequendum nostræ voluntati impellere debere, eum nihil ei exploratius esse debeat, quam nos id eupere, quod in rem majestatis tuæ sit. Quæ eum ita sint, majestatem tuam hortamur, ut ad tale matrimonium quampr-

mum contrahendum animum adjiciat. Qua de re copiosius locuti sumus cum dilecto filio majestatis tuæ apud nos oratore, et ut illam ad eamdem rem nostro nomine ipse quoque hortaretur, postulavimus: quæque ad te scribimus omnia cum ipso communicavimus: ut suspiciari non debeat majestas tua, nos aliquid earum rerum ignorare, quas nobis per eum notas esse voluerit. Quod si aliqua forte difficultates sunt, quæ impedian, quo minus tale matrimonium concludatur, de his majestas tua, si nos certiores fieri curaverit, eas omnes, auctoritate nostra interposita, tollere conabimur. Quod idem, pro parte sua majestas quoque tua facere debebit, ut, scilicet, in accipiendis hujusmodi matrimonii conditionibus, æquam se ac facilem præbeat, neque omnia summo jure prosequatur, sed communis utilitatis causa, de his quæ sibi justa esse videbuntur, non nihil remittat: quemadmodum, ex prædicto Ludovico de Torres subtilius et copiosius cognoset: cui, et haec ipsa, quæ scripsimus, et alia etiam majestati tue nostro nomine in eamdem sententiam exponenda mandavimus: eni orationi ut eamdem fidem adhibeat, quam nobis, si isthic præsentes adessemus, secum loquentibus adhiberet, majestatem tuam rogamus. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die vi Augusti MDLXX, Pontificatus nostri anno quinto».

32. Sub ipsa die, et eadem arrepta respondendi ipsorum litteris occasione, ejusdem argumenti ad reginam Catharinam¹, et cardinalem infantem, sequentes Epistolas Pius dedit:

« Charissimæ in Christo filiæ nostræ Catharinæ, Portugalliae reginæ.

PIUS PP. V.

« Charissima in Christo filia nostra, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Accepimus litteras majestatis tuæ decima tercia die Junii datas: ex quibus, et ex his, quæ dilectus filius magister Ludovicus de Torres, cameræ nostræ Apostolicæ clericus, ad nos scripsit, suam erga nos sanetamque hanc Sedem Apostolicam eximiam observantiam ac devotionem, multo etiam ante nobis spectatissimam, magna cum animi nostri lætitia cognovimus. Majestati autem tuæ gratias agimus de omnibus officiis, quibus nostri atque hujus S. Sedis honoris causa, erga prædictum Ludovicum funela est: quodque illi, ad conficienda negotia, ob quæ in istud regnum a nobis missus est, ope, gratia auctoritateque sua præsto fuerit: in ea re majestas tua fecit id, quod sua erga omnipotentem Deum pietate dignum fuit, quodque semper, de suo divini honoris zelo, nobis polliciti sumus. Valde autem gavisi sumus in Domino, charissimum in Christo filium

¹ Epist. lib. 4. Epist. 30.

nostrum regem Portugallie, nepotem suum, tam prompto alacriquo animo, nobis ac toti reipublicae Christianae, pro ea adversus immanissimum Turcarum tyrannum tuenda, classis sue auxilium obtulisse. Qua de re, etsi majestatis sue studium erga eamdem rem publicam Christianam bene cognitum habentes, nunquam dubitavimus: id ipsum tamen, ex majestatis sue tuæque litteris cognovisse, gratissimum nobis fuit. Quibus pro hac utriusque erga se pietate, dignum præmium ille ipse reddet Deus, qui nibil, quod ejus causa fiat, sine remuneratione esse patitur. De matrimonio autem inter ejusmodi serenissimi regis nepotis tui majestatem, et charissimi nobis in Christo filii regis Christianissimi sororem, rem confectam velimus. Quocirea majestatem tuam hortamur, ut suas partes regis ad tale matrimonium hortandi suscipiat, omnibusque viribus suis in eam enram incumbat, ut quamprimum fieri potest, ad effectum adducatur. Cujus quidem nostræ voluntatis ac desiderii justissimas causas, et aliqua ex parte ad eundem serenissimum regem nuper scripsimus, et majestati sue ab eodem Ludovico explicandas iterum mandavimus, a quo majestas tua cætera cognoscere poterit, quæ in hanc sententiam plura scribere potuissemus; eique fidem plenissimam super his quæ secum loquetur, adhibebit. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die vi Augusti MDLXX, Pontificatus nostri anno quinto ».

53. Ad cardinalem Henricum¹ vero, sub eodem die :

« Dilecto in Christo filio nostro Henrico, cardinali Portugallie.

PIUS PP. V.

« Dilecte fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Quamvis nunquam nobis dubium fuerit, quin charissimus in Christo filius noster Portugallie rex, nepos tuus, pro sua erga Deum Omnipotentem pietate, et erga nos sanctamque hanc Sedem Apostolicam devotione, opinioni, quam de majestatis sue erga rem publicam Christianam studio, summam semper habuimus, cumulate responsuras esset; tamen ex illius circumspectionisque tuae litteris, sexto et septimo Junii die ad nos datis, et ex his, quæ dilectus filius magister Ludovicus de Torres, cameræ nostræ Apostolicæ clericus, ad nos scripsit, certiores facti, quam prompto alacriquo animo classis sue auxilium, adversus immanissimum Turcarum tyrannum, pro republica Christiana tuenda, insequenti anno obtulerit: magnopere in Domino gavisi sumus, majestati que sue, eas quas debuimus gratias continuo

egimus; quas easdem circumspectioni tue quoque agimus, pro omnibus officiis, quibus, et prædictum Ludovicum, quādū isthic fuit, nostri atque hujus sanctæ Sedis honoris gratia complexa est, et ei, ad conficienda negotia, ob quæ a nobis missus fuit, operam, gratiam auctoritatēque suam apud eundem serenissimum regem nepotem suum præstīt. Illud tantummodo nobis molestum fuit, quod de matrimonio, inter illius majestatem, et Christianissimi Francorum regis sororem contrahendo, res adhuc confici non potuerit. Qua de re, cum ad eum nuper diligentissime scripserimus, ejusque majestatem ad tale matrimonium, quamprimum stabiliendum, vehementer in Domino hortati fuerimus, visum nobis est eodem tempore, super eadem re, ad circumspectionem quoque tuam scribere, eamque, sicut his litteris facimus hortari, nt apud prædictum serenissimum regem, de eo ipso matrimonio concludendo agere ne desistat, donec (id quod nos, et private regis regnique sui, et publicæ populi Christiani tranquillitati utilissimum esse non dubitamus) adjuvante Domino, traque auctoritate intercedente, tandem aliquando perficiatur. Cujus rei causam prædictum Ludovicum de Torres, isthuc reverti voluimus, et de ejusmodi matrimonii conclusione regem urgere. Cujus orationi, super hac ipsa re, cæterisque, que secum loquetur nostro nomine, ut plenissimam fidem adhibeat, circumspectionem tuam requirimus: id erit nobis gratissimum. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die vi Augusti MDLXX, Pontificatus nostri anno quinto ».

54. Torrius, ubi sibi a Sebastiano occlusam propemodum lingnam, constrictasque manus agnovisset, ne quid de regio matrimonio agere posset, Lusitana (ut audisti) aula relicta, ad Hispanicam, admonito prius de iis quæ sibi contigerant Pontifice, sese contulerat. Pius, igitur, sublato quod objiciebatur impedimento, missisque, quas proposuimus, Torrio fidei, necnon quas modo retulimus regi, reginæ ac cardinali propria manu tradendis, Epistolis, ipsum rursus, ad idem tractandum negotium Lusitaniam adire voluit; utque maximam sibi inesse curam matrimonii a rege contrahiendi ostenderet, ac suspicionem dilueret, quod parum rei huic, ex animo incumberet, præter recensitas, hanc manu sua conscriptam alteram, ad ipsum cardinalem Henricum litteram dedit:

« Dilecto in Christo filio nostro Henrico cardinali Portugallie.

PIUS PP. V.

« Dilecte fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Diebus elapsis, quando misimus ad serenissimum regem nepotem tuum, pro implorando auxilio contra immanissimum nominis

¹ Ut sup. Ep. 32.

Christianii hostem Turcarum tyrannum, Ludovicum a Turribus; ei quoque dederamus in mandatis, ut de matrimonio cum serenissima Margarita, Christianissimi regis sorore, sermonem haberet; quodque omnia cum tua reverendissima dominatione conferret, ac cum serenissima ipsius avia reliquisque sanguine attinentibus. Verum quia in litteris nostris ad ipsum serenissimum regem, nulla de contrahendo matrimonio mentio habebatur; jure majestas sua arbitrari potuit, rem non ita nobis cordi esse, prout est, et ob communem Christiani populi tranquillitatem ac pacem, regnorum sue majestatis bonum, ac in salutem ipsius regis serenissimi esse optamus. Ideo voluimus et mandavimus ipsi Ludovico, ut iterum ad eamdem majestatem redeat, et ea de re iterum instet, litterasque manu nostra scriptas tradat, prout et praesentes quoque reverendissimae dominationi tuae: ut in omnibus quae ea de re ac de ferendis suppetiis exponet, ea percipiat, perinde ac si nos coram exponeremus, eamque fidem ejus dietis adhibeat, perinde ac si ex ore nostro prodirent. Servet Deus omnipotens amplitudinem tuam incolumem in bonum Ecclesiae sue sanctae ac praeципue regnum majestatis sue serenissimae. Ex Urbe xxiii Augusti M.DLXX».

55. *Lusitanus rex classem praestare et matrimonium inire abnuit.* — Verum, quid tandem iacet Epistolis scriptis, et per Torrium adhibitis officiis effectum fuerit, a nullo magis quam ab ejusdem Sebastiani litteris intelligi potest. Ad Pium¹ quippe rescripsit:

«Sanctissime in Christo pater, ac beatissime Domine.

«Per Ludovicum de Torres Sanctitatis tuae litteras, oct. id. Augusti datas, accepi, quibus iis respondebas, quas ad te illi dederam sext. id. Junii, super eo, quod a me, ut in bellum contra Turcas auxilium mitterem, postulabas. Qua de re nunc Ludovicus ipse beatitudinis tuae nomine mecum est collocutus. Video equidem, beatissime domine, planeque perspicio, quam sapienter ac pie mecum agat Sanctitas tua, me per litteras ac muntios super ea re compellando, summa tum universae Christianae reipublicae, tum etiam regnum ditionumque mearum, et ejus item officii, quod eis tutandis praestare in primis debeo, habita ratione. Quae quidem ratio valde consentanea desiderio est, quo ego, tuorum in me per omnem occasionem collatorum meritorum non immemor, ardeo morem gerendi Sanctitati tuae. Ac propterea intelligo, quo magis beatitudo tua de iis agit, quae mihi convenient, eo magis etiam me, ut jussiones ejus omnes cumulate faciam eniti debere. Mihi vero gratussum accidisset, si fieri potuisset a me, ut statim Sanctitati tuae classem decernerem, nu-

merumque navium, quas in istius belli subsidium mittere possem, quando Turcica classis in Christianos arma converterit. Verum, quae mihi ne quod optabam mitterem auxilium tunc impedimento fuerint, eadem quoque mihi adversantur hoc tempore; eoque magis, quod ejusmodi ego subsidii nominationem facere nequeam. Nam praeter eas, et expeditiones, et classes, quas moliebar eo tempore, quod ad beatitudinem tuam, de conservanda augenda que Catholica religione, deque regnis ac ditionibus meis tutandis prescrivpsi; alia quamplurima, eaque gravissima, supervenerunt incommoda, quibus ego, nulla interjecta mora, non providere non possum. Etenim sequenti anno, tot armatas cohortes in Indias mittendas esse constitui, ut inibi contra Turcam depugnetur, quot ex more, per tres annos eodem proficieci consueverunt. Accedit, quod regnum ditionumque mearum maritimos portus denujo jussi communiri, eorumque militem parari et exerceri: cuncta praeterea classium mearum, regnumque navigia instrui mandavi. Nunc autem, licet Hyeme jam ineunte, classis a me dirigitur adversus nonnullos piratas Hugonotos, qui plurimis iisque sacratis viris occisis, atque aliis parvis detrimentis illatis, naves aliquot cœperunt. Alia porro classis in Mini, alia in Congi regna, alia in insulas dirigenda mihi est; parandæque copiæ, et ormandæ classes in hæreticos, quos ex Gallia Angliaque excessuros esse audio, pace, inter eos, ut fertur, succedente; et itidem adversus Seriphum Mauritaniae regem, qui, praeter quas habet terrestres opes, triremes etiam complures instruit, ac subinde maritimas copias abauget, quibus superioribus annis Canarias insulas magnis cladibus affecit. Atque haec quidem rationes omnes, tantopere me adiungunt devincientque, ut quemadmodum perspicit Sanctitas tua, hisce rebus, vel juvandis, vel curandis, deesse nullo modo queam. Equidem beatitudini tuae personam esse velim, quam ægre feram, his de causis non posse me, quam opto classem ei decernere, atque pro mea summa voluntate, in rebus omnibus Sanctitati tuae deservire, ferreque suppetias universae Christianae reipublicæ: jubeo tamen atque impero summa diligentia atque studio, quibusvis necessariis sumptibus nihil parcendo curetur, ut ea quant decrevi classis instruatur orneturque, tum ad paulo ante commemorata depellenda pericula, tum etiam ad omnia Sanctitatis tuae jussa facienda.

«Porro autem, quod ad me scribit Sanctitas tua de nuptiis in Gallia celebrandis, super eo beatitudinis tuae nomine mecum verba fecit Ludovicus de Torres; rationibus etiam adhibitis, quibus ego adductus, id ad meam ipsius regnumque meorum, Christianæque reipublicæ utilitatem facere deberem. Equidem omnibus

¹ Inter Epist. Pii ut sup. lib. 4. Epist. 29.

in rebus, beatitudinis tuae in me benevolentiam agnosco, atque res meae, quanta cura ei sint, plane perspicio. Quibus ego maximis ac plurimis ei devinctus officiis, sacerdos pedes tuos venerabundus oscular, tuerque beatitudini in mentem revoco, id quod jam antea ad eam scripsi, ac per Joannem Tellum meum consilia-
rium, et apud Sedem istam oratorem, ac proinde per Ludovicum de Torres mandavi referendū Sanetitati tuae; me nimur ab ejusmodi consilio longe adhuc animo abfluisse. Quod si cogitationibus meis sic annuerit Deus, ut id aliquando faciendum esse constitnam, nihil tamen absque beatitudinis tuae consilio judicioque decernendum putabo. At vero quoniam res jam eo loco sunt, ut quidquam aliud de illis constituere mihi non sit integrum, uli beatitudini tuae exploratum est; ab ea supplex peto atque oro, ut, quemadmodum eam facturam esse confido, consiliorum meorum rationes omnes æqui bonique consulat. Cætera porro, quæ ad hæc attinent, Sanctitas tua facile intellegit, tum ex ipso Ludovico, tum etiam ex meo isthie legato: quorum ego sententia plane subscribam. Sanctissime in Christo pater, ac beatissime domine, Sanctitatem tuam in multos annos, ad Ecclesie tuae sanctæ utilitatem Deus incolumem conservet. Sintie decimo octavo kalendas Octobris MDCXX ».

36. Quæ palam et aperle Sebastianus in hac Epistola obtendit, ut classem suam contra Turcas minime mitteret; quod nempe contra haereticos quosdam piratas eam educere necesse haberet; quod sibi compertum esset Seriphium Mauritaniæ regem magno conatu classem instruere, ideoque non cunctandum, quin ei occurreretur: ingentem præterea classem parandam, itaque distribuendam, ut alia pars Mini, alia Congii regno, alia insulis tuendis sufficeret, et cætera, quæ ipse in Epistola ipsa commenorat, licet vera essent, abstrahere tamen eum a consilio instructam satis classem, quam Pontifex desiderasset praestandi, nec debuissent nec potuissent, si ipse secreto (ut postea magis compertum est), Mauritanio bello animum non addixisset. Hoc enim desiderio succensus, et illas præstare renuit, et nuptias aversabatur. Fuit enim Sebastianus, ut refert Duardus Nonius¹, liberalis gloriæ nominisque cupidus, et ob ingenii simplicitatem adulatoriis nimium expositus. Animi inquieti et stare loco nescientis, non tam natura quam aliorum arte, qui cum a puero ex urbe et aviæ colloquio abducere conantes (uti ipse putat), in sylvas et montes, atque in solitaria loca frequentissime advenandum invitabant, ut interim ipsi regnum administrarent. Eo enim exercitio ad militiam,

ad quam illum quotidie adhortabantur, firmari obdurarie posse dicebant. A mulierum vero conspectu et colloquio ita averterunt, ne forte libidine aliqua illicita irretiretur, ut feminas, non tam fugere quam odisse videretur: unde non obscurum inepte verecundi ingenii et aliciae urbanitatis expertis specimen pri se ferret. Multos autem quibus ea non placebat institutio, propterea id a nonnullis factum esse interpretatos fuisse, ne princeps ille adolescens feminarum cogitatione ad uxorem ducendam animum verteret, et ejus conversatione impeditus, eos aversaretur, aut non tam intime familiariter haberet, idem scriptor tradit, licet statim addat: quidquid fuerit, Sebastianum certe in illo regali luxu et ætatis fervore, raru continentiae dedisse exemplum. Pergit Gabutius² ulterius, ac consilium Mauritani belli, a quo a suppeditando contra Turcas auxilio se rex prohibitum dixit, in Sebastiani animum a nonnullis religiosi instituti sacerdotibus, quos ipse consiliarios habuit injectum asserit; eorum quippe auctoritas apud eum tanti exfuit, ut rerum summa ad eorum arbitrium judiciumque revocaretur. Huius (inquit) regi auctores esse dicebantur, ut in praesenti a connubio abstineret, bellumque prius cum Seriphio conficeret. At palam Hieronymus Conestagius³ id Jesitarum culpæ tribuit, qui optimo quidem zelo ducti, quod corruptelam et debilitatem Lusitani regni, quæ ex deliciis Asiaticis nata erat, in regis Sebastiani educatione avertendam, ac pro viribus arcendam putarunt (utpote qui in sanando hoc morbo non mediocriter laborassent); eidem tamen in rege ipso remedia convenientia adhibere nesciverint.

37. Quænam fuerint partes in rebus Portugallæ moderandis tum aviæ Catharinæ, tum regis Hispani. — Quapropter ista animum reginæ Catharinæ regis aviæ, inquit Gabutius³ quæ in Sebastiani capite stirpis regiæ spem periclitari cernebat, sic exulceraverant, et a sacerdotibus illis abalienaverant, eorum partes (dicere assueta) esse, ut in rerum divinarum studia incumbentes, non ut regnorum administrationibus se admiserent, aut regibus modum conjugii et cœlibatus, pacis et belli facere auderent; ut plus iis rationibus regi nocituros, quam quod sanctis institutis imbuerent, profuturos, palam diceret. Revera tamen totius mali primus lonsac origo ipsam fuisse visa est: nam, ut præfatus Duardus Nonius¹ narrat, eum Sebastianus avo Joanni III successisset, trium annorum aetate, sub tutela ipsius aviæ Catharinæ; hæc, seu tam laboriosi oneris impatiens, seu, ut nonnulli exegitarunt, nonnullorum persuasione, quorum intererat, tutelam ad Henricum

¹ Doard. No. de vera reg. Portugal. genealog. pag. 1252. De Sebast. rege XVI.

² Vit. Poi lib. I. Cap. 9. — ³ Hieronym. Conestag. de Portug. et Castell. conjunct. pag. 1066. — ⁴ Ibid. ut sup. — ⁵ It. sup.

cardinalem patrum magnum regis pueri transferri, comitiis Ulissipone habitis anno MDLXI, ab eo munere, impinato, apud regni proceres, et civitatum legatos se excusaverat; qui, cum ab eo proposito reginam, nec precibus, nec lachrynis flectere potuissent, ægre Henrico eam curam demandaverant. Quæ idcirco im-
merito postmodum doluit, contra animi sui sensum, educatum regem regnique res administratas, quarum antea administrationem imprudenter ipsa respunisset. Quapropter rex Jesuitarum arbitrio fuit educandus traditus, illique religionis studio ducti, ut ab illicitis voluptatibus juvenem regem abstraherent atque elongarent, a licitis pariter se temperare, seru-
polose nimis, docuerunt, et ad Mauritanum bellum incitarunt; eorumque auctoritas ac instituta tanti ponderis apud regem fuerunt, ut nulla deinde ratione ab iis divelli potuerit.

58. Tandem eo, hoc tempore, res perducta erat, ut Catharina, nisi rebus modus fieret, in Castellam, unde venerat (erat enim Caroli Quinti imperatoris soror), reverti constituisse. Sed quæ, ne id facere compelleretur, facienda nepoti regi proposuerat, animum non mediocriter commovere et offendere Henrici cardinalis poterant; ideo undequaque illius regni tranquillitas periclitari videbatur. Magnum siquidem publicæ quieti imminere periculum censebatur, si, vel injectas belli cogitationes rex non abjiceret, atque uxore tandem ducta, regni successioni non consuleret; graviores, si cardinali offensionis causa daretur, apud quem rerum omnium summa erat; at omnium gravissimum, si Catharina regno excidisset, quæ auctoritate sua ac prudentia aliqualiter saltem Sebastiani adolescentiam ac mores moderabatur. Id tamen (quo certe animo nescimus) curasse Philippum Hispaniarum regem multi dixerunt; imo ad ipsum Pontificem res sie delata eum impulit, ut datis ad illum Epistolis, a sententia revocare contenderet. Verum id sibi consilii inesse, archiepiscopo Rossanensi Apostolico nuntio, Pontificis nomine seiscitanti, Philippus negavit. Quapropter Pius gaudens in tam periculosam tamque Lusitano regno infastam sententiam eum non descedisse, ut mala insuper, quæ hinc oriri aliquando possent, averteret, totisque viribus illius regni tranquillitati ac paci consuleret, hæc ad eum scripsit:

«Charissimo in Christo filio nostro Philippo,
Hispaniarum regi Catholico.

PIUS PP. V.

«Charissime in Christo fili noster, salutem
et Apostolicam benedictionem.

«Per litteras archiepiscopi Rossanensis

nuntii nostri, quæ majestas tua respondit intellectimus, quod nimirum ad serenissimæ Lusitanorum reginæ ex eo regno discessum atque isthuc adventum attinet, id ne cogitasse quidem te, nedum desideravisse, nisi quatenus ejusdem reginæ studio curaque factum est; idque sic se habere, nobis, ut par erat, gratum accedit; sed quoniam ea nos cura vehementer angit, valdeque sollicitat, ob regis illius, atque adeo totius regni ejus tranquillitatem, illud in primis a majestate tua etiam atque etiam petimus, ut ipsi reginæ islhuc se conferre cupienti atque petenti, non modo non facilem se præbeat, sed etiam obsistat; illamque proinde, quam optimis poterit rationibus moneat et adhortetur, ut regis curam regnique suscipiat. Et quoniam non ita pridem intelleximus eamdem reginam serenissimo regi nepoti suo de ejus regni administratione quædam proposuisse, quæ dilecti filii nostri Henrici cardinalis animum commovere et offendere non mediocriter queunt, atque inter eos oriente dissensione, id ipsi regi illisque populis gravissima damna et incommoda posset afferre; idcirco hortamur te ac vehementer petimus, ut auctoritatem tuam interponas, cum pro ea, quæ tibi cum illis principibus intercedit, affinitate et amicitia, tum etiam pro tua in eos benevolentia; perliciasque ut eorum animi reconcilientur, quo pari studio ac voluntate regi prodesse possint, et quæ huic concordiae mutuaeque benevolentiæ, sive regis, sive reginæ, sive cardinalis in administris et consiliariis, aut in aliis hominibus obesse judicaveris, ea prorsus removenda procures. Et sane pergratnum nobis fuit illius regis animum, ad Margaritam Christianissimi regis sororem sibi uxorem adscendam quotidie magis propendere. Ut igitur negotium primo quoque tempore eures conficiendum, a majestate tua efflagitamus. Nos autem, si eam rem juvare aliquo modo posse cognoverimus, libenter, quando tibi ita videbitur, nostram in id auctoritatem interponemus. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piseatoris, die octava Augusti MDLXX, Pontificatus nostri ann. v. ».

59. Ludovico autem de Torres, de his ipsis nuptiis, præter ea, quæ retulimus, coram eum Sebastiano agenti, respondisse Sebastianum ipsum, scribit Gabutius¹: se ea in re optimam quidem Pii voluntatem paternamque charitatem et agnoscere et venerari; sed quoniam de ea inter se, et Philippum Hispaniarum regem avunculum suum, jam agitatum erat, variaque intercesserant consilia, de quibus Pontifex haud satis edoctus, Roma proficiscenti Ludovico certi quidquam præscribere non potuisset, expectandum esse quid Pius his litteris responderet, quas ad illum et ad suum in Urbe orato-

¹ Epist. lib. 4. Epist. 34.

Ibid. ut sup.

rem, super ea re proxime dedit. Quae quidem ad extraheendum negotium, a quo abhorrebat, licet a Sebastiano dicta censeamus, cum post accepta Pii responsa, nihilominus res infecta remanserit (quamvis inani spe sibi Pius ipse blandiretur) credendum tamen videtur, in hauc proerastinadaram nuptiarum sententiam Sebastiani, libenter quoque descendisse Philip-pum, ex eoque ejusdem Sebastiani approbasse consilium, quod, ut narrat Joannes Antonius Viperanus¹, inuani ex duabus suis tiliabus, quæ tunc immatura erant ætate, deinde illi in matrimonium tradere cogitasset: si tamen (quæ excogitare potius datur, quam comperta habere), quæ alibi inuimus, consilia alia animo non revolvit.

60. Cæterum, quæ Catharinam regi nepoti proposuisse scripsit Pius, quæve Henrici cardinalis animum commovere et offendere non mediocriter tolerant, inter alia ea fuisse arbitramur, quod a regis regnique administratione et consiliis longe ablegarentur illi religiosi Instituti sacerdotes, quorum auctoritas apud Sebastianum, ut diximus, tanti erat, ut rerum omnium summa ad eorum arbitrium judiciumque revocaretur; quosve ideiro ip̄sa oderat, nec ullerius, ut in regni administratione se immiserent, ferendos palam dicebat. Quod quidem, non nisi pergrave ac molestum accidere polerat cardinali Henrico, iisdem religiosis viris plus æquo forsitan addicto. De illo enim sub hoc anno hæc monumentis mandavit Sacchinus²: « Eboræ, regis, et cardinalis, regiaeque domus præclara edita sunt erga socios indulgentiae documenta, etc. Ea familiaritate cardinalis eaque religione versatus est in Collegio, non modo, ut ab cæleris religiosorum piis actionibus non abessel, verum etiam una cum iis conveniret, frequenter in locum voluntariis flagris destinatum se pariter ipse diverberans. Extremum sub annum Georgius Serranus in Provincialatu Leoni Henrico successit liberato, tum quod tempus explerat, tum ut cardinalis confessionibus vacaret: quod ipsimet per litteras enixe flagitanti cardinali, Borgia ita concesserat, ut inter socios Leo, non in aula sedem haberet. Jam pridem pariter cum Societatis muneribus id Leo tractabat munieris; verum jam cardinalis per ætatem intirmior, hominem expeditum optaverat, cuius sententiam, in conscientiæ suborientibus in singula prope momenta causis perobsecuris et gravibus interrogare securus sub manu posset, etc. » Sic ille: Hominem igitur, tam arela familiaritate, consiliis et opera Jesuitarum uentem, ab eis avertire voluisse, non nisi certe pergrave ac molestum futurum erat. At de his fusius sequentianno.

61. *Pius frustra incitat Galliæ regem, imperatorem et regem Polonum, ut, si non armat, saltem nomina foderi contra Turcas præstare consentiant.* — Ad bellum, præterea contra Turcas suscipiendum, eodem ferme tempore, quo Lusitanie, Galliarum pariter regem, Pius³ his litteris incitaverat:

« Charissimo in Christo filio nostro Carolo, Francorum regi Christianissimo.

PIUS PP. V.

« Charissime in Christo fili oster, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Præsentium temporum calamitates, perturbatissimumque reipublicæ Christianæ statum, et tot mortifera religionis Catholice vulnera intuentes, tanto animi dolore afficiuntur, ut vitam ipsam, quam ducimus, acerbam nobis et gravem experiamur: quippe jam inde a principio suscepti a nobis summi Apostolatus officii respublica Christiana, peccatis nostris id facientibus, tot ubique bellorum incendiis exarsit, tot crudelissimorum hæreticorum, adversus proprios principes, nefariis conjurationibus vexata est et adhuc vexatur, ut Catholica ipsa fides, et Christiana religio in extremum discrimen adducta, nunquam conquietura esse videatur. Impletum temporibus nostris regii prophete videmus oraculum, atque adversus Omnipotentem Deum et Christum Redemptorem nostrum sanctissimamque illius Ecclesiam, omnes qui sunt, hæreticos, schismaticos atque intideles convenisse cernimus. Quem divini honoris zelo, vel mediocriter accensum, quem communis Christianorum populorum salutis parum etiam studiosum, tot tantorumque malorum objecta mentis oculis facies, non commoveret? Quali igitur quantoque animi mærore nos affici putas, ad quos propter totius orbis Christiani salutem animarum, ab omnipotenti Deo nobis commissam talium tantorumque malorum dolor et cura præcipue pertinere dignoscitur? Quis enim infirmatur, et nos non infirmamur? Quis scandalizatur, et nos non urimur? Ne quis autem veteribus malis, novæ calamitatis cumulus deisset, ecce nunc immannissimus Turcarum tyranus, classe maxima instruta, magnis equestribus pedestribusque copiis collectis, bellum ingenti conatu adversus Christianos molitur, ruptoque federe, quod ipsi ad hanc diem cum Venetis fuit, Christianis regibus, atque regnis exitium, agris vastitatem, urbibus minatur incendium. Nos autem, quid agimus, charissime in Christo fili? Au vicinorum populorum et principum tectis, mox Turcico bello arsuris, donec ad nos flamma perveniat, expectamus? Præterit illud tempus, causæ etiam ipsæ amplius non sunt, ob quas

¹ Jo. Anton. Viperan. de obtent. Portug. a Philipp. II. pag. 1033.

² Sacchin. Hist. Soc. Part. 3, lib. 6, pag. 303.

³ Epist. lib. 4. Epist. 11.

cum communi Christiani nominis hoste maiores tui amicitiam potius habendam quam bellum gerendum esse existimarentur: quae si etiam adhuc eadem manerent, tamen esset Christianissimi regis majestatis, communis reipublicæ Christianæ salutis, quam regni proprii incolumitatis majorem habere rationem, neque his, qui Dominum oderunt amicitia conjungi; ne propter impiorum amicitiam, divinam in te ipsum iram provocares. Nunc vero eo deducta res est, ut nisi communi Christianorum principum consilio atque ope, communi totius orbis Christiani periculo subveniatur, cadendum sit in miserrimam turpis-simamque erudelissimi tyranni servitutem. Quod ne eveniat, majestatem tuam, pro sua in Deum pietate, et honestissimo Christianissimi regis suscepso a se cognomine, præcipue decet adjuvare, cumque charissimo in Christo filio Hispaniarum rege Catholico, ad quem de hac ipsa re diligentissime scribimus, ac Venetorum republiea, cæterisque Christianis principibus, adversus communes hostes fœdus inire. A quo ineundo, ne istius quidem intestini hæreticorum belli, quo regnum suum vexatur, cura deterrere majestatem tuam debet. Quamvis enim domestico impedita tumultu, haud ita magnas vires, ad propulsandum commune periculum afferre potuerit; tamen ineundo fœdere, magnam reipublicæ Christianæ afferet utilitatem. Audita enim modo tot Christianorum principum contra communem hostem belli societas, ad retardandum ferociissimæ gentis impetum, illiusque impium conatum frangendum maxime valebit. Quæ eum ita sint, majestatem tuam horlamur, et per omnipotentem Deum obsecramus, ut nostris paternis vocibus auditis, totius Christiani populi salutem, cum tua quoque incolumitate conjunctam, in extremum disserimen adductam, pro tua parte sublevare contendas, ineundoque eum reliquis Christianis principibus fœdere, et quibuscumque poteris rebus, communi ineendio obviandum, nullisque rebus prætermittendis, quæ ad Tureium bellum, a Christianorum finibus propulsandum utiles sint: suam erga Deum omnipotentem pietatem, divinique honoris zelum, toti orbi Christiano ostendat; quod eam, pro sua erga nos, sanctamque hanc Sedem Apostolicam reverentia facturam esse, magnopere in Domino confidimus. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xiv Martii mcccxx, Pontificatus nostri anno quinto ».

62. Cum primum Turcici in se apparatus certiores Veneti redditi, ad auxilia undique sibi comparanda, varias ad Christianos principes legationes decrevissent, apud Carolum Gallo-rum regem, pro hac ipsa quoque re (ut diximus), institere; potius, ne in communi causa (inquit

Maurocenus¹), rex ipse prætermissus videretur: quam quod civilibus tempestatibus tunc Gallia jactata, ab eo opem aliquam expectare posse arbitrarentur: et sic pariter Pontifex, cum de ipsa re cum Carolo egit, magnum aliquid suppetiarum ab illo subministrari posse non censuit; sed tamen credidit, vel ipsum tanti regis nomen, cæteris Christianorum viribus haud parum profuturum, ad deterrendos immanis hostis eonatus, vel auditum omnium Christianorum principum commune initum contra se fœdus, summam eis formidinem injeceturum. At Carolus, qui vires ac arma suppeditare non potuit, nec nomen quidem præstare consensit, causatus sibi ab antiqua Ottomani imperatoris amicitia discedere nullatenus licere. Quod cerle responsum graviter Pii animum offendit, nam qua pietate erga virium regis imbecillitatem movebatur, eo pari odio, a cunctis que contra divina monita essent humanae prudentiae abhorrebat commentis; quid igitur ad eum rescripserit, accipe ex hie apposita ad illum Epistola²:

« Charissimo in Christo filio nostro Carolo Francorum regi Christianissimo.

PIUS PP. V.

« Charissime in Christo fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Accepimus litteras tuæ majestatis proxime ad nos scriptas, super federe nobis et cum reliquis Christianis principibus adversus omnium Christi fidelium communes hostes Turcas ineundo, ad quod eam superioribus diebus in Domino vehementer hortati fueramus; in quibus, quod majestas tua scribit, facile credimus, illam scilicet, tum publico Christianæ, tum etiam privato reipublicæ Venetæ nomine, magno dolore affectam esse ob ea, quæ de belli Turcici, adversus eamdem rempublicam apparatu, ex nostris litteris cognoverat: dolor enim, ex communi populi Christiani calamitate periculique conceptus, ex omnibus regibus Christianis, ad neminem magis quam ad eum pertinere videtur, qui Christianissimi cognomen, majorum suorum præclarissimis rebus contra infideles gestis partum, per manus traditum acceptit. In eisdem tamen litteris aliiquid fuit, quod, nec sine parva admiratione, nec sine magno dolore legimus, et de quo eum majestate tua libere, ut personam nostram decet, expostulandum esse judicavimus. Sic enim majestas tua sævissimum et erudelissimum tyrannum, eundemque acerrimum hostem Christianæ religionis Turcarum imperatorem appellat, quasi, aut ille, veri Dei expers omnino, imperator esse possit, aut ipsa præclarissimi sui cognominis oblitera sit. Nihil aliud est, charissime in Christo

¹ Maurocen. lib. 9, p. 313. — ² Epist. lib. 4, Epist. 42.

fili, tyrannum et infidelem imperatorem apellare, quam malum bonum, et bonum malum dicere. An nescit majestas tua, se ejusmodi nomine omnipotentis Dei hostem appellantem, omnibus Christi fidelibus qui andierint offendiculum et scandalum objicere? Cujus amicitiam, curi clarissimis regibus inelyte memoriae majoribus suis inchoatam, quod se quoque publicae Christianorum utilitatis causa retinere scribit, valde nos majestatem tuam in ea refalli putamus: non enim facienda mala sunt, ut inde eveniant bona. Quia quidem culpa carere non poterit majestas tua, si vel sui vel alterius eujusquam emolumenti causa, cum infidelibus habendam sibi amicitiam putaverit. Cur enim his, qui Dominum oderunt, amicitia jungitur? Cur majorem in homine, et illo quidem infideli, quam in Redemptoris nostri providentia fiduciam ponit? Non enim Turcæ minus nunc Dei hostes sunt, quam olim Benadad Syriæ rex fuerit; cum quo Asa rex Juda, quoniam amicitia et fœdere coniunctus fuit, idecirco ejusdem omnipotentis Dei contra se ira provocata, multis adversus eum bellis insurgentibus meruit affligi. Regnum ipsum tuum, charissime fili, quot quantisque bellorum intestinorum incendiis multos jam annos vexatum sit et adhuc vexetur, ipse experiris: quibus quidem bellis, si ejusmodi Turcarum amicitiam causam dedisse dixerimus, non longe a vero abibimus. Solet Deus talium peccatorum pœnas patribus debitas, a filiis etiam, quandoque ejusmodi delictorum expertibus, deposcere: quanto magis reposcat ab his, qui ipsi quoque facta parentum sibi duxerint esse imitanda? Frustra contra hæreticos bellum gerimus, si eodem tempore cum Turcis, non solum pacem, sed etiam amicitiam habemus. Quocirca majestatem tuam, pro nostra erga eam paterna benevolentia, etiam atque etiam monemus et per Omnipotentem Deum obtestamur, ut talem amicitiam, quasi quamdam pestem fugiat. Falilitur enim, si existimat eum, qui omnium Christianorum principum communis hostis est, tibi soli esse amicum: simulat ille amicitiam, et iisdem artibus, quibus tot opulentissimos in Europa atque Asia reges delevit, majestatem tuam, regno spoliare cupit. Nullum illi tyranno jusjurandum, nulla fœdera saneta sunt: ejus rei documenta multa afferre possemus, nisi hoc belli Venetorum reipublicæ, nulla de causa nuper indicti, recentissimum exemplum habemus: quo, nisi penitus cœci sint, admoneri possunt cœteri principes, nullam apud gentem perfidiæ crudelitatisque plenissimam, amicitiam tutam esse. Illa pars litterarum suarum gratissima nobis fuit, in qua, et de conjugendis mutuo inter se fœdere adversus communem hostem Christianis principibus consilium nostrum, majestas tua magnopere laudat, et ad

rem tam præclaram, et reipublicæ Christianæ tam salutarem conficiendam, omnes sibi a Deo concessas vires liberalissime nobis pollicetur ac defert: daturumque se diligenter operam esse profitetur, ut omnes agnoseant, majestatem tuam principem esse, non minus re quam nomine, Christianissimum. Quod quidem quomodo præstare possit, si cum infidelibus amicitiam habere voluerit, non videmus. Probavimus majorem in modum maximum hoe suum erga religionem studium, animumque ad juvandum Christianam rem publicam propensum, debitum in Domino laudibus vehementer commendavimus et commendamus; majestatem tuam hortantes, ut quemadmodum Christianissimo rege dignum est, eorum majorum suorum inelyte memoria regum pietatem militaremque virtutem sibi imitandam proponat, qui pro Dei honore, pro fide, ac religione Christiana tuenda ac propaganda, tantas res in Europa atque Asia tamque præclaras gesserunt: ut sciant omnes gentes propriam hanc esse laudem Gallie regum, bella gerere cum infidelibus, ejusque rei causa, nullum certamen subterfugere, nullum periculum recusare. Quod majestatem tuam, pro animi sui magnitudine, divinique honoris zelo facturam esse, pro certo habemus. Super his autem, et aliis quibusdam rebus, venerabili fratri Fabio episcopo Cajacensi, nostro et Sedis Apostolicæ apud majestatem tuam nuntio, quedam majestati tuae nostro nomine exponenda mandavimus; cuius orationi, ut perinde fidem habeat, ac si nos ipsos præsentes secumque loquentes audiret, majestatem tuam rogamus. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die decima octava Junii MDCXX, Pontificatus nostri anno V. ».

63. Apud Maximilianum imperatorem, nil etiam profuerunt Pii preces et monita, ut sacro huic foderi, contra communem hostem nomen daret; quin, praeter ea quæ supra recensuimus eum Venetis acta, tantum abfuit ut arma contra eum sumere voluerit, quod potius, ut narrat Adrianus¹, Turcæ pertimescens indignationem, statim Constantinopolim miserit, qui, pro Hungarie regno ei vectigal persolveret, atque haec ratione benevolum redderet. Licet enim auctoritate Pontificis apud Maximilianum plurimam posse constaret; inopportune tamen, ut Maurocenus² refert, acciderat, ut per id tempus, inter Pium ac Cœarem dissidia ac similitates, ob Magni ducis Hetruriæ titulum, quo Cosmus nuper a Pontifice fuerat decoratus, exorirentur, quæ nempe ipsius Pii officiorum vim haud parum extenuarunt. Poloniæ etiam rex, nulla ratione ut id belatum susciperet, a Pontifice ipso adduci potuit; imo, ut tradit Adrianus³, Sely-

¹ Hadrian., lib. 24, pag. 1557. — ² Maurocen. Histor. Venet., lib. 2, pag. 355. — ³ Ibid. ut sup.

mo exorante, sese interposuit, ut Transylvano Maximilianus reconciliaretur: eum enim, ex condito, si Cæsar in illum insurrexisset, armis eum defendere tyrannus teneretur: hoc paeto a Cypria expeditione revocari metuebat; ideoque apud Poloniæ regem egit, ut pacem fieri atque antiqua inter utrosque dissidia componi curaret.

64. Principum orthodoxorum passus repulsa, Pius ad Moschum schismaticum se convertit. — Lieet vero ab his principibus repulsam passus, haud tamen a proposito eos ad id bellum urgendi Pontifex destitit, neque a spe deedit, communī tandem fœdere in communis hostis perniciem conspiraturos, ut quæ sequenti anno dicentur perspicue monstrabunt, et ex Epistola insuper, quam hoc anno ad Moschorum ducem scripsit evidentissime elicitur. Cum enim eximio religionis tuendæ contra infissimum hostem illius studio, sat non esset in orthodoxorum principum viribus comparandis laborasse, a schismatico eo principe etiam auxilia suppeditari curavit: eumque de fœdere jam inter se, Hispaniæ regem ac Venetos certis conditionibus inito, edocere voluit per Epistolam mox referendam¹, quam illi a Vincentio Portico, apud Poloniæ regem suo et Apostolicæ Sedis nuntio, tradit jussit:

« Joanui Basilio Moschorum duci potentissimo.

PIUS PP. V.

« Potentissime dux, salutem et spiritus veritatis illuminationem.

« Non dubitamus in nobilitatis tuæ notitiam perlatum esse, quali quantoque maritimorum terrestriumque copiarum apparatu, immanissimus Turcarum tyrannus, bellum hoc anno contra rempublicam Christianam gerendum suscepit; imo potius hoc ipso tempore jam gerat, tum et maxima classe instructa Cyprum Venetorum insulam oppugnet, et ingentibus quoque terrestribus copiis comparatis, Christianæ ditionis regnis, atque imperiis interitum atque exitium minitetur. Quibus tot tantisque periculis nobis et huic sanctæ Sedi Apostolicæ et universæ Christianorum reipublicæ impudentibus commoti, necessarium esse duximus, reges omnes ac principes Christianos, ad ineundum contra communem hostem nobiscum fœdus excitare. Ut enim eorum vires disjunctas atque dispersas, potentissimorum Turcarum viribus pares esse non posse intelligimus: ita conjunctas et consociatas non desperamus ejusdem atrocissimæ gentis vim, atque impetum frangere posse. Cujus quidem consilii nostri auctoritatem, charissimus in Christo filius Hispaniarum rex Catholicus, et dilectus itidem filius nobilis vir Aloysius Venetiarum dux, se-

natusque Venetus secuti, nobiscum, per priores suos fœdus, adversus eundem Turcarum tyrannum inierunt, speramusque serenissimum Maximilianum, Hungariae et Bohemiae regem, in imperatorem electum, et charissimum nobis in Christo filium Carolum regerat Francorum, paternis nostris hortationibus excitatos, in ejusdem fœderis societatem esse venturos. Ad hujus autem sanctissimi gloriosissimique fœderis societatem, visum nobis est nobilitatem quoque tuam invitare, illam, prout nostris hisce litteris facimus, hortantes, ut arma, quibus se populosque sibi subjectos Deus omnipotens tanto-pere excellere voluit, pro Christianorum communis salutis defensione, adversus Tureas nobiscum et cum cæteris Christianis principibus capere velit. Quod si fecerit, speramus, quæ tua populorumque tuorum tibi subditorum militaris est virtus ac potentia, magnas nobis esse accessuras vires, ad communis omnium Christianorum hostis impetum ac vires debilitandas ac labefactandas. Quanta enim sit potentia tuæ magnitudo, quanta sit gentis tuæ in militaribus rebus fortitudo, non ignoramus. Quam quidem ad rem, prium innata tibi veræ gloriæ cupiditas, nobilitatem tuam hortari, deinde propria etiam utilitas debet. Fallitur enim nobilitas tua, si existimat avidissimam dominandi Turcarum gentem, nisi omnibus prius regnis ac potentibus, vel deletis, vel miserrima servitute oppressis, unquam esse quietoram. Hoc illi unum semper propositum fuit, hoc semper spectavit et spestat, ut omnes quæ ubique terrarum sunt nationes, omnia regna, omnesque principatus, importuna quadam regnandi cupiditate, in suam redigat servitutem. Itaque, nullum est in Occidentis partibus regnum, nullus potentatus, quem non spe jam et cogitatione invaserit vique subegerit; nam quia Christianos inter se principes nunquam consensuros esse existimat; idecirco facile putat omnium illorum regna, vi atque armis sibi vindicare: et dum aliquibus principibus bellum inferens, eum aliis interim amicitiam simulat, omnes opprimere ac de medio tollere vult. Tibi autem populisque tuæ ditioni subjectis, eo magis ab ea gente periculum impendet, quo ab illius imperio proprius abes. Quæ cum ita sint, nobilitatem tuam hortamur, ut in prædicti fœderis societatem venire, et adversus communem hostem Turcarum tyrrannum communi consilio atque armis, pium bellum gerere velit, potius quam omnibus regnis, per eum sublatis, dum ad se quoque ejusdem incendi flamma perveniat, expectare. Quia vero certiores facti sumus, nobilitatem tuam aliquando in animo habuisse hujus sanctæ Romanæ Ecclesie proprium religionis cultum amplecti, idecirco ei pollicemur, nos, si id fecerit, nulla paternæ nostræ erga eum voluntatis indicia prætermissuros, et quibus-

¹ Epist. lib. 4. Epist. 35.

cumque cum Domino poterius officiis, nostram illi benevolentiam declaraturos. Quemadmodum nobilitati tuæ copiosius explicabit dilectus filius Vincentius Porticus notarius noster, et apud serenissimum Potoniæ regem noster ac Sedis Apostolicæ nuntius; quem ad nobilitatem tuam dedita opera venire volumus; cuius orationi, super omnibus quæ sibi exponet eamdem fidem ut adhibeat, quam nobis, si præsentes cum ea loqueremur, adhiberet, nobilitatem tuam rogamus. Datum Romæ apud S. Petrum sub ariu Piscatoris, die nona Augusti M.D.LXX, Pontificatus nostri anno quinto».

65. Quoniam Pius (inquit Gabutius¹) non tam Christiani nominis hostium cædem atque victoriæ, quam æternam Moschorum atque adeo omnium gentium in Christo Jesu partam salutem, Moscho, ut audisti, sitiebat; idecirco, et per litteras, et per internuntium ostendi jussit, se non solum bellicæ societatis causa, sed etiam vehementi animarum salutis desiderio permotum esse ad eam legationem decernendam, ut Moschos, qui tum Christo nomen dederant, cum ab Ecclesia Latina Graeci descivere, ac deinde Greecanicos errores magna pertinacia sectabantur, ad Catholice pietatis cultum, sanctæque Romanæ Ecclesiæ obedientiam revocaret. Ejus rei spes sibi injecta fuerat, quod olim ad antecessores suos Romanos Pontifices, Clementem Septimum, Paulum et Julium utrumque ejus nominis Tertium, a Moschorum principibus legali missi fuissent, qui certa munera regia, videlicet insignia, ab Apostolica Sede postularent; et ut sacerdotes aliquæ pii viri civilium artium opifices, in Moschoviam mitterentur petierant. Optaverat Basilius insuper ipse nunc Moschorum dux, regii nominis titulo per ipsum Clementem decorari; cum id dare, sacrosancti juris et Pontificiæ Majestatis esse, schismate licet, ac erroribus irretitus innumeris princeps, judicaret; cum et ipsos quoque Cæsares, a Summis Pontificibus coronam auream, et Romani imperii sceptrum insigniaque suscipere, inveterata consuetudine cognovisset. Itaque, si Moschorum dux in eo consilio esset, quod memoratis Pontificibus olim antecessoribus suis ostenderat, se missum esse sacerdotes et episcopos, qui Catholice veritatem edocerent, Pius pollicebatur.

66. Verum cum Porticus de barbaris Moschorum moribus plene cognovisset et ad Pontificem præscripsisset de rebus omnibus, quas noverat ab Alberto Pomerano, qui præsens oculis omnia perlustraverat, ac de principis illius sævissimo ingenio certiorem redditisset; respondit Pius, non esse, cur in eas ille regiones proficeretur. Et quamvis legationem illam Poloniæ rex commendaret foveretque, tamen

nuntium suum feri ac immanis principis offerre discrimini Pontifex noluit; cum præsertim, ex aliis olim iltue missis legationibus, nullos, quod ad religionem attinet, inde pietatis fructus adhue perceptos esse intelligeret. Ideoque, nec nuntius missus, nec scriptæ superiusque illatae Pii Epistotæ, unquam traditaे fuere.

67. *Italiæ principes una cum Pontifice conjuncti.* — Ubi hæc cum exteris ac longe constitutis principibus irrito conatu Pontifex agit, illius auctoritatem omnes fere Italiae principes secuti sunt. Nam, præter Cosmum, quem recenti beneficio devinctum diximus, non modo ulla in re ab illius sententia consiliisque discessisse tradunt scriptores²; sed auctorem quoque Pontifici ipsi fuisse, ut sacrum bellum susciperet, scribit ab Isselt. Sabaudus etiam dux Carolus Emmanuel, et suas, quas memoravimus quatuor triremes, Pio obtulerat, et se suaque omnia in potestate Pontificis esse dixisse, refert Maurocenus³. Guidobaldus Urbinas in pollicendo pariter nemini cessit. Unum tantum Alphonsum Ferrariae dueem, de salis vectigalibus, deque per Padum navigatione cum Pontifice contendente, auxilii aliquid suppeditare primum detrectasse, idem Maurocenus refert; at Venetorum opera hujusmodi controversias compositas ipsem asserit.

68. *Solemni pompa Columna Pontificiæ classi præficitur.* — Pontifex vero, magno apparatu ac pompa Marcum Antonium Columnam, Pontificiæ suæ classi cum potestate præfecit; nam tertio idus Junias, qui dies, inquit Folieta⁴, D. Barnabæ tutelari insulae Cypri festus est, ad cælestem opem pro felicissimo rerum successu suppliciter implorandam, per Marcum Antonium cardinalem Columnam, coram Pontifice, in publico amplissimorum patrum cœtu, in sacello Pontificio, peracto sacrosanctæ Missæ sacrificio, Pius, sacris de more precibus adhibitis, suis ipse manibus, Columnæ dedit præfecturæ vexillum, ex damasco rubro serico confectum: in quo erat Christi Domini de Cruce pendentis imago depicta, atque hinc inde effigies Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, his verbis inscriptis: IN HOC SIGNO VINCES. Ut qui (inquit Gabutius⁵) Constantini illius Magni pietatem et animi magnitudinem egregie referret, in eodem, quo ille, fausto ac salutari signo, tamquam hostilis cujusque et infestæ violentiæ propugnaculo, contra Christiani nominis hostes felicissime uteretur. Jurisjurandi autem formulam, in Pontificis manu a Columna pronuntiatam, his verbis in suo Diario Firmannus transcripsit: «Ego Marcus Antonius Columna, annuente Domino, futurus præfectus classis S. R. E. contra Turcas: promitto, spondeo,

¹ Vit. Pii lib. 4, cap. 13.

² Hist. ut supra. — ³ Maurocen. ut supra. — ⁴ Folieta de sac. fed., pag. 74. — ⁵ Gabut. lib. 3, cap. 2.

pollicor ac juro coram Deo, ac B. Petro, ac vobis, domino meo, domino Pio papa Quinto, quod ab hac hora in antea ero fidelis defensor S. R. E. et vestri in omnibus utilitatibus et necessitatibus vestris: et quanta potero industria, Domino juvante, curam per vos mihi commissam, recta ac pura fide in omnibus exercebo, secundum scire et posse meum: sic me Deus adjuvet, et haec sancta Evangelia ».

69. *Venetii Zanius rei militaris ducem crecant, sed subjectum praefecto Pontificio.* — Interea Lauredanus principis apud Venetos quint. id. Maii obitus intereesserat, cui, ne in tanta rerum perturbatione periclitaretur duce destituta res publica, Aloysius Mocenius suspectus fuerat. Universae rei militaris summum imperatorem Veneti pariter creaverant Hieronymum Zanum, cui etiam solemni ritu honos ille delatus; nam in aurea divi Marci basilica (ut narrat Maurocenus¹) divino sacrificio peracto, incredibili frequentia ac plausu, personantibus circumque laetitiae vocibus, de Reipublicae more vexillum a principe traditum fuit. Inde e littore solvens Zanius in Illyricum, senatus decreto ut reliquis triremibus, quae Jadere substiterant, se conjungeret, navigavit, ab Jadra ne discederet jussus, donec quinquaginta, quas Hispaniarum regem subsidio missurum triremes Veneti sperabant, vela in Orientem dedissent; quibus adjunetus tendere in Cyprum², ac prælio decertare cum hostibus mandatum a senatu accepérat. Fuit tum nullorum opinio (inquit Gratianus³) si Zanius eum ea classe, adjuncto Columna, qui, ut narrat Folietus⁴, brevi ac præter omnium expectationem, classem Pontificiam instruxerat, nec expectatis Hispanis in Cyprum perrexisset, liberari periculo insulam potuisse. Sed dum Auriam expectare voluit, occasio e manibus elapsa est, imo ex hoc summum Venetæ classi illatum damnum, cum otio Coreyræ magna Estatis parte torpentes, pestilens quidam morbus invaserit. Pluribus idcirco quotidie intereuntibus, et lue in dies latius serpente, existimans Zanius salubrionem in labore et itinere exercitum fore, Coreyra, cum tota classe relieta, Cretam petiit. At, seu commeatus parum provisi, seu maris navigandique insolentia, mors ac morbus totam eo itinere funeribus classem funestavit; imo, ubi in Cretam ventum est, et loci gravitas, et aestus magnitudo, funera cumulavit: ita ut viginti millia hominum pestilentia dieantur absympta; et jam numero ac virtute præstans, tum conscriptorum, tum voluntariorum militum robur, vix qualquier millioni numerum excederet.

70. Summa tamen præfectorum sedulitate

ac vigilantia factum est, ut rebus uteumque compositis, remige ac milite denuo classis instructa esset, cum tandem duodecim Pontificie ac novem et quadraginta Hispanæ triremes, kal. Septembbris Cretam appulere. Zanio præceperat senatus, ut Maurocenus¹ scribit, ut Pontificis præfecto cederet. Auriam, si vellet sibi sumere, admoneret, ne magnos rerum orsus levissima ex causa interturbaret ac perverteret. Cæterum, quod ad consilia capienda spectaret, eorum sententiis perquisitis, quidquid e republica videretur, ipse decerneret. Verum Columna (inquit), ut Zanio præiret, vix adduci potuit. Auria ne tenavit quidem. At de ratione administrandi bellum, plura inter eos statim exorta dissidia, de quibus ista Gratianus²:

« Zanius, ubi sociæ classes advenere, quamquam a senatu adjunetus auxiliis, exemplo ad eripiendam periculo Cyprum vadere, et si se Turcia classis objecisset, prælio decertare jussus erat; tamen quia Antonius suberat, neque ei, debilitata morbis classe, satis animi ad tantum rerum discrimen erat, consilium suorum de profectione habuit. Erant ei a senatu legali, ex civitatis instituto, ne nimia potestas uni committatur, Antonius Canalis et Antonius Celsus. Hi, sicut imperio præfecti subjiciuntur, ita statuere ille de summa rerum, nisi alter eorum ejus sententia assentiat, nihil potest. His, quia pari jure (quod nemini, qui civis Venetus non esset, ante eum contigit) Sfortia Pallavicinus accesserat, placuit, ut si divisæ inter binos sententiae forent, ei staretur, in qua præfectus ipse fuisset. Quod tum contigit; nam Celsus et Pallavicinus negabant in Cyprum eundum esse, quod autumnales tempestates imminerent; quod magna pars navium novo remigio parum apta, ac ne milite quidem satis instructa: et ut a classe paratissimi essent, bene gerendæ tamen rei quam spem ostendi? Cum Tureæ, seu pugnæ sese offerrent, instructas affatim terrestribus copiis naves in aciem educturi, et multis navigiis milite completis, cœsis fusisque suis, integros assidue summissuri essent; sive detrectare certamen mallent, in propinquos Ciliciæ portus recepti, loco se defensuri, atque inde nullo negotio nostras naves, quæ diu consistere in illis locis jam non possent, prohibituri. Præstare igitur subsidio insulae aliquotonerarias cum milibus et commeatis mittere, quam universam classem, qua publica salus confineretur, perielitari: posse utilius, ne frustra tantæ coactæ in unum vires essent, aut Sestum, Abydumve ad angustias Hellesponti tentare, aut ad Eubœam insulam appulsa classe, Chalcidem repentina vi atque impressione oppugnari. Si enim Tureæ in obsidione Cyperi permanerent, capi Chalcidem, ac

¹ Ibid. ut supra. — ² Ibid. ut supra. — ³ Gratian., pag. 49.
— ⁴ Foliet., pag. 33.

¹ Ibid. ut supra. — ² De bell. Cypr. lib. prim., pag. 55.

totam in potestatem redigi Eubœam posse, quæ haud minoris esset, quam ipsa Cyprus: sin ad opem ferendam suis venirent, et Cyprus dimidia parte periculi levatum iri, et exæquata tum pugnæ conditione, victoriae spem penes ipsos fore. Hæc Zanius probabat magis, quam dicebat. Sed Canalis, nisi præceptum id a senatu esset, et natura comparatum esse (inquit) sua prius quemque defendere, quam aliena oppugnatum ire: et ad propulsandum a Cypro bellum missos, si cunctentur, sero opem oppressis jam esse latus. Quid enim tandem onerariis cum milite mittendis, ut secundissimis ventis, quod præstare tamen nemo posset, in Famagustæ portum incolumes inferrentur, consequenti essent aliud, quam ut Famagustæ ipsi firmiori præsidio cōsuleretur. Nicosia, in cuius custodia insulae totius salus vertitur, nihilominus premeretur? At tempus, instantे Autumno, navigandi in Cyprus atque succurrendi ob sessis non esse. At quo pacto idem tempus, ad longinquorem in Hellespontum navigationem oppugnationemque urbium, in oculis regis et Constantinopolis sitarum, aut Eubœam insutam, Chatcide my in insula occupandam superesse? ubi non milites modo, sed tormenta bellica, quod sine magno molinime non sit, in terram exponenda, et idoneis locanda locis essent. In Cyprus Etesis ventis, qui tum maxime secundi flarent, quarta die perventuros, et Austro, qui flare ineunte Autumno solet, reddituros. Cyprus belli sedem causamque hujus esse; eam qui aut defenderit, aut cœperit, non qui alia per occasionem invaserit, victoris famam esse laturum. Ad id ergo evocatas tanto stadio, tanto maris intervallo, Pii et Phillipi classes, et Æstatem ipsam cessando expectatas esse, ut tum demum consultaretur, an Cypro succurrentum sit, cum auxilia ea causa implorata venissent, et vires congregandi cum hostibus essent? qui si cessissent, et declinato certamine portibus se tenerent suis, præterquam quod Nicosia subventum esset, num expressam timoris confessionem parvi referre ad famam existimationemque sociorum hostiumque? Si vero, quod credibilius sit, in aciem prodirent, cūmmunem quidem belli martem fore, sed scipsos justam victoriae spem secum latus, et Deum immortalem ipsi, et cause fidentibus præsenti numine ad futurum: etsi, non numero navium, genere certe superiores fore: centum octoginta naves longas, et duodecim galeatis, quæ ipsæ justæ classis instar sint, in aciem deducturos: cui præterea multæ onerariae munimento essent futuræ. Turcis centum et sexaginta longas naves, biremes circiter quinquaginta esse; reliquum numerum impedimento magis, quam usui futurum. Postremo vinei satius esse, quam desertorum sociorum infamiam subire. Qui enim sustinere

Christianorum populorum voces et querelæ possent, si prope in conspectu tantæ classis vastari nobilem insulam ac subigi a Barbaris patientur? At contra, ut cætera adversa eadērent, ipsam senatus fidem in sociis tuendis, cunctos ad renovandos conatus excitaturam, cum constiterit eam Veneti senatus pietatem esse, ut de suo imperio periclitari quam suorum saluti deesse malit. Sibi igitur videri antiquissimum senatus jussum esse halendum, eo magis, quod auctoritas consentanea rationi, ne excusandi quidem locum relinquat.

« Zanius ea oratione permotus, ne in se unum omnis inde rei omissa invidia incumbet, in Canalis sententiam ire, seque senatus obtemperaturum pronuntiavit. Sed nova cum disceptatio excepit, cum eadem de re ad Columnam ipse et Auria convenissent: quanquam Columna quidem petenti Zanio senatus verbis, ut ad hostes, liberandanque Cyprus iretur, haud cunctanter est assensus, atque eum Pompeius item Columna, et Alvarus Bassanus, qui Neapolitanis tremebat, præerat, secuti sunt. Sed Auria acrius disserendo, quæ a Pattavieino et Celso dicta in Venetorum consilio erant, vehementer contendebat, non esse Venetas naves extenuatas et exhaustas morbis objiciendas instructissimæ omnibus rebus hostium classi: et de Columna querebatur, quod Venetis, per ambitionem gratificando, regis classem in certum discriberet. Sed cum Columna utilius non solum sed et honestius, regem eam classem in prælio amissurum, quam tantæ publicæ causæ atque omium gentium expectationi defuturum diceret, nec attinuisse eos in Cretam usque tantum via marisque procedere, excitata per Christianos populos ingenti ejus auxilii fama, si ad aliud nihil, quam obviam nuntiis cladium, que Cypri manerent, nisi subvenissent, venturi erant, ad augendam Turcarum victoriam segnitie ac detrectatione sua, (neque enim minus Tureis gloriosum fore, cessisse retro Christianas classes, non ausas hostem aspicere, quam Venetos Cypro paucis diebus expulisse); cumque inde ostenderet, quibus auxilium latiri venissent, eorum judicium esse debere, quo polissimum eo uterentur, præsertim qui non spectatores, sed socii ac principes ejus periculi quod proponerent essent futuri; et adjiceret postremo hanc esse Pii voluntatem, diserteque sibi ab eo præceptum, ut ad hostes vaderet, et rem prælio decernendam daret, sibi que stare, nihil ex eo fide sua et dignitate Christiani nominis esset, mutare.

« Auria, ne pertinacius negando, aut timoris, aut malignitatis suspicionem incurreret, reliquorum tandem, non tam auctoritatí quam consensui cessit; quanquam eam ipsam gratiam mox corrupit, brevius sibi ad manendum tempus definiendo, quam res postulare videbatur.

Cum enim tempus extractum deliberando esset ad id. Septembris, kalendisve Octobris, ubique gentium essent, discessurum ab iis, quod præmonitos velle, denuntiavit. Et cum magnopere optarent, ut singulæ tam Hispanæ, quam Venetæ, ac Pontificiæ naves aliæ aliis interjectæ mixtim, non separatim, in acie locarentur, quo partitus ex æquo inter omnes labor et periculum esset, et æmulatio virtutis ubique accenderet animos; negavit se aliter in pugnam descensurum, quam, ut sua cum classe dexterum cornu teneret. Id vero Venetis non molestum modo, sed etiam suspectum fuit, querere attum, ut cum vellet eedere acie et evadere sine vulnere posset, opinantibus. Erat Auria non solum Genuensis civitate, quamvis longe tum infra Venetorum magnitudine delapsa, tamen memoria veteris æmulationis, et mutuarum etiadium adversa Venetæ potentiae; sed domes-
tico etiam odio inquisus infensusque Venetis, quippe Andreæ nepos illius, quo duce queruntur Veneti male rem gestam ad Ambraciæ, anno millesimo quingentesimo trigesimo sexto, et vitatam de industria pugnam esse, cum et non dubiam victoriam et inclusam Ambraciæ sinu hostium classem tenerent. Sed et Venetos hæc dissimulare tempus tum cogebat, et post ab Auria facile contemnebantur eorum querelæ; quin eis culpæ vertebat, quod cum tanta eorum res ageretur, tantumque apparatus navium ostentassent, eas inanes militibus ac remigibus, et ab omnibus rebus imparatas haberent. Nam id quoque postulavit, postquam e Candia, quæ caput Cretæ nunc est, unde novum insulæ inditum nomen, Sitiam venere, ut singulæ naves recenserentur, ipse Venetas, Veneti Hispanas inspicerent. Qua lustratione, cum ipse egressus portu in alto constitisset, et scaphas in naves recipi ex disciplina jussisset, ne ex una in aliam navim transmitti clam milites possint; Venetos aiebat suas in portu pupibus terræ applicatis ostendisse, ac ne ita quidem occultare potuisse, quin omnes intelligerent mancas ac debiles esse. His rebus contentionibusque undeviginti diebus consumptis, tandem duabus triremibus ad explorandum præmissis ad dec. tert. kal. Octobr. Sitia solverunt. At ne iter quidem sine offensione fuit. Cum enim, ex nautico more, sola imperatoria navis noctu lumen in summa puppi elatum, quod cæteræ naves sequantur, gestare soleat, et Venetus præfector, honoris Columnæ causa, sine ea luce navigaret; Auria, quo Columnæ æquari videtur, idem in sua navi per noctem lumen ardere voluit. Quod, et si non arrogantia fieri ab se, sed metu tempestatum, ut suæ classis naves, ubi earum dux esset non ignorarent, dielitabat; tamen Columnæ animum tam contumax dignitatis suæ contemptio incredibiliter urebat, quanquam eam injuriam insigni moderatione

rei publicæ condonare se, Venetis rem accusantibus, respondebat. »

71. *Dum litigant inter se duces Christiani, Tureæ Siciliæ littora infestant.* — Ita Gratianus, acriori, quam debuisset stylo, Auriæ, tum consilia (quæ saltem sic improbanda non fuisse, illud ostendit, quod eorumdem consiliorum Venetorum ipsorum pars, auctor fuerit) tum gesta prosecutus, si Folietæ credatur, qui concivis sui noxas, si fuere, pro viribus contegere studuit; imo ipsum illud, quod Gratianus ac Maurocenus, (genio ille, hic patriæ amore) culpæ ei dederunt, tanquam præclarum ac insigne facinus referre contendit. Uterque tamen, cum scriptoribus ceteris, Pontificiæ classis præfecto Columnæ egregium perhibent testimonium, quod non minus consilio, quam animi moderatione, publicæ utilitati prospexit. Christiana igitur classis Carphatum devecta, triduo trecentis passuum millibus emensis ad Chelidonium promontorium, Castrum Ruzum nunc dictum, e regione Cilicie centum ac quinquaginta passuum millibus a Cypro distans pervenit, ubi oborta tempestate Pontificiæ ac Venetæ triremes portum, quem Vathim incolæ appellant, inter Chelidonias et continentem cœpere. Eundem tenere quoque Auria potuisset, nisi maluisset aperto mari ea nocte detineri, inquit Maurocenus, non absque periculo, ut intensiore vento in Occidentem abstractus, Venetos ac Pontificios deserere cogeretur. Verum, quod ipse improbare videtur, Folieta ex more commendat, dicens Auriam rerum maritimorum ac naturæ tempestatum longo usu peritum, cum naturam sinus considerasset, neque ibi tutam stationem esse intelligeret, Columnæ ac Venetorum consilium improbasse, satiusque esse duxisse, adversæ tempestatis impetum, si qua ea nocte forte classem invasisset, in alto et libero mari, quod multiplices declinandi facultates daret, excipere, quam portu, ventis multis ex partibus obnoxio, inclusum, urgenti tempestate, cum periculo classis littori illidendæ ac perfringendæ frustra reluctari. Addit tamen, quod cum id Columnæ, per codicillos demonstrasset, perculit ea res vehementer Venetos, atque (ut irritati semel animi omnia ad suspicionem interpretando deforquent), occasionem ipsos deserendi, adversam tempestatem ultra querere Auriam palam tulisse, qua coactus iter retro vertisse videri voluisse, sibique ab illo illudi clamasse neque ullo modo posthac illi fidendum dictitasse. Fuisse etiam, qui eam suspicionem ad regem Philippum quoque extendere, neque ejus injussu Auriam talia commissurum dixisse. idem scribit; sed subjungit, quod suspicione tam turpi regem ipsum, non summa modo illius dignitas ac contestata pietas, sed res ipsa aperte liberavit: eum Auria ad operam et consilia sua regi probanda, hoc

facto, et ejusmodi multis usus fuerit. Suo enim consilio et providentia cladem a Venetis et Pontificiis insectia maritimorum rerum acceptam, classem regiam subterfugisse deinde gloriatuſ est. Qua oratione (inquit) utique adversus regem ipsum uti non potuſ ſet, ſi ea ipſe regis mandato feciſ ſet. Vana: n pariter hujusmodi ſuſpicioñem fuiſ ſe, illud probare convincitur, quod Maurocenus ipſe non diſſiſetur; ſummo nempe mane Auriam, qui ad declinandum illius stationis periculum ſeſe a Veneta et Pontificia claſſe ſegregaverat, in conſpectu ſe ſociorum dediſſe, paratum utique ad ea omnino ſub-eunda, quibus ipſis auxilio eſſe potuſet.

72. Verum, cum ſævissimis hujusmodi animorum eceſerationibus, mutuo Christiani inter ſe digladiantur, unde quaque Turcae victores evadunt. In primis que Uluzialis alibi memoratus, qui a Turciis iisdem forte captus, ac remo mancipatus, liber factus, Christiana religione ejurata, ex humili et obſcuro loco egregia audaciæ, fortitudinis, consiliī documenta dando, meritorumque gradibus ad magnam amplitudinem, ſumnumque in rebus maritimis locum tandem pervenerat. Siciliae littora excursionibus ac prædationibus infesta faciens, tres ex Melitensibus triremibus, quæ Pontificiæ claſſi, ut diximus, jungi debabant, comprehendit. Sed ante haec Turcae in Dalmatia etiam bellum committere cœperant, cædibus, incursionibus, incendiis, rapinis, Ladrae urbi circumjectum agrum devastantes, in quem major belli procella ſæviit.

73. Ragusæi ſibi metuentes ad Pium confiunt qui illos commendat Hispanis. — Ex his exitiale ſuum Ragusina reipublica cui expoſita eſſet diſerimen intelligens, ut illud quoquo modo evadere, non niſi ad Pontificis præſidium ſibi confugiendum eſſe cognovit, cuius interventu Hispaniarum rex Philippus, ejusdem patrocinium ſuſcipiens, ab imminenti exitio liberaretur: ſuberat illa quidem aliquali Venetæ reipublicæ clientelæ, apud quam et Pius pro illa intercessiſſe, ex mox dandis ejusdem epistolis intelligi posſe videtur. Verum hoc tempore incassum auxilium Ragusei sperare posſe a Venetis putarunt, quibus ut ſibi conſulerent, ſatis virium non eſſe deprehiendebant. Miſſo igitur ad Pium eive quodam ſuo Jo. Matthæo nomine, enixe illum Ragusea reipublica exoravit, ut apud quem diximus Hispaniarum regem, pro ſe interveniret. Annuit Pontifex justis adeo precibus, perbenigneque auditio Joanne Matthæo præfato, cum commendatiis ſuis litteris¹ ad Hispanieam aulam ipſum pergere jussit.

«Chariſſimo in Christo filio noſtro Philippo, Hispaniarum regi Catholico.

PIUS PP. V.

« Chariſſime etc.

« Cum pro officio pastorali nobis, quamvis immeritis, ab omnipotenti Deo commiſſo, omnibus Christianis populis debitores ſimus, tum præcipue ad nostrum, hujusque S. Sedis Apostolicæ auxilium confugientes, propensiōri quadam charitate prosequi, eisque in hiſ, quæ juſte petere videntur, noſtræ commendationis offiциū präſtare debemus. Quibus de cauſis ad ducti dilectum hunc filium Jo. Matthæum, qui M. T. has noſtras litteras reddet, a Ragusinorma republika gravissimis de rebus ad ejus ipſius reipublicæ ſalutem atque incolumitatem ſpectantibus, quas ab eo ſubtilius et copiosius cognoceſt, ad M. T. miſſum, eidem M. T. commendare voluimus. Quam quidem, non ſolum hortamur, ut e veteri ſuo Christianorum popu- lorum tuendorum ſtudiis non diſcedens, reipu- blicæ in ſuam regiam tiđem et tutelam confu- gientis, ſtatim ſibi defendendum ſuſcipiat, eumque ab omnium, qui ei nocere fortasse ſtudeant, injuriis, tutum incolumenque präſtare velit. Quam quidem ad rem, quamvis noſtrum ipſi quoque ad eos, quos oportuit aueto- ritatem nuper interponere curavimus: tamen eamdem rem publicam tutiorem, et ab omnibus quæ ſibi timet periculis ſecuriorem fore intel- ligimus, ſi ejus M. T. defensionem ſuſcep- perit. Quod ut faciat, non ſolum ea de cauſa adduci debet, quam M. T. magni, ut aequum eſt, pon- deris facturam eſſe non dubitamus, quod ea ipſa, ſcilect res publica, hujus S. Sedis Apo- stolicæ ſtudiosiſſima, devotionem atque obſer- vantiam illi ſemper quam potuit präſtitit; ſed etiam, qui, ut aſſeritur, eo ſemper fuit erga maiores ſuos inclytæ memoriæ, ac præcipue erga ſereniſſimum Carolum imperatorem pa- trem ſuum, atque adeo erga M. T. ſtudio, ut quamvis multis ſibi propositis periculis, nun- quam tamē pristinam erga ambos tiđem atque obſeruantiam obtinere dubitaverit. Quas ob res, quamvis illam M. T. ſatis ipsam per ſe com- mendatum fore ſperabamus: tamen M. T. ro- gamus, ut quod ſponte ſua factura fuſſet, noſtræ commendationis nomine, aliquanto li- bentius, celeriusque ſibi faciendum eſſe exiſ- timet, prædictumque Jo. Matthæum ejusdem reipublicæ internuntium, omnibus rebus, qui- bus recte potuerit, ſic traetet, ut reipsa expe- riatur, noſtram illi apud M. T. commendatio- nem non parum profuiſſe. Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piscatoris, Die xxix Julii MDLXX, Pontifie noſtri, anni, quinto ».

74. His similes ad cardinalem Spinosam, et episcopum Conchiensem tradendas Matthæo Pius dedit Epistolam. Ut autem officiorum ſuorum major ratio habetur, Raguseorum rem apud

¹ Ex Ms. Csd. Val. ſign. num. 2912.

Philippum regem, non modo sic agere Pius voluit, sed suo etiam nomine, ab archiepiscopo Rossanensi Apostolicæ Sedis nuntio, si opus esset, regem ipsum, illiusque administros interpellari jussit; cui idecirco ista mandavit:

« Ven. fratribus Jo. Baptista, archiepiscopo Rossanensi etc.

PIUS PP. V.

« Vener. frater etc.

« Cognosces ex litterarum ad charissimum in Christo filium nostrum regem Catholicum scriptarum exemplo, quod una eum his ad te litteris mittimus, quibus de causis, quam gravibus, quæque ad suæ reipublicæ salutem pertinentibus, dilect. hic filius Jo. Matthæus Ruginorum reipublicæ internuntius, qui tibi has ipsas nostras litteras reddet, isthuc, ad Catholicam suam majestatem venerit. Ejus æquissimum postulatum, fraternitatem tuam, apud eumdem serenissimum regem Catholicum, quantum recte poterit, adjuvare volumus, mandantes tibi, ut non solum ejus negotii, ex nostra prædictique internuntii sententia confiendi curam suscias; sed etiam, si ab eo rogatus fueris, ut de ea ipsa re cum majestate sua, nostro nomine ipse loquaris. Omnibus denique rebus, quibus recte potueris, efficere studeas, ut nostram apud serenissimum regem intercessionem, sibi reipublicæque suæ præsidio fuisse experiatur. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xxix Julii MDCCLXX, Pontificatus nostri anno quinto ».

73. *Nicosia a Turcis capta et horribili cædere fœdata.* — Martio interim exeunte, Amurates Raisius cum vinginti quinque triremibus Rhodum versus iter intenderat, vicina maria insecaturus; et quominus Veneti Cyprio regno, cui præcipue inhababant Turcæ, suppetias ferre possent, prohibiturus. Kalendas vero Maias Phialis cum classe Bizantio solverat, et in itinere Michesio Ilæbaco suadente, Teno insula frustra tentata, et incolis plura damna intulerat, et ab iis vicissim haud modica strage fuerat repulsi. Sed deinde impositis in naves militibus et prætorianis, classeeque ipsa numero aucta, quæ duecentarum viginti triremium fuisse dicitur, Finiea, quo, post tridui in Rhodo moram contenterat, solverat, et kalendas sextilis Cyprus tenens, deinde ad Salinas, nemine obstante, quint. non. sextilis militem in terra, sub Mustapha duce exposuerat. Qua in re, Folietæ sententiam secutus Gratianus, eum scriptoribus fere cæteris, Nicolai Danduli summi præsidis insignem culpam coarguunt. Hic enim (ut ipse Gratianus¹ refert) Laurentio Bembo legato incommodissimo tempore reipublicæ morte sub-

traeto, sine ulla senatus auctoritate, ejus in se translato munere, imperium, concessu majus, usurpaverat; homo arrogantia insigni, nec ullo earum rerum usu, quarum proeurationem invaserat; quanta negligentia et desidia ante bellum in annona non providenda, nullaque re in belli usum præparanda necessaria usus fuerat, non minorem in gerendo bello ignaviam adhibens, nullis precibus, aut obtestationibus, ab Astorre Balionio summo rei bellicæ gubernatore perpelli potuit, ut cum equitatù, quem hand contemnendum habebat, ad littora oecurreret, vel ut omnino Turcas ab exscensu prohiberet, vel certe magnam illorum partem trueidaret; impar, timidus, et humilis animus consilii magnitudini, quod unum salutem expedire posse arbitramur.

76. Nullo igitur prohibente, Mustaphas Turcicarum terrestrialium copiarum dux, omnem e classi egressum exercitum (qui fuisse dicitur armatorum septuaginta millia, præter lixarum et calonum turbam, quibus numerus centum millium implebatur) in insula exposuit, quem deinde vallo communivit, non prius e loco in quem descenderat se movere cum statuisset, quam reliquæ copiae eum cætero belli apparatu advenisset; ad quas tollendas Phialis cum centum triremibus ac onerariis nonnullis, in Asiam et Ciliciam, et Alim eum reliqua classe in Pamphiliam missi fuere. Hi eum quint. decim. kal. Augusti rediissent eum eopiis, tormentis ac bellicis apparatus, primum omnium Cerauniam urbem, ad littus quod Ciliciam et Septemtrionem spectat sitam, commeatisbus ex continentia trajiciendis opportunam, Veneto præsidio dejecto, primo adventu, in suam potestatem redigerunt, eo consilio, ut Famagustam facilius in suam potestatem redigere possent. Verum Mustaphas, post longam eum Phiali et Ali sententiatarum contentionem, a Nicosiæ oppugnatione ordiendum bellum censuit; nam ea, quæ regni caput erat, capta, Famagustam pariter ac cætera loca, parvo aut nullo pene labore easura existimavit. Phialis, igitur, eum centum et triginta triremium classe remanere jussus, Christianæ classi, si casus ferret quod auxilio venire contenderet, sese oppositus; Mustaphas rem terra gerendam suseipiens, septim. kal. Sextilis, ad Nicosiam eopiis admotis, urbem obsidere cœpit; in qua, eum egregios in hoste propulsando conatus, et vicissim hostis aggredientis impetus, quam exactissime plures insignes scriptores exaraverint, ideo, qui plura de illis desiderat, eos consulat, eum quod ad Ecclesiasticam pietatem spectare cognoscimus, dumtaxat hie haud prætereundum arbitremur.

77. Enituit siquidem, cum infelix ea urbs immanissima ea obsidione premeretur, singularis zelus Francisei Contareni episcopi Paphiensis (Philippo Mocenico Nicosiæ archiepi-

¹ De Bell. Cypt. ut sup.

scopo, ut narrat Paruta¹, tunc absente) qui assiduis adhortationibus et concionibus populi sedulo confirmans, testari non destitit frustra spem excidi a se avertendi in humanis presidiis et munimentis poni, nisi divini numinis pro sceleribus ab ipsis aversi, misericordiam et opem sibi conciliarent. Ex quo factum est, ut universi tum milites, tum cives commoti, totique in religionem et preces conversi, jejuniis, supplicationibus, peccatis confitendis et detestandis, sacrificisque ac sacri Christi Corporis communione, aliisque celestis irae placaminibus, divini numinis pacem exposcerent; ita ut noxiis expiat, ac veluti certa fiducia divini auxilii erecti, sese alaceri animo ad hostes expectando pararent. Placuit tamen Deo, cuius incomprehensibilia judicia, ut a Dæmonis et peccati fauicibus erepti, æternaque patriæ adipiscendæ jam apti, hosti humano succumberent, atque in defendenda terrena patria desicerent; nam die nona Septembbris Turca tandem urbe potitus est.

78. Verbis prosequi haud facile, quanta crudelitate a Barbaris in victos sævitum sit; his tamen non inultis, cum inter alia Gratianus referat, Joannem Falerium Venetum, qui centum equitibus præerat, quos Franciscus Contarenus, præfatus Paphi episcopus, animarum simul ac corporum salutis sollicitus, privato sumptu confecerat, ne inultus eaderet, in hostem eruptione facta, ac primo impetu magna eis strage illata, nonnisi multitudine obrutum, atque equo dejectum Barbaris cessisse. Episcopus vero ipse, qui toto eo bello tanta et tam multiplicia vere sacerdotalis pietatis ac zeli officia militibus civibusque præstiterat, atque rempublicam suis facultatibus juverat, ab ignaris quis esset, inter ignobilem plebem occisus est. Dandulus quoque, preteritæ socordiae in tanto discrimine oblitus, comissas vilitatis culpas, fortiter dimicando occumbens, diluisse est visus. Sed, præ aliis, memoranda fuere quarumdam Nicosianarum foeminarum facinora, quæ ne fœdæ Turcarum libidini subjicerentur, se ex altissimis ædium partibus præcipitabant; alias quoque filiabus suis mortem intulisse tradunt, ut earum corpora a servitute et impuritate barbarorum vindicarent; inter quas præteriri silentio non debet, quod de quadam matrona his verbis narrat Gratianus: « Ea, cum teneri ab hostibus urbem acepisset, jamque trepidatione ac tumultu cuncta perstrepserent, proripit se domo, ut quæ fortuna viri, et trium filiorum, quos pater secum in pugnâ adduxerat, cognosceret, ad mœnia ipsa vadentem, refugientium impetus domum retrusit. Hie comperit, virum filiosque egregie pugnantes, pro patria mortem occupuisse. Tum

præceps dolore et strepitu ingruentis in urbem tumultus, alienata prope mente, domum irrupit. Et impuber titius eximia forma, quem unice diligebat, occurrit; quem complexa matter, diu osculo inhaesit, mox furiali percita pietate: Egone te, fili, inquit, tam sevis hostibus vile maucipium relinquam? tu janjamque complexu ayulsus meo, barbarorum libidini ludibrium ibis? Simul haec dicens, pueri jugulum cultro transfixit, seque insuper tribus vulneribus in pectus addictis, interfecit. » Sie ille; verum haec apud paganos magis quam apud Christianos veræ fortitudinis laudem promerer agnoscuntur.

79. At Mustaphas capta urbe, duorumque armatorum millium præsidio firmata, octoque diebus egerende præda datis, hac duas maximas naves onerari jussit. In his pretiosissima quæque, multam vestem, magnum argenti pondus, bellica tormenta, nobiles captivos, delectarum foeminarum ac puerorum ingentem numerum, simul partis bello opibus spoliisque ostentandis, simul victoriae munera Selymo mittens, Constantinopolim devehenda imposuit. At impium prædonem, unius foeminae elusit ingenium, si Gratiano sit fides. Dum enim præfatae naves, ut ipse refert, conjunctæ, novis usque rebus insarcuntur, ventosque ad proficisciendum expectant, Cypria mulier, una ex captivis, ut sese civesque ab illa fœditate morte eriperet, ei loco ubi sulphureus pulvis in usum tormentorum asservatur ignem admovit, cujus vi incensa ac diffracta navis flammæ etiam in aliam quæ proxime stabat transtulit, atque ita omnis incendio corrupta et absumpta præda est, nec ex eo numero, præter paucos nautas, qui nando ad littus applicuere, quisquam evasit. Verum id incendium, non data alicujus opera, sed casu accidisse, et quidem probabilius, Paruta scribit: cum captivam mulierem loco, in quo sulphureus pulvis servabatur, quique summa diligentia ac vigilantia custodiebatur, accedere, eique ignem adhibere tam facile potuisse, haud facile credi potest. Ad deterrendos autem cæteros Christianos, qui Famagustæ erant, Mustaphas captivum, nullis aliis cum mandatis misit, nisi ut Danduli caput ad duces deferret, id qualibet aplius oratione ad Venetos deterrendos ratus. At nihil eam speciem nostros movisse, scribit Gratianus, quod Dandulum exignam cladis ejus, cujus ipse causa fuisse, partem existimarent. Imo summam ex eo spectaculo jucunditatem sumpsisse censendus est, si vera sunt, quæ habet Folieta; Danduli nempe ignaviam ac socordiam adeo insignem fuisse, ut belli initio primores tam Veneti quam exteri, de imperio et rerum administratione, homini, qui desidia sua rempublicam esset perditurus, auferenda, ipsoque comprehendendo, atque arcta custodia con-

¹ Parut de Bell. Cyp. lib. t pag. 60.

stringendo, secretis consiliis, inter se egerint. Quam rem utique (inquit) Savornianus, qua fuit fortitudine et fiducia vir, ob innocentiae et virtutis conscientiam facturus fuisse creditur, ac coactus abjecti animi hominem se abdicare, aut recusantem imperfecturus. Quod bono ac fortasse saluti rebus fuisse.

80. Exercitum deinde, ad ipsam Famagustam Mustaphas idem admovit; cui, ut uno eodemque tempore terrestris maritimaeque oppugnationis metum incenteret, accedere quoque classe Pialejum imperavit. At misso, qui oppidanos hortaretur, ut fidem potius quam vim suam experirentur, cum fretos milite, duce, et milibus, dicta sua aspernari intellectisset, jamque Hyems instaret, nil tentandum ratus, in futurum annum facinus distulit.

81. *Auditio Nicosiae casu, classes Christianæ turpiter redeunt.* — Ubi autem Turcae duces agnovissent Christianas classes in Creta coniunctas stare, protectionemque in Cyprum omni ope atque instantia meditari, varie inter illos sententiis pugnatum. Nam Phialis a fortuna pugnae subeunda abhorrebat; contra vero Mustaphas et Alis eam declinare, nec e Selymi dignitate, nec ex armorum existimatione esse contendebant; ideoque in hanc sententiam itum est, et impedimentis classe exonerata, ac valido firmata milite, Limissum usque processum, ibi Christianæ classis adventum Turcica expectatura. Nostri autem, ut diximus, jam Cyprum versus navigaverant, et Columna ac Veneti sinum Calamatam subeuntibus, Auria in alto et libero mari sese continuerat, ut si ea nocte, qua illuc appulere tempestatis impetus classem forte invasisset, eum declinandi commodiorem facultatem haberet.

82. Ibi igitur cum essent, ecce triremes exploratum missæ redeunt, Nicosiamque ad quint. id. Septembr. a Tureis captam renuntiavunt. Hoc nuntio pereulsus Auria ad Columnam rediit, ad quem et Zanius et Veneti duces consultaturi, quid eo rerum statu faciendum esset, eo ipso tempore convenerunt. Tanto infortunio commotos, ad dejiciendam hostis arrogantiam, recenti Victoria auctam, Christianos vires magis colligere debuisse, tunc censendum videbatur. Verum tantum id absuit, quin se magis ex his animis exarcebatis, consiliis etiam ac sententiis inter se decertarunt; nonnullis exislmantibus, tum maxime iter Cyprum versus progrediendum, quod hostem praeda occupatum ac Victoria solutum dejicere facilius esset; aliis e contra opinantibus melius esse, ut omissa Cypro, aut Caleides in Eubœa, aut alia opportuna urbs ex itinere oppugnaretur, quæ Hispanis ac Venetis provinciis vicina subsidiis, ex propinquuo securius retineri potuisset. Mihi demum censemibus, nihil eo anno conandum, sed eamdem qua venerant viam

ultra repetendam. Porro varietate ipsa, qua inter duces tunc sententiis pugnatum est, dissentunt, qui illas referunt pariter scriptores, pro ingenio quisque suo, hanc commendantes, eam rejicientes; istam amplectendam fuisse decernentes, alteram improbantes; ita ut facile haud sit, non tam qui vera dixerit perspicue agnoscere, quam partium amore distractis animis, neque eos, qui minus a veritate abhorrerint compertos saltem habere. Summa hæc est, tot immanes sumptus, tot summo labore ac studio coactas vires, tantum triremium ac militum robur, nulla re præclare gesta turpiter concidisse; nam omnium sententia fuit, Zanio excepto, si Maurocenio sit fides, ut quamprimum, Ciliciae oris relictis, vela Occidentem versus panderentur; quod quidem undecim. kal. Octobris factum est.

83. Auria, in Siciliam reducta classe, in Hispaniam ad regem se contulit, apud eum se forsitan purgatorus de importune suborta, priusquam a sociis discederet, inter se et Columnam controversia; cum Auria Columnæ placita ubique sequi non debere, ipso coram professus esset. Vieissim vero, vel jam præmiserat, vel eodem ferme tempore, ad Philippum ipsum Pontifex Pompeium Columnam, Zagaroli ducem, misit, ut de iis quæ circa classem acciderant admoneret, atque ad ea, quæ deinde agenda, pro communi causa essent, studiose hortaretur.

84. *Tristis hujus inertiae exitus.* — Fidei, quas vocant litteræ, Pompeo a Pio traditæ hujusmodi fuerunt:

« Charissimo in Christo filio nostro Philippo, Hispaniarum regi Catholico.

PIUS PP. V.

« Charissime in Christo etc.

« Mittimus ad M. T. dilectum hunc filium Pompeium Columnam, ut eam certiore faciat de successu rerum, ad nostram et M. T. simulque Venetorum classem pertinentium; et ut eamdem nostro nomine horletur ad ea quæ, pro suscepta communis reipublicæ Christianæ adversus immanissimum Turcarum tyrannum defensione non deserenda, necessaria esse judicavimus. Rogamus autem M. T. ut non solum eum benigne accipiat, secumque loquenti eamdem fidem adhibeat, quam nobis ipsis, si cum ea præsentes loqueremur; sed etiam omni studio viribusque suis efficere conetur, ut quod hucusque factum non est, id, sublatiss, quoad ejus fieri potest, impedimentis omnibus, post-hac ad effectum adducatur. Quod M. T., pro sua erga Deum omnipotentem pietate, perpetuoque ac spectatissimo nobis publicæ Christianorum salutis studio, facturam esse pro comperto habemus. Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die xxix Octobris MDLXX, Pontificatus nostri anno quinto ».

83. Pontificia interim ac Veneta classes, tempestate agitate, in Cretam venere, magna navium parte in itinere relicta, quæ ob remigum paucitatem, cæterarum æquare cursum nequiverunt, aliquot etiam amissis, quæ aestus magnitudine in littus ejectæ et communimulæ sunt; ex his duas Pontificias triremes laceratas refert Folieta¹. At eum Creta solvens Columna, Coreyram petiisset, eo in portu, morbi ex commercio vulgati, cum in illius quoque classem ineubnissent, easdem in ea, quas in Venetis navibus, hominum strages ediderunt; ita ut ipse copiarum, quæ quotidie insumebantur inopia, numerum navium ad quinque redigere coactus fuerit, sex alveis ex duodecim, quos a Venetis commodato accepérat, illis redditis. Cumque omnia muneris sui officia Venetis ipsis cumulatae persolvisset, ab eis discessit, ingentes gratias ipsi et Pontifici agentibus, ob egregiam navatam operam, ac fidem, et constantiam ad extrellum præstítam.

86. Verum, cum Coreyra Columna una cum Pallavicino decessisset, rursus pâne obrutus tempestate perit; imo præatoria, in qua ipse erat, fulmine icta ignem concepit, quæ, incendio magno impetu per proxima quaque grassante, tota vestigio temporis conflagravit; ita ut vix appulsi littore homines, tormentaque servata sint. Columna signo e circumstantium manu crepto, sese ac signum saltu appetenti ægre eripuit. Sed quod notatu dignum fuit, eo ipso die Romæ templi Vaticani torris fulmine et ipsa pereussa, dejecta est. Ironi inde navi concensa, quam subito ad se evocaverat, uti maris iram desæviisse credidit, profectus; enova, velut ex insidiis, infra Ragusium erupta procella, quæ sic sœviiit, ut navem ipsam in terram ejecerit, et eam primum sabuloso vado infixerit, deinde penitus fregerit. In colummam in terra projectum, majus discrimen tenuit, quod utique non evasisset, si Turcæ, qui ea loca tenebant, ipsius naufragium persensissent. Nocte igitur magno accolentium Barbarorum metu peracta, in aedicula quadam, quam forte nactus pro tempore communicerat; mane summo incensa triremi ejecta, ne Turcis prædae relinqueretur, bombardisque onerarie quæ forte illi præsto fuit impositis, missis a Ragusio equis, urbem ingressus est, quo Pallavicinus, pari jaetatus procella sese receperat. Et commodum certe accidit Columnæ sollicitus ex eo loco discessus, nam statim ingens Turearum equitum ala eo pervenit, ut parvo momento, parvaque declinatione, ex barbarorum manibus elapsus sit. Cum tribus postmodum tremibus, quæ ex tota classe omnino superuerant, in Italiam trajecit, ac eadem (inquit Gratianus)² persequente ac defendantे fortuna,

naufragio incendioque definitus, Romam rediit. Cum certe (ut rite observat Folieta¹) breve illius iter ita infestum fuerit, ut nemo in multorum annorum longissimis itineribus, pluribus asperitatibus conflicatus, aut atrocioribus casibus jaetatus fuerit, cum nullum extiterit pestis genus, a celo, a ventis, a tempestatibus, ab undis, ab igne, ab hominibus, cui prope ipse non fuerit.

87. *Preces publicæ a Pio indictæ.* — Inter hæc Pius, optime sacerdotali perfunctus munere apud Deum et homines, nil earum rerum, que commissi sibi gregis necessitati sublevandæ prædæ posse censuerat, prætermisserat, ac pluribus supplicationibus indictis, a populo Christiano iram Dei avertire contendebat. Ineunte siquidem in primis Maio, plenariam Indulgentiam ac Jubilæum, ad cœlestè contra Turcas impiorandum auxilium, ex Apostolica liberalitate concessisse supra retulimus: supplicationibusque ipsis, quæ die prima ejusdem mensis, a Basiliæ Vaticana ad Ecclesiam S. Spiritus in Saxia; sequenti vero die secunda Maii, ab eadem pariter Vaticana Basilica ad S. Mariam supra Minervam; et demum die quinta Maii, tertiae, quæ ab eadem Basilica ad Ecclesiam Sanctorum Duodecim Apostolorum processerunt, ipsem interfuit. Quod autem, præter morem, a prima et secunda, (quæ prima et secunda die Maii habitæ sunt), tertia supplicatio, ad quintam ejusdem mensis dilata fuerit, ex eo emanasse scribit in suo Diario Firmanus², quod cum iisdem diebus, juxta antiquissimum Ecclesiæ ritum, Processiones Rogationum celebrandæ essent; placuit Pio, ut in earum locum, ista ab eo institutæ supplications, prima et secunda die haberentur; ne vero ab antiquo ritu discessisse videretur: tertia die, ex more, ab Urbis clero processione, ab Ecclesia S. Laurentii in Damaso, ad Principis Apostolorum Basilicam fieri voluit. Sequenti autem die, ab Ascensionis Dominicæ solemnitate impedita, in proxime alteram Maii quintam, tertiam a se institutam rejectit.

88. Sub initium vero Septembri, de Cyprii regni ingruentibus necessitatibus certior factus, similes etiam supplicationes ac Jubilæum indixit, in quibus eodem modo, quo in superioribus processum est, eo excepto, quod tertia supplicatio, a Vaticana Basilica, ad S. Marci Ecclesiam perrexit. Apostolicæ litteræ³, super hac nova concessione ab eo editæ, hujusmodi fuerunt.

« Pius episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

« Universis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis, salutem etc.

¹ Ibid. ut supra. — ² Firm. in Diar. sub hoc anno. — ³ Ex Arch. Vatic.

¹ Ibid. ut supra. — ² Ibid. ut supra.

« Quod periculosisimis Pontificatus nostri temporibus, ad excitandum fidelium animos, communes miserias calamitatesque nostras deploramus, quod ad declinanda divine justitiae flagella undique in nos intenta, multiplicibus precibus ad omnipotentis Dei misericordiam frequentius configiamus; id nou sine magnis gravissimisque causis facere videmur: nam cum antea respublie Christiana, non solum magna ex parte, multiplici haeresum pravitate infecta, sed etiam fere tota netariorum haereticorum impia conspiratione, bellorumque tumultu vexata, in magno periculo versari cernebatur: tum vero posteaquam ad illa vetera mala, novus hic periculosisimi Tureici belli terror accessit, eo jam redacta esse videtur, ut nisi eam tot tantisque aerumnis afflictam et jacentem respexerit, is qui camdem pretiosissimi sui sanguinis effusione sibi acquisivit, valde timendum sit, ne, quod Deus avertat, graviorem aliquam plagam accipiat. Quorum quidem periculorum metu commoti, quamvis superioribus mensibus, per litteras nostras, sexta die Aprilis hujus anni in forma Jubilaei datus, populum Christianum, ad imminentia sibi nobisque mala, a Deo deprecanda, vehementer hortati simus; tamen considerantes rempublicam Christianam, hoc quidem tempore in majore quam quo antea unquam discrimine versari, ad ejusdem Dei misericordiae perfugium configiendum nobis esse existimavimus. Jam enim Turcarum maxima classis, omnibus rebus ad inferendum bellum appetissima, Christiani sanguinis aviditate inflammati, Cyprum appulisse, descensioneque in terram facta, ingentes barbarorum copias in insulam exposuisse, ad nos affertur. Cum vero talis tanlique periculi, opulentissimae Venetorum insulae imminentis, cogitatione movemur, tum vero Christianarum classium incolumitatis cura nos vehementissime sollicilos habet, nostram etiam, et eam, quam charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum rex Catholicus nobis id maxime potentibus misit, cum Venetorum classe aut jam conjunctam aut brevi conjungendam speramus. Quod cum ita sit, cumque res in propinquum addueta discrimen esse videatur, cogimur dubium bellorum exitum vehementer extimescere. In tanto igitur rerum Christianarum discrimine, quo suspensi et incerti, divinae vel misericordiae vel justitiae expectatione pendemus, nihil melius facere possumus, quam ut ad toties expertam illius elementiam configiamus, cuius miserationes sunt super omnia opera ejus: qui idem vulnerat et medetur, idem pereut et sanat, qui et in fame eripit populum suum de morte, et in bello de manu gladii, quique ipse nos adhuc per regium prophetam invitat dicens: *Invoke me in die tribulationis, eruam vos,*

et honorificabis me: Non est enim abbreviata manus Domini, ut salvare nequeat, neque aggrauata est auris ejus, ut non exaudiat; sed quia iniuitales nostre diviserunt inter nos, et Deum nostrum, et peccata nostra abscondent faciem ejus nobis, ne exaudiatur; idecirco, ut populi Christiani preces, ab omnipotenti Deo mereantur exaudiri, necesse est, ut omnes Christi fideles, lacrymis et jejunis corpora humilantes, puroque et mundo corde ad Deum conversi peccatorum suorum penitentiam agant. Si vero hoc vere atque ex animo fecerint, sperandum est firmiterque credendum, Redemptorem nostrum misericordiae suae memorem fore. Non enim obliviscitur misereri Deus, neque in ira continet misericordias suas, seeptrum suum minime traditum esse his, qui ejus non sunt, sed immanissimorum Turcarum consilia, super eos ipsos conversurum, et eos qui in nos coeperrunt saevire dispersurum, simulque depreciationm nostram suspicentem, sorti et funiculo suo propitium futurum, luctuque nostro in gaudium eonverso, non esse clausurum ora illum canentium. Quocirca, ex parte omnipotentis Dei, et per viscera misericordiae illius etc. »

89. Et haec quidem publice, at in abscondito, quot et quam assiduis precibus Christiano populo divinam opem Pius exoraverit, qui ipsius gesta monumentis mandarunt, satis testantur.

90. *Pontificis vehemens exhortatio ad principum oratores de novo foedere ineundo.* — Catholici regis interea mandata ad eum allata fuerant, quibus rex (ut supra ex ipsius litteris audisti) quod ad rationes de ineundo cum Pio et Venetis contra Tureas foedere, spectaret. Antonio cardinali Granvellano, Francisco cardinali Paceo, et Antonio Zunie, suo in Urbe oratori, ejus rei tractandae et perficiendae potestatem fecerat, arbitrio Pontifice constituto. Viessim Veneti Michaelem Sorianum, pro se decreverant. His ergo omnibus aecessitis, eos Pius allocutus est oratione, quam Gabutius¹ refert, fuitque hujusmodi:

« Maximis de rebus, iisque reipublicae Christianae summopere necessariis hoc tempore, vobis, dilecti filii, est proposita deliberatio. Nam, ut videtis, in hoc sumnum orbis terrae consilium adhibiti estis ad agendum ac providendum, qua ratione ae via, iecto inter Christianos principes foedere, bellum, et maximum, et maxime pius, ac periculosum, contra Tureas, acerrimos Christiani nominis hostes, non tam inferri ultiro, quam nobis illatum sustineri necessario, atque a nostris omnium exercitibus depelli propulsarique possit. Agitur ergo in hac causa, de protegenda Ecclesia

¹ Vit. Pii lib. 4. c. 40

Catholica, de totius Christianæ rei, in primis vero de vestrorum principum, quibus proximum imminet periculum, salute ac dignitate conservanda. Denique quod rebus omnibus antiquis vobis esse debet, de divini nominis honore ac gloria, cum piorum omnium bono conjuncta, et tutanda, et augenda; vel etiam, (quod Deus avertat magno nostro cum damno, sempiternoque dedecore plurimum imminuenda. Jam vero conspicimus, ac summo nostro cum dolore, nec sine Christianoru[m] principum ignominia sentimus, quas injurias, quas clades immanissimus Turcarum tyrannus olim nobis intulerit; quam multas, easque nobilissimas, ac verae pietatis antea cultu florentissimas, et urbes, et insulas, et provincias, et regna, nobis eripuerit et usurparit. Discordia principum Christianorum, fons malorum omnium et origo est. Dum enim ii, aut intestinis dissidiis ac bellis mutuo sese conterunt, et miserabiliter exigit, aut alii aliud volentes, in contrarias sœpe sententias distracti, suam quisque rem cupidi proceurant; interim barbarus ille hostis, Asiam fere omnem, et magnam Africæ, magnam Europæ quoque partem quondam invassisse, ac sibi subjecisse non contentus, ecce nostris temporibus Rhodum insulam cœpit, ac Melitam aggressus, Chium alque alias insulas et regiones occupavit; expugnatoque Sigeto, bonam Pannonie partem suo subegit imperio. Nunc vero Selymus, terra marique ingenti exercitu comparato, universæ Christianæ reipublicæ exitium intentans, ante omnia Cypri regnum obtinere contendit: ut non sine causa, nobis omnibus inde sit graviter perftmesendum, ne sœvissimus hostis idemque potentissimus viribus auctus, et ad majora nobis inferenda detrimenta in dies factus audacior, in Gretam Siciliamque transgressus, et eunctis Mediterraneis insulis, portibus orisque politus, in Italiam, hoc est, in Christianorum viscera tandem irruptat, omniaque subvertat. Quod quidem, ne ad peccatorum nostrorum ultionem fieri Deus permittat, ut assiduis precibus ac meliore genere vitæ nobiscum enixe contendere decet Christianos omnes, sic in primis summi principes sensibus ac viribus conjunctis, pro suo sibi divinitus tradito tuendæ Christianæ reipublicæ munere, impendentis periculi calamitatem nobiscum omni ope debent arcere. Nos autem, quos, licet indignos, divina providentia in hac totius orbis custodia, et tanquam in specula collocavit, ut integrum ab exitio, liberam a periculo, vacuam a metu rem Christianam omnem, nostra vigilia ac cura redderemus. Ecclesiamque Dei, quam ipse acquisivit Sanguine suo, nobisque commisit sarcinam et tectam conservaremus, officio nostro deesse nullo modo possumus, nec volumus, aut debemus. Quare, quando soli tanta rei

pondus sustinere non valamus, reges ac principes Catholicci nominis, jam pridem, et monere et hortari, et rogare, pro nostra auctoritate non desistimus, ut communis hanc bellum societatem, pro suo defendendæ religionis officio, nobiscum inire velint. Quam ad rem, annuitente Deo, cum vestrorum principum, quorum potissimum hoc bello res agitur, animos paratos invenerimus, vestrae prudentiae nunc est, vestrique consilii diligenter agere, providere et elicere, ne quid impedit aut interturlet, quominus sanctissima haec justa et necessaria jungi contlarique societas possit. Nihil autem impediet, si in communii periculo, communia potius quam privata commoda procuraveritis: si quod vos pro vestra integritate et prudentia facturos esse confidimus statueritis, nihil esse posse tanti, quod honori divino, quod Ecclesiæ sanctæ saluti, quod vestrorum principum incolumitati, quod regnum ipsorum bono, quod piorum denique omnium votis, quæ universa hoc in disserimen adducuntur, anteferendum putetis: si communem pestem, communibus quoque remedis ac viribus averti oportere, si totius Christiani nominis hostem, omnium, si fieri possit. Christianorum armis et opibus compescendum, debellandum, evertendum decreveritis. Neque posse regem unum, aut alterum, quamvis prepotentem, per se tantam bellum molem sustinere, sed complurium potentissimorum principum conjunctas vires, divinisque et humanis opibus instructas, optime posse quosvis Turcarum et barbararum gentium, aut exercitus frangere, aut conatus comprimere, aut furorem extinguere, aut impetum nomenque delere. Non deerunt nobis ad hoc efficiendum, tum divina, tum humana subsidia. Aderit tam piis conatibus ille ipse, qui Ecclesiam suam, nec antea deseruit ulla tempore, nec in praesens aut in posterum, pro sua clementia, est unquam deserturus. Nec fallere promissa possunt ejus nos confirmantis illis verbis: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi. Confidite: Ego vici mundum. Et portæ Inferi non prævalebunt adversus Ecclesiam meam.*

« Que tamen auxilia nobis ea lege Deus repromisit, ut quantum in nobis est, semper committatur efficiere. Quod vero ad humana praesidia spectat, non solum vestrorum principum animos in hanc expeditionem propensos, sed etiam paratos exercitus, et ad dimicandum alacres, jam instructas classes, et in aciem deductas, jam fortissimos duces ac promptos habemus. Tantum haec omnia, ut firmiora, validiora ac diuturniora fiant, sanctissimi federis vinculo colliganda sunt. Quæ cum ita sint, videte, queso, ne Christianæ reipublicæ exitiosum, et nobis per molestum, et vobis turpe sit, huic summo consilio, praesertim in re

tam aperta, quæ per seipsa loquitur, consilium intelligi defuisse. Sed arripite hanc opportunam, quam Deus nobis offert, occasionem, quæ aliis temporibus optari quidem illa posset, sed par nunquam certe reperiri; quin eam, si neglexerimus, id apud posteros nostros merito nobis probro fuerit sempiterno. Quod si divinitus oblata tam præclara occasione uti voluerimus, cum perpetuo decore saluteque, frementis rabidi illius canis in nos saevientis dentes infringemus, florentissimum Cypri regnum, quod omni ope tueri conservareque debemus, non modo Venetæ, sed universæ Christianæ reipublicæ vindicabimus, nobisque ad sacrosanctum illud Salvatoris nostri sepulchrum, atque alia Palæstinæ loca, ipsius Christi Domini consecrata vestigiis, feliciter recipienda, viam aperiemus, cum ad ea nullus alius nobis aditus relinquatur. Nam cum olim Hierosolymitani regni recepta possessio est, suadente humili quodam fratre, cum Urbano II decessore nostro, Christianos principes fere omnes in eam expeditionem impellente, per Constantinopolitanos fines trajectus fuit Christianus exercitus, quod nunc fieri nullo modo polest. Sed cum una Cypri maris navigatione in Palæstinam commodius adeatur, retenta Cypro, ad illas Terræ Sanætæ ditiones recuperandas faciles patebunt aditus. Nec dubitare debemus, hoc inter nos percusso fædere, quin alii Catholicæ quoque principes in idipsum deinceps facile conspicient. Quorum enim una fides est, una religio, eorum etiam ad illam tuendam ac propagandam, unus debet esse animus, una contentio. Et quorum idem est periculum, eorum quoque ad id depellendum idem studium, junctaque potentia debet adhiberi. Ut quemadmodum omnis omnium regnum virtus, auctoritas, dignitas, splendor, opes, atque potentia, a Deo, velut summo universæ potestatis fonte, derivant; ita ad illius, et protegendum cultum, et gloriam amplificandam, ea cuncta certatim conferantur. Ego vero, quod ad me attinet, illud aperte profiteor, si huic expeditioni præsentiam meam ullo modo prodesse posse confiderem, non modo me periculis omnibus libenter exparem, sed inter primos etiam, pro gloria Dei et pro Christianæ reipublicæ salute sanguinem et vitam alacriter perfunderem. »

91. Hac cohortatione vehementer commolos fuisse principum virorum rei confiendiæ præsidentium animos, scribil Gabutius¹, quos etiam summis landibus Pii animi magnitudinem probitatemque extulisse refert: hinc omni animi sinceritate, studio ac diligentia, ad rem perficiendam operam datus spopondisse assent Paruta². Verum licet saepè ac passim lami pium, ac reipublicæ Christianæ proficuum

opus, non modo tunc, sed deinceps verbis magnificare consueverint; tamen ubi ad rem ex Pontificis sententia perficiendam procedebatur, cum quisque propria haberet studia, in quæ intenderet, non tantum consiliis inter se convenire nullatenus potuerunt, quin potius accidit, ut in longum nimis res distraheretur, nec aliud quam ad contentiones ac mutua jurgia simul congregati videreutur ii, qui statim rem perficere summa sollicitudine debuissent.

92. Elegit vero Pius, qui tractando fæderi cum Hispanis ac Veneto incumbentes; fueruntque Joannes Moronus, Michael Bonellus, Joannes Aldobrandinus, Carolus Crassus, cui vita functo, Joannes Paulus Ecclesia suffectus est, Petrus Donatus Cæsius, Hieronymus Rusticuccius, viri, inquit Gabutius, prudentia, pie-tate et rerum usu præstantissimi, quos omnes (Morono excepto) in amplissimum cardinalium ordinem ipse cooptaverat, ut inferius dicetur. His Prosperum quoque Sanctacrucium addidisse Pium narrat Hadrianus³; at deinde annolum refert, reclamantibus proculdubio Hispanis, ob suspicionem communicationis cum Gallis.

93. Teritur tempus in vanis colloquiis et altercationibus. — Cum igitur Epistola decim. sept. kal. Junii data, Catholicus rex, ut jam ostendimus, fæderis Iraelandi ac confiendi iis quos memoravimus provinciam demandasset, et kal. Junii, ipsos ac Venetum oratorem, præfala oratione allocutus fuisset Pontifex; statim negotium agitari cepit, et quidem, si Gabutio² credatur, principio res inibi fuit, ut actum de ea re propemodum esse videretur. Nam regii Venetos id supplices efflagitatuos esse confidentes, conditiones ut proponerent ipsi præstolabantur. Veneti contra, fœdus, quod nequaquam deposcebant ipsi, sed Pontifex, non minori illis quam sibi commodo futurum esse protentes, ea de re agere primi recusabant. Quocirca Pius, ut omnem tolleret difficultatem, is esse voluit, qui utrosque ad id precatus impelleret, et causam hanc, quæ ad universam Christianam reipublicam pertinebat, privatis omnibus omnium rationibus anterendam esse demonstravit. Inde porro quædam, veluti capita, proposuisse, quibus negotium confici convenienter possel, eaque ipsis expendenda dedisse, ipse idem Gabutius scribit.

94. Verum controversiam hanc exoram fuisse dicendum videtur, prius quam cum delectis a Pontifice cardinalibus, ab Hispanis et Veneto negotium tractari cœpisset; nam cum prædictam orationem kal. Junii ad eos habuerit (ut diximus) ab ipsaque iurium rei agendæ sumptum fuisse evidentissime constet; immo cum paulo post, nempe die quarta ejusdem

¹ Ibid. ut sup. — ² Ibid. ut sup.

³ Hadrian. Hist. libri pag. 1523. — ² Gabut. ut supra.

mensis, inter fœderandos nonnulla sancta sint, ut dicetur; idecirco ea de re disceptationem insurrexisse dicendum agnosceatur, antequam negotium ordiri cœpisset. Quod quidem comprobari ex Folieta¹ cognoscitur, qui scribit, quod Pontifex, post memoratam orationem, statim præfatas etiam conditiones fœderis scriptas edidit, quas utriusque parti aptas, pro studio communiois parentis, quantum ipse ac sapientes viri, de quorum consilio illas composuerat, providere potuerant, se exarasse dixit, longe melius, quae e principum suorum re essent, illos intelligere; proinde singula capita versarent animis, atque inter se, ac cum sex cardinalibus, quibus negotium societatis transigendum datus erat, conferrent, sermonibusque et disputationibus agilarent. Alter nibilominus rem narrat Gralianus², nam a Pii oratione, cum ingentes ei actæ gratiae ab omnibus fuisserent, postulatum a Granvellano dicit, ut conditiones fœderis proponerentur: quod Pius sequenti die facilius se ostendit. Quidquid fuerit, certum apparebat, controversiam hanc, quamlibet fœderis aliam tractationem, sive inter Hispanos ac Venetum, sive inter hos et delegatos a Pontifice cardinales, ut diximus, præcessisse.

95. Horum autem omnium colloquia instituta sunt in conclavi cardinalis Alexandrini, in ipso Vaticano Apostolico palatio, eoque omnes convenire debere statulum est. Et primum quidem colloquium, die quarta Julii, ut innuimus, cœptum est, in quo cardinalis Moronus, utpote omnium senior, Summi Pontificis nomine, S. Spiritus invocatione præmissa, ad cuncta ad Dei gloriam ac reipublicæ bonum dirigenda consilia, pluribus hortatus est. Scriptum deinde in quo fœderis conditiones ac capita a Pontifice compositum continebantur, ipsius Pontificis jussu in medium se proferre significavit, ut concertationem tolleret de eo, qui agere de re primus omnium debuisset. Eo autem in medium prolati, fœderis articulos Granvellanus expendere cœpit; primumque illud occurrit, ut fœdus per duodecim annos iniretur; quem se probare minime posse ostendit, in ejusque sententiam facile omnes descenderunt; ideoque omnium consensu, ad exemplum superioris fœderis Paulo Tertio Pontifice initi, nullis annis definiri, sed perpetuum esse placuit. Nam neque tam incertus eventus certo tempore posse circumscribi, et omnem temporis definitionem, sive longam sive brevem, damnosam fore; longam, mali ominis ac populis pergravem, a diuturnis tributis abhorrentibus; ad hoc Christianorum Turcæ subjectorum ac defctionem spectantium spem infringere atque animos debilitare; brevem, hosli spiritus adde-

re, ac Christianorum principum studia conospire, temporis angustiis spem fructus præcientibus.

96. Agitatum est præterea, de aliis fœderis articulis, ut, scilicet iltud, ad offensam et defensam iniretur, ac statutum est juxta aliud sub Paulo III. Hispani autem, nonnullis etiam Pontificiis assentientibus, eam ad id legem adhiberi voluissent, ut adversus intideles omnes societas contlaretur, ac nominatum in Mauritaniam, principemque Seriphum, qui Catholico regi, intra fretum Herculeum, infestus esse poterat. Verum Sorianus obstitit; se non esse ad id agendum (dicens) admissum, nisi ut in Turcas fœdus iniretur; hoc tantum et principes rogatos esse; hoc sibi ab republica in mandatis datum; de ceteris vero gentibus ac regibus nominaliter agere, non esse statuere, sed evertere quod præcipue quereretur. A quibus enim speratur auxilium, eorum non irritandos, sed conciliandos potius esse animos, neque iis injiciendam suspicionem esse, quorum, adversus communem hostem essent expectanda subsidia, nam et Sophum Persarum regem, quem Christianis auxilio futurum sperarent, infidelium numero accenserit. Quo autem ad Mauritanios, quid periculi, aut quam molestiam ab imbellibus et ignavis Afris, nulla ferme classe instructis, Christiano orbi impendere, qui usque adeo omni facultate bellum aliis inferendi carerent, ut potius ipsi omnium injuriis obnoxii essent, ac cunctis adeuntibus prædictæ expositi? Potentissimum certe Hispaniarum regem, minime decere, contra vilissimum hostem sociorum auxilia querere; quin potius omnes societatis vires, omnemque vim belli in Turcarum tyrannum conferendam, cum ea de causa legatos, ac nuntio, a Pontifice circummissi fuisse, ac sese congregatos, consiliaque de societate conjungenda instituta, ipsi intelligere deberent.

97. Ilac igitur præcipue a Morono approbata sententia, saltem adversus eos Mahometanos societatem sanciendam contendere Hispani, qui in fide Turcæ essent, ejusque parles sequerentur, nominatimque Tripolim, Tunetum, Algerium. Neque enim aliter, dixerunt, Hispaniam quietoram, aut faciem laturam tantam pecuniarum vim et hominum, nullo cum suo emolumento, in exlerorum usus consumi, ac de rebus Orientis, quas ad se nihil prope pertinere putaret, dumtaxat agi, et interea tria illa ulcerata, propriis pene visceribus haerentia, quibusque assidue confoderetur, penitus prætermitterentur. Ad haec cum Sorianus dixisset, se nulla ea de re ab senatu habere mandata, ea vero ad se proxime afferri curaret, ab Hispanis depreeatur, res idecirco in aliud tempus rejecta est. Decretum est autem pari omnium consensu, ubi de virium et classium robore sermo incidit,

¹ Ibid. ut supra. — ² Gratian. de bell. Cypr. ib. 2. pag. 410.

ducentarum satem triremium expeditionem esse faciendam; quarum centum res publica, totidem Catholicus rex daret, simulque quinquaginta millia peditum et quinque millia equitum; in quibus parandis, si Venetam rem publicam nimis sumptibus gravari contingere, in ceteris belli sumptibus restaurandam esse, declarari Sorianus voluit.

98. Rursus pariter aliud colloquium habatum est, super expensarum inter fœderatos distributionem, contendente Granvella, minime posse regem, nisi medium earumdem partem ferre, uti jam olim Carolus Caesar fecerat. Sorianus similiter reipublicæ sue tenuitatem, multis argumentis ostendere studuit. Dic multumque de his disceptatum, cum ii sumptus, in singulos menses, ad sexenta fere aureorum numimum millia computarentur; nec Venetam ipsam rem publicam, aliam, quam tertiam partem, ut scribit Bzovius¹, vel quartam, ut Gabutius, et præterea nihil aliud in medium conferendum contenderet. Pontifici pariter eorumdem sumptuum sextam partem imponendum esse Hispani ac Veneti voluerunt. At Pius negavit Pontificium aerarium, multis modis exhaustum, tanto ferendo oneri par esse; ideoque sextæ unciae sibi assignatae, non plus se, quam tertiam partem collaturum dixit; reliquum Philippus et Veneti pro portione supplerent: itaque, re infecta, sessio hæc die dimissa.

99. Subsequentibus autem, crebra pariter inter eosdem habita fuere colloquia, in quibus prolixis concertationibus, de iisdem atque aliis articulis aetum est: quæ omnia hic referre, et longum nimis, et minime necessarium. Præcipua autem eorumdem articulorum capita fuere, de generali duec totius classis creando. De annonæ extractione. De anathematis vinculo, quo fœderis pacta magis constabilirentur. De imperatore, regibus ac principibus aliis, qui federatis sese addituri essent, in quibus, inquit Gratianus², cum satis in aliis concordes, in aliis convenire nullo modo possent, utrisque rem ad sua consilia trahere, et accommodare nitentibus, eaque ab initio fere Julii, ad Augusti mensis principium protracta fuissent; tandem statutum est, ut fœderis formula in Hispaniam ad regem, ac Venetas ad senatum mitteretur, eorumque voluntates expectarentur, ac interea fama in vulgus percussi fœderis ederetur. Quod quidem Hispani (inquit), magis non negarunt potentibus Venetis, quam præstiterunt, famam initæ societatis captare eos suspiciati, quod tolerabiliores inde conditiones pacis ab hoste Turcarum tyranno obtinerent.

100. Et quidem hac ipsa suspicione ductos Hispanos, censurarum, quod memoravimus, caput illud, quo decernebatur, Ecclesiastica ea

pœna eos fœderatorum irretiri, qui sine socio-rum consensu, cum Turcis pacem sive concordiam tractassent, prompto alacrius animo acceptasse, perspicuum est. Venetus e contra, non modo obstitit, quod reipublicæ suæ, ex his notam aliquam impositam esse contenderet, ob ea, quæ in alio fœdere evenerant; sed etiam subdole a sententia revocare Hispanos eosdem studuit, callide ipsos admonens, ut attente eaverent quid efficerent, utpote, quod hujusmodi introductio valde periculosa esset; ne, videlicet, deinceps Pontifices censuris suis principes obstringere ac obligare præsumerent; ex quo certe incommoda plurima poterant exoriri. Cumque, de his cum Pontifice Sorianus disserens, assereret Pius, nullam caput illud offensionem inferre his, qui sincero ac puro animo fœderi incubnissent; et rem publicam e contra haud medieci in suspicione versari, dum contra illud adeo pertinaciter obsisteret; et principes, qui vicissim cum ea se fœdere conjungendi erant, propriæ vellent securitati consulere. Respondit Sorianus, datam inter principes fidem sufficere, nec aliud amplius petendum esse. Quibus quidem verbis fides tandem adhibita, ac caput illud censurarum deletum; licet tanti principis verbis, Pontifice ac Hispanis Pontificiaæ auctoritalis inani ac exegitato metu perterritis elusis, facta deinde, ut innuimus, minime responderint, ut suo loco melius dicetur.

101. Quæ igitur in litteris ultima die Julii datis ad regem Philippum scripsisse Pontificem vidimus, ut nempe ratum habere vellet, quod superioribus diebus quoad fœdus ineundum, communis partium confederandarum consensu constitutum statutumque fuerat; id de aliquot tantum ipsius fœderis articulis, in quos omnes conspiraverant perspicue intelligendum esse cognoscitur. At quod ad ipsum Catholicum regem pertinet, pro insigni sua, qua prædictus erat pietate, formula fœderis accepta, statim se in Pontificis potestate esse respondit, ac ad administratos suos rescripsit, se amplissimam eis facultatem conferre, ut quamprimum fœdus conficerent, neque ulterius, ad ipsum constabiliendum, in Hispaniam, ut de sententia rogarent vel jussa acciperent, mittere Epistolas, vel mandata alia præstolari imperavit: e contra vero Veneti, ipsa accepta formula, in qua aliquot capita esse putarunt, in quibus rem publicam obligari prorsus noluissent; irati Soriano oratori, quem non satis constanter regiorum postulata refellere, nimiumque bello ac fœderi studere inimici accusabant, collegam ei Joannem Sorantium erearunt, subitoque Romam proficisci jusserunt; hominem a societatis consiliis aversum, cuique, nec satis usus et confidentiae plurimum erat. Ejus adventus in Urbem, qui vigesima die Septembris accidit, eaque fuit,

¹ Bzov. Ann. sub anno 1570. — ² Ibid. ut supra.

ut narrat Gratianus, et rebus incommodus, et Pio molestus, qui usque adeo ab hominis ingenio abhorruit, ut prohibitus eum aditu, ac discedere ab Urbe jussus fuisset, nisi veritus esset, ne ex eo Soriani invidiam oneraret, quem ob eximiam prudentiam et integritatem, et non vulgarem, ut in Veneto homine, divinarum rerum doctrinam, mire charum acceptumque habebat, ac pari fide industriaque rem ab eo publicam esse gestam praedicabat.

102. Igitur die vigesima prima Octobris, cum cardinalibus a Pontifice delectis Hispani administrari ac Sorantius convenerunt, fœderis negotium diu interruptum denuo agitatur: Sorianus, vel vere adversa valetudine præpeditus, vel, ut alii existimarunt, ab indignatione morbum simulans, consiliis interesse, aut nequivit, aut noluit. Crebris Granvellani ac reliquorum interrogationibus vexatum ac exasperatum Sorantium scribit Gratianus: alii vero æquius Sorantium coargnere videntur, quod asperis parumque rationabilibus responsis Pontificios una ac Hispanos ministros offendit: hinc quam antea, abire cuneta in deterrios cœpere, ita ut cardinales, quos inter regios Venetosque conciliatores Pius constituerat, sape desperatio cœperit rei e sententia perficiende. Vicit nihilominus cuneta his adversantia, incredibili assiduitate ac perseverantia, omnibus semper firmissimo animi proposito incommodis occurrens Pontifex, qui Sorantium negotio tractando minus aptum intelligens, sessionem aliquam haberi prohibuit, cui Sorianus non interesset; quare, vel expectari imperavit, ut e morbo convalesceret, vel apud S. Mareum eoram eo colloquium instiui mandavit.

103. *Ex auditâ Nicosiae amissione Veneti procliviores ad fœdus.* — At dum inanibus prope altercationibus tempus teritur, ac Hispani una ac Pontificii haud levibus indicis commoti, Venetos a proposito fœderis ineundi abhorre suspicantur, ipsumque delrectare, vel mandante republika, vel proprio abreptum ingenio, Sorantum multis argumentis agnoscent: en Venetiis ad Urbem, die secunda Novembris, captæ a Turcis Nicosiae nuntium defertur, unaque cum eo senatus mandata ad Sorantium et Sorianum veniunt, ut citius quam possint fœderis negotium absolvendum curent. Quod Pii monita ac studia efficere apud rempublicam minime potuerant, vexatio fecit: ut nempe sibi, a Turcarum tyrannde imminentia tandem pericula, Veneti inteligerent ac præviderent. Habitâ idcirco ejusdem mensis diebus quinta, sexta, septima ac octava Sessionibus, in quibus acriter disputatum est, ad extremum concepta fœderis fuit formula, ac in scriptum redacta, qua fœdus ipsum decretum est; illius capitula signata, a singulis oratoribus ad suos principes expendenda ac ponderanda missa sunt.

ANN. — Tomus XXXVII. — LADERICHI III.

104. Unum fuit tamen inter haec data opera prætermissum, quod in eo constabiliendo Pontificii, Hispani ac Veneti inter se convenire nulla ratione potuissent: illudque fuit, de generali totius fœderis præfecto; qui tamen postea, post multas contentiones, assentientibus omnibus, electus fuit, ut situ loco dicetur.

105. At licet imminentis sibi cladi metu, ex Nicosiae ammissione concepto, admonitos Venetos, Facilius quam antea in sententiam fœderis ineundi descendisse narraverimus; hinc tamen a veritate aliena, quæ Maurocenus de his disserens refert, censuisse, minime credi volumus: ubi enim, de Pontifice de Nicosiae ammissione certiore redditio agit, haec habet:

« Pontifex ingenti dolore pereulsus, modo hominum errata defestari, quæ divisi numinis in se iracundiam concitassent; modo nostrorum negligientiam incusare; modo Auriæ graviter succensere, quod, sejnetis a reliquis consiliis, privatas rationes publicis commodis prætolisset, nihil Catholicæ ac potentissimo rege dignum egisset; subinde veritus, ne Veneti infelicibus hisce eventis deterriti, potius de componendis cum Selymo rebus, quam de fœdere nullo cogitarent, Sorantium ad se vocat, humanissimis verbis alloquitur, quæcumque in sua potestate et auctoritate sita sint, omnia ad opem reipublicæ ferendam collaturum; si a reliquis auxilia denegentur, nunquam se defutrum pollicetur; bono animo esse senatum horlatur, neque se, ob acceptam cladem demittere; non omnes belli eventus secundos esse posse; fortunam frequenter dominari, attamen illius malignitatem hominumque peccata corrigi prudentia ac virtute posse, quæ si adhibeantur, ex vicis sœpe viiores efficere consuevit; itaque mandata fœderis perentendi ampliora senatus mittat; omni opera ac studio, ut in eo sanciendo Venetae dignitatis atque utilitatis ratio habeatur, curaturum, atque ut in posterum rectius cuneta administrentur enixurum etc. Haec eadem cum Façinetus Palribus exposuisset, senatus consulta responsum: summum ex his quæ acciderant dolorem dissimulatione tegere non posse: præcipuum Cyprî urbem captam, direptam, rerum feliciter gerendarum opportunitatem amissam, Turcas insolentiores factos. Verumtamen quod eximiam Pii Pontificis Max. in rempublicam voluntatem nosset, illud deum sibi solatio a quo ea sibi certo polliceretur, quæ difficillimo tempore gravissimis casibus, in quibus non tam de Veneta, quam de Christiana republika agebatur, ab egregio ac vere pio Pontifice expectari possent; neque vicissim de senatus voluntate ambigendi locum esse, quam præclaris argumentis cunetis principibus testatam non semel voluisse; quapropter ut fœderis tractationem persequerentur, neque ab iis, quæ ratio atque

æquitas postulareret, discederent, legatis mandaturum ».

106. Addit deinde idem scriptor, ex hoc senatus decreto, ingentem voluptatem cœpisse Pium, quippe qui subveritus fuerat, ne præteritis rerum successibus commotos patres, ad alia consulta capienda deflecterent; quæque animo sponderat, eadem summa adseveratione præstirum legatis affirmasse. Quæ omnia, ut innuimus, nullatenus pugnant cum iis quæ supra proposuimus; post captam nempe Nicosiam siuceriori studio jungendo fœderi Venetos incubuisse: nam pacis consilia cum Turca meditatos fuisse, Pii tantum suspicio fuit, qua commotus, ad bellum acrius ipsos, tot jam adversitalibus perterritos, urgere contendit.

107. Omnibus his sinceriora tamen et de Pii studio, et de Venetorum sensibus intelligi posse arbitramur, ex sequenti quam Pontifex ipse¹, reipublicæ ac ducis respondens litteris, scripsit Epistola:

« Dilecto filio nobili viro Aloysio Mocenigo duci Venetiarum,

PIUS PP. V.

« Dilecte etc.

« Litteras nobilitatis tuæ, xiv præsentis mensis die datas, accepimus, in quibus deplorealis istius et Christianæ reipublicæ calamitatibus, multis nobiscum verbis queritur, de novis difficultatibus, quæ, ut a dilectis filiis oratoribus apud nos suis accepisse se scribit, conclusioni fœderis, de quo adversus communem hostem Turcaram tyrannum ineundo jamdiu apud nos agitur, afferuntur. Ad quæ breviter illud respondemus, ad prædictum fœdus, cuius conditiones tantopere se desiderare scribit, quamprimum stabiliendum, nihil tam necessarium esse, quam ut nobilitas tua, senatusque iste in executiendis et accipiendis his, quæ proponuntur conditionibus, faciliores aequioresque se præbeant, quam adhuc præbuerint, neque omnia subtilius, quam opus sit, exquirere et perpendere velint, nobisque credant cœteros omnes, inter quos de inenndo fœdere agitur, et rectis sensibus ire, et eo animo eaque voluntate esse, qua esse debent. Sed dum nobilitas tua, ideinque senatus minute nimis omnia exquirunt, non solum impedimentum, ac moram negotio conficiendo magnam afferont, sed etiam seipsos suspectos reddunt: quæ res, ad ejusdem fœderis confectionem, non modo retardandam, sed impeditiorem reddendam, maxime valet. Quocirea nobilitatem tuam hortamur, et in Domino vehementer rogamus, ut haec in re paternis nostris consiliis et monitis acqiescere fidemque nobis habere velit; illud sibi

pro certo persuadens, nos nullo modo tale sibi daturos fuisse consilium, nisi hoc ita esse, quemadmodum nobilitati tuæ assūmamus, re ita exploratum haberemus. Datum Romæ, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die xxiv Novembris mœlx, Pontificatus nostri anno quinto.

108. Melitensem equitum magistrum a proposito abdicandi Pius dedit. — Cæterum tot calamitatibus rebusque adversis, quæ hoc anno, ut vidimus, acciderunt, nullatenus excelsum vere Pii animum fractum, vel a proposito insequendi ulterius belli minime fuisse deterritum; præter hæc, quæ modo diximus cum Venetis acta, estimare etiam licet ex his, que ad Melitensem Equitum generalem magistrum scripsit, super ea, quam recensuimus, trium ejusdem Ordinis triremium amissionem. Fuerunt enim hujusmodi:

« Dilecto filio Petro de Monte, magistro Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani.

PIUS PP. V.

« Dilecte fili etc.

« Reddidit nobis dilectus filius frater Laurentius Guasconius, istius Ordinis eques, litteras tuas xxm Julii die ad nos datas, justissimi doloris et molestiae plenissimas, in quibus de tribus triremibus amissis, de tot religionis tuae nobilissimis equitibus ab infidelibus interfectis, magnaque ab isto Ordine accepta calamitate certiores nos fecisti. Qua in re, et si non minorum nos et tota Christiana res publica, quam tu, jacturam fecerimus, dolor tamen tuus, quem de tot fratrum tuorum amissione, magnum te accepisse, ex tuis litteris cognovimus, tantam nobis mœroris causam attulit; ut quia nos de duobus charitas unum effecit, animum nostrum, ob tuam atque istius Ordinis calamitatem, præcipuo quadam dolore, non parum nos ea, quam nobis significas, animi tui inducitio est consolata; quia id quod accidit, aut volente, aut certe permittente Domino, accidisse intelligis, a cuius voluntate divina vel consilio, nefas sit animi nostri sensum abhorrire. Decet autem te, cum communis tibi cum cœteris Christi fidelibus Christianæ religionis, tum præcipue istius Ordinis professionis nomine, ex fratrum tuorum morte, potioris vitae spe, diuturno non affici dolore. Qui enim, contra infideles, fortiter pugnantes occubuerent, hos credendum est ad veram vitam moriendo pervenisse. Habent illi fortasse non injustam diuturni doloris excusationem, qui non nisi præsentem vitam agnoscunt, qui de hoc sæculo ad melius transitum esse non sperant. Nos autem qui novimus, qui hoc et credimus, et alias docemus, nimio de his rebus humanis perturbari dolore non debemus, ne quod apud alios pietatis obtinet speciem, in nobis desperationis culpam afferre videatur. Quocirea devotionem tuam hortamur

¹ Ex Archivo Vat.

in Domino, ut adversis rebus animum non dejectat, sed juxta Sapientis vocem, in die malorum memor sit honorum. Potens est enim Dominus, in mortuorum fratrum tuorum locum, alios vel ex istius insulae Iapidibus excitare. Nos autem, quod reliquum est, quantum per exiguae atque afflictas hujus Sancte Sedis facultates licet, operam dabimus, ut istam tuam Ordinisque jacturam, quamprimum saramus. Quam quidem ad rem, non solum quantum vires nostrae ferre poterint, sed aliquanto etiam plura impendere non recusabimus, et omnino aliquam rationem inibimus, qua tuis, atque istius honestissimi Ordinis, de republica Christiana optime semper meriti, rationibus, adjuvante Domino, consilamus; quemadmodum predicto Laurentio, internuntio apud nos in praesentia tuo, pluribus verbis diximus; quem hominem in negotiis istius religionis tractandis, diligentem et prudentem, tuique et suae religionis studiosissimum cognovimus. Datum Romæ, die sexta Augusti MDLXX, Pontificatus nostri anno quinto ».

109. Ex his autem, uti inquam cognoscitur mira prorsus hujus Pontificis animi magnitudo, ita imperterritum ipsius animi robur non aliunde processisse deprehenditur, quam ex summa ejus in Deum fide, qua in Domino facturum virtutem, murum transgressurum, et ad nihilum hostes Dei ac Ecclesiae se redactorum speravit. Hinc, cum nil omnino propriis viribus fideret, omnia (juxta Apostolum) poterat in eo, qui ipsum confortabat; qua cogitatione armatos etiam desiderans ceteros, a laboribus et calamitatibus fractos, eum ejusdem Melitensis Ordinis magister ab impositi sibi muneris onere levari optaret, ab eo consilio, datis ad illum sua manu scriptis sequentibus litteris¹, revocare contendit:

« Dileeto filio Petro de Monte, magistro Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani.

PIUS PP. V.

« Praeceptoris Sylvæ isthuc proficiscenti has ad te litteras dare voluimus, ex quibus intelligeres, id nullo modo committendum esse, quod seribendis litteris tuis, qui tibi a secretis est nobis retulit. Estate superiore. Secus enim, ejus, qui te singulari quadam providentia, ad istum obtinendum locum divinitus elegit, qui que onus a se humeris tuis impositum ut sustineas vires suppeditabit, obsisteres voluntati. Neque vero est, cur aut ob etatem ingravescenter, aut propter virium imbecillitatem animum despondeas; quin vero magis ad Crucem tuam alacriter preferendam erigere, Christi Domini vestigiis insistens, qui pro nostris peccatis pertulit suam. Ad hoc ipsum autem, eo etiam

arctius debes impelli, quod videas quidquid tibi peregrinationis hujus superest, haud longum futurum. Neque decorum esse, sub vite finem jam progressum, velle eo deportandum omnis deponere. Credo quidem non ignorare te, et quam Iero crucem, longe sua graviorem esse, et quam infirmis viribus praeditus sim, et quam multi me impugnent et perdere conentur, tentantes ut tanti oneris gravitati succumbam. Quod plane fecissemus, aut certe eo nos abdicare cogeremur id, quod efficere aliquando cogitavimus, nisi valde fiducemus non iam viribus nostris, sed ei, qui dixit: *Qui ruit venire post me, abneget semetipsum, et tollat Crucem suam et sequatur me.* Ipse enim, quatensis ad gloriam suam et utilitatem nostram satis esse judicabit, opportunum nobis praebet auxilium, quando absque illius nutu, nec folium quidem arboris dimovetur. Quamobrem cogitationes nostras omnes in Christum Jesum Dominum nostrum projeciamus, ad ejusque voluntatem nostram conformemus: quemadmodum siepius dicere solemus in dies: *Fiat voluntas tua;* quod sicuti ore proferimus, ita sensibus intimis, et ex animo prenuntiemus; ac si in tempestate tranquilli, in laboribus quieti esse volumus, dicamus id, quod ipse liberator, magister, ac doctror noster dicebat: *Non mea, sed tua voluntas fiat.* Atque hoc certo constantique muniti consilio, omnia quantumlibet gravia, saeva, amara, dulcia, jucunda, suavia esse sentiemus. Memineris nobis praedictum esse: *In mundo pressuram habebitis, sed confidite; ego vici mundum;* ac continenter vineit, atque adeo vineat, donec ponat sub pedibus suis inimicos suos. Quod fiet in tempore a se sibi praestituto. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, sext. id. Decembris MDLXX. Pontificatus nostri anno quinto ».

110. His confirmatum paternis Pii adhortationibus Petrum de Monte acquievisse, neque ulterius muneri se abdicare curasse, scribit Bossius, qui eundem, pro officio ad res Ordinis sui gerendas, summō deinde studio se accomodasse etiam asserit.

111. *Cosmum Pius Magnum Etruriæ ducem creat et coronat.* — Dum autem tanta animi celstitudine et magna hac Pius efficit, ac inter prospera immotum se ostendit: et vicissim agere, et fortia perpeti alios docet: ut ad virtutem premiis insuper provocaret, hoc anno ad suscipienda dignitatis Magni Ducis Etruria insignia, qua Cosmum Medicæum ornasse diximus, Romam ipsum vocavit. Cosmus igitur, cum Florentia discessisset, ut habeat Tarcagnotta², die nona Februarii, decima quinta ejusdem mensis, ut narrat in suo Diario Firmanus²,

¹ Ex Arch. Vat.

² Tarcagnot. Hist. par. 3. lib. 13. pag. 217. — ² Firman. in Diar. Pii V. ann. 1570.

Erbeum solemni pompa ingressus est. In aula regia publico in Consistorio die decima octava mensis ejusdem illum Pius excepit, ac mox in Pontificio sacello, tertio nonas Martii, in quem diem hoc anno incidit Dominica *Lætare*, inter Missarum solemnia corona redimivit. At libeat rem hanc referre iisdem verbis, quibus rudi quidem, sed tamen sincerissimo stylo præfatus Firmanus, illam tradidit monumentis. Dicit igitur :

« Die Dominica, quæ de *Lætare* dicitur, quinta dieti mensis Martii, Magnus Dux Etruriæ, indutus subtana brocata, vulgo dicta de riccio, ense inaugurato cum cintura velluti cremesini, et veste desuper longa usque ad terram, ab antea aperta de velluto cremesino, cum manicis largis satis usque ad gemitos de armellinis Federatis, et.... de eisdem pellibus longo per duos circiter palmos, et birreto ordinario de velluto nigro, associatus ab illustrissimis D. D. Marco Antonio Columna, Paulo Jordano, et Comite S. Flora, et multis aliis nobilibus, venit a cameris Turris Borgiæ, ubi habitabat, ad cameram Paramentorum; ad quam cum pervenisset, fecit reverentias cardinalibus, et stetit inter duos presbyteros ultimos cardinales, expectans Sanctissimum Dominum Nostrum, qui tardavit in parva camera Faldae, quoniam orator Cæsaris protestatus est nomine Cæsareæ Majestatis, quod non deveniretur ad aliquem actum præjudicialem, ut dicam infra. Cumque Sanctissimus Dominus venisset ad cameram Papagalli, acceptis paramentis benedixit Rosam, quam tuit eundo ad capellam, secundum morem Magno Duce caudam pluvialis portante.

« Ordinaveram dicto mane cantoribus, quod post Epistolam cantarent Graduale et Tractum usque ad ultimum versiculum exclusive, donec papa legeret Epistolam et Evangelium; et post coronam datam Magno Duci, cantarent ultimum versum, prout fecerunt. Mandaveram decano capellæ, quod dum Sanctissimus Dominus legeret, ut supra portaret librum ad Altare, oscularetur pedes, et diceret : *Munda cor meum*, et faceret sedere celebrantem post dictum Offertorum, et lotionem mannum, usque ad completam oblationem faciendam Suæ Sanetitati per præfatum Ducem. Deinde faceret ire celebrantem ad altare, et, ut Missam ordinario more prosequeretur; et quoniam eo mane Missarum solemnia in longum protrahenda erant; ideo peti a Sanctissimo Domino, ut concio pretermitteretur, et ipse annuit. Ponit insuper mandaveram in parva quadam camera Sacrarii, coronam Magni Ducis, valoris, ut dixerunt, centum viginti scutorum, in bacile aureo cum velo quod erat ab una parte subtilis, et cum alia parte cooperiebatur corona, et in alio bacili argenti inaurati, ponit jussaram virgam argen-

team longam per duos palmos cum dimidio, habentem globulum in summitate, et desuper lillum, in cuius base erat smaragdus, et in qualibet fronda, seu folio liliæ erat rubinus, velo coopertam. Paramenta magni valoris, videlicet pluviale cum femoralio pretiosissimo, cum adamantibus magnæ existimationis posita fuerunt in alio simili, et omnia alia paramenta in quinque alijs bacilibus, et Calix aureus, et patena ponderis octo librarum et septem unciarum fuerat positus in alio bacili. Quæ omnia, ut dixerunt, ascenderunt ad valorem 5000 Ducatorum, oblatæ sunt Suæ Sanetitati. In dicta camera stabant Marcus Antonius Columna et Paulus Jordanus, qui statim associato Duce iverunt illuc, cum Sanctissimus Dominus noluisse eidem dare locum prope solium properor oratores, et ne starent cum dedecore in alio loco, usque ad tempus dandi coronam Duci, steterunt, ut supra.

« Mandaveram sacristæ, quod præpararet librum pro juramento præstando. Dicta Epistola, dum SS. Dominus legeret Evangelium, duxi Marcum Antonium Columnam et Paulum Jordanum ad Magnum Ducem, et cum exirent de sacristia, dixi alta voce omnibus audientibus, quod predicti illustrissimi DD. veniebant sine præjudicio ipsorum et familiarum suarum. Et hoc feci, quia præcedenti die de sero sic fuerat ordinatum, nam eo modo, et non alias etc. Paulus Jordanus volebat dare digniorem locum prædicto Marco Antonio etc.

« Deinde post lectum Evangelium per Sanctissimum Dominum, duxi ad solium, præcedentibus quatuor Mazzeriis, Magnum Ducem, indutum ut supra, capite detecto, cum debitiss reverentiis, associatum cum prædictis Marco Antonio et Paulo Jordano, ac quibusdam aliis nobilibus de familia ipsius Ducis; et cum Dux pervenisset ante solium, genuflexus in parvo scabello, præstitit, et deosculatis etc.

« Illo interim præcedentibus duobus Mazzeriis, duxi DD. Gulielmum Sangalectum thesaureum secretum, et Justinianum Orphinum cubicularium secretum, alte ferentes bacilia cum corona, et virga supradicta, ad solium, quos genuflexos feci stare prope diaconum cardinaliæ a dextris, ubi etiam stetit reverendissimus D. cardinalis Urbinas primus presbyt. cardinalis assistens, usque ad recessum Ducis. Qui Dux, præstito juramento, genuflexit in piano solii a dextris Suæ Sanetitatis, et tunc Sanctissimus Dominus deposita mitra slans dixit versiculos, et orationes, ut infra :

« *V. Pater noster* etc.

« *E. Et ne nos inducas in temptationem.*

« *R. Sed libera nos a malo.*

« *V. Salvum fac servum tuum.*

« *R. Deus meus sperantem in te.*

« *V. Esto ei, Domine, turris fortitudinis.*

« R. A facie inimici.
 « V. Nihil proficiat inimicus in eo.
 « R. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
 « V. Domine, exaudi orationem meam.
 « R. Et clamor mens ad te veniat.
 « V. Dominus vobiscum.
 « R. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

« Prætende, quæsumus, Domine, famulo tuo Cosmo Magno Etruriae Duci dexteram caelestis auxilii, ut te toto corde perquirat, et que digne postulat consequi mereatur.

« Actiones nostras, quæsumus, Domine, aspirando etc.

« Deinde Sanctissimus Dominus sedens cum mitra imposuit capiti Duci genutlexi in parvo seabello coronam, ministratam per reverendissimum D. cardinalem Simonecellum diaconum assistentem, dicens : « Accipe coronam, « insigne amplioris præminentiae, quæ per nos capiti tuo imponitur, in nomine Patris †, « et Filii † et Spiritus Sancti † amen ; et intellige- ges te amodo ad defensionem fidei, sacro- « sancte Ecclesie, viduarum, pupillorum, et « quarumeumque aliarum miserabilium perso- « narum fore debitorem, velisque deinceps utili- « lis esse executor, perspicuusque dominator « eorum Domino, et inter gloriosos athletas, « virtutum merito ornatos appareas, quam gra- « tiam tibi concedere dignetur Dominus noster « Jesus Christus, qui cum Patre et Spiritu « Sancto vivit et regnat in saecula saeculorum ».

« Postea simili modo dedit ei virgam, dicens :

« Accipe virgam directionis, et justitiae in « nomine Patris † et Filii † et Spiritus Sancti † « Amen : per quam valeas unicuique secundum « merita sua tribuere, sive bona, sive mala, « semper Deni ante oculos habens, non declini- « nans a dextris, vel sinistris, sed cum omni « charitate bonis faveas, malos coerceas, ut « omnes intelligent, et sciant te justitiam dile- « xisse, et odisse iniquitatem, quam gratiam « libi concedere dignetur, qui est benedictus in « saecula saeculorum. Amen.

« Postea sine mitra stans dixit :

« Deus, Pater æternæ gloriae, sit adjutor tuus « et protector tunc omnipotens, benedicat tibi, « preces tuas in cunctis exaudiat, et vitam « tuam longitudine dierum adimpleat, statum « dominii tui jugiter firmet, et gentes popu- « lumque tuum in aeternum conservet, et ini- « micos tuos confusione induat, et super te « sanctificatio Christi floreat ; ut qui tribuit « libi in terris dominium, ipse in Cœlis confe- « rat præmium, qui vivit et regnat in saecula « saeculorum. Amen ».

« Quibus factis, Magnus Dux, osculatis pedi- bns Suæ Sanctitatis, associatus a reverendissi-

mis Madrutto et Alciato, ultimis presbyteris cardinalibus, qui venerant usque ad gradus solii tantum, factis reverentiis cum genutlexione, rediit eum corona et virga ad banclum cardinalium, sed sitque in loco consueto, et Marcus Antonius Columna, et Paulus Jordanus remau- serunt ante ipsum, et servierunt, unus impo- nenda et deponenda congruis temporibus corona, alter in tenendo vel tradendo sceptro, prout ego cuiilibet ipsorum mandabam. Cantores tunc dixerunt ultimum versiculum, quo interim Sanctissimus Dominus posuit incensum ad Evangelium, secundum ritum, et tunc feci deponere coronam, et dicto CREDO per Sanctissimum, sedit Dux cum corona et virga. Ad ver- sum : *Et incarnatus est de Spiritu Sancto*, quando cantores dixerunt, profunde se inclina- vit. Dicto Offertorio, deposita corona et virga, et ab illis, quibus ipsas tradidit associatus, praecedentibus quatuor mazzeris cum reveren- tiis accessit ad solium, et genutlexit. Illo inter- rim nobiles sui, tulerunt bacilia cum calice et paramentis præfatis, praecedentibus duobus mazzeris, quæ omnia Dux seriatim obtulit Suæ Sanctitati, cum osculatione oblatorum, que munera Sanctissimus Dominus mandavit conservari per sacristam. Deinde Dux osculatus est pedes et manus, et receptus ad osculum oris ; postea rediit ad sedendum cum corona et virga, cum quibus decreveram facere ipsum incensare ; sed quia incæpta fuit Praefatio, ante quem Diaconus perveniret ad eum, fuit incen- satus capite detecto stans ; et dicto Sanctus, Sanctus, Sanctus, genutlexit usque ad comple- tam elevationem, et deinde stetit usque ad dictum Agnus Dei, postea genutlexit usque ad Postcommunionem. Postmodum sedit cum corona, et ad Orationem stetit capite disooperto, et ad benedictionem genutlexit ; hinc tulit cau- dam pluvialis cum corona et virga. Interfuere Missæ cardinales triginta tres, qui fuerunt, ut infra, oratores Sabaudiae, et ipsius Magni Duci, qui erant prælati.

« Ex laicis oratoribus nullus interfuit. As- sistentes fuere qui supra. Multi barones sede- runt in gradibus solii ; magnus populus fuit in capella. Indulgentiae fuerunt quindecim anno- rum, quas publicavit reverendissimus dominus celebrans, qui fuit cardinalis Sabetus.

« Cum Sanctissimus Dominus pervenisset ad cameram paramentorum, cum debitis cere- moniis dedit rosam Magno Duci Etruriae, capite detecto genutexo stanti : qui sine corona et virga, postquam Sanctissimus Dominus disces- sisset, fuit a collegio associatus gestans rosam secundum ritum, usque ad tertiam aulam Tur- ris Borgiae, medius inter duos antiquiores dia- conos, post omnes cardinales ; et in dicta aula ixit cum rosa ad agendas gratias cardinalibus in circulo stantibus, et fuit stans, donec omnes

discesserunt, semper tenens rosam, non tamen coronam.

« In parva camera faldæ erant dicto mane reverendissimus Moronus, Alexandrinus, et ab Ecclesia, atque D. de Torres clericus cameræ, et quidam cubientarii secreti presentes V. G. RR. DD. Gulielmus Sangalletus thesaurarius secretus, Theodosius Florentinus, Justinianus Orsinus, et D. Franciscus de Dianora et D. Cæsar Glorierius, quando orator Cæsaris iuit protestatus, nomine suæ Cæsareæ majestatis, quod non daretur nova dignitas sive novus titulus Duci Florentiae, ex quo florentia et Senæ erant cameræ imperialis, et ad imperatorem spectabat illud agere, et quod nullum fieret præjudicium sacrae Cæsareæ majestati, alias etc. Procurator fiscalis dixit, quod non audiretur orator prædictus, nisi constaret de legitimo mandato. Ad quæ respondit orator ipse, quod habebat litteras suæ majestatis equipollentes, et petita copia, dixit se nolle dare ei, sed daret Sanctissimo Domino, si vellet eam. Sanctissimus vero Dominus non petiit, sed imposuit præsentibus ibi silentium, ne aliquis loqueretur de dicta protestatione, et dixit se, neque agere, neque acturum nisi quod legitime poterat.

« Die postea Martis sequentis, de mandato Suæ Sanctitatis, feci vocare ad congregationem reverendissimos DD. Moronium, Farnesium, Sabellum, Urbinate, S. Sisti et Madruti, ut cum eis consultaret, quid esset respondendum Cæsareæ majestati, circa protestationem factam per suum oratorem et coronam datam primum Duci.

» Die Lunæ sexta dicti mensis, Magnus Dux, quia de proximo volebat recedere, incepit visitare cardinales, et secutus fuit, donec mansit in Urbe; et illo interim fecit distribuere infinitas eleemosynas per urbem diversis miserabilibus personis et locis piis ».

112. Profert deinde Firmanus¹ formulam juramenti, ab ipsomet Magno Duce Etruriæ præstigi vernaculo sermone: quæ in latinum conversa hujusmodi extilit; dicit enim:

« Formula juramenti præstigi in manibus Sanctissimi Dni nostri Papæ Pii Quinti, per Magnum Etrurie Ducem, antequam ei ab ipso Pontifice sceptrum ac corona traderentur.

« Ego Cosmus Medicus, Magnus Etruriæ Dux, promitto ac spondeo sacrosanctæ Apostolice Ecclesiæ, et huic Sanctæ Sedi, et vobis Pio divina providentia papæ Quinto, assuetam obedientiam ac devotionem, quam jam per oratores meos præstitisse memini, quæcumque Christiani principes præstare tenentur: atque promptum paratumque me offero, ut omnibus viribus exaltationem ac defensionem sanctæ Catholice fidei curem, ita ut in omnibus Beatitudini Ve-

stra, ac successoribus ejus, utpote veris in terris Christi vicariis, gratum animum meum, ut Catholicum principem decet, exhibeam, ob plurimas gratias, favores ac honores in me, ac successores meos, a Sanctitate Vestra atque haec S. Sede collatos. Sic me Deus adjuvet, et haec S. Evangelia ».

113. Cardinales autem, qui huic coronationi, juxta eundem Firmanum interfuerent, extiterunt, qui sequuntur:

« Joannes Moronus cardinalis episcopus « Portuen.

« Christophorus Madruti, card. episcopus « Prænestin.

« Otho Truchses, Germanus, card. episcopus « pns Albanen.

« Alexander Farnesius, card. episcopus « Tusculan.

« Julius de Ruyere, Urbinas, card. tit. « S. Petri ad Vincula.

« Joannes Riccius Politianus, card. tit. « S. Mariae in Transtiberim.

« Scipio Rebiba, Siculus, card. tit. S. Angeli.

« Joannes Antonius Sorbellonus, card. tit. « S. Mariæ Angelorum in Thermis.

« Antonius Granvellanus, card. tit. Anatoliasiae.

« Stanislaus Ilosius, Polonus, card. lit. « S. Prisciæ.

« Franeicus Paceus, card. tit. S. Crucis in Jersalem.

« Marcus Antonius Amulius, card. tit. « S. Marcelli.

« Hieronymus Austriacus, card. tit. S. Martini in montibus.

« Joannes Franciscus Gambara, card. lit. « S. Potentianæ.

« Nicolaus Cajetanus, card. lit. S. Eustachii.

« Inicus Ayulos de Aragona, card. lit. « S. Laurentii in Lucina.

« Marcus Antonius Columna, card. tit. « SS. Duodecim Apostolorum.

« Prosper Santacrucius, card. tit. S. Hieronymi in Via Flaminia.

« Zæcharias Delphinus, Venetus, card. tit. « S. Mariae in Aquiro.

« Joannes Franciscus Commendonus, card. tit. S. Ciriæ in Thermis.

« Marcus Antonius Bobba, card. tit. S. Sylvæ vestri.

« Hugo Boncompagnus, card. titul. S. Xisti.

« Flavius Ursinus, card. tit. SS. Marcellini et Petri.

« Alexander Cribellus, card. tit. S. Joannis ante Portam Latinam.

« Guido Ferrerius, Vercellensis, card. tit. « S. Agnetis in Agone.

« Benedictus Lomellinus, card. tit. S. Sabinæ.

« Gulielmus Sirletus, card. tit. S. Laurentii in pane et perna.

¹ Ibid. ut supra.

« Fr. Michael Bonellus, Alexandrinus, card.
« fil. S. Marie supra Minervam.
« Ludovicus Madrutius, card. tit. S. Onu-
« phrii.
« Franciscus Alciatus, card. tit. S. Susanna.
« Hieronymus Simoncellus, card. tit. SS.
« Cosmi et Damiani.
« Ferdinandus Medicanus, card. tit. S. Mariae
« in Domnica.
« Joannes Paulus ab Ecclesia, card. tit.
« S. Paneratii.
« Jacobus cardinalis Sabellus, qui Missam,
« ut dictum est, celebravit ».

114. Magnus autem Hetruriæ Dux, Floren-
tiam petiturus, Roma die decima tertia ejus-
dem mensis digressus est, non tam præclaris,
quos audisti, cumulatus honoribus, sed spiri-
tualibus etiam auctus incrementis. Pius enim
principis, quem ex animo diligebat, non ita au-
genda dignitati temporali incumbuit, ut eo ma-
gis spiritualia, quæque ad animæ illius utilita-
tem essent, non curaret: quod quidem pluribus
argumentis testatus est nobis, Magni illius Cos-
mi, et dignitatis hæres et nominis Magnus alter
Cosmus III. Omnia vero et singula, brevi com-
pendio, quod hujus operis institulum obiter
permittit, complecti non datur.

115. *Imperator nullitatis arguit hanc promotionem et per oratores protestationem opponit.* — Cælerum quoad protestationem, quam vidi-
mus a Maximiliani oratore factam, Maximili-
anus ipse, ut eam reiteraret, in proprio cubiculo
coactis eorum archiduœ Ferdinanduœ fratre suis
consiliariis, aliisque principum oratoribus,
scripturam, qua de nullitate protestabatur,
contra novam dignitatem a Pontifice Cosmo
collalam, legi mandavit, eamque deinde publice
edi jussit. Ad regem Catholicum insuper, et ad
rempublicam Venetam litteras dedit, enixe
deprecans, ne Pii factum approbarent, nec ma-
joribus titulis, his, quibus prius usi fuerant,
Cosmum decorarent. Ille duorum aulicorum
consiliariorum suorum legationem ad Pon-
tificem decrevit, qui in Consistorio, coram ipso
Pontifice et cardinalibus, Cæsaris nomine, præ-
fatam protestationem recitarunt, et deinde, Pio
eodem instanti, scripturam super jure Cæsaris
in Florentinum ducem prolulere.

116. Verum, ut scribit Hadrianus¹, Ponti-
fex, nonnullis cardinalibus (qui forte iidem
fuere, quos Firmannus hac ipsa de causa con-
gregatos Pii jussu referit), ut responderent Cæ-
sareis oratoribus præcepit; interimque ad Ma-
ximilianum sic scripsit²:

« Charissimo in Christo filio nostro Maxi-
miliano, Hungariæ et Boemie regi illustri, in
Romanorum imperatorem electo.

PHIS PP. V.

« Charissime etc.

« Litteras M. T. die xxix Martii datas acce-
pimus, dilectosque filios oratores tuos, in quo-
rum cædem littere fidem scriptæ sunt, non
solum ipsi privatim, sed etiam in cætu ven-
fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium audi-
vimus: quod quamvis parum nobis conveniens
videretur, propterea quod nihil ea de re M. T.
in suis litteris adscripserat, tamen, cum a nobis
suo nomine vehementer petitum esset, libenter
majestatis tue causa fecimus id, quod aliqui
facturi non fuisseamus. Eorum postulatis, quid
de eorumdem ven. theatru nostrorum consilio
respondendum sit, maturius cum illis conside-
rabimus, responsionemque ad M. T. deferendam
curabimus. Nam quidem id solum roga-
mus, ut non solum responsum, sed etiam
faelum ipsum nostrum, de quo tantopere labo-
rare videtur, quieto et pacato animo, et ab om-
nibus perturbationibus libero, diligenter atten-
dere, et prudenter considerare velit: illud,
quod verissimum est, pro certo sibi persuadens,
eam esse populis prepositorum actionem lau-
dabilem, quam non animi commotio, sed om-
nium commotionum moderatrix ratio dictat.
Hoc enim si fecerit, non modo intelliget, nos
id, quod decebat, quodque officio nostro con-
gruebat, fecisse, sed etiam nullum majestati
tue præjudicium intulisse; quemadmodum
persuasum est ab illis, quos erga M. T., neque
pari studio aut observantia, neque æqua propensa
voluntate, atque est ipse Magnus Hetruriæ
sibi subjectæ Dux affectus esse compertum
habemus. Quod ita esse quemadmodum affir-
mamus, idonea occasione oblata, M. T. aliquau-
do cognoscet, qua illud etiam quandoque in-
tellectoram esse non dubitamus, ab eisdem
hominibus, talia sibi esse persuasa, qualia pro-
cul dubio M. T. persuasissent quicumque ei
capitalliores hostes sunt. Quod quam verum sit,
quantoque hæc ad eam paternæ erga se chari-
latis ardore scribamus, ante cuius conspectum
omnia nuda et aperta sunt, quique scrutator
est cordium, ut M. Tuæ menti, pro sua miseri-
cordia aperire dignetur rogamus. Datum Romæ
apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die
xxv Aprilis mcccxx, Pontificatus nostri anno v ».

117. Aulici vero Cæsarei consiliarii, a prie-
signatis a Pio cardinalibus sue protestationi
non expectato responso, in Germaniam reversi
sunt: illud nihilominus Pontifex ordinario
Maximiliani oratori ad hoc vocato coram ple-
risque cardinalibus reddi voluit, (ut narrat Ha-
drianus³): et factam protestationem in hunc
modum retudit: Imperatorem nullum jus ha-
bere super Florentiam, nec a Carolo Quinto,

¹ Ibid ut supra. — ² Ex Arch. Vatic.

³ Hadrian. lib. 21, pag. 1520, et 1524.

nec ab alio; nec Cæsarum aliquem unquam investitum fuisse Alexandrum Medicum aut alios; imo semper libertatem suam Florentiam retinuisse. Quapropter, quod in ea ac de illa factum fuerat, id totum civibus tribuendum erat, facultatem habentibus, ut liberis ac civitatis ejusdem arbitris. Carolum vero Quintum in bello geslo anno 1530, nil aliud egisse quam quod in partes scissa republica, parti uni adhaeserat auxiliunque prestiterat: hinc tamen nullam potestatem nullumque jus in illam, nec sibi, nec successoribus suis fuisse adeptum ». Et haec ad refellenda prælensa Maximiliani in Florentinam Rempublicam ac ditacionem jura: nam ad propria vindicanda, præter ea, que per cardinalem Commendonum, quem sequenti anno legatum ad Maximilianum misisse dicemus, ipsi Cæsari significari curasse commemorabimus, memorabile est dictum illud, quo statim factam protestationem respuit: « Imperatores ipsos, nempe, tales, nec haberi, « nee dici, nisi Apostolicae Sedis auctoritate ». Quæ verba (inquit ab Alexandro¹), omnium gustui non sapiunt, et præcipue proculdubio Thuano² dispiuerunt, qui non verba modo, sed factum etiam multimode redarguendum dicit, et eo magis, quod a Pontifice æquitatem et animi moderationem professo processerit; insolensque illud plerisque visum fuisse scribit; tum vero Cæsari gravissimum, quod ad illius et imperii laud dubiam injuriam pertinere existimaretur. Addit deinde exacerbatis imperii principibus, postremo eo rem devenisce, ut Pontifex, quamvis natura sua morose pertinax, ægre sententiam mutaret, ejus vero rationem ut ulli redderet nunquam adduci posset, de ea re tamen sibi cum Cæsare agendum existimavit, ideoque per Joannem Franciscum cardinalem approbare factum conatum fuisse, asserit.

118. At quam fabulosa ac inepta haec et alia a præfato scriptore tradita, sint existimanda, ex facto ipso pensare licet. Noluisse quidem Pium, ante Cosmum inaugurationem de illa commonefacere Maximilianum et Philippum Hispaniarum regem, ne ipsam illi impedire conarentur, ut narrant Gabutius³ et alii, non diffitemur; tamen post inaugurationem (quæ cum fere perageretur, tantummodo expostulationem orator Cæsareus fecit), illico ei ut responderetur curasse; manifeste oslendir, ex præfato Firmani Diario, ex quo, ut vidimus, habetur, terlia ab ipsa inauguratione die, cardinales Moronum, Farnesium, Sabellum, Urbinate, S. Xistii, et Madritium, in consilium a Pio adhibitos fuisse, ut quid protestationi factæ respondendum esset decernerent. Imo respon-

sum expectare nolentibus aulicis consiliariis a Maximiliano missis, nihilominus, quodammodo reluctantem, ut ipsum audiret, compulisse Cæsareum oratorem, supra ab Hadriano testatum habes.

119. Quo vero ad imperii principes, quos Thuanus ipse Pii facto exacerbatos dicit, ex eodem Hadriano intelligimus, quod cum astivo tempore, ad Spirensia comitia, hoc anno, ut infra dicetur, coacta, Ferrarie dux oratores suos misisset, ut imperii electores ac principes, contra Pium ac Cosmum nova dignitate insignitum commoveret; Maximilianus in primis, licet rem ægre tulisset, ne Pontificis tamen auctoritati, in frequenti hæreticorum consessu detrahere videretur, (id ei prohibente Catholico rege), nil omnino contra Cosmum agendum vel dicendum duxit; et licet missas ad se, tum a Cosmo, tum a filio una cum novæ dignitatis Diplomate Pontificio litteras, recipere reensaret, factæ per oratores suos protestationi id nullatenus convenire existimans, tamen primum in se deferuisse indignationis ardorem, plurimis argumentis significavit. Cæleri vero principes gravioribus studiis intenti, extero rum levissimæ quæsitioni, animum adjicendum esse non censuerunt. Catholici autem ac præcipue Ecclesiastici electores ac præ iis omnibus insignis ille ac mirificus Catholice veritatis assertor Albertus Bavariae dux, se quod Pius fecerat, Apostolica ac legitima auctoritale, non approbare non posse palam professi sunt. Irrito demum conatu, ad majorem saltem aliquem gradum promoveri Ferrarensis ducem ipsius oratores obtinere contenderunt; nam Maximilianus, ne Pontificem offendere, id præbere pariter delrectavit.

120. Ducem Ferrarensem Pius vetat sistere ad aliud tribunal quam ad Romanum. — Ne tamen, que ad Cæsareæ majestatis jura perlucere existimabantur, negligere videretur, litem de dignitatis prærogativa, inter Etruseum et Ferrarensem jam diu motam, rursus coram se agitari curavit; ideoque utrumque in jus vocavit. At cum Ferrarensis, ne Pontificis indignationem magis provocaret, ul sibi Cæsaris mandato parere liceret, ab eodem Pio enixe deprecaretur; Pontificem districte illi prohibuisse, ne, tanquam Ecclesiae subditus tribunal aliud quam Romanum adire præsumeret, scriptores tradunt. Quapropter eum facto abstinuisse referunt. Verum rem aliter se habuisse, testanlur litteræ ad Ferrarensem eumdem ducem datae; nam eum ad Pium delatum esset, ipsum Cæsareum tribunal, causam per procuratores suos acturum jam adiisse, statim ad illum haec scripto tradita mandata misit:

« Dilecto filio nobili viro Alphonso Estensi duei Ferrarie.

« Charissime etc.

¹ Ab Alevan. Sacul. XV et XVI, par. prima, pag. 257. — ² Thuan. Histor. lib. 43, pag. 614. — ³ Gabut. Vit. Pii lib. 3, pag. 46. Bzov. et alii.

« Nuper in notitiam nostram perlatum est, nobilitatem tuam, quarundam prætensionum causa, quæ ad istius Ferrariensis dueatus prærogativam et præcedentiam pertinere dicuntur, tanquam imperatoris vassillum, charissimum in Christo filium nostrum, Maximilianum in imperatorem electum, tanquam hujusce causæ judicem competentem adiisse, et coram ipso atque ab eo deputatis, ad judiciales actus processisse, et procedere, ut specialiter in eo actu, cuius exemplar, quod ad manus nostras pervenit, his inclusum litteris ad nobilitatem tuam mittimus, factum ab ea esse dignoscitur. Ea res, si vera sit, pro eo ac debuit, animum nostrum vehementer commovit, nec minore nos pro rei novitate admiratione, quam pro nostra erga te paterna benevolentia dolore affectit. Mirati quidem fuimus, nec satis adhuc credere possumus, te, qui a felic. record. prædecessoribus nostris Pontificibus Romanis, sanctaque hac Sede Apostolica, istius quem obtines Ferrariensis civitatis ducatum, per majorum tuorum Ferrariensium marchionum ducumque manus tibi traditum accepisti; cuius etiam directum dominium ad nos eamdemque Sedem pertinere non ignoras, usque adeo principalis tui directive domini Romani Pontificis oblitem fuisse, ut jurisdictionem, dignitatem auctoritatemque nostram, atque hujus S. Sedis Apostolice maiestatem violare, ei in rebus ad ejusdem Ferrariensis dueatus quascumque pretensiones prærogativamque pertinentibus, tanquam alienus vassallus adire alienos judices, et in alieno foro jus tuum judicio experiri, ausus fueris. Doluimus autem, si tu, qui scire debueras, eos, qui Ecclesiæ potestatem jurisdictionemque, cui subjecti sunt, relinquunt, Deum relinquere, neque ulli hominum pejus quam sibi ipsis consulere: magna tamen cum animæ tuae pernicie Romanæque Ecclesiæ contemptu, de rebus ad Ferrariensem ducatum pertinentibus, ad eos quos non debes, tanquam ipsorum vassallus, retulisti; si ejusdem ducatus nomine feudarius noster eum sis, alterius vassallum te fecisti. Atque utinam Deus cordi tuo aperiat, non modo, quale quantunque sit, de quo tecum expostulamus, sed etiam quanto haec ad te paternæ charitatis ardore scribamus. Quia tamen, pro commissi nobis, quamvis indignis, summi Apostolatus officio, nullo modo in tali tantoque nostro, ac S. hujus Sedis Apostolice præjudicio detrimentoque connivere possumus; idecirco nobilitatem tuam paterne monemus et in Domino vehementer hortamur, ut si prædicta vera sunt, illio atque has litteras acceperit, omnibus, quos in ejusmodi causa, apud Cæsarem habet procuratoribus evocatis, hujusmodi actis judicialibus quibuscumque, per se vel procuratores suos postulatis vel obtentis, renuntiet, et de renuntiatione et revocatione, pu-

blico Instrumento, intra sex dies, post has litteras acceptas, per se, vel per procuratorem suum, in manibus dilecti filii nostri Alexandri, tit. S. Mariae in Via presb. cardinalis, Bononiae et Exarchatus Ravennæ, et provincie Romanodiœ legati, nos certiores faciat. In quo nobilitatem tuam illud scire volumus, sicut nobis gralissimum sibique utilissimum futurum, si, quemadmodum debet, paternis nostris monitis et hortationibus obtemperaverit; sic etiam nobis molestissimum futurum, si eadem nostra paterna monita hortationesque, quod non putamus, audire neglexerit. Dat. Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die ultima MDLXX, Pontificatus nostri anno V ».

121. Cosmus ad Maximilium mittit legatum. — Quid ad hanc dux Ferrariensis responderit, dicetur anno sequenti.

Cosmus Medicus e contra, dum Cæsar ac Pontifex invicem litteris contendebant, ne parvi facere Maximiliani auctoritatem videretur, ad eum Joannem Baptistam Cocecum misit, qui una cum altero suo oratore Ludovico Antinoro, hujus causæ machinam dissolveret; ut tandem affectum fuisse, agente præcipue cardinali Commendono Apostolico legato, suo loco diceatur; cum eo potissimum spectasse Maximilium narrabimus, adeo insigni controversia commota, ac diu ac multipliciter agitata, non tam ut imperialis majestatis privilegium tueretur, quam ut eo nomine pecuniae plurimæ a Cosmo ejusque filio Francisco exprimeret ac extorqueret.

122. Philippi Hispaniæ regis infensus animus in Cosmum. — Philippum vero Catholicum regem, non minus quam Maximilium, nova Cosmi dignitate offensum delinire haud facilis fuit; nam misso ad hoc peculiari ad Pontificem legato, alteram nullitatis protestationem facere imperavit, ac Cosmo se ita indignatum ostendit, quod timorem belli in Etruriam inferendi merito inesserit. Quo cognito, ut narrat Hadrianus⁴, Hugonotte Galli, apud Galliarum regem egerunt, ut Cosmo suaderet, quod pecunia saltem, Auriaci conatus in Belgio contra Catholicum regem foveret, ut ea ratione, a sententia res Italicas turbandi, tum ipsum, tum Maximilium, in eamdem rem, ut aiebant, conspirantem, revocarent. At sicut ingruentis Turcici belli propositum, cui, ut diximus, Philippus animum adjecerat, ab ea illum cogitatione abs-traxit; sic ineonessa Cosmi pietas ac religio, eum ab ineunda cum sectariis Ecclesiæ hostibus familiaritate et amicitia constanter absterruit; unde oblatas ab illis conditiones, licet sibi ac propriae securitati profuturas, invicto ac vere Catholicæ animo rejecit.

123. Sicut vero falsitatis ac erroris rite coarguendus esset, qui Samuelem superbiæ ac insolentiae reprehenderet, quod primos Judæo-

rum reges ipse inaugurate præsumpsisset, sic pariter assentatoria illa Thuani aliorumque temeritas, qua Pii tum facta, tum dieta, in hac Cosmi Medicai inauguratione reprehendere ausi sunt, perpetuo silentio damnanda cognoscitur; et eo magis, quod communis omnium consensu, plus est Ecclesia quam Synagoga, nec inferioris conditionis ac potestatis propheta veteris legis, quae tantum futurorum, ut scribit Apostolus, habuit umbram, novæ Pontifex Summus habendus sit. Ignoravit profecto Thuanus, servari a Pio potuisse et humilitatem in corde et dignitatem in opere; nee insolens ipsius factum vel dictum judicare potuisse, nisi, qui a sanctissimorum Pontificum innumeris illud confirmatum ignorarunt exemplis; vel qui demum aulica assentatione (quæ modo heu! in ore fere omnium auditur, laicæ potestati cuncta tribuentur), quod olim Ambrosio dictum recolitur¹, detestando commento decantare consueverunt, ut iis se probent, quorum vel timent offensam, vel promereri satagent gratiam: « In potestate, nempe imperatoris esse omnia ». At de his anno sequenti.

124. *In ornando Cosmo purus et rectus Pontificis animus.* — Verum nil aliud, quam Cosmi pietati ac religioni remunerandæ Pium prospperisse; nec ullum, præter id, suum commodum quæsiisse; nec temporalis alicujus utilitatis accessionem Romanae Ecclesiae facere voluisse; manifeste ostendit ea, quam supra retulimus, requisita ab ipso Pio et præstata a Cosmo formula juramenti. Per eam siquidem, nihil aliud Pio spopondit Cosmus, nihil aliud a Cosmo accepit Pius, quam assuetam obedientiam ac devotionem, quam jam ante collatum sibi beneficium præstiterat, quamvis Christiani principes, ex more præstare tenentur. Et hæc animi puritate, qua in eo quod egerat proprium aliquid non exquisierat, suffultus Pontifex, non modo (ut refert Hadrianus², illum facti nunquam pœnituit, quin, quamvis pluribus, quam existimaverat, curis, ipsum ea de causa angi contigerit, asserere nihilominus consuevit: si non fecisset, se certe rursus eo honore Cosmum ornaturum; quod apud se Magni Ducis virtutes ac merita plus valerent, quam quævis ærumnarum ac molestiarum ingravescentium vel quæ imminere posset, moles non prævaleret.

125. Hac ipsa de causa apud cunctos Christianos principes totis viribus egit, ut traditæ a se dignitatis honore, Cosmum prosequerentur; ut patet ex hac, præ aliis, ad Francorum regem scripta Epistola:

« Charissimo in Christo filio, Carolo Francorum regi Christianissimo³.

¹ D. Ambros. Epist. lib. 2. Epist. 44. Tom. 2. — ² Hadrian. ibid. ut sup. — ³ Apud Gouy. Epist. 4. lit. 46.

PIUS PP. V.

« Charissime in Christo fili nostro, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Quibus de causis quam justis quamque honestis adducti, superiore anno dilectum filium nobilem virum Cosmum Medicem, litteris nostris Apostolicis sub plumbo, Magnum in Etruria sibi subjecta Ducem creaverimus, eumdemque paulo post inter Missarum solemnia, regali corona cæterisque insignibus manibus ipsi nostris ornaverimus, majestati tuae neque ignotum neque obscurum esse putamus, quæ eximum ejusdem principis erga rem publicam Christianam studium, et propensissimam erga se regnumque suum voluntatem, bene cognitam habet. Quia vero ad nostram atque hujus S. Sedis Apostolicæ dignitatem valde pertinere intelligimus, ut quem illi, ob egregias illius virtutes, præclaraque erga religionem Catholicae merita, honorem habuimus, eumdem cæteri quoque Christiani principes habeant; et in ipsa re illam, quam par est, Apostolicis litteris obedientiam reverentiamque exhibeant; idcirco majestatem tuam hortamur, et quo majore animi studio possumus, rogamus, ut quod prædicto Magno Duci facturam sese demonstravit, ut ei loci sui, qui earundem litterarum nostrarum decreto ipsi debetur, possessionem, vel assignaret vel assignatam conservaret; id sine ulla longioris temporis mora quamprimum exequi atque ad effectum adducere velit. In quo, præterquamquod majestas tua id factura est, quod litteris nostris concessionique Apostolicæ est consentaneum; præterea principem sibi conjuncissimum tuæque majestatis studiosissimum perpetuo sibi est obligatura, nobis autem ipsis rem gratissimam factura. Nostra enim maxime interest, non solum ut hujus S. Sedis Apostolicæ dignitatem, apud Christianos principes conservemus, beneficiumque, quod principi pietatis religionisque laude præstantissimo dedimus, quantum in nobis est, tueamur; sed etiam tantam apud majestatem tuam auctoritatem habere videamur, ut in ejus regno, ea, quæ debet, Apostolicarum concessionum ratio habeatur. Quod si majestas tua fecerit, quemadmodum facturam esse pro certo habemus, id gratissimo animo accipiemus, tale erga nos. Sanctamque hanc Sedein Apostolicam majestatis tuae obsequium in memoria semper habituri, et quibuscumque paternæ nostræ erga majestatem tuam benevolentiae ac voluntatis officiis, quando cum Domino poterimus, libentissime idonea occasione oblata remuneratur. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die tertia Novemboris MDCXX, Pontificatus nostri anno quinto ».

126. At inter præcipuos principes, solam Calharinam Galliarum reginam, quod familiam

suam eo honore insignitam gauderet, et Carolum illius filium, novo Magni Ducis titulo Cosmum, invito licet Maximiliano, ac Ferrarie duce, decorasse, scribit Hadrianus¹. Utrum vero id Carolus egerit, Pii monitis ac adhortationibus permotus, vel quod ea occasione, ut innuimus, contra Philippum Hispanie regem, Cosmum specioso titulo illectum, concitare voluerit, incomperatum est.

427. Creatio cardinalium. — Paulo post Cosmum nova dignitate ornatum, (nempe decim. sext. kal. Junii hujus anni) Pius ad Ecclesiasticum cardinalatus munus, plures etiam promovit; nempe Marcum Antonium Maffeum, Romanum; Gasparem de Zuniga Avellaneda, e Mirandæ Comitibus, Hispanum; Gasparem Cervantes, pariter Hispanum; Nicolaum de Pelleve, Gallum; Julium Antonium Santorium, Caserlano; Petrum Donatum Cœsum, Romanum; Carolum de Grassis, Bononiensem; Carolum de Angennes de Ramboville, Gallum; Fr. Archangelum de Blanchis, ex Ordine Prædicatorum, Insubrum; Fr. Felicem Perettum Picenum de Montealto, ex Ordine FF. Minorum Conventualium S. Francisci, qui postea ad Summum Pontificalum evectus, Sextus Quintus nuncupatus est; Paulum Aretinum, Neapolitanum, seu potius Itriensem, ex Ordine Clericorum Regularium Theatinorum; Joannem Aldobrandinum Florentinum; Frat. Vincentium Justinianum Generalem Ordinis Prædicatorum Magistrum, Genuensem; Hieronymum Rusticuccium, Pannensem; Julium Aquavivam, et Arragonium Neapolitanum; Joannem Hieronymum Albanum Bergomensem: ex quibus omnibus Aquaviva tantum diaconus cardinalis, cæteri vero cardinales presbyteri a Pio renuntiati fuerunt.

428. Constitutiones in gratiam canonicorum Lateranensium. — Præter hæc, quibus, et Ecclesiasticam dignitatem ornasse præclaris hominibus, et vicissim emeritos homines Ecclesiastico honore decorasse visus est; novis etiam favoribus Canonicos Regulares, Congregationis Lateranensis Ordinis S. Augustini, Pius est prosecutus: nam edita decim. kal. Januarii hujus anni Constitutione², ante alios quo-scumque Regulares, post clerum sæcularem, præcedentiaæ privilegium illis concessit; et altera³, die decima octava Decembribus hujusmet anni data, juxta antiquum ipsorum ritum, qui forte nova Breviarii reformatione abrogatus censebatur, tum S. Augustini, tum aliorum ipsiusmet Congregationis sanctorum solemnitates celebrandi, iisdem facultatem indulxit. Nihilominus sequenti anno alteram insuper Constitutionem fecit, qua ipsis Lateranensibus

canonicis, sæculares alteros S. Georgii in Alga Venetiarum, præcedere debere declaravit, extatque in Bullario⁴, inter Pii Constitutiones, centesima vigesima septima.

429. Agitur de reformatione Cisterciensium. — Primaevò etiam decori, toto orbe celeberrimum Cisterciensem Ordinem restituere hoc anno Pontifex totis viribus contendit. Cum enim, ex recenti visitatione, quam commissarius et procurator ipsius Ordinis Cisterciensis, in utraque Sicilia, ipso mandante, confecrat, intellexisset quamplurima regnum monasteria eorum, et ea præcipue quæ in commendam tradita essent, aut debitibus officiis destituta, aut monachis ob non præstitam alimoniam deserta, aut omnino collapsa, reiecta, reclusa, patientia, et ut prophana habita, quæ religionis cultrix vetustas gravissimis impendiis erexerat; gravi mœrore affectus, tot malis occurrere sui esse muneric censens, cum ad ea tollenda sat virium non esse totius Ordinis abbati generali Cisterciæ, ac ejusdem etiam Ordinis generali capitulo, licet plurimorum Pontificium privilegiis suffultis, intellexisset: speciali quadam ratione, labantibus ipsorum rebus subvenire decrevit: utile et percommodum illis fore existimans, certa quedam prædicto Ordini convenientia, illiusque moribus et statutis magis cohaerentia, speciatim proponere, quibus ipsi magis innxi monasteria ad conventualem disciplinam et bonam frugem facilius revocare valerent.

430. Edidit igitur ad hoc Constitutionem oct. id. Maii hujus anni⁵, in qua tam sanctæ religionis lapsum dolens, qui, ex commendatariorum vel incuria vel pravitate procederet, inter alia hæc habet: « Neque enim sustinere possumus, quod tam impli, qui hujusmodi monasteria in commendam recipiunt, commendæ conditions a Concilio Lateranensi descriptas, et easdem ac alias singulis litteris Apostolicis, de hujusmodi commendis confeccis, ad specialem enjusque significationem appositas, in animæ sua periculum adversentur, quibus de cæteris fructibus monasterii sibi commendati disponere nemini prius permisum est, quam debitibus et consuelis ejusdem, ac ipsius conventus oneribus omnino supportatis; et quarta, ubi mensa abbatialis separata, ubi vero communis est, ac etiam in monasteriis, conventu et eura orbatis, terlia parte omnium fructuum eorumdem, in restauracionem fabricæ aut ornamentorum emptionem, aut fulcimentum, seu pauperum alimoniam, ubi major exegerit, suaseritque necessitas, quotannis erogata. Quin etiam in ipsis monasteriis divinus cultus sollicitusque monachorum et ministrorum numerus nullatenus minuatur, nec alias

¹ Hist. lib. 21. pag. 4522. — ² Extat in Bull. Const. 116. — ³ Extat in Bull. Const. 115.

⁴ Extat in Bull. Const. 127.

illa in spiritualibus et temporalibus ulla subeant detimenta ».

431. Decernens deinde, quæ in posterum servanda essent, ut omnia monasteria, et loca ejusdem Ordinis, tam in utraque Sicilia, quam cæteris omnibus orbis partibus constituta, etiam commendata et unita, ac etiam de jure-patronatus laicorum quocumque modo existentia; quæ convulsa, diruta et extenuata fuissent reficerentur, et ad debitam clausuram reducerentur; statutaque pecunia convenienti, quæ quotannis in id opus, donec absolutum fuisset, erogaretur, haec subjungit¹:

« In iisdem et cæteris locis, uti pro facultate et ratione idonea erunt, competens monachorum et ministrorum numerus restituatur.

« Ipsorum Ecclesiæ, sacristie, dormitorium et officinæ, vasis, vestimentis, libriss, sacra et communi supellecstile, ac cæteris omnibus ad divinum cultum et monasticum usum necessariis, convenienter instruantur.

« Missæ sacrificium, et alia omnia divina officia, diurna et nocturna quotidie in choro psallendo, juxta ritum dicti Ordinis, sine intermissione celebrentur.

« Mensa conventualis, et ad communem viulum et vestitum, necnon eleemosynas, et visitationes, et alia onera subeunda conficiatur; intercisa reparetur.

« Ubi sacra lectio, juxta Concilii Tridentini dispositionem, haberi poterit, præter eos libros, qui ad divini officii et chori usum necessarii sunt, saltem Biblia et Cathechismus ad Parochos recens editus; item Opera S. Bernardi, et si qui alii, ad honestam monachorum occupationem poterunt, habeantur, nisi de illis in assignatione mensæ conventualis jam perspectum reperiatur. De his omnibus, necnon vasis, vestimentis, et cætera supellecstile prædicta semel recepta, conventus omnes rationem redde re debebunt.

« Et ut novili qua decet disciplina informantur; unum aut duo monasteria, in quaque provincia, uti commode fieri poterit, ordinentur, in quibus magistris etiam ceterorum monasteriorum novitios, divini Officii rationem, et regularis observantiæ instituta doceant; ita ut quodque monasterium necessaria sua suppeditet, et si nullos habuerit, alii pro eo, ejusque impensis recipientur et instruantur.

« Omnia aedificia conventus quoquo versus claudantur; portæ non necessariæ obstruantur; claustræ fenestræ, ubicumque opus erit, insigiantur; templo, sacristiæ, capitula, dormitoria, refectoria, infirmariæ, et omnino aliæ claustræ partes nihil prophani patiantur. Nec conventus horreum, penu, præsepio, nec prorsus ulla promeritalia abbatum commendatariorum, con-

duclorum, aut aliorum recipient; nec a commendatariis, pensionariis, altis de claustro non existentibus occupentur; sed illis solum proprii claustrales utantur, prout ad divini officii celebrationem regularemque observantiam fuerint constituta.

« Mulieribus omnibus, eujuscumque qualitatis, dignitatis et aetatis, ingressus claustri ac aliorum locorum regularium, etiam ædium parlis, quæ ab abbatibus commendatariis, prioribus, aliisve ministris, etiam divisim possidentur, sit penitus interdictus: quod si secus factum erit, tam ingredientes quam recipientes, excommunicationis sententiam incurvant.

« Career, ad correctionem monachorum, ubi non est, constituantur.

« In omnibus monasteriis, inventarium omnium prædictorum, necnon instrumentorum, fundationum, donationum, auctoritatium, exemplarium omniumque monumentorum, conscribatur, et in formam authenticam redigatur, illudque et cætera omnia prædicta fideliter asserventur. Sieibi vero horum quicquam produendum erit, exemplum ab archetypo desumatur et transmittatur, nisi talis contigerit necessitas, ut ipsum exemplar produendum sit; quod tunc in fidem atque probati deponantur, qui idonee caveat illud ipsum quamprimum reportaturum.

« Illa monasteria locis patentibus constituta, quæ propter Turcarum, seu prædonum, vel hereticorum incursions tute servari non poterunt, facto de ipsorum juribus, litteris, auctoritatibus, tabulis, monumentis, alique omni prorsus supellecstile, mobilibusque bonis, jocabilis et rebus fideli inventario, et si opus erit, earum omnium deposito apud personam fidei et facultatibus idoneam; ita ut nihil omnino inde sine consensu expresso et speciali mandato conventus moveri valeat, in civitates oppidave vicina transferantur.

« Cælerum ad restituendam monasticam disciplinam et restitutam conservandam, Cisterciæ et cæteri patres abbates in capitulo generali provideant diligenter, ut omnes visitationes sollicite et prudenter ac cum pietate fiant, salutem animarum ac religionis zelum, perpetuum cultum divinum, clausuram, obedientiam, et cætera omnia, quæ ad mores, correctionem et religiosorum ædificationem pertinent, procurando ».

132. Præcepil deinde, quod ubicumque non fuissent conventuali mensæ assignati redditus, qui hujusmodi onera ferre possent, abbates et commendatarii præstare tenerentur; et insuper, ne deserendi monasterii monachis occasio præberetur, quod nempe, ex vagandi libertate illis a commendatariis oblata, ut expensis parcerent, plerumque evenire dixit: prohibuit ac interdixit omnibus ac singulis

¹ Ut sup. §. 3. et deinceps.

commendatariis, ne quidquam, vel minimum, de mensa, et aliis necessariis detraherent, neque ullo modo monachorum numerum minuerent, aut quempiam etiam propter delictum ejicerent; sed quotiescumque monachi quid admisissent quod animadversione dignum fuisse, id quamprimum priori claustralii, vel si gravius esset delictum, visitatori significarent, qui correctionem, juxta Ecclesie et Ordinis statuta facerent. Quod si ulterius ultra sex menses distulisset, ab eo officio depositus, et ad illud cæteraque omnia Ordinis ejusdem officia triennio inhabilis censeretur; statimque præsidentes correctionem hujusmodi aliis committere tenerentur.

133. Postremo, inter alia, quæ brevitatis gratia præterimus, voluit ac mandavit, ut Cisterci constitueretur constitutumque restituere Archivum, in quo Index ordine compositus omnium aliorum monasteriorum, prioratum, Ecclesiarum et beneficiorum ipsius Ordinis, in omni orbis parte constitutorum, etiam in commendam obtentorum vel unitorum, haberetur: et distinctum insuper eujusunque inventarium sive repertorium bonorum, proprietatum etc. conficeretur, confectumque fideliter asservaretur. Quas quidem rectas ac prudentissimas leges, utinam qui Ecclesiastica hujusmodi bona, vel administrant, vel possident, servarent; quod sic, et Dei cultus non adeo imminutus, nec temporealem quoque tot bonorum jaeturam Ecclesia pateretur.

134. Quoad illud etiam quod in hac ipsa Constitutione¹ districte Pius prohibuit, ne mulieribus, videlicet, eujusunque qualitatis, dignitatis et ætatis monachorum claustrum ingredi ullo modo liceret; scias hoc anno ipsum Pontificem allera Constitutione kal. Februarii data declarasse, ac ampliasse illam, quam quart. kal. Junii anno MDLXVI de mulierum clausura ediderat Bullam, sacri Concilii Tridentini dispositioni inherens, ac omnino vitans, ut nulli abbatissarum, priorissarum, aliarumque monialium, præterquam in causis in jure expressis, e propriis monasteriis egredi licet, et insuper, ne in prædictis causis extra illa, nisi ad necessarium tempus stare possent.

135. *Pius reprobavit abusus qui irreperserant in conferendis præceptoris Ordinum militarium degentium in Portugallia.* — Ad eadem pariter quodammodo Ecclesiastica bona, de quibus agebamus, illorumque prudentem utiliisque dispensationem, uti pertinuisse cognoscitur, quod anno præterito ad Sebastianum Portugalliae regem, de præceptoris ab Ordinibus Militaribus S. Jacobi de Avis, et aliis scripsisse memoravimus, eo quod, qui eis ad scripti illa obtinerent, tamen militiæ, propter quam tra-

denda fuissent, operari non darent; sic quod hoc anno, ejus aliorumque Ordinum reformacioni insistens statuit, ad eundem abusum tollendum præcipue spectasse deprehenditur: eum, nimirum, præceptorias easdem nemini deinceps tradi, nisi iis, qui illis se dignos aptosque effecissent, edita sequenti Constitutione decrevit ac jussit; qua etiam cætera ad Ordines eosdem pertinentia composituit. Hujusmodi ipsa est:

PIUS PP. V.

« Ad perpetuam rei memoriam .

« Ad regie majestatis fastigium evecti, inter præcipua rerum bene gestarum ornamenti, nihil præstantius ac speciosius sibi suæque reipublicæ parare possunt, quam pro Catholica fide arma induere, et contra Christianæ pietatis hostes strenue exercere. Qua in re tot veteranum principum Christianorum nobilissimum studium, tot inde secutæ pulcherrime de infidelibus victoriae, æternam illis gloriam peperere, inter quos Lusitanorum quoque reges, non minimam sibi laudis partem merito vindicarunt. Etenim, post exactos gravi et diuturno bello luculentissimisque victoriis Saracenos, qui multis antea sæculis totam fere Portugalliam atque adeo Hispaniam armis insederant, finibus suis, quoties res tulit, egressi, et classe in Africam trajecti, multis præliis secundis factis, ingentem Maurorum audaciam insigniter minuerunt; celebres illorum portus et munitissima oppida imperio suo addiderunt, omnibusque impietatibus et superstitionibus explosis, veræ religionis cultum ibidem defixerunt, ope tamen et nervis Militum Jesu Christi, Sancti Jacobi de Spatha et de Avis Cisterciensis, et S. Benedicti ac S. Augustini Ordinum, quorum egregia virtus jucundum rebus præstít incrementum. Militia namque Jesu Christi, de proscriptis Templariorum: aliis vero prædictis, partim ex Ecclesiæ rebus, partim ex regnum muneribus, partim etiam ex piorum virorum eleemosynis, ad fideli et regni tutelam, tum apod d. regnum, hujus Sedis auctoritate fundatis: cum maxime illud a prædictis infidelibus premeretur, etiam militum conventus regionatim dispositi fuerint, qui tanquam propugnacula, ad prohibendum Maurorum impetum, eosdemque, si usus esset prælio, laccessendum objecti, perpetuisque contra illos armis, pro instituto adstricti, sive in defendendo intestino bello, sive in externo inferendo, decus insigne retulerunt. Sed qui illis postea successere, a veteribus institutis descendentibus, piam hanc militiam temere detrectarunt, quam majorum suorum optimus quisque colere tantopere expetivit. Hanc nimirum desidiam et negligentiam intelligentes, de reparan-

¹ Extat in Bullar., et Bellar. ibid.

¹ Extat in Bull. ut sup.

da d. disciplina sæpenumero cogitavimus, freti studio singulari, quo charissimus in Christo filius noster Sebastianus Portugalliae et Algarbiorum rex, dictarum militiarum administrator in spiritualibus et temporalibus, auctoritate dictæ Sedis constitutus, jam inde ab ipso regni sui principio, majorum suorum vestigia persequendi, populosque sibi subditos in unitate fidei, et ipsius Sedis observantia continendi, apertissimis documentis flagrare indicavit.

« Proinde nos in statum militiarum et in mores militum attins inquirentes inter alia deprehendimus, Summos Pontifices prædictas militiae ad perpetuum hujus belli usum antiquitus statuisse, ejusque rei causa, amplissimis Ecclesiæ redditibus ditavisse; sed omni Portugallia Maurorum et Saracinarum feritate purgata, ejus rebus Dei benignitate pacatis, omnes deinceps milites, quoniam de tutandis dumtaxat Portugalliae finibus rem sibi esse, solosque presbyteros dictarum militiarum professores in ipsis convenientibus reliquise; atque ita sensim evenisse, ut ii, quibus præceptoriae per ea tempora institutæ obtingerent, neque ante illarum assecutionem, neque post, operam navaverint militarem. Novissime autem Portugalliae rebus, cum alias, tum maxime propter dispendiosam Indiæ Orientalis expeditionem, auspieciis clarae memorie Emanuelis regis primum decretam, attenuatis, fel. record. Leonem papam Decimum, novas militum Jesu Christi præceptorias, numero plures quam veteres, pro militibus, qui ad regis et administratoris præscriptum, terra marique præliarentur, de optima parochialium Ecclesiarum substantia, confecisse: sed nec hos, uti æquum erat, meruisse. Regem enim ipsum et administratorem, aliis solum triennium, aliis biennium, aliis brevius tempus ad militandum statuisse; et in hujusmodi facilitate, tandem perseverasse, donec a nobis tantam indulgentiam non ferentibus, saltem quadriennium illis, præscribendum esse, neminemque ante peractum triennium præceptoriam consequi posse, decretum esset. Amplius etiam investigando comperimus, redditus omnes militiarum adeo tenues esse, ut modicum auxilium ferre possint. De parte vero fructuum multarum præceptoriarum, que opulentiores sunt, aliquam rationem, ad belli usum iniri posse. Quibus et aliis rebus, partim inquisitione prædicta, partim usu, partim d. Sebastiani regis et administratoris significatione cognitis, permoleste ferimus tantam disciplinam tam negligenter defloruisse, et eos, quos ad sui tutelam Ecclesia, tantis impendiis suis atque incommodis locupletavit, in desidia et otio marcescentes, inane tanquam militis nomen, et inutilia insignia occupare, et quasi pro nihilo ducere, quod summus Turcarum tyranus totum fere orbem Christianum circumstat,

et Mauri Portugalliae exitium anhelantes, freatum omne perpetuis excursionibus infestant. Quibus etiam accedit, Seriphii hostis teterimi potentia, qui post Fessensem et Marochitanum tyrannos a se oppressos et trucidatos, atque ea regna violenter occupata, in immensum augescens oppidorum et portuum prædictorum excidia jam pridem excogitat. Quare nos, auxilio et opera quam speramus dieti Sebastiani regis, cuius in Deum pietas, in nos et hanc Sedem observantia, intensum in amplianda fide studium, magnanimi præterea generosæ indolis affectus, nobis dudum perspecti sunt; ad restitutionem prædictarum omnium militiarum conversi, ut hoc nostrum institutum impedimentis omnibus explicitum, promptos et felices successus capere possit, in primis revocamus et abolemus omnia et quæcumque privilegia, exemptiones, dispensationes et indulta omnium militiarum prædictarum, ac ipsorum præceptorum, et militum, etiam antiquas et antiquissimas præceptorias obtinentium, sive conjunctim, sive divisim, et ex quibuscumque causis, in genere et in specie concessa, ipsarumque usus, consuetudines et statuta, quamecumque belli immunitatem, et ab eo vocationem habentia, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quocumque alio præsidio communita; ac etiam ab ipsa Portugalliae liberatione continuis temporibus observata, et a quibuscumque Romanis Pontificibus, etiam motu proprio, et ex certa scientia, deque Apostolice potestatis plenitudine, ac alias, quomodocumque approbata, extensa, et etiam pluries innovata. Neenon declariones, sententias et decreta quæcumque, super hujusmodi exemptione et immunitate, etiam auctoritate litterarum dictæ Sedis habita et promulgata: quorum omnium tenores, ac si ad verbum insererentur præsentibus, habemus pro expressis, quibuscumque illa concepta sint formulis, neenon irritantibus et aliis decretis roborata.

« Volentes ea omnia juris et facti effectum de cætero non habere, ac omnes præceptores, etiam antiquarum et antiquissimarum præceptoriarum, cæterosque milites omnium militiarum prædictarum, præsentes et futuros, nullo prorsus excepto, in Africa, et ubicunque profide Catholica et statu dieti regni opus erit, ad regis et administratoris pro tempore existentis mandatum, quotiescumque venerit usus, equis armisque instructos, præsto esse, suamque eliam in ferendo bello operam, sive terra sive mari præstare; deficientes, seu dicto non audientes, exauctorari, præceptorisque privari posse. Cæterum ex iis, quæ pro salubri dictarum militiarum statu et felici directione aliqui constituta hueusque reperiuntur, quæ nec præsentibus contraria sunt, nec illorum effectum impedire possunt, nihil omnino detrahere,

sed illa prorsus immota custodiri intendentes; de simili potestatis plenitudine, deque dicti Sebastiani regis et administratoris consensu, statuimus et ordinamus, ut nullus deinceps habitus regularis cuiusvis dictarum militarium tribuatur, nisi prius operam rei militari in Africa triennio perpetuo dederit; sed nec quisquam ad hoc munus admittatur, ut vacatura präceptoriae expectationem habeat, qui decimum octavum annum suæ ætatis cum minimum non expleverit. Nullus præterea ad munus ipsum recipiatur, qui a Mauris dudæisve originem duxerit, quive opificis mechanicæ artis filius neposve fuerit; sed genere natus nobili, saltem eorum qui equites vel scutiferi appellantur.

« Qui se in Africa triennio perpetuo inseruisse, et prædictis qualitatibus præditum esse docuerit; tunc demum ad habitum ejus militiae, quam ingredi voluerit admittatur, et ad assecutionem präceptoriae vacatura idoneus declaretur, nulla alia regis et administratoris deliberatione super iis requisita. In conferendis vero präceptoris, ea deinceps sit ratio, ut illæ, quarum proventus centum millia regalium monetæ Portugalliae communi aestimatione non excedunt, non eis amplius militibus concedantur, qui antianitate präcedent, sed qui tempore vacationis earum docuerint, se numero equorum præstisset quibuscum in Africa per omne residentiæ suæ tempus inservierunt; ita tamen, ut qui decimum octavum annum non compleverit, equitis locum non occupet. Cæterum in hujusmodi präceptoriarum assecutione sola, prædictorum probatio sufficiat, nec ad id alia dicti regis et administratoris litteræ, ut antehac requirantur. Quia vero impossibile esset, plerisque nobilibus rerum inopia laborantibus, eum, quem alii, equorum numerum suslentare, qui tamen in bello magno alioqui usui esse poterunt; ideo ut iis quoque opportune consultatur, pro consequendis illis präceptoris, quarum annui redditus supra centum millia regalia sunt, nec duecenta millia communis estimatione excedunt, supradicta equorum pluralitas, quoad hos locum non habeat, sed ipsi ad eas admittantur, et in ipsarum assecutione præferantur, qui tempore vacationis earumdem, probaverint, suam in bello operam longiori tempore præstisset; nullus tamen ad servitium hujusmodi, nisi litteris regis et administratoris, uti usquam adhuc consuevit, suffultus, et præterea duobus equis cum minimum instructus, recipiatur; concurrentibus vero in tempore servitii duobus vel pluribus; is obtineat, quem plures equos constiterit habuisse.

« Ad präceptorias autem, quæ ducenta millia regalia excedunt, milites, pro equorum numero, ac per litteras dicti regis et administratoris dumtaxat admittantur.

« Quicunque präceptoriam, ad ducenta millia regalium sibi servant, debitam expectaverit, si quidem is, sive pro numero equorum, sive pro servitii diuturnitate magis qualificatus fuerit, etiam aliam minoris valoris präceptoriam, valeat acceptare; quod et in iis, qui präceptorias supra centum millia regalia, non tamen ducenta millia excedentes, vigore hujusmodi litterarum expectabunt, videbilet, quoad alias minoris valoris präceptorias poterit observari.

« Sed in prædictorum equorum numero ii solum, quos serviens propria impensa secum habuerit, non autem quos rex atuerit vel sustentaverit includantur.

« Qui operam suam in bello suffecerint, si quidem litteras regis et administratoris habuerint, septennium, cæteri vero novennium perpetuum in Africa inserviant, quo excuso immunes a residentia censeantur.

« In assequendis tamen vel optandis präceptoris, servientes, peracto tempore suo in Africa, absentibus præferantur, sive in antianitate, sive in numero equorum concurrant.

« Per hoc tamen nullus omnino, qui residentiæ prædictæ tempus expleverit, deinceps se immunem existimet; quin a rege et administratore, causa fidei, vel regni, quandocumque monitus, cum equis et armis in Africam redeat, vel alio proficiscatur, quo rex et administrator bellum duxerit faciendum.

« Nullus præterea, qui residentiæ suæ tempus non peregerit, präceptoriam sibi debitam recipere, nec aliam optare possit; nisi tempore illius vacationis præsens et serviens in Africa fuerit.

« Quienque residentiæ suæ tempore illam intermittere voluerit; id de expressa visitatorum licentia et causa cognita, facere possit: sed absentiæ tempus in præfinito servitii tempore minime computetur.

« Präceptoriarum meliorum, seu pinguorum optio, sive pro ratione majoris numeri equorum, sive diuturnitatis servitii fieri poterit, uti cuiquam conveniat, secundum illarum destinationem, ordinem et naturam.

« Optionis vero ratio haec sit, ut qui präceptoriam minorem centum millibus regalium habuerit, et pro qua obtainenda, cum equis suis, sive litteris regis et administratoris, ut dictum est, inservierit; aliam centum militia non excedentem, cum vacabit, pro numero equorum suorum, quos ab ipso servitii principio, ad id usque tempus habuerit, optare possit.

« Qui vero präceptoriam excedentem centum millia regalia, nec ad duecenta millia ascendentem fuerit assecutus, et pro qua obtainenda, is cum litteris regis et administratoris inservierit, aliam valeat ad ducenta millia dumtaxat ascendentem antianitatis jure optare;

quin etiam tali ad alias præceptorias ducenta millia excedentes, non tamen deinceps ratione diurnitatis servitii, ut antea, sed pro equorum numero, commutato munere, optio debeatur.

« Rursus, qui præceptoriam duecenta millia excedentem, per litteras dieti regis et administratoris receperit, aliam pinguiorem seu commodiorem optare possit, habita ratione equorum quibuscum ipse, ab servitii sui principio, usque ad vacationis optatae præceptoriae tempus docuerit militasse.

« Itidem de iis, qui cum litteris hujusmodi inservierint, et ipsis potentibus sibi de præceptoris centum millia non excedentibus, fuerit jam provisum, ut, scilicet deinceps ratione antianitatis, ad alias duecenta millia non excedentes, pro equorum vero numero, ad alias etiam majoris valoris præceptorias simili optionis jure valeant promoveri.

« Nemo tamen duas præceptorias insimul habere possit, et qui unam obtinens aliam optaverit, secunda recepta, statim priorem quam ipso jure vacet dimittere omnino teneatur: alioquin ipse sit et optata privatus.

« Porro nonnulli sunt, qui jam cum litteris regis et administratoris biennio perpetuo, et eo amplius in Africa servierunt, quidam biennio non perfecto adhuc serviunt; alii nonnullis litteris suffulti aliquo tempore, operam suam præstiterunt, et postea, ut bene meriti sunt accepti, quibus præceptoriae vacaturæ concedantur. Idecirco talibus deinceps satis sit, si tantum temporis in Africa, alias tamen, ut supra statuimus, inservierint, et præterito servitii tempore cum futuro collato et conjuneto anni quinque integri perficiantur. Quorum tribus omnino transactis, habitus illis poterit exhiberi, et de vacaturis præceptoriorum, modo prædicto aequo providere, ac si integrum tempus prædictum a nobis statutum continue inservissent.

« Nemo tamen eorum, qui ad complendum hujusmodi quinquennium in Africam, sine litteris regis et administratoris redierint, vel ibi jam constituti quinquennium ipsum continuaverint, præceptoriam centum millia excedentem debeat adipisci. Cæterum in conferenda præceptoria ei debita, ratio numeri equorum, qui ab ipso servitii principio fuit, et in reliquo tempus erit, ut dictum est, habeatur.

« Et vero, qui cum litteris regis et administratoris id fecerit, de majori et pinguiori præceptoria, sive pro diurnitate servitii, sive pro equorum numero, secundum illius naturam, debeat provideri.

« De iis quoque, qui operam suam in triremibus ad oram Algarbiorum hueusque impenderunt, ita fiat, ut menses illi dumtaxat, quos in triremibus transegerint, in partem temporis ad serviendum præfiniti cedant.

« Et qui navales milites mercenarios, pro-

pria impensa eo conduxerint, his duo hujusmodi misites, pro uno equite computentur. Deinde vero hujusmodi triremum opera, nemini in partem temporis adseribatur, ut præceptoriam obtineat, nisi quoad menses illos tantum, quibus classe instructa, ad littus Africæ adfuerit.

« Ad hæc cum interdum expediatur, dictum regem et administratorum, bene de aliquibus promereri, qui, vel bellica virtute alioqui cogniti, vel præmio ob rem bene gestam digni, neque antianitate, neque equorum numero præstabunt, neque servitii tempus peregerunt; ideo quinta quoque præceptoria deinceps vacatura, omnium militiarum prædictarum, quantumque valoris sit, a prædictis conditionibus expedita, dieti regis et administratoris dispositioni libere reservata censeatur, qui eam cuicumque viderit, etiam si ille nullum omnino munerum prædictorum obierit, alias, juxta facultates antiquas licite conferri possit. Et nihilominus, si ipse de illa ea vice disponere noluerit, euidam alteri, juxta hujusmodi statuta, qualificato, aliarum quatuor præceptoriarum instar, omnino assignetur; nec propterea illius loco proxima, vel sequens præceptoria ipsi regi et administratori affecta intelligatur; sed ipse, quinto demum loco vacaturam præceptoriam, omni tempore debeat expectare.

« Quicunque præceptoriam, ante finitum servitii tempus assecutus, tantisper, dum illud perseguitur, siquidem non conjugatus, dimidium, conjugatus vero et uxorem in Africa habens, duas tertias partes proventuum suæ præceptoriae, in sustentationem domus et familiæ convertere possit. Retiquum vero, in novorum equitum subsidium omnino debeat erogare. Quorum cujusque annum stipendium triginta millibus regalium constet, seu quod rex et administrator duxerit statuendum.

« Is porro equum etiam habeat, qui præceptoriam vel minorem triginta millibus regalium fuerit assecutus.

« Nulli deinceps, nisi ratione servitii in partibus Africæ, juxta statuta prædicta præstiti, habitus exhibeat.

« Sed nec ulla omnino præceptoria, cuiusvis qualitatis, quinta prædicta excepta, concedatur, etiamsi de jure patronatus regum aut aliorum principum tantum existat, et illud eis ratione foundationis vel dotationis, etiam de fructibus Ecclesiarum, sive juris patronatus factæ, aut alias competit.

« Ad restituendam autem et restitutam conservandam hujusmodi disciplinam, unum Seminarium tyronum pauperum nobilium in Africa instituatur, et pro ejus dote annui redditus duodecim millium ducatorum auri de camera, a mensis magistralibus, et sine præjudicio illas nunc obtinentium præceptoriorum præ-

dictis ab ipso rege et administratore nominandis, valorem tamen annum quingentorum ducatorum similium excedentibus aequato distributionis jure detrahantur, et in substantiationem tot hujusmodi tyronum, quot ex dictis redditibus, et in pluribus Africae locis commode ali poterunt, omnino convertantur.

« Interim vero, dum res ipsa congeritur, id onus universum dicto regi incumbat, qui quocunque deficiet omnino suppeditari curabit.

« In hoc Seminario illi soli recipiantur, qui utrinque nobiles, vita moribusque probati, peritia equitandi, et item armorum exercitatione, et virium robore, etiam per concursum præstiterint: sed in hujusmodi admissione, filii descendentes eorum, qui in Africa contra infideles præliando eccliderint aut in bello strenue se gesserint, ceteris paribus præferantur. Admissi, tametsi in suis quisque domibus habitant, communis tamen mensa in loco idoneo utantur, et una cibum capiant, ubi prædicta mensa benedictione et indicto silentio, sacra primum lectio brevis, deinde, ad augendos tyronum animos, alia habeatur Chronicorum et veteris Historiae regum Portugallie, et signanter fortium virorum, qui, seu in India, seu in Africa, quid egregium fecerunt, seu gloriose oecubuerunt. Hunc etiam seminario unus visitator a rege et administratore ordinetur, qui quotannis in mores ejusdemque tyronis inquirens, corrigat et emendet, ut rei qualitas videbitur postulare.

« Ad continentos autem in officio suo milites et ceteros prædictos, statumque illorum dirigendum, unus aut plures, ac quotquot expedire videbuntur, judices, itidemque visitatores, de probatoriis præceptoribus dictorum Ordinum, sive alias a rege et administratore desumendi constituantur. Et præterea, alii ministri arbitrio dicti regis et administratoris ordinentur. Quorum judicium et visitatorium manus sit, de tempore serviti, de antianitate, de numero equitum, de præstantia, functionibus et qualitatibus ejusdemque militis, deque in rebus vacantum præceptoriarum illis debitarum, cognoscere super iis, sententias ferre, et processus, ceteraque necessaria: ad hoc, ut rex et administrator secundum illa postmodum exequatur decernere. Et præterea curare, ut omnia statuta et littera Apostolica observentur; præceptores et milites omnes qui in Africa fuerint quotannis visitare; in eorum vitam, mores, regulæ et disciplinæ observacionem, inquirere; rationem acceptorum et impensorum fructuum enjusque præceptoriorum exigere. Noxios et in culpa depriliensos, etiam appellatione remota, si rex et administrator prædictus id specialiter concesserit, ineritis penit afficere, bonis muletare, et alias in eos

jurisdictionem circa haec omnia necessariam exercere.

« Denique locus idoneus in Africa statutus, pro usu et habitatione sex presbyterorum militiae Jesu Christi et duorum S. Jacobi et duorum aliorum de Avis: qui suis militibus sacramenta ministrant, ceteraque omnia facient, quæ pro sine enjusque militiae et regule instituto extitit ordinatum.

« Jubemus igitur universos et singulos, ejusdemque qualitatis præceptores, milites, et professores omnium militiarum prædictarum, ut, nulla alia expectata deliberatione, aut mentis nostræ declaratione, statutis et ordinationibus nostris prædictis, neenon sententiis, declarationibus et mandatis, auctoritate præsentium faciendis, semper et ubique parere volentes, ut nulla omnino provocatio, testificatio, vel reclamatio, sive in judicium producita, sive clam interjecta, supradicta impedit, nec prorsus vim habeat materiamque tribuat effectum præsentium quandocumque disturbandi. Quin etiam præcipimus atque interdicimus omnibus supradictis ne quicquam contra præsentes, nec omnino contra illa, quæ ipsarum vigore tient et statuentur, quovis quæsito colore vel ingenio audeant adversari. Quicunque contra facient, vel nitentur, eos præceptoris suis privamus, et facimus ad prædicta inhabiles eo ipso. Decernentes prædicta omnia perpetuis futuris temporibus inviolata custodiri, ne quicquam de eis, etiam per futuros reges et administratores, ejusdemque privilegii aut facultatis pretextu immutandum esse. Neenon irritum et inane quidquid secus a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

« De summa autem dicti Sebastiani regis et administratoris in dictas militias voluntate confisi, qui cetera omnia, quæ prædictis convenient, consilio et opera prosequatur; eidem ac etiam futuris regibus et administratoribus perpetuo concedimus, ut pro prædictorum executione et stabilimento, quæcumque alia, pro temporum, locorum et personarum conditione et qualitate, sive in universum, sive participliant, convenire videbuntur, statuere; noxia vel inutilia emendare, dubia quæcumque, ex prædictis forte oritura declarare et aperire, ceteraque omnia facere et exequi libere et licie valeant, quæ ad ipsarum militiarum prosperitatem, incrementum et conservationem necessaria fuerint et quomodolibet opportuna.

« Sed si quæ differentia militum animos ad fortiter faciendum vehementius aceedat, prædicto Sebastiano regi et administratori indulgemus, ut in memoriam beati Sebastiani martyris, eujus festo natalis illius dies accedit; ipse Sebastianus rex unam sagittam veteri militum insigni addere atque ita componere possit, ut

aliter, qui residentiae suae tempus non expleverint, aliter vero qui illud absolverint, dictam sagittam ferant; sed et iis quoque omnium Ordinum prædictorum militibus, qui jam habitum suscepserunt, sagittam ipsam pro libito concedere valeat, si qualitatibus requisitis prædicti fuerint, et contra infideles, schismaticos sen haereticos ostenderint se pugnasse.

« Postremo venerabilibus fratribus nostris Ulisponensi et Elborensi archiepiscopis ac episcopo Conimbricensi, per Apostolica scripta mandamus, ut ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios, ubi et quando opus fuerit, ac quoties, pro parte dicti regis et administratoris fuerint requisiti, solemniter publicantes, faciant auctoritate nostra illas, ac quidquid illarum vigore statuetur et decernetur inviolate observari. Contradictores quoscumque, per censuras et penas Ecclesiasticas, ceteraque juris et facti remedia opportuna, appellatione postposita, compescendo, legitime super his habendis servatis processibus, censuras et penas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando, interdictumque Ecclesiasticum apponendo, invocato etiam ad hoc, quandcumque opus erit, auxilio braehii secularis. Non obstantibus prædictis, et piae memoriae Bonifacii papæ Octavi de una, et in Concilio Generali edita, de duabus dietis, dummodo, ultra tres dietas aliquis auctoritate præsentium ad judicium non trahatur, neenon singularum militiarum prædictarum, ut præferatur, roboratis statutis, et consuetudinibus, stabilimentis, usibus, et naturis, etiamsi de illis servandis, et non impetrantis litteris Apostolicis, contra ea aut litteris ipsis, etiam ab alio vel aliis impetratis, seu etiam motu simili concessis non utendo prædictus rex et administrator, et forsitan aliqui alii præstiterint, haec enim vel ipsis interim, dum haec exequuntur, præstare contigerit juramentum, quodque alias militiis præceptoribus, militibus et professoribus prædictis communiter vel divisim a predicta sit Sede indultum, quod contra statuta, consuetudines, stabilimenta et privilegia sua, nullo modo, vel nisi ipsis legitimate congregatis et suffragiis concordibus immutari, alterari, aut irrita fieri, seu ad aliud onus, aut servitium, quam quod in eis est expressum, constringi, ac etiam eisdem, vel quibusvis aliis concessum sit, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, per litteras Apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto et concessione hujusmodi mentionem; et quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis, exemptionibus, et litteris Apostolicis, generalibus et specialibus, cujuscumque tenoris existant, per quæ præsentibus non expressa, aut omnino non inserta, effectus earum impediiri valeat, quomodolibet vel differri; et

de quibus, quorumque totis tenoribus, habenda esset in nostris litteris mentio specialis: quæ omnia, nihilominus eisdem præsentibus, pro expressis habemus, eaque et quæcumque alia effectum præsentium quomodolibet impedientia, aut impedire valentia, de simili potestatis plenitudine omnino tollimus et abrogamus. Cæterisque contrariis quibuscumque.

« Quia enim difficile nimis esset præsentes, quocumque illis opus erit, perferrre; volumus, ut earum exemplis notarii publici manu, et personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, ejusque curie sigillo obsignatis, eadem prorsus fides ubique locorum in judicio et extra illud adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si essent exhibitæ vel ostense.

« Excussis itaque militiae periculis, pleno certatim omnes cum nostra benedictione ad salutaria arma sub Christi vexillo, fidei calore accensi, infestos Christiani nominis hostes, ea qua majores sui virtute et animi præsentia persequantur, humiliant et disperdant in eo, qui dux est in fortitudine populo quem redemit omnia reponentes. Is enim omnibus bona voluntatis, præsens auxilio aderit pia omnium consilia diriget, viam omnibus ad gloriam parabit, et amplissima cuique retribuet. Nulli ergo etc. Si quis autem etc.

« Datum Romæ apud S. Petrum anno incarnationis Dominicæ Mœlxx, V kal. Septembris, Pontificatus nostri anno quinto ».

136. *Invigilat Pontifex ne quid Simoniacæ labis subrepat in prævisione beneficiorum.* — Dum in Lusitania de militarium Ordinum disciplina, rebus bonisque sic rite prudens fidelisque dispensator Pontifex disponit, multo magis universe eos compescendos censuit, qui in beneficiorum collatione, contra Tridentini Concilii¹ statuta, aliave Ecclesiasticorum bonorum prævisione, vel ad illorum possessiōnem, aliquid vel petere vel exigere præsumpsissent. Constitutio² enim ab eo super hoc facta fuit ut sequitur :

« Pius episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

« Durum nimis et incommodum arbitramur, quod Ecclesiæ ministri, in iis quæ ad ipsorum sustentationem suppeditant, dispendia patientur. Quocirca cum hanc ad rem, simulque prohibendam ab Ecclesia Dei avaritiae prævitatem, editas antehac sanctiones minime satis esse intelligimus, novæ Constitutionis subsidio cogimur providere.

« Cum itaque alias, ex plurium Ecclesiæ cathedralium et collegiarum Constitutionibus, aut ex prava consuetudine observari intelligeretur, ut in electione, præsentatione,

¹ Concil. Trident. Cap. 11. Sess. 21. — ² Extat in Bull. Const. 104.

nominatione, institutione, confirmatione, collatione, vel alia provisione, sive admissione ad possessionem alieujus cathedralis Ecclesiae, vel beneficii, canonicatum, aut præbendarum, vel partem proventuum, seu ad distributiones quotidianas certae conditiones, seu deductiones ex fructibus, solutiones, promissiones, compensationesve illicite, aut etiam quæ in aliquibus Ecclesiis dicuntur Turnorum lucra, interponerentur; licet sancta Synodus, hæc detestata, mandaverit episcopis, ut quæcumque ejusmodi, quæ in usus pios non converterentur, alique ingressus eos, qui Simoniacæ labiis aut sordide avaritiæ suspicionem haberent, fieri non permetterent; ipsique diligenter de eorum Constitutionibus sive consuetudinibus supra prædictis cognoscerent, et illis tantum quas probarent exceptis, reliquas ut pravas ac scandalosas rejicerent: eos vero qui adversus prædicta quavis ratione commisissent, poni contra Simoniacos editis, teneri decreverit; multorum tamen indomita cupiditate, tam prædicta quam alia ad beneficium et commodum ipsorum ministrorum edita, aut omnino contemnuntur, aut in vario sensu traducta, perperam eliduntur.

« Quare nos, pro divini cultus exercitio, simulque evocatorum ad illum auxilio plenius evidentiusque consulendum fore rati, revocamus et abolemus omnia et quæcumque privilegia, consuetudines et statuta quarumcumque Ecclesiæ cathedralium et metropolitanarum, ac majorum, neconon collegiarum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, aut alio quovis præsidio munita; ac etiam supra hominum memoriam, et longissime ac quantocumque tempore, etiam continuo observata: sive pro solvendis Ecclesiærum vel prælatorum debitibus, sive pro supportandis illorum oneribus, sive aliis etiam majoribus, maximis et urgentissimis causis concessa et approbata, ac etiam multiplicatis vicibus innovata, extensa et moderata, quod vacantibus ipsarum Ecclesiæ dignitatibus, canonicatibus, præbendis, portionibus, beneficiis et officiis: fructus ac etiam quotidianæ distributiones, ex eis primo ab ipsa vacatione anno, aut longiore vel etiam breviore tempore proventuri, mensæ episcopali, seu capitulari, aliove loco integre vel partim remaneant, seu applicentur, aut in communes usus cedant, seu inter alios canonicos et personas Ecclesiæ seu Capituli dividantur. Quodque nullus, etiam Apostolica auctoritate provisus, in canonicum recipi, aut ad dignitatem, seu portionem, beneficium vel officium admitti, vel alias in ejus possessionem induci possit, nisi prius de observandis hujusmodi privilegiis, consuetudinibus et statutis juramentum præstiterit, et obtentæ illorum derogationi, ac fructuum et distributionum perceptioni renun-

tiaverit, seu Capitulo, et personis prædictis cesserent, seu, ut appellant dulciaria, aut quid præstiterit, quorum omnium tenores, causas et effectus habemus præsentibus pro expressis, quibuscumque illa concepta sint formulis, neconon irritantibus et aliis decretis roborata. Volentes ea omnia vires et effectum de cætero non habere.

« Præcipimus igitur, et interdicimus omnibus episcopis, capitulo, collegiis, et personis, ad quos id pertinet, ne posthaec fructus aut distributiones hujusmodi, nec prorsus ullam eorum partem retineant, neve ipsorum cessionem, vel renuntiationem, aut dolciaria vel alia quomodo cumque petant, vel exigant, aut quemquam, sive ordinaria sive Apostolica auctoritate provisum, ad præstandum hujusmodi juramentum inducent, aut illi prædicta non facient, possessionem impediunt vel remorentr. Qui cumque contra fecerint, si Ecclesiærum antistites, tandem a pontificalis officii exercitio sint suspensi, donec satisfactione pravia illis per Sedem Apostolicam suspensio relaxetur. Capitula vero et collegia quæcumque Ecclesiastica subjaceant interdictione, ac singulares personæ in excommunicationis sententiam incurvant, a qua, nisi in mortis articulo constituti, ab alio quam a Romano Pontifice absolutionis beneficium nequeant obtinere. Decernentes hujusmodi præstata juramenta non tenere, nee quemquam illis obligari, quinimo jurantes in hujusmodi censuram incidere, neconon irritum et inane quidquid secus super his, per quoscumque, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

« Et nihilominus statuimus, ut ubicumque hujusmodi fructus et distributiones fabricæ vel sacristiæ, aut alterius pii loci usibus, ultra semestre tempus reperiuntur concessæ; horum dumtaxat dimidia pars, ipsi sacristiæ vel fabriæ, aut pio loco deinceps tribuatur; alteram vero beneficiati prædicti integrum percipient.

« Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque, aut si aliquibus communiter vel divisim ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per litteras Apostolicas, non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indultis hujusmodi mentionem. Decreto prædictæ Synodi, ac etiam Constitutione fel. rec. Joannis PP. XXI, que incipit; *Suscepti etc.* et aliis juribus, hæc de re disponentibus, nihilominus alias in suo robore duraturis.

« Ceterum, per prædicta non intendimus illis præjudicare capitulo, collegiis, mensis aut personis, fructus et distributiones, inter vacationem beneficiorum, et eorum collationem, sive possessionis apprehensionem prove-

nientes ex statuto, consuetudine, vel privilegio hujusmodi percipientibus, vel retinentibus, quominus ipsi illos interim, ut antea, exigere valeant, et habere etc.

« Datum Romæ, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, anno Incarnationis Dominiæ MDCXX, kal. Junii. Pontificatus nostri anno quinto ».

137. *Prohibet disputationes de B. Mariae Virginis conceptione.* — Sed, ut ad religiosos Ordines redeamus, postquam Pius summa cura ac labore Ordinem Servorum B. Mariæ, ante hoc tempus in duas familias divisum, antiquato Congregationis nomine, quod altera sibi adseverat, in unum idemque corpus, ac in unam eamdemque familiam, uni dumtaxat capiti subjectam, sub eadem regulari disciplina redigisset; ut certa quedam incommoda, que bonum omne in ipsa religione perverterant, excideret, adeo ut deinceps omnes communibus institutis, et legibus suæ professioni magis convenientibus vivenles, salubrius dirigerentur: edita hoc anno tert. kal. Junii Constitutione, (quæ inter illas hujus Pontificis centesima tertia est), sapienter cavit. Monialibus vero Sancti Dominicæ in articulo mortis constitutis, ut professionem emittere possent, ante compleatum probationis annum, dummodo legitimam ietatem haberent, Constitutione altera¹, sub die vigesima tertia Augusli edita, quæ est in Bullario centesima nona, benigne concessit.

138. At inter ejusdem Ordinis fratres aliasque Religiosas familias, quæ versabantur contentiones, vehementiori etiam studio compnere sagedit Pontifex, cum edixit, ne in populariis concessionibus aliisve publicis convenientibus, ubi promiscua et plerumque rudis virorum ac mulierum multitudo convenire solebat, de B. Virginis Mariæ Conceptione disputare, alterutram partem damnando, propriamque asserendo sententiam; vel de hac ipsa quæstione, cuiusvis pietatis, aut necessitatis praetextu, vulgari sermone scribere vel dictare deinceps quispam auderet, sub gravibus penitentiam statim post factum subeundis, ac Sixti Quarli Tridentinæque Synodi super hæc re confirmatis decretis. Quandiu tamen per Apostolicam Sedem res definita non fuisset, fas esse viris doctis inter se, etiam in publicis Academiarum disputationibus, de ipsa quæstione in utramque partem disserere voluit; dummodo lamen neutra, ut falsa reprobaretur, neculla offendiculi subesset occasio. Libeat hic Constitutionis², super hoc ab eo editæ, exordium exhiberi, ex quo appareat, quibus adductus rationibus præfata præceperit. Dicit igitur:

« Super speculam Domini, viribus licet exiguis, constituti, Prophetæ sollicitudinem

imitantes, die noctuque, ad diversos Ecclesiæ status nostræ mentis aciem intendimus, studiœ providentes, ut communè Domino ab omnibus gradibus fideliter serviatur, ac illis maxime, quibus digniora ministeria divini Spiritus favore credita sunt, inter quos divini Verbi prædicatores adnumerandos esse nemo dubitare poterit, qui eorum munus, ab ipso Domino consecratum, Apostolis præcipue injunctum fuisse animadvertis: qui si adepto gradu digne fungentur, evangelizantes pacem, annuntiantes bona, prædicantes saltem; non solum vox eorum dulcis, verum et speciosi pedes viderentur. et fraternæ saluti uberes fructus referentes, multam fiduciam haberent in die Domini.

« Verum, quod neque sine animi dolore accepimus, nec referre possumus, quidam diversorum Ordinum Regulares, Clericique Sæculares, omissis, quæ divinae majestatis gloriam, et Sanctissimæ Dei Genitricis aliorumque divorum venerationem, alque fidelium pietatem promovere poterant, quod Apostolus in quibusdam arguit, languent circa quæstiones et pugnas verborum, ex quibus oriuntur invidiae, et contentiones, cæteraque vitiorum monstra. Potissimum vero, cum de gloriose Virginis Mariae Conceptione sermo inciderit, tam pertinaciter, pro alterulra parte contendunt, ac si de illis dogmalibus esset, quæ corde credere ad justitiam, ore confiltri ad salutem necessarium est. Quibus illud Prophæta convenire videtur: *Dicunt, ait Dominus, cum ego non sim locutus.* Cum sancta Romana Ecclesia, omnium Ecclesiæ magistra, et doctrix disciplinæ, de ea re hucusque non definierit, nemo absque lemnitale præjudicare, vel alterius partis sententiam damnare potest; et quasi desint præclarissima inventricis gratiae merita, quæ, nec angelica quidem lingua satis digne referri possunt: et cum ex illo uberrimo fonte putoque aquarum viventium non possint saluberrimas haurire aquas, quibus fidelis populus magna cum utilitate atque dulcedine reficeretur: ad dissipatas cisternas currunt, stultas scilicet et sine disciplina quæstiones, quæ generant lites, quas nec frequens multitudo intelligere, nec viri sapientes, qui capiunt, utiliter percipere valeant, præsertim quoniam, ut experimento didicimus, ipsorum concessionatorum, qui ad quæstiones hujusmodi proponendas facilius erumpere solent, major numerus, materiae difficultatem prorsus ignorantes, neque intelligentes quæ loquuntur, aut de quibus affirmant, simplicium animos, indiscretæ devotionis obtenuit, vel potius loquacitatis et ostentationis affectu, ad tumultus et simultates concitant, quos tumultuantes atque dissidentes compondere sedareque potius oportebat. Cumque parvulis in Christo lac infundere, proiectis solidum

¹ Extat in Bull. ut sup. Const. 106. — ² Extat in Bull. Const. 114.

cibum apponere deberent: dum in hujusmodi controversiis interminatis versantur, omnibus ubera proferunt aerenia, quod non absque maledictionis nota legimus in Propheta etc. Datum Romæ, apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo septuagesimo, prid. kal. Decembris Pontificat. nostr. ann. quinto ».

Prohibuit deinde post Pium Paulus V¹, ne in Actibus publicis Beatissimam Virginem in peccato originali fuisse conceptam quis asserret, in Constit., cuius initium *Sanctissimus* etc. quam postea etiam ampliavit Gregorius Decimus Quintus, Constitutione altera², que incipit *Sanctissimus* etc.

139. *S. Philippus Neri in suis familiaribus concionibus orthodoxus.* — Verum summam Pii sedulitatem ac vigilantiam, qua verbi Dei præcones, quæstionibus ac verborum pugnis omissionis, evangelizare pacem, annuntiare bona, et predicare salutem curavit; præ omnibus commendare videntur, quæ in Vita S. Philippi Neri his verbis, sub hoc anno narrat Antonius Gallonius³:

« In exitu anni sexagesimi noni, et in sequenti, qui fuit septuagesimus, ineunte, aliis Philippum modis exercuit Dominus: quippe non ferens Diabolus fructum, qui ex Oratorio nostro, ad profectum animorum procedebat, simul futura præsagiens, eam confessim quibusdam (qui instituti nostri munera haud forte probabant) mentem injecit, ut Philippum, per simulationem pietatis, ad Summum Pontificem deferrent; quasi auctor ille esset, ut in quotidianis sermonibus, qui de rebus piis, eo præsente, atque jubente, simulque interrogante in Oratorio siebant, multa stulta dicerentur, quæ, vel summam simplicitatem summamque ineptiam, vel certe gravem et intolerabilem eorum qui loquebantur arrogantiam redolerent.

« Hæc ubi ad aures Summi Pontificis perveniant, veritus, ne quod novum incendium existeret, hujusmodi rem diligenter canteque examinandam putat: ergo accersiri confessim jubet e Dominicana Familia doctissimos viros Paulinum civem Lucensem, et Alexandrum nunc Forolivii episcopum, quibus cum separatim non modo a reliquis, sed ab ipsis etiam loqueretur, enarravit quæ de Oratorio nostro auditione acceperat, ac timere se dicebat, ne Philippus, (quem idiotam fore arbitrabatur), in iis tractandis, quæ ad Christianæ fidei dogmata pertinerent, laberetur. Quo peracto, id utrique sancte obedientie nomine imponit, ut singulis hebdomadis, quasi aliud agere simulantes, Oratorium adirent, sermonibus interessent,

ubi, si quid ab astantibus doctrine ac rerum expertibus in referendo Symbolo, quod quisque interrogatus dabat, audirent, quod recte fidei aut bonis forte moribus adversaretur, id corrigerent, animis mentibusque mandarent, atque ad se referrent quamprimum: ea enim tum vigebat consuetudo, ut inter sermones laici etiam homines eisdem de rebus, de quibus in Oratorio agebatur, interrogarentur.

« Ergo Dominicanii Patres saepius per hebdomadam ad Oratorium veniebant, totam ipsi rem præsentia cognoscere, totamque inquirere, quanquam alter alterum nesciebat, aggrediuntur: Philippi spiritum, doctrinae genus, et vita institutum expendere decernunt, ad sermones audiendos cætera cum multitudine confluunt, qui modus disserendi sit, quoque sermones tendant, diligentissime animadvertunt: mirari satis Philippi in dicendo vim, ardorem atque mirabilem securitatem nequibant: illitteratus enim ille, (que erat sui despiciens) apparere studebat; nihilominus ad singula, quæ examinanda proponebantur, ita, ubi res exigeret respondebat, ut scopum semper (Dominicanis pæne obstupescientibus) attingeret felicissime. Quibus illi commoti, non quam optime solum de Oratorio nostro, deque Philippi pietate ac doctrina, quam unquam antea sensere: verum Pontifici etiam sana cuncta se reperisse narrarunt, sive que adjuvante Domino tota res brevi, sine ullo judicii tumultu, suppressa est, atque in pristinum candorem restituta ». Haec Gallonius, quibus addere incongruum non erit, quæ Petrus Jacobus Baccius⁴ rem ipsam referens, fusius scripsit:

140. « Interea (inquit) dum viri religiosi, Pontificis mandatum diligenter curant, ipse Pontifex Alexandro Medici, qui tunc pro Magno Etrurie Duce oratoris munere fungebatur, sibi relatum indicat, imprudenter quidem, vel non sane caute, Patribus qui in D. Hieronymi templo concionarentur, aliqua excidisse, ac præsertim enarratum fuisse, ex D. Appolloniae gestis, ultra eam se in ignem conjectisse, non addito, quod præcipuo Spiritus Sancti impulsu id egerit. Alexander ergo a Pontifice dimissus, ad Ecclesiæ S. Mariae super Minervam, concionem auditurus se contulit; ubi occurrit ei obviam Germaniens Fidelius, de quo supra meminiimus, qui Philippi nomine eum rogat, ut quam primum ad illum venire ne dedignetur, quandoquidem ipsum alloqui omnino opus habebat, daretque veniam valetudini; etenim altero pede laborans, lecto se mouere non poterat. A prandio igitur Alexander ad Philippum pergit, sed prius de industria concionibus interest: cum ecce inter alios, qui dicere consueverant, appareret Franciseus Maria Taurusins, qui actionem

¹ Exstat in Bull. To. 3. Const. 105. — ² Exstat in Bull. To. 4. Const. 29. — ³ Vit. B. Philippi Neri per ann. digest. ab Anton. Gallon. ann. Christi 1570. Pa. V. ætatis 55. pag. 121.

⁴ P. Jacob. Bacc. Vit. S. Philippi Neri lib. 1. Cap. 16. p. 51.

S. Appolloniae enarrandam aggrediens, eam debita cum cautela, quam pulcherrime explicat, et quos cum Alexandro difficultatum nodos Pontifex contulerat, maxima facilitate dissolvit. Concionibus expletis, orator ad B. virum accedit, quem Philippus illico interrogat, quid mane de rebus Oratorii Pontifex secum egisset. Ille stupore defixus, quoniam pacto res innotuerit, singula ingenue fassus est.

« Viri autem illi religiosi, quos ab ipso Pontifice missos ad Oratorium diximus, cum per aliquot tempus omnia, quae in Oratorio fuerint, accuratissime observassent, ad Pontificem referunt, se nihil audivisse, quod non esset eum summa pietate ac doctrina conjunctum. Gavisus est summopere Pontifex, quod suis maxime temporibus Romæ essent viri, qui Dei verbum quotidie populo tam profane disseminarent. Atque exinde, cum Philippus, tum alumni in tanta apud Pontificem existimatione fuerunt, ut cardinali Alexandrino nepoti, ad Hispaniæ, Galliæ et Lusitanie reges legato proficisciendi, Taurusium comitem dederit, cumque de omnibus, quae perpetrandâ erant, ex ordine erudierit ». Sie Baccius.

441. *Crucis signatorum societas nova Constitutione a Pio exornatur.* — Summa circumspectio hæc, qua studuit Pius, ne quid in Verbi Dei prædicatione inordinatum minusve recte dictum irreperet, ex ardentissimo proenl dubio eo fidei ardore processit, quo ejusdem puritatem undequaque custodire, ipsique adversantes errores propellere totis nisibus studuit. Hinc cum inter ceteras, quae in Ecclesia Dei hactenus instituta fuerant Societas, eam satis uberes Christianæ religioni fructus attulisse conspexisset, quae sub Crucis signatorum vocabulo, ad assistendum hereticæ pravitatis inquisitoribus, auxiliunque, quando el quoties opus fuisset, in Catholicæ fidei negotiis adversus hereticos, etiam ipsa vita præstandum, instituta erat : queaque ob id non immerito a diversis Romanis Pontificibus, specialibus gratiis et privilegiis fuerat decorata : illam ideirco, Constitutione¹ sub die decima tertia Octobris hoc anno edita, rursus Pius confirmandam censnit ; singularique suo hoc Diplomate, non modo omnia et singula ejusdem privilegia approbavit ac rata habuit ; sed iisdem inviolabilis firmitatis robur adjectum voluit.

442. *Gratulatur Pontifex Octavio Farnesio quod Sanseverinum hereticum in vincula concerit.* — Forte ad id Octavii Farnesii, Parmæ et Placentiæ Ducis, ejusque filii Alexandri Farnesii, hoc ferme tempore patratum egregium hac in re facinus, Pontificem permovit. Diu siquidem ipse vehementer desideraverat curaveralque, ut heretica labe infectus Joannes Galeatus

Sanseverinus (enjus processum, Pio ipso mandante, Carolus cardinalis Borromeus confecebat), ut par erat, a sacra Inquisitionis officio coerceretur, ac debitibus animadversionibus, vel praeteritorum justas poenas fueret delictorum, vel imposterum ad meliorem frugem rediret. Verum, contra virum tum ob generis nobilitatem, tum ob potentiam et opes præclarissimum, nemo erat qui quidquam aggredi auderet. Demandata igitur a Pontifice provincia haec ei quem prædiximus Octavio Farnesio, Parmæ Ducui, quod tune Sanseverinum in ea civitate esse contigisset ; Octavius ab illa absens, negotium confiendum filio Alexandro commisit qui, ex sententia aequa Pontificis ac Octavii patris illud perficiens, Sanseverinum in vincula coniæ jussit. Ad Pium res perlata, quanta cum laetitia afficerit, ex sequenti ad prefatum Parmentem Ducem data Epistola¹, conjicere est.

« Dilecto filio nobili viro Octavio Farnesio, Parmæ et Placentiæ Duci.

PIUS PP. V.

« Dilecte etc.

« Certiores facti nobilitatem tuam, eam quam decet voluntatis nostræ et S. Inquisitionis hereticæ pravitatis Officii rationem habentem, Joannem Galeatum Sanseverinum per ministros suos captum in polestatem suam redigesse, magnam ex eo laetiam accepimus, illiusque eximiam erga Deum omnipotentem pietatem et Catholicæ religionis zelum, vehementer in Domino commendavimus. Id eo quoque studiosius nobis faciendum esse existimavimus, quod non dubitamus nobilitatem tuam, propter viri nobilitatem et potentiam in tali re exequenda, non parva animi difficultate affectum fuisse. Est enim quod gaudeat, se in hoc negotio, præ Dei obsequio, et religionis amore, nullius præterea rei rationem habuisse. Cujus enim divinum honorem nobilias tua omnibus rebus prælulit, is potens est talem erga se charitatem cumulatiore mensura remunerare ; quod eum, pro ea, qua diligentès se providentia prosequitur, facturum esse, sperare potes. Gavisi autem vehementer sumus, dilectum filium nobilem virum Alexandrum principem filium tuum, te Parma absente, paterno jussi negotium ex nostra tuaque sententia egregie confecisse. Utile enim cum ipsi, tum etiam populis sub ejus ditione futaris putamus, illius juvenilem animum similibus rebus, pro religionis studio exequendis, bonis moribus imbutum ad eam vitæ consueludinem deduci, ut omnia sibi omnipotentis Dei obsequio, et fidei Catholicæ zelo posthabenda esse arbitretur ; et sicut natura tibi filius est, ita etiam paternæ tuæ pietatis imitatorem se præbeat. Quia

¹ Extat in Bull. Const.

¹ Ex Archiv. Vatic. ut supra.

vero magnopere desideramus prædictum Joannem Galeatum Sanseverinum, quamprimum Romanum perdici; idecirco nobilitatem tuam rogamus, et vehementer in Domino requirimus, ut quod illi super hujusmodi re, a dilecto filio nostro Scipione tit. S. Angeli presbytero cardinali, de Pisis nuncupato, scriptum fuerit, id pro sua erga nos sanctamque hanc Sedem Apostolicam observantia ac reverentia, ea, qua cœpit prudentia et diligentia, exequi studeat; pro certo habens nobis tale suum obsequium, perinde ac debet, gratissimum futurum. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die x Decembris MDLXX. Pontificatus nostri anni quinto ».

143. *Rogat Pius Philibertum Sabaudiarum ducem ut Joannem Thomam hereticum sibi tradat.* — Piis haec, sive præsagia, sive vota de Alessandro Farnesio, sue adolescentiae primordia Deo religionique consecrante, quem felicem fatusque exitum obtinuerint, nemo est qui ignoret. It autem de Sanseverino a duece Parmensi capto gavisus est, sic a Sabaudia duce Philiberto jam paulo ante in vineula conjectum Joannem quemdam Thomam, impetrare summo conatu studuit, ob id præcipue quod ex illius confessione, alios plures heretica pravitate imbutos noscere speraret. Juxta siquidem divinum illud effatum: *Cupite nobis vulpes parvulas, quæ demoluntur vineas, fidei Catholicae pravis et hereticis opinionibus corruptores, ubique latitantes deprehendere ac exterminare, sollicito studio anxiaque sollicitudine curabat Pius, ne Ecclesiæ vineam, cujus sibi eura incombebat, demolirentur. Epistola ad præfatum Philibertum scripta, hujusmodi fuit:*

« Dilecto filio nobili viro Philiberto, Duci Sabaudiae ¹.

PIUS PP. V.

« Dilecte etc.

« Perlatum ad nos est, quemdam Joannem Thomam apud sanctum heretice pravitatis Inquisitionis officium, Taurini captum detineri: hominem, non solum heretice pravitatis labe infectum, sed etiam apostatam. Eum in potestate nostram tradi, ejusdem S. Inquisitionis heretice pravitatis officio, quod Romæ est, valde interest, ob eamque causam nos id magnopere desideraremus, ut ex ejus scilicet dictis, quorumdam complicum notitia haberí possit. Itaque nobilitatem tuam hortamur, et in Domino vehementer rogamus, ut pro sua erga Deum Omnipotentem pietate, religionisque Catholicae zelo, cum ipsum hominem, in potestatem nostram redigendum, diligenter mandare velit. Qua de re venerabilem fratrem Vincentium episcopum Montis-Regalis, nostrum et

Sedis Apostolice apud nobilitatem tuam num-
tium, diligentissime nostro nomine secum age-
re jussimus, non modo ut fidem habeat, sed ut
illius super eadem re postulatis, pro sua erga
nos sanctamque hanc Sedem Apostolicam rever-
entia, satisfaciat, nobilitatem tuam valde ob-
secramus. Quam etsi id ipsum sponte sua factu-
rum non dubitavimus, tamen eam intelligere
volumus eamdem rem nobis gratissimam futu-
ram. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo
Piscatoris, die xxi Aprilis MDLXX, Pontificatus
nostrí anno quinto ».

144. Pontifici morem gessisse Philibertum, censere stadt ipsius principis erga eum vene-
ratio, ac benevolentia vicissim qua illum Pius
prosecutus est. Hoc ipso siquidem anno, ut
dicitur, alterum Philibertus captivum, Hiero-
nymum nempe Donatum, criminis structæ ne-
ceis in cardinalem Borromaeum, in suspicionem
traductum, Pontifici tradidit; uti preterito anno
pariter in Avenionensi ditione, Philiberti admini-
stris tradi Pontificem omnes eos imperasse,
qui in ipsum principem conjurationem impiissi-
mam commolitos fuisse, suo loco commemora-
vimus. Manus enim cum in republica admini-
stranda temporalis ac spiritualis potestates
amicie conserunt, nullus impietas ac seculibus
tutus locus.

145. *Comiti Tende scribit Pius ut Albingensi*
episcopo plenum jurisdictionis erreritum reli-
quit. — Religionis zelo non minus fervebat,
quem alibi memoravimus Honoratus etiam de
Sabaudia, Tende Comes. Verum hoc anno, ne-
scio quid humanae prudentiae irrepsit, illudque
eos suggessisse, qui plus aequo erga principes,
ad ipsorum sibi benevolentiam captandam stu-
diosiores videri volunt, verosimile est, quod
ejusdem Comitis fervorem, licet non extinxerit,
tamen tepescere fecit. Enixe siquidem a Pio
petiti ¹, ut Vintimiliensi episcopo (qui tune
Carolus Cicada, Joannis Baptiste cardinalis
Cicadæ nepos, exliterat, et ab anno MDIX, in
episcopatu ei successerat) præciperet, ut si qui
in ditionis sue locis heretici reperti fuissent;
ad loca eadem, ut jure in eos ageret, episcopus
idem vicarium suum mittere teneretur; idque,
ut temporali sue jurisdictioni caveret. Et siquidem
non parvum præjudicium inferri timuit,
si extra dominationis sue fines, adversus illos
processus instruerentur. Verum ad hæc Pius ²
ita respondit:

« Dilecto filio nobili viro Honorato de Sa-
baudia, Comiti Tende.

PIUS PP. V.

« Dilecte etc.

« Ex litteris nobilitatis tuae xx Martii die ad
nos datis, studium tuum pro integritate fidei

¹ Ex Archiv. Vat. ut supra.

² Ex Archiv. Vat. ut sup.

Catholicae in locis ad illius ditionem pertinentibus conservanda libenter perspeximus, et in Domino vehementer commendavimus. Verumtamen, quae nos venerab. fratri episcopo Vintimiliensi scribere vis, ut ad formandum in eos, qui isthie hærelici esse reperiuntur, processum, vicarium suum isthuc mittat; idque ob eam causam, ne si adversus subditos tuos extra ditionis tuae loca processus instituantur, jurisdictioni tuae temporali præjudicium inferatur: hoc te a nobis in gravissimis causis ad hæresim pertinentibus, impetrare aequum non est: idque eo magis, quod non sicut temporales ditiones, sic Ecclesiastice dioceses distinctæ sunt. Nam si in locis ditioni tuae subjectis hæreticos extirpare vis, sic, ut quemadmodum scribis, ab omnibus una fides Catholica Romana teneatur; necesse est, ut prædictum episcopum in puniendis hæreticis, suo fungi munere permittas, spiritualemque potestatem, quæ proxime est ab Omnipotenti Deo concessa, temporali tua jurisdictione, prout reipsa est, potiorem esse velis. Nunc aulem, si qui ubique locorum sunt hæretici, ad eorum processus formaudos, illue ubi sunt vicarii semper mittendi sint. nimis magnum negotium et infinitum prope suscipiendum esset. Quocirea nobilitatem tuam hortamur, ut paterno nostro judicio acquiescens, temporalique sua potestate, quemadmodum Deus instituit, spirituali inserviens, prædicto episcopo, ad ea, quæ ad officii sui sunt exequenda, favorem auctoritatemque suam imperiatur. Quod nisi fiat id quod re ipsa futurum est, ex hoc tempore eoram Deo, nobilitateque tua testatum esse volumus, brevi tempore ditionem tuam hæreticæ pravitatis labo sine ulla nostra culpa infestissimam futuram esse. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xxiii Aprilis MDLXX, Pontificatus nostri anno quinto ».

146. Pii monitis minime Tendæ Comitem, ut par erat, acquiesisse, elici posse videtur, ab aliis haud multo post, ad eundem Pontificem, ab ipsomet, de altero Albingensi episcopo delatis querelis, ipsum nimirum accusans, quod quosdam sue ditionis homines sine ulla causa injuste vexasset. Pontifex vero probe intelligens, ex jam male affecto erga episcopalem jurisdictionem, quam in ordinem redigere studebat, animo ista procedere; ad meliorem frugem perbrevi hac Epistola, qua ea, quæ in altera scripserat, confirmat, ipsum revocare contendit:

« Dilecto filio nobili viro Honorato de Sambardia, Comiti Tendæ ¹.

¹ Ut supra.

PIUS PP. V.

« Dilecte etc.

« Litteris tuis quibus nobissemus questus es, ven. fratrem N. episcopum Albingensem, quibusdam hominibus ditioni tuae subjectis, sine ulla, ut ipse asseris, causa molestias inferre, breviter respondemus. Omnino, et rationi, et iustitiae, et sacri Concilii Tridentini decretis consentaneum esse, ut permittas ordinarium, in causis præsertim gravioribus, libere uti potestate jurisdictioneque sua, quam pastoribus animarum ab omnipotenti Deo concessam, si quis ullo modo, aut violare, aut impedire conatur, eum manifestum est in gravissimas Ecclesiasticas censuras incidere: præsertim, eum, quemadmodum alias quoque ad te scripsimus, non sicut temporales ditiones, sic Ecclesiasticas ditiones distinctæ sint. Quocirea pie recteque fecerit nobilitas tua, si non modo prædicto episcopo nullum afferat impedimentum, quominus jurisdictionem spiritualemque potestatem suam libere valeat exercere, sed etiam si eidem, ad ea quæ sui munera sunt exequenda, quotiescumque postulaverit, omnem suum auxilium favoremque præstiterit. Hoc enim, et aequitas postulat, et omnis humana divinaque ratio suadet, et nobilitati tuae, ad continendos in officio populos sibi subjectos, erit utilissimum. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die prima Junii MDLXX, Pontificatus nostri anno quinto ».

147. *Pestifera origo Appellationum ab abusu dictarum.* — Nil prope est, quod frequentius obtendere hoc quoque nostro tempore laica potestas soleat, quam illud, quod sibi tradita Ecclesiæ ministri auctoritate abutantur. Hinc ad summam quoque eludendam, (ne cum impiissimis hæreticis eam omnino palam pedibus proterere videantur), ineptum illud perfugium exeogitarunt *appellationum* earum, quas etiam ab abusu vocare placuit. Id nos in præsenti refellendum minime suscepimus. Qua de re tamen non incongruum unum saltem proferre existimamus; ideoque ab ipsis sciscitamur, cur tandem (ut dicebamus) Ecclesiastice viris jura sua abrogata velint? Qui (inquiunt) iis abutuntur: sit, ut contendunt, ac tradita sibi auctoritate abutantur. Si igitur, quia abutuntur, merito ipsa privari debent; cur non tantumdem de laica potestate censendum est, quam nimirum, cum quis ea abulitur, spernere dejicere que sit licitum? Quænam, quæso, ratio huic suffragari potest, quæ illi non prosit; vel abusus quosvis in laica potestate indistincte ferendos docet, quos in Ecclesiastica potestate usque eo non ferendos politici contendunt, ut ipsam idecirco circumscribendam, mntilandam atque in ordinem redigendam putent? Si hac via, qui in jurisdictionis re committuntur excessus, vel

tollendi vel puniendi sunt, ubique ac a quovis admittantur certe tollendi; nam cum intra certos suos fines utramque potestatem circumscribi nemo diffiteri possit, ratio certe nulla excogitari valet, qua ostendatur Ecclesiasticae potestatis crimina ea pena mutetanda esse; laicam vero, non modo nulla afficiendam, sed insuper nova sibique non congruente extensione ornandam esse; quam quidem extensionem, tanto execrabiliorum nemo negabit, quanto admissum a laice ipsa potestate in hoc facinus, quovis Ecclesiasticae potestatis abusu deterius esse fateri, vel invitus, pius quisque compellitur. Prospicere idcirco debent, serioque perpendere, qui falsae hujus rationis speciei innituntur, ut Ecclesiasticae jurisdictionis jugum excentiant; neminem, sceleratissimam hanc protulisse tenuisseque sententiam nisi quotquot extiterunt perditissimi haereticici Calvinus, Bucananus, aliique, quos in nostris Annaibus non semel commemoravimus; cum videlicet principum regumque legitimam potestatem impetrare dejicereque connixi sunt ac hoc pretextu, eo illorum facinus processisse, ut non modo se dominationi omni subduxerint, sed contra illam se adeo extulerint, ut in principes suos jure agere præsumperint, horrendoque scelere, non modo eos regni possessione exturbare, sed vita quoque privare ausi fuerint. At hæc, ut diximus, obiter.

448. *Ad Maximilianum Pontifex mittit Madrucium cardinalem qui de rebus suæ Ecclesiæ Tridentinæ sit coram imperatore ipso tractatus.* — Nondum etiam hoc tempore ob eamdem fere causam exorta, inter Ferdinandum Austriæ archiducem et Tridentinam Ecclesiam, toties memorata jurgia finem acceperant. Quapropter, post innumeræ quas retulimus hac de causa a Pio susceptas sollicitudines, cum res semper in deterius prolapsa esset ac remedii spes nulla affulgeret; et Maximilianus, ad quem, consentiente Pontifice, causa delata fuerat, nullum ægrotto medicamentum adhibuisset: tandem, ut extremum, quod supererat, experiretur, visum est Pio, ut ipse Tridentinus episcopus cardinalis Madrucins, ad eumdem Maximilianum Ecclesiæ suæ rem acturus sese conferret, ad quem pro ipso cardinali hanc dedit Epistolam¹:

« Charissimo in Christo filio nostro Maximiliano, Hungariæ et Bohemiae regi illustri, in Romanorum imper. electo.

PIUS PP. V.

« Charissime etc.

« Quamvis Ecclesiam Tridentinam, multis jamdiu perturbationibus vexatam, ob eam controversiam, quæ est inter dilectos filios Ludovi-

cum tit. S. Onuphrii cardinalem Madrucium nuncupatum, et nobilem virum Ferdinandum archiducem Austriæ, fratrem tum, saepè M. T. commendaverimus, ejusdem tamen Ecclesiae commendandæ, nunquam majorem quam in præsentia causam habuimus. In eum enim statum, quemadmodum intelligimus, est jam adducta, ut ab interitu atque exitio non longe abesse videatur. Quæ res prædicto cardinali magno quidem incommodo, atque rei sue jactura coegit, ad M. T. protifici, nihil pro tuenda sua Ecclesia prætermittere volentem earum rerum, quæ in facultate sua sunt. Quem quidem cardinalem eo isthuc animo venientem, ut ne hoc quidem adenndæ M. T. extreum remedium omittat, illiusque simul causam, tanquam hominis M. T. totique Austriacæ familie addictissimi, sic commendamus, ut majori animi nostri studio commendare non possimus. Dignus certe est, qui ob eximiam in Deum Omnipotentem pietatem, præclarasque animi dotes, ac veterem suam ac suorum erga M. T. inclytamque illius doinum observantiam, non solum ab ea benigne excipiatur, sed etiam qui in causa justissima aliquod Ecclesiæ suæ vexationibus remedium a M. T. æquitate, tandem aliquando inveniat. Quæ, si hoc fecerit, non solum justitiae consulet, cui in primis consilere debet, sed etiam tot animalium, quot in eadem Ecclesia sunt, saluti simulque existimationi sue providebit. Quod ut facias M. T. vehementer in Domino et hortamur et rogamus. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xxiii Junii mœlx, Pontificeatus nostri anno quinto ».

449. De hac cardinalis Madrueci ad Maximilianum Cæsarem profectione, ad alios quoque Pontificem scripsisse nobiles viros, ex Vaticano Regesto habemus; nobis, quas ad Moguntium¹ et Trevirensem archiepiscopos dedit, litteras hic proferre sat erit:

« Venerabili fratri Danieli archiepiscopo Moguntino, sac. Rom. imp. electori.

PIUS PP. V.

« Ven. frater etc.

« Quot et quantis perturbationibus vexationibusque, et antea affectus sit, et nunc quoque afficiatur dilectus filius Ludovicus, tit. S. Onuphrii, cardinalis Madrueci nuncupatus, ob eam controversiam quam habet super Ecclesia Tridentina cum dilecto filio nobiti viro Ferdinandu archiduce Austriæ, fraternitatem tuam omnino ignorare non putamus. Illud tamen ex his litteris nostris ipsam scire voluimus, eas ipsas perturbationes tales tantasque fuisse, ut illis coactus cardinalis, cum Ecclesiam suam ea de causa non longe ab interitu

¹ Ex Archiv. Vat. ibid. ut supra.

¹ Ibid. ut sup.

atque exitio abesse cognosceret, cumque pro ea tuenda, nihil quod esset in facultate sua vellet prætermittere, sibi magno suo incommodo, majore rei suæ jactura, ad Cæsaream Majestatem proficiscendum esse statuerit, ut hoc exterrimum consulendi remedium Ecclesiæ sue expertus, si minus id consequi posset, officio tamen suo et conscientiæ satisfaceret. Ejus igitur causam, quam justissimam esse cognoscet, fraternitati tuæ majorem in modum commendamus, hortantes eam in Domino vehementerque rogantes, omne suum studium eo conferre, ut quod aequitati sacrique imperii constitutis omnibus consentaneum est, ea Ecclesia tot tantisque oppressionibus, aliquando tandem libereatur. Quam quidem ad rem, non solum justitiæ studium, sed etiam commune periculum, quod ex hujus ipsius controversiæ exemplo, ad omnes Germaniæ Ecclesiæ pertinere potest, fraternitatem tuam debet impellere. Quæ si hoc, ut speramus, fecerit, uno eodemque tempore, et justitiæ serviet, et animarum quæ in prædicta Ecclesia sunt saluti consulet; et nobis ipsis, qui eumdem cardinalem, ob præclaras animi sui dotes vehementer in Domino diligimus, rem adeo gratam faciet, ut ejus rei nomine, nullam unquam fraternitati tuæ, nostræ erga se benevolentiae declarandæ occasionem simus prætermisuri. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xxiii Junii MDLXX, Pontificatus nostri anno quinto ».

150. Ad archiepiscopum Trevirensem¹:

« Venerabili fratri archiepiscopo Trevirensi, sac. Rom. imp. electori.

PIUS PP. V.

« Ven. etc.

« Etsi fraternitati tuæ non ignotas esse arbitramur varias multiplicesque perturbationes, quibus Ecclesia Tridentina, et ante diu vexata est, et nunc quam maxime vexatur, ob eam controversiam, quæ est inter dilectos filios, Ludovicum cardinalem Madrucium appellatum, ejusdemque Ecclesiæ episcopum electum, et nob. virum Ferdinandum archiducem Austriae; tamen earum magnitudinem, vel ex hoc ipso non parum cognoscere poterit, quod illis ipsis perturbationum molestiis coactus, cardinalis, cum Ecclesiam suam in eum statum adductam esse cerneret, ut ab interitu atque exitio non longe abesse videretur: cumque, pro ea tuenda nihil quod facere posset, prætermittere vellet, magno incommodo, rei que suæ jactura, ad Cæsaream majestatem sibi proficiscendum esse statuerit; experiri volens, an hoc uno, quod sibi reliquum est, remedio adhibito, Ecclesiæ suæ tandem aliquando consulere possit. Quem quidem pium et laudabi-

lem illius conatum, ea qua possumus ratione adjuvare volentes, ejus causam, quam justissimam esse semper accepimus, his nostris litteris, fraternitati tuæ majorem in modum commendamus; hortantes eam in Domino, vehementerque rogando (ut quemadmodum æquitas postulat, et sac. imperii Constitutionibus statutum est), ejus Ecclesiæ oppositionibus, quantum in se est, mederi contendat. Quod non solum ob eam causam, quia justum est, fraternitas tua facere debet, sed etiam communis periculi metu commota, quod hujusce controversiæ exemplo, ad cæteras omnes Germaniæ Ecclesiæ redundare potest. Fraternitatem tuam nullo quidem nos loco defuturam esse justitiæ putamus, sed tamen, ut ad eam voluntatis propensionem, quam erga justitiam ipsam habere confidimus, nostræ etiam commendationis causa, ut aliquid addat, ab ea petendum esse existimavimus; quidquid in prædictum cardinalis officii pro aequitate contulerit, gratissime animo accepturi. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xxiii Junii MDLXX, Pontificatus nostri anno quinto ».

151. Sapienter Pontificem præcipios hos Germaniæ præsules admonuisse, ne pravum laicæ potestatis in Tridentina Ecclesia perferrent exemplum, cui postea ipsamet innixa, eadem, vel deteriora in Ecclesiis cæteris aggredi auderet, nemo non videt. Cæterum hanc cardinalis Madrucii Germanicam profectionem statutam fuisse, cum jam se oleum et operam in rebus his componendis perdidisse, Pius comprehendens, anathematis gladio in contumaces animadvertere decreverat, ex his quæ Gabutius¹ scribit, elicere est; ubi enim de hoc pluribus egit, haec subdit: « Interim Christophorus Madrucius, cardinalis Tridentinus appellatus, magnæ vir auctoritatis, et ejus collega Ludovicus, ejusdem civitatis episcopus, uti ferenda anathematis sententia supersederet, Pio suppliavere, nam fore brevi, id quod fuit, ut ejus rei, absque Ecclesiæ damno, componendæ ratio, consiliumque caperetur. Itaque de illius Ecclesiæ jure cum nihil decessisset, eam Pius gravi periculo liberavit ». Sic ille, qui cum nec verbum quidem de Germanica Madrucii profectione, de qua hucusque locuti sumus, injiciat, eamque insuper a scriptore nullo memoratam reperiamus: non immerito idecirco censendum putamus, eam quidem statutam fuisse, verum minime executioni mandatam; quod interim, ut diximus, ex Pii sententia, agentibus præfatis Madrucii cardinalibus, Tridentinæ Ecclesiæ res tandem hoc anno composite fuerint.

152. Ex allatis autem Pii Epistolis, licet hic obiter Alphonsi Ciacconii² lapsum adnotare. Cum enim Pontifex Ludovicum Madrucium

¹ Ut supra.

² Gabut. Vit. Pii lib. 3. c. 7. pag. 99. — ² Ciac. Tom. 4.

non semel tit. S. Onuphrii cardinalem dicat, a vero proculdubio aberrat Giacconius idem, cum de eodem Ludovico agens, scribit : « Ex S. Calixti diaconia, ad S. Onuphrii gradum fecit, non sub Pio Quarto, sed sub Gregorio XIII., vel Sixto Quinto. Sextus enim etc. ». Si enim non sub Pio Quarto S. Onuphrii titulum obtinuit Madrueius ; sub Gregorio Decimo tertio aut Sixto obtinuisse censere necesse non fuit, cum nimis sub Pio Quinto, qui inter utrumque sedit, illum obtinere habereque potuerit, uti revera habuisse, quas protulimus Pii Epistolæ perspicue ostendunt.

153. *Mediolani jura Ecclesiæ primaria restituuntur.* — Mediolani etiam hoc anno plenissime revocato eo, quod tot scandalorum causa extiterat, regio edicto, Ecclesiæ primæva jura restituuntur. De quo certior Pius factus, tum a Carolo cardinali Borromæo, tum ab ipso Duce de Albuquerque Mediolanensi gubernatore, eundem viceissim a quovis excommunicationis vinculo, quo ob edictum idem illigatus erat, scripta ad illum charitate conferta sequenti hac Epistola plenissime absolvit.

« Dilecto filio nobili viro Duci de Alburquerque ¹.

PIUS PP. V.

« Dilecte etc.

« Litteras tuas quinta Januarii die datas accepimus. et ea quæ Ecclesiastice jurisdictionis in integrum restituendæ gratia, nobilitas tua, cum dilecto filio cardinali Borromæo verbis tuis significanda, tum a senatus Mediolanensis præside, curiæ archiepiscopalnis notariis, nomine tuo edicenda, et cæteris istius Mediolanensis ditionis magistratibus et officialibus indicanda curavit, cognovimus. Quamvis autem edicti illius, jurisdictionis regiæ tuenda pre-textu, superioribus mensibus a nobilitate tua propositi verba, tantum pondus habuerint, adeoque generalia fuerint, et pœnarum in eos, qui contra illud fecissent, atrocitas ea sit, ut vel ex hoc ipso verisimiliter judicare possimus, eos, qui illud edictum composuerunt Ecclesiastice libertatis labefactatæ culpa non caruisse; præsertim cum reipsa postea compertum sit jurisdictionem Ecclesiasticam adeo imminutam fuisse, ut neque illius ministri ea, quæ sibi juris erant libere exercere auderent, et si quando hujus rei causa a sacerdibus judicibus aliquod postulare cogerentur; id, vel præcise illis negatum, vel ad concedendum arbitrium permitteretur; tamen in ea re animum voluntatemque tuam rectam et justam fuisse, omnique Ecclesiastice jurisdictionis minuendæ culpa caruisse facile credimus. In quam quidem sententiam, non solum ex tuis ipsis verbis, tam

constanter id affirmantibus adducimur; sed multo etiam magis, ex anteactæ tue vita innocentia atque integritate, Catholicæque religionis studio impellimur. Nota est enim nobis aequitas animi tui, eximia vero in Deum Omnipotentem pietas, et erga sanctissimam illius Ecclesiam observantia, Sedemque hanc Apostolicam reverentia perspectissima, quam ex ea re nuper quoque cognovimus, quod duos illos facinorosos homines, rogatu nostro comprehendi fecisti, in quo rem Omnipotenti Deo acceptam, nobis quoque admodum gratam fecisti. Itaque his, que pro Ecclesiastica isthie jurisdictione fieri jussisti contenti, ob causam, tuum divini honoris zelum, delictis in Domino laudibus commendantes, et ab omni et quacumque excommunicatione, Ecclesiasticaque censura, in quam ejusdem edicti causa incideris, sine ulla reincidentia absolvimus et liberamus, absolutum liberumque esse declaramus: quod non solum, ob multas magnasque virtutes tuas libenter facimus, sed etiam quia nobilitatem tuam, præcipuo quodam amore, propter eas ipsas virtutes in Domino suscepto, et antea semper prosecuti sumus, et nunc quam maxime prosequimur. Quem quidem amorem nostrum, quemadmodum antehac nobilitati tuæ, quibus potuimus præsentis nostræ voluntatis indicis declarare nunquam omisimus; sic in posterum semper facturi sumus, ut quæcumque illi ejusdem nostræ voluntatis indicia, cum Domino tribuere polerimus, ea, quantum in nobis fuerit, nunquam ab ea desiderari patiamur. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xv Januarii MBLXX, Pontificatus nostri anno quinto ».

154. Erga præsidem etiam senatumque Mediolanensem, justitiæ amore hoc eodem anno paternæ sum charitatis indicia præbuit Pius; et quidem ea ipsa in re, quæ ad Ecclesiæ jurisdictionem maxime pertinebat; quo nil in ea tuenda, præter pium ac rectum se prospexit declararet. Quid a Pontifice senatus idem petierit, quidve Pontifex senatui ¹, et quidem serius quam voluisset benignissime concesserit, ad hunc ab eo data Epistola explicat.

« Dilectis filiis præsidi et senatui regio Mediolanensis provinciæ.

PIUS PP. V.

« Dilecti etc.

« Quod litteris vestris die xi Augusti datis, serius quam oportuit et quam ipsi vellemus, respondeamus; id non accidit aliqua causa nostra, sed ven. fratris nostri Donati episcopi Nepesini negligentia, qui, et litteras vestras tardius quam decuit nobis reddidit, et quibus de rebus in eis ipsis litteris ad nos scrupulis,

¹ Ex Archiv. Vat. ut sup.

¹ Ex Archiv. Vat. ut sup.

hæc ut celeriter conficerentur, diligentiam quam poterat non adhibuit. Nos tamen postulatis vestris subito, eo quo potuimus modo satisfecimus. Quod enim ad eos pertinet, qui cædibus atque gravioribus sceleribus admissionis, ad Ecclesias sacraque loca confugientes, eorum immunitate se tuentur, mandavimus per litteras nostras in forma Brevis, omnibus ordinariis istius Mediolanensis provinciæ, ut quos enormium flagitiorum atrociorumque sceleorum admissorum causa, quam eorum arbitrio aestimanda permisimus, ad Ecclesias sacraque loca confugisse compererint, aut in posterum confugerint; eos curiæ sæcularis magistratus istius provinciæ tradendos curent. De illo uno vero adultero, quem homicidii valde suspectum ab archiepiscopalibus istius curiæ vicario captivum detineri, atque in vestram potestatem tradi postulatis: mandavimus dilecto filio nostro Carolo cardinali Borromæo, ut eum vobis tradat, quem nos illum, qua est erga nos sanctamque hanc Sedem Apostolicam obedientia, facturum esse non dubitamus. Reliqua, si quæ erunt, pro justitiæ administrandæ officio, vobis a nobis sanctaque hac Sede Apostolica concedi velitis; hæc si vos postulaveritis, non permittemus ea a vobis frustra desiderari. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIII Octobris MDLXX, Pontificatus nostri anno quinto ».

155. *Constitutio contra monetarum tonsores.*
— Qui hæc sæculari præstitit potestati Pontifex, ut rite justitia administraretur; ipse in ea administranda segnis esse non debuit; quapropter hoc anno specialia contra eos mandata dedit, qui tam in Urbe, quam in aliis locis sanctæ Romanæ Ecclesiæ mediate et immediate subjectis, monetas aureas et argenteas totondissent, super hoc Motu proprio¹ oct. kalend. Novembris hujus anni edito. Et insuper pastoralis officii debito, et ejus, qua prior Christus dilexit nos, charitatis erga proximos impulsu, justitiae et judicii arma, et scutum inexpugnabile in fraudulentos et dolosos decoctores, acriter insurgendo sumpsit, dum eos capitali poena plebentos², kalen. Novembr. anni hujus, dato Diplomate statuit.

156. *Animadvertisit in eos qui Carolum Borromatum occidere tentaverant.* — At in urbe, quam paulo ante memoravimus, Mediolanensi, in eos qui temere Carolum cardinalem Borromatum archiepiscopum gravissime læserant, gravioribus etiam mandatis agere compulsa fuit Pius. Nam hoc ineunte anno inquisitionem fieri præcipiens de his, qui Carolum ipsum interficiendum curaverant, Antonium Scarampum, Laudensem episcopum, Mediolanum misit, qui gravi statim edicto proposito, omnes ana-

themati subjecit, qui indicare prætermisissent, quidquid de eo facto novissent, indicantibusque impunitates promisit, etiamsi sceleri consenserent. Hoc tamen, quod Pius pro Carolo iustissime egit, Carolum amodo anxiū et sollicitum fecit; nam, ut narrat a Basilica Petri¹, paucis diebus post nefarium facinus, ad eundem Carolum venerat Bartholomæus ex præpositis Ordinis Humiliatorum, eique secreto dixerat, se arbitrari scelus illud, a sui Ordinis fugitivo quodam fuisse patratum, a quo eliam in monasterio Braidensi argentum quoddam furto fuerat ablatum. Huic nomen faisse Hieronymum subjecerat; addideratque Hieronymum, se praesente, saepius ea de re cum præposito Vercellensi egisse, petiisseque etiam ad id pecuniam, quam tamen Vercellensis negaverat, imo ipsius consilium reprehenderat, et eum ut ad suum rediret Ordinem bortatus fuerat. Idem Vercellensis ista cardinali confirmavit. Carolus igitur de hoc vehementer angebatur, an, videbilec indicium propalare deberet, vel reticere; sed, jam promulgatis a Scarampo edictis, ab eodem, auctoritate papæ, juramento obstrictus, fateri tandem compulsus est, de auctore criminis scire, quæ duo Humiliatorum præpositi ei indicaverant. His ergo in acta relatis, Bartholomæus et Vercellensis, quæ cardinali fassi fuerant repetere coguntur: verum dum interrogatis respondent, sic inter se discrepant, ut merito de se suspicionem, præsertim Vercellensis, moveant. In vincula idecirco a judicibus traduntur, in quibus præfatus Vercellensis demum fatetur se sacrilegio tum surripiendi Braidensis argenti, tum Caroli necandi consensisse, remque omnem suo ordine narrat, et complicibus explicatis, Caravagiensis et Veronensis præpositi in vincula conjiciuntur. Jam vero apertius indicatus Farina, qui stationarium militum Sabaudiæ Ducis albo adscriptus fuerat, atque in oppido Clavasio, (inquit a Basilica Petri) vel potius Taurini morabatur. Ex Vaticano Regesto Epistolam nacti sumus, qua Pius eundem cognomento Farinam, vero autem nomine Hieronymum Donatum dictum, a Sabaudiæ duce petiit et obtinuit, quæ hujusmodi extitit:

« Dilecto filio nobili viro Philiberto, duci Sabaudiæ.

PIUS PP. V.

« Dilecte etc.

« Quoniam perlatum est ad nos, nobilitatem tuam Hieronymum quendam Donatum Mediolanensem, in arce Taurini delinere, ejus criminis nomine suspectum, quod superioribus mensibus dilectum filium nostrum Carolum cardinalem Borromatum, ferrea glande a se petitum, per summum scelus interficere volue

¹ Extat in Bull. — ² Extat in Bull. Const. 412.

¹ In Vit. S. Carol. Borrom.

rit; idecirco eamdem nobilitalem tuam enixe rogamus, ut illum ven. fratri episcopi Landensis satellitibus tradendum et in ejus potestate fideliter deducendum curet. Quod a nobilitate tua, eo animi nostri studio petimus, ut illam intelligere cupiamus, rem gratissimam nobis facturam, suaque in nos et erga sanctam hanc Sedem Apostolicam reverentia dignissimam. Datum Romae apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die xii Martii M.D.LXX, Pontificatus nostri anno v ».

137. Farina ergo a Philiberto deditus, alii que, quos memoravimus, cuneti Mediolanum adducti, et rem omnem confessi, morti adjudicati sunt. Quapropter quint. kalen. Augusti, de gradu sacerdotali dejecti, (frustra pro eis haud semel intercedente Carolo, qui per Ormanetum Pontificis animum lenire studuit), ad suppli-
eum pertracti, Caravagiensis et Verellensis prepositi, quod nobili sanguine gennus ducent, capite plexi interiere. Farina vero et Veronensis, carro per urbem circumducti, cum ad archiepiscopales aedes ventum esset, Farinæ dextera præciditur; hinc, ad constitutum locum proceditur, in quo ambo laqueo strangulantur. Ob culpam non indicati criminis, ad triremes quinquennio damnatus est Bartholomæus; at precibus et auctoritate cardinalis, ab eo supplio ereptus, in monasterio ad certum tempus inclusus fuit.

138. Denique hoc anno Pontificem, tum in truculenti sceleris in cardinalem Borromeum constructi detestationem, tum ob alias Humiliatorum Ordinis corruptelas, ac desperatam emendationem, sept. id. Februarii Constitutione edita, totum Ordinem ipsum extinxisse scribunt Spondanus et alii; et insuper preposituras, beneficia et veetigalia, partim cardinalibus, partim religiosis locis addixisse: monachos vero, qui eentum septuaginta quatuor erant, ex ipsis distributis facultatibus, monastico vietu, donec viverent, suslentari voluisse, et in religiosa disciplina ordinariorum cura contineri imperasse seribunt. Verum in sequentem annum æquius Constitutio ipsa rejicienda cognoscitur; tum quod data legatur Pontificatus anno sexto, et præsens, non sextus, sed quintus fuerit; tum quod in ea cardinales nonnulli subscripti legantur, qui hoc quidem ipso anno millesimo quingentesimo septuagesimo, ea dignitate, sed, ut vidimus, mense Maio dumtaxat, insigniti fuerunt; cum tamen Constitutio edita, ut dictum est, habeatur sept. id. Februarii: tum denum, quod in ea jam sceleris luisse poenas, tam Farina, quam alii criminis conseiidicantur, qui nihilominus, ut mox ostendimus, quint. tantum kal. Augusti, ultimo suppicio affecti fuerunt.

139. *Scalenses canonici ad meliorem sensum redeunt.* — Scalenses etiam canonici, qui con-

tempta in ipsos lata a cardinali Borromeo sententia, divina tamen officia celebrare minime destiterant, diuque contumaces permanerant, hoc anno tandem, ad sanitatem rediere. Supplies igitur illos, ante fines Ecclesie majoris, ipse cardinalis summa celebritate anathematis vinculis, die Dominica, nonis Februarii solvit; qui deinde in Ecclesiam ad aram maximum perduci, in ipsius Caroli futurorumque archiepiscoporum sese potestate esse professi sunt, ac divina sibi Ecclesiaeque sue admisso scelere adempta, restitui submisso postularunt. Pontificem Maximum cardinalis fuerat deprecatus, ut clementer cum canonicis ageret; verum obtinere non potuerat ut dignas ille omitti poenas consentiret, licet judicij omnis faciendi potestatem Carolo fecisset. Inter alia igitur Scalensis canonici imposuit, ut quotannis, ad decem annos, in Solemnitate Nativitatis B. Mariae Virginis, quæ præcipua pompa in metropolitano templo celebrari consuevit, dum Missarum solemnia agerentur, Collegium universum, ad ejusdem Ecclesie altare maius rite atque ordine accederet, ubi ad pedes archiepiscopi abjecti, veniam peterent præteriorum, ejusque potestatem in se publice faterentur. Ius tamen (inquit a Basilica Petri) agendi in eos reservavit, qui sibi armatis etiam viris accessitis restiterant. Demum apta conceione habita, ad eorum Ecclesiam ordine celebrique apparatu processit. Cœmterio, in quo præcipue facinus patratum fuerat, rite expiato, Ecclesiam ingressus, inter canentium clericorum hymnos, statis ceremoniis populo benedixit.

160. Contra autem eos qui restiterant diu judicium agitatum est, pluribus ex ipsis in carcerebus retentis. Sed et illorum causa tandem cardinali cognoscenda demandata fuit; idque ipsorum canoniconorum enixis precibus a Pontifice obtentum. Annuit igitur Pontifex, verum ea dumtaxat lege, ut rei beneficiis privarentur, et debitibus suppliis in eos animadverteretur. Lenivit nihilominus justam Pii iracundiam Borromeus, impetravitque, ut canonis severitate omissa, paterna potius auimadversione, quam sceleri respondentे poena punirentur; quod ipsi præsertim submisso admodum factum damnantes, ipsius poenitentes veniam postularent. Barbestum, qui ceteris audacior fuerat, cum Pontificis auctoritate comprehensus fuisset, sic emnes deseruere, ut nemo pro eo verbum facere auderet. Quod cum ad Caroli aures delatum fuisset, misericordia motus, publice declaravit, licere eum defendere; tum etiam Pontifici per Ormanetum diligenter commendavit; oravitque, ne eas poenas miserum hominem dependere vellet, quibus alioqui se dignum reddiderat.

161. *Per Helvetiorum pagos instituta Catholica denuo in honore habita.* — Quod vero per

occasionem speciemque salutandæ sororis. quæ Hortensia nomine Annibali Altempcio nupta erat, penetrare ultius in Helvetiorum pagos hoc ipso anno Carolus contenderit, ut in locis illis, ea quæ fidei Catholicae et Christianæ vivendi formæ essent, rite constitueret; fuse narrant ipsius Vitæ scriptores, qui illos certe præ aliis, et cuncta honorifica superasse, et cardinalem præcipua affecisse lætitia scribunt; quod præsentia ejus et aspectu plerique ritus usurparere Catholicos, et Calvinica interim et Lutherana instituta desernere, quod sacris interesse a cardinali celebratis, illumque audire conceionantem, et alia facere Catholicæ more concupierint.

162. *Pius Missalis Romani reformationem inchoatam absolvit.* — Feliciter interim absolvit Pius Romani Missalis reformationem, cui annum incubuisse, a sui Pontificatus initio, ipse met in Constitutione¹ hoc anno edita his verbis testatur :

« Quo primum tempore ad Apostolatus apicem assumpti fuimus, ad ea libenter animum viresque nostras intendimus, et cogitationes omnes direximus, quæ ad Ecclesiasticum purum retinendum cultum pertinerent; eaque parare, et Deo ipso adjuvante, omni adhibito studio efficere contendimus.

« Cumque, inter alia sacri Tridentini Concilii deereta, nobis statuendum esset, de Sacris Libris, Catechismo, Missali et Breviario edendis atque emendandis, edito jam, Deo ipso annuente, ad populi eruditionem Catechismo, et ad debitas Deo persolvendas laudes, Breviario castigato; omnino, ut Breviario Missale responderet, ut congruum est et conveniens, (cum unum in Ecclesia Dei psallendi modum, unum Missæ celebrandæ ritum maxime deceat) : necesse jam videbatur, ut quod reliquum in hac parte esset, de ipso nempe Missali edendo quamprimum cogitaremus.

« Quare eruditis delectis viris onus hoc mandandum duximus, qui quidem diligenter collatis omnibus cum vetustissimis nostræ Vaticanæ Bibliothecæ, aliisque undique conquisitis, emendatis atque incorruptis Codicibus, neconon veterum consultis, ac probatorum auctotorum scriptis, qui de sacro eorumdem rituum instituto monumenta nobis reliquerunt, ad pristinam Missale ipsum SS. Patrum normam ac ritum restituerunt. Quod recognitum jam et castigatum, matura adhibita consideratione, ul ex hoc instituto cœptoque labore fructus omnes percipient, Romæ quamprimum imprimi atque impressum edi mandavimus ; nempe, ut sacerdotes intelligent, quibus precibus uti, quos ritus quasve cærenonias in Missarum celebratione retinere posthac debeant. Ut autem a

sacrosancta Romana Ecclesia, cæterarum Ecclesiarum matre et magistra, tradita ubique amplectantur omnes et observent, ne in posterum perpetuis futurum temporibus in omnibus Christiani orbis provinciarum patriarchalibus, cathedralibus, collegiatis, et parochialibus, sacerdibus, et quorumvis Ordinum, monasteriorum, tam virorum quam mulierum, etiam Militiarum regularibus, ac sine cura Ecclesiis vel Capellis, in quibus missa Conventualis alta voce in choro aut demissa celebrari, juxta Romanæ Ecclesiae ritum consuevit vel debet; alias quam juxta Missalis a nobis editi formulam decantetur aut recitetur, etiam si eadem Ecclesiae, quovis modo exemptæ, Apostolicæ Sedis indulto, consuetudine, privilegio, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel aliis quibusvis facultatibus munitæ sint; nisi ab ipsa prima institutione, a Sede Apostolica approbata, vel consuetudine, quæ vel ipsa institutione supra ducentos annos Missarum celebrandarum in eisdem Ecclesiis assidue observata sit; a quibus, ut præfatam celebrandi constitutionem, vel consuetudinem nequaquam auferimus, sic, si Missale hoc, quod nunc in lucem edi curavimus iisdem magis placeret, de epis copi, vel prælati capitulique universi consensu, ut quibusvis non obstantibus, juxta illud. Missas celebrare possint, permittimus, ex aliis vero omnibus Ecclesiis præfatis, eorumdem missarium usum tollendo, illaque penitus et omnino rejiciendo etc.

« Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo septuagesimo, prid. id. Julii, Pontificatus nostri anno v ».

163. Sic Pius fauste tandem in hac Missalis correctione novaque editione, iis finem impo snisse, quæ primo Pontificatus sui anno incœpisse visus est; cum, videlicet, et sacram synaxim inopportuno tempore, et vario, pro libitu, riliu celebrare prohibuit. Quinam autem fuerint viri, quos ipse memorat, quosve ad reformandi Missalis munus delegerit, narrat Silos¹, sic dicens : « Absolvere item hoc tempore Breviarii Romani Missalisque reformationem cardinali Scotto contigit. Quod quidem opus, Clemente Septimo Pontifice cœptum, nostratum opera (Clericorum nempe Regularium) uti in loco memoratum fuse est, peragi consequentium Pontificum eura nequit, quoad Concilio Tridentino permitta omnino res; alque a Concilio, quod vacare illi per tempus non licuit, Pio Quarto vicissim commendata; tandem morte hoc Pontifice prærepto, confienda a Pio Quinto fuit. Is vero, quod probe sciret, hanc precum reformandarum provinciam a Scotto olim suscep tam collectosque ab eo accurate, cum Pauli

¹ Exstat in Ball. Const. 106.

¹ Silos Hist. Cler. regul. lib. 120.

Quarti, tum reliquorum nostratum labores fuisse, revolvere idem modo saxum jussit una cum aliis spectatae eruditionis viris, præsertim *Aegydio Foscarario*, e *Dominicano Ordine*, cum scientiarum splendore, tum *Mutinensibus* infulis clarissimo. Qui in eumcere in opus perquam diligenter cœpere, ac brevi ad exitum perduxerent: eo quidem successu ac laude, ut pie juxta atque erudite aures publicas jam Ecclesiæ preces probent. Quæ res, incredibili ardore ac zelo a Clericis Regularibus olim cœpta, absolvi Clerici item Regularis, hoc est, *Bernardini Scotti* studio debuit. Id, quod nulli non scriptores narrant, qui de etc ». Hactenus ille.

164. *Constitutio Pontificia de censibus.* — Eorumdem etiam Clericorum opera, ac inter eos præcipue Pauli Aretii usus fuerat Pius (ut idem *Silos* narrat), cum materia de censibus agitaretur, et condere super ea re leges Pontifex decrevisset, ut mortalium avaritiam fraudesque, quæ in id contractuum genos irreperserant, emendaret. Ob id scripto plane inculento, cuius autographum in Neapolitano D. Pauli tabulario servari dicitur, de re ipsa egerat idem Aretius; verum cum tunc tantum Romæ absoluta ea de re consultatio fuisset, ac manasset, ut vidimus, in publicum Pontificia de Censibus lex; cum Placentinæ præfectus Ecclesiæ ad eam regendam se jam Aretius contulisset, idcirco ipsum omnia afferre in medium nequivisse, quæ expediendo cum populorum approbatione negotio, necessaria omnino fuissent, scriptor idem asserit.

Et revera, post editam Constitutionem, plures adeo exortæ sunt dubitationes super ipsius interpretationem, præcipue in regno Siciliæ, ut ea dumtaxat de causa, Octavius Spinula ipsius regni magister portulanus, missus fuerit ad Pontificem; ut ipsem, Constitutione altera¹, qua ambiguitates auferre studuit hoc anno vulgata, hac ratione significavit:

PIUS PP. V.

« Ad perpetuam rei memoriam.

« Etsi Apostolica Sedes, magna adhibita industria operam dat omnia perspicue promulgare, vix tamen est, ut unquam satis queat usquequaque cavere quin scrupulos equorumdam mentes, novos illi sensus inducant, quorum perplexitate multi in dubium evocantur.

« §. 1. Pridem enim, per Constitutionem nostram, de censuum creatione inter alia voluimus, census omnes in futurum ereandos, non solum re in totum, vel pro parte perempta, aut infructuosa in totum effecta, ad ratam periire, sed etiam, pro codem pretio extingui posse. Ac paeta continentia morosum census debitorem, ad interesse lucri cessantis, vel ad cambi-

um, seu salario et expensas, medio creditoris juramento liquidandas teneri; aut rem censi subjectam, sive aliquam ejus partem amittere, aut aliud jus, sive ex eodem contractu, sive aliunde acquisitum perdere, aut in aliquam pœnam cadere, ex toto nulla atque irrita esse. Censum autem, seu annum redditum, non nisi in re immobili, aut quæ pro immobili habetur, ex sui natura fructifera, atque nominatim certis finibus designata sit; sed nec censum ipsum, nisi vere in pecunia numerata, præsentibus notario et testibus in actu celebrationis Instrumenti, non autem prius recepto integro justoque pretio, creari constitutive ullo modo posse.

« §. 2. Deinde, per dilectum filium Octavianum Spinulam, regni Siciliæ magistrum portulanum, hac de causa ad nos destinatum, accepimus in dicto regno Siciliæ scrupulum exoriri, an rerum prædictarum infructuositas, etiam annalis, aut alias temporalis intelligatur.

« §. 3. Et, an per nullitatem pactorum, et aliorum prædictorum, etiam jus recuperandi sive repetendi impensas, quas litigando contra morosos prædictos, aut executores ad eorum loca transmittendo, aut alias ex judicium mandato subire oportet, auferatur.

« §. 4. Præterea, an tam pro ipsis expensis, quam etiam pro censu recuperando, contra tertium possessorem procedi; et etiam fidejussores dari, aliave bona pro prædii censu gravari evictione, et ipsius census solutione hypothecari. Denique, an census hujusmodi super pluribus rebus inter se divisis constitui possint.

« §. 5. Postremo, an id quod de pecunia numerata dicitur, prohibeat quominus in dotium assignatione census creari possit.

« §. 6. Nos haec discrimina, quantum in nobis est, tollere cupientes, tenore præsentium declaramus, rem infructuosa perpetuo redditur; uno, duobus pluribusque annis, sive tempestate, sive alio casu non proveniunt, salva alias juris communis dispositione, intelligi debere.

« §. 7. Præterea exactionem illarum expensarum prohiberi, quæ ex pacto vel conventione tantum inter contrahentes inita et instrumento census specialiter appositæ refici permittuntur: non autem eæ, quæ ex dicti juris dispositione repetenda veniunt, et mandato judicis adjicantur.

« §. 8. Cæterum fidejussores dari, aliave bona hypothecari pro prædii census gravari evictione, aut si præmium in alium devenerit, aut si aliquis tertius fidejussores intercesserit, tertium possessorem, vel ejus bona obligari minime prohibemus. Haec autem omnia, pro evictione dumtaxat, non autem solutione pœnae adjudicari posse intelligimus.

« §. 9. Postremo in dotium assignandarum

¹ Extat in Bull. Const. 79. p. 276.

casu, censuum creationem, et constitutionem prædictam, respectu actualis numerationis eorum notario et testibus faciendæ, locum non habere. Sed in hoc casu census ipsos, etiam pecunia ad manum non habita, creari posse declaramus.

« §. 10. Denique, ut periculis, quæ ex transportatione pecuniarum frequenter in dicto regno eveniunt, occurratur; prætermittimus, ut si in creatione census, pecuniam ad manum commode haberi nequiverit, illius loco emptor apocam sive cedulam banchiariam idoneam integræ pretii venditori in ipso emptionis aetnæ debeat exhibere.

« §. 11. Constitutione nostra predicta, tam in casu dotium quam cæteris omnibus in ea contentis in suo robore permanentibus.

« Volumus autem, ut præsentium...

« Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die x Junii, Pontificatus nostri anno quinto ».

t65. Edita hac declaratione, tamen nec dubia ablata, neque serupulosis conscientiis satisfactum; vel potius severitatem disciplinæ, nec sic ferre potuisse homines, terrenis lucris plus æquo assuetis, illud ostendit, quod Pii legem, ut suo loco dicendum erit. Gregorius Decimus Tertius, Philippo Catholico rege pe-tente, mitigavit: cuius mitigationis decreto cum Aretii sententia ac scriptis consensisse, auctor est memoratus de Silos.

166. *Vexilla Hugonottis erepta Pius suspendi jubet in Lateranensi basilica.* — Erepta interim hæreticis Hugonottis vexilla septem et viginti; et a Comite Sanctæ-Floræ, Pontificii exercitus in Gallis duce, ad Pium missa, atque a Paulo ejus fratre, qui in eodem bello sese strenue gesserat, in frequenti Romanorum procerum comitatu eidem Pontifici oblata; is alacriter suscepit, ipso suæ creationis die, in Lateranensi Basilica, magna cæremonia suspensi jussit, quam in suo Diario Firmanus¹ ita deseribit:

« Dicta die (nempe Sabbato, septima Januarii MDLXX, hora vigesima, illustrissimus D. Paulus Sfortia, associatus a multis nobilibus Urbis, venit ad palatium, et stetit in eam. rev. Alexandrini, donec milites levis armaturæ custodiæ suæ Sanctitatis cœperunt vexilla in ultimo conflictu Gallorum acquisita, per gentes Ecclesiasticas, quæ miserat Comes S. Floræ. Deinde descendit cum magna comitiva ad equitandum hoc ordine, videlicet: Equites levis armaturæ armati, tubicinæ præcedente. Deinde septem aliæ tubicinæ; postea viginti et sex equites, qui ferebant insignia sive vexilla, quæ trahebantur per terram. (Sic enim ordinaverat Sanctissimus Dominus). Post quæ sequebantur aliæ tubicinæ, et deinde prædictus D. Paulus. In

platea S. Petri fuerunt exoneratæ quædam bombardæ, ex Sanctissimi Domini præcepto, et multæ aliæ in Arce S. Angeli. In platea Ecclesie Lateranensis, erat in porta paludatus vicarius, et cum mitra, et cum duobus assistentibus, et canonicis eum superpelliceis: ubi feci dare euilibet canonico et beneficiato, in supplementum unum vexillum; et tunc Vicarius incepit: TE DEUM LAUDAMUS etc. Et canonicis dicta vexilla trahentibus itum fuit processionaliiter ad altare majus, sequente dicto illustrissimo D. Paulo, ubi vicarius deposita mitra stetit, usque ad impletum TE DEUM etc. Postea dixit versiculos et orationes, et ante altare versus chorum, quia ibi erant omnes homines, dedit benedictionem, et omnes recesserunt ».

167. Suspensis autem vexillis, sequentem inscriptionem in marmore incisam apponi Pontifex jussit, eamque statim ipsum dictasse, ad gloriam Dei perpetuamque rei memoriam, serbit Gabutius¹:

Pius V. Pontif. Maxim. signa de Caroli IX Christianissimi Galliæ regis perduellibus. isdemque Ecclesiæ hostibus a Sfortia comite S. Floræ, Pontifici auxiliarii exercitus duce, capta, relataque in principe Ecclesiarum basilica suspendit, et omnipotenti Deo, tantæ victoriæ auctori, dicit anno MDLXX.

168. *Regem Galliæ a pace cum hæreticis ineunda Pius revocare studet et jam factam improbat.* — Verum extrema gaudii, quo Pontifex affectus fuerat ob insignem hostibus fidei illatam elademi, luctus occupavit, ex tristissimo, nempe accepto nuntio eodem Januario mense hujus anni; quod rursus perduellibus parcere, rursus hostibus fidei ac pacis effractoribus reconciliari Carolus meditaretur. Factum, igitur, quod absque regis honore simul ac securitate, et ex his, quæ alias acciderant, et ex fidei regulis omnimode exitiosum futurum, scite ac prudenter Pontifex prævidebat, ut prorsus averteret, sequentes tum ad regem et reginam, tum ad alios, ex more litteras² dedit:

« Charissimo in Christo filio Carolo Francorum regi Christianissimo.

PIUS PP. V.

« Charissime in Christo etc.

« Etsi majestatem tuam nihil non pie, considerate ac prudenter facturam esse putabamus, in ea præserlim re, quæ non minus ad suam regnique sui salutem, quam ad totius reipublicæ Christianæ utilitatem pertineret; tamen hominum fama constantique rumore permoti, quo de pace inter majestatem tuam et hæreticos, communes omnium Catholicorum hostes, suosque rebelles propediem conventura

¹ Gabut. Vit. Pii lib. 2. c. 9. — ² Apud Goub. Epist. lib. 4. Epist. prim.

ad nos afferebatur; pro officio nostro et paterna rerum suarum cura, praetermittere non potuimus, quin eam his nostris litteris moneremus, ut etiam atque etiam consideret diligenterque attendat quid agatur. Nam si ullam inter ipsam atque adversarios suos componi posse pacem videremus, quae, vel religionis Catholice causam sublevatam, vel istius regni diuturno hello vexati, tranquillitati ullo modo esset consulta, non usque adeo, aut personam nobis ab Omnipotenti Deo impositam oblivisceremur, aut officii nostri immemores essemus, ut non ad eam quamprimum conficiendam, omnem nostram operam, auctoritatemque interponeremus. Sed quia nullam luci cum tenebris communionem, nullamque Catholicis cum haereticis, nisi factam insidiisque plenam compositionem esse posse, et nos ipsi intelligimus, et majestas tua multoties experta est; idecirco tum de tua, tum de communis reipublicae Christianae incolumentate, fideique Catholicae conservatione sollicito animo esse cogimur. Quibus etiam adducti causis, majestatem tuam hortamur, ut polius animum suum ipsum per se excelsum, et ad omnia praelata paratum erigat industriamque acutam, ad istius intestini belli reliquias conficiendas, ad suas Omnipotentisque Dei injurias justissimis armis ueliscendas, ad regnum denique istud, nefariorum haereticorum sceletrissima conspiratione labefactatum, sibi posterisque suis firmandum et stabiliendum. Cujus rei eo majorem habere debes spem, quod dubitare non potes, Deum ipsum nostrum, qui te sua misericordia, ex tot tantarumque insidiarum periculis fam saepe eripuit; qui geminatam violoriam de suis communibusque hostibus concessit, libi reclus sensibus cuncti, et pro religionis Catholice causa pugnanti afflulum esse. Quod si ille pro nobis, quis contra nos? In quo opportet majestatem tuam nihil novum aut inusitatum agere; sed quod hucusque fecit, id etiam in posterum facere: hoc est, reliquis omnibus terrenarum rerum sive cogitationibus sive voluptatibus, quibus a rebus agendis evocari posset, in hanc unam curam incumbere, neque aures suas quorumvis hominum alia suadentium sermonibus prebere; sed nostris paternis consiliiis acquiescere, charissimaeque nobis in Christo filiae reginae Christianissimae matris sue, ceterorumque, qui majestati tuae ex animo consultum volunt, verba audire. Molla enim ac varia, isti, qua majestas tua est et alii, a pessimis consultoribus pericula impendent, quae non aliter, quam Dei Omnipotentis ope, fidelissimisque illorum consiliis, vitare poterit. Haec, abundantia quadam nostri erga eam paterni amoris, ad majestatem tuam scripsimus, quae quoniam ab optimo animo, salutis dignitatisque tuae cupidissimo profecta sunt, majestati tuae non injucunda fore spera-

vimus; cui ab Omnipotenti Deo perfectam cumulatissimamque, de communibus hostibus victoriam preciamur. Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xxix Januarii m.d.lxx. Pontificatus nostri anno quinto ».

Ad reginam parentem vero¹:

« Charissimae in Christo filiae nostrae Charlottine, Francorum reginae Christianissimae.

PIUS PP. V.

« Charissima in Christo filia nostra, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Quamvis eximia tua in Deum Omnipotentem pietas, nobis in tanta rerum istius regni perlurbatione ac varietate perspectissima dubitare nos vetet, quidquam isthic, judicio nisi maturo religiosoque consilio actum iri; lamen constanti hominum fama, nuntiisque permoti, quibus de pace inter charissimum natum tuum et haereticos Dei hostes istiusque regni rebelles propediem conventura hue afferebatur; pro officio nostro paternoque rerum istarum sollicitudine praetermittere non potuimus, quin super ea re sententiam nostram aperte, ut, solemus et debemus, ad majestatem suam scriberemus. Quod cum fecissemus, visum est nobis eadem de re ad majestatem quoque tuam scribere. Nos si aliquam inter Christianissimum regem et nefarios haereticos, communes omnium Catholicorum hostes, pacem esse cognosceremus, quae Catholicae tidei causam in meliore statu collocatura et istius regni tranquillitati consulta esset, non ita pacis nomen horreremus, quam ab omnipotenti Deo tanto-per nobis commendatum esse meminimus, ut non ipsi ante alios omnes, illius auctores fieri vellemus. Sed, sicut compertum nobis est, nullam esse Sathanam cum filiis lucis communionem; ita inter Catholicos quidem et haereticos nullam compositionem, nisi factam, fallaciisque plenissimam fieri posse, pro certo habemus. Qua de re, ne majestas tua quidem dubitare debet, quae id ipsum multoties in ista improbissimorum hominum haereticorum nefaria conspiratione, experientia didicisse potuit. Quae cum ita sint, majestatem tuam, cuius de religionis Catholice causa sensus nobis probatissimus est, cuiusque post Deum virtuti, prudentiae, divinique honoris zelo, omnes prosperos rerum istarum successus acceptos referimus, supervacaneum quodammodo videretur esse, quidquam, vel monere, vel hortari; sed tamen qui vehementer nos nobilissimi istius regni cura sollicitos habet, et majestati tuae haec paternae nostrae voluntatis officia, pro sua erga nos Sanctamque Sedem reverentia gratissima esse compertum habemus; idecirco eam hortamur, ut quemadmodum huicque fecit,

¹ Ut supra Epist. 2.

bono fortique animo sit, neu curis, laboribusque, pro fidei Catholicae conservatione, regnique istius incolumitate suscipiendis defatigetur: regemque ipsum Christianissimum natum suum, ad conficiendas intestini belli reliquias, ad justissimas de communibus hostibus pœnas sumendas, ad firmandum sibi posterisque suis regnum, nefariorum hæreticorum impio bello labefactatum incendat alque hortetur. Et quoniam illi, qua nunc Christianissimus rex est, etati, multa a pessimis consultoribus pericula imminent, materna sollicitudine provideat, ne illius animus, aut eujusquam perversis suasionibus a rerum gerendarum cura ad volupatis illecebras traducatur, aut aliorum potius quam tua consilia audiat. Speramus enim, si hæc fecerit, tuisque fidelissimis monitis obtemperaverit, omnipotentem Deum, qui illum tot insidiarum periculis ereptum incolumem servavit, plenissimam illi majestatique tuæ, utriusque pietate, de communibus hostibus victoram, pro sua misericordia daturum. Quod ut faciat, nos certe assiduis precibus ab eo petere non desistemus. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xxix Januarii MDLXX, Pontifical. nostr. ann. quinto ».

170. Et alia deum ad Henricum Duxem Andegavensem¹:

« Dilecto filio nobili viro Henrico, Duci Andegavensi.

PIUS PP. V.

« Dilecte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Cogit nos hominum fama, quæ de pace inter charissimum in Christo filium nostrum regem Christianissimum fratrem tuum et hæreticos ipsius rebelles, communesque omnium Catholicorum hostes propediem conventura, constanti rumore hue affertur; pro commisso nobis, quamvis indignis, Apostolicae servitutis officio providere, ne quod in tanta re, quæ non minus ad istius regni, quam ad totius reipublicæ Christianæ rationes pertinet, debitum paternæ nostræ sollicitudinis munus prætermittamus. Haec nos compulit causa, ut ad nobilitatem tuam has litteras scriberemus, quibus idem illi, quod regi Christianissimo fratri suo significamus, nos quia exploratum habemus, nullam Catholicis cum hæreticis esse communionem, idecirco illud etiam intelligere, nullam inter majestatem suam Christianissimam, et hæreticos pacem, nisi simulatam insidiisque plenissimam esse posse. Id ipsum nobilitatem quoque tuam, pro sua pietate cognoscere non dubitamus; quæ eoruundem hæreticorum perfidiam in isto bello administrando expertam, quid de illis judicandum sit, facile statuere

potest. Quia vero te potissimum decet religionis Catholice causam, regnique istius incolumitatem adjuvare, qui utramque adversus improbissimorum hæreticorum nefarium bellum, justissimis armis, magna cum laude futatus es, idecirco nobilitatem tuam hortamur, ut ne quid ipsa, de sua in persecundis istius intestini belli reliquiis diligentia remittat, regemque ipsum Christianissimum fratrem suum, ad idem excitare atque hortari ne desinat. Nihil certe facere potes, quo erga Deum Omnipotentem gratior judicari possis, qui ideo nobilitatis tuæ gloriæ geminis victoriis illustravit, ut esset qui suas suorumque injurias, non minus piis adversus rebelles armis ulcisceretur. Quod si, qui tibi aliud persuadere conantur, hos pro comperto habeas, non modo tuæ regisque Christianissimi fratris tui salutis hostes esse, sed etiam gloriæ luæ invidere, regnumque istud in servitutem redigere conari; quod ne fiat, debes, quantum in te est, operam dare, quemadmodum te semper facturum esse pro certo habemus. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xxix Januarii MDLXX, Pontif. ann. quinto ».

171. At frustra e sententia revocare, tum regem, tum Andium, Pontifex connexus est, quod Carolus, ut scribit Tarcagnotta, Hugonotias penitus opprimendos minime censeret: vel quod, ut Avila refert, Andium parlim quietis ac illecebrarum aulæ plus æquo abstractum, jam bellici laboris tederet; partim vero quod haud sibi expedire existimaret, ut bellum, extincitis atque e medio sublati hostibus, omnino conficeretur, quo persistante, rerum omnium gerendarum summa penes se futura erat. Cui quidem ambitioso consilio, si verum fuit cum adhaesisse, admissi criminis, ut idem scriptor rite animadvergit, ipsem pœnas luere, nolens postmodum compulsus fuit, ut suis locis dicendum erit.

172. Dimisis igitur auxiliaribus copiis, reliquoque pœne exercitu, initio hujus anni rex, regina Duxque Audius Andegavum se contulere. Hæretici vero, in Monconturniano prælio amissis viribus denuo refectis, in Septimaniam directo itinere se conferunt, Tolosanis circumadjacentia loca comburunt, ac crudelissime diripiunt. Inveterato odio Tolosates ipsos prosequebantur Hugonotæ, ex eo, quod illos anno MDLXII e sua civitate expulerant, noluerantque Calvinisticæ exercitum religionis juxta Amboianum edictum, in suæ civitatis suburbis illis permittere. Imo innumeris quæ memorantur crudelitatibus, juste hæreticos, jure belli, se receptam tunc injuriam nunc vindicasse, scribit Thuanus: qui pluribus etiam segnitem Damvillæ provinciæ præsidis, qui temeritatem una ac sævitiem Hugonollarum coercere potuit, nec prohibuit, tanquam calumniam ab ignara

¹ Vt supra, Epist. 3.

plebe confictam prædicat. Interim actum de pace, sed nihil effectum. Joannes Latinus Bellavacensis et Carolus Serilicus, ab hereticis missi, cum Andegavum pervenissent, his conditionibus a rege pacem deprecati sunt: Ut rex eis, non solum conscientiarum, sed convenienti di etiam publice ubique toto regno, religionis causa, libertatem concederet; idque, salva dignitate et honore ipsis liceret, rescissis et abolitis contra eos lati sententiis, tam intra quam extra regnum: Omnia ab illis facta, tanquam pro regni salute facta, approbaret; eosque bonis ac dignitatibus restitueret: Deque iis, quæ nunc promisisset servandis et exequendis, quibus posset, et aequius judicaret rationibus idonee caveret. Alia prætermittimus, pacis hujus componendæ capita, quæ ex inferius dicendis intelligere erit.

173. At rex, qui se victorem existimans, pacis rationes, non ab hostibus se accepturum, sed potius illis præscripturum credebat, indigne admodum tulit, tali tantaque audacia, hujusmodi conditiones sibi propositas fuisse, quod in sua voluntate ac potestate sponte fatu ros ipsos esse sperasset. Re igitur infecta, dismissis nuntiis, hi nihilominus ab eo impetrarunt, ut secum una in hereticorum castra, ab ipso missus se Bironius conferret, cum publicis de pace mandatis, eum quibus tamen nil omnino profecit; ideoque paulo post Bironius ipse ad regem revertitur cum Navarræ et Colini litteris, in quibus se pacem summopere expetere significabant, sed nonnisi publica religionis libertate promissa, ei assentiri in animo habere ostendebant, cum salva conscientia id neque possent, neque vellent.

174. Interea cum magna invidia laborarent heretici, quasi pacis conditiones rejicerent, edito scripto, ut refert Thuanus, mense Martio culpam illius rei deprecati sunt, quod adversariorum astu factum dicebant, ut de pace mentio injiceretur, eum Catholicorum mentes longe a pacis consiliis alienæ essent; nam interea missos in Britanniam et Germaniam homines, qui pacem jam factam esse confirmarent, ut auxilia, quæ justæ causæ merito sperari possent, retardarentur, dum diversa parte a fœderatis et juratis Gallicæ tranquillitatis hostibus, pecunia, homines ac cætera subsidia undique compararentur. Raimundum a Papia Turcovalium regii apud Philippum oratorem, de ea re saepius cum Hispanis egisse: eadem consilia cum Pontifice a Guisianis agitari; nuper vero missum in Germaniam Nicolaum Neovillum a secretis Epistolis, ut apud Maximiliani Cæsarem, sparsam hujus rei famam dilueret; qui, et Augusto Saxoni Septemviro persuadere conatus est, res in Gallia ad pacem inclinare; sed hæc omnia revinci hand occultis adversariorum machinationibus, qui odio reli-

gionis Protestantium, partes Romanæ Ecclesiæ in Anglia foverent; et Northumbrio et Vestumbrio Comitibus, in manifesta conjuratione deprehensis, ad alendas seditiones animos tace rent, tñ ex interceptis litteris, et aliis testimonis constare, et præcipue, ex iis Caroli cardinalis a Lotharingia ad amicos et factionis consocios, quos Lutetia habebat, quibus mentionem pacis factam confirmabat, ut interea rex tempus extraheret, dum a Philippo et Pontifice responsum, hoc est, consiliorum contra Protestantes in regni perniciem inter eos jamdudum agitatorum, summa definitio veniret. Hisque et alii rationibus adductos, in propositas haec tenus pacis conditiones nequaquam consentire potuisse affirmabant; eam se amplecti aliqui paratos, quæ nihil haberet insidiarum, et qua constituta, non solum in praesens, sed in posterum firma et sincera foto regno concordia sanciretur.

175. Hæc autem, quæ serio tanquam vera refert Thuanus, tantum abest ut hujusmodi fuerint, falsumque adeo ut cum Pontifice consilia agitaverit Carolus Protestantes perdendi, quod potius apud eum, obfirmato animo pacem cum rebellibus hereticis, iniquissimis etiam, ut dicetur, conditionibus inire volentem, agere Pius studiosissime necesse habuerit, ut pacem hujusmodi cum iis minime iniret. Quod quidem tam allatae, quam inferius ponendæ ipsiusmet Epistolæ docent; imo non sine ingratitudine animi vitio, nuper in se collatorum beneficiorum immemorem Carolum ipsum, non inscio modo sed acriter repugnante Pontifice, cum hostibus pacem confecisse, inferius narrabimus.

176. Deinde, si, ut Thuanus excogitavit, eo ipso tempore, quo pacis facienda rumorem Catholici sparserant, hereticorum perditionem cogitassen; quo consilio eos interim vires refiere, et quæ memoravimus, loca incendere, diripere permittebant? Nonne facilius panicos, et hinc inde dispersos, quam plures et una coactos opprimere potuissent? Qua mente, quove animo auxiliares Pontificis et Hispani copias dimisit Carolus, qui, ut rebelles suos opprimeret, Pontificis et Hispani auxiliaribus copiis egebat, sine quibus cum facinus aggredi non posset, pacem simulare cogebatur, ut ipse credit?

177. Et ex eo quidem quod sincerissime a Carolo cum hereticis de pace actum compererit Pontifex, factum haud dubio est, ut omni studio, de ejusdem pacis negotio rursus hujusmodi litteris¹ illum interpellare studuerit.

« Carolo Francorum regi Christianissimo.

PIUS PP. V.

« Charissime in Christo fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem.

¹ Apud Goub. Epist. lib. Epist. 4.

« Pro Apostolicæ servitutis officio, ab omnipotenti Deo nobis, quamvis indignis commisso, animi nostri conscientiæ, ea qua possumus ratione satisfacere cupientes, prætermittere nullo modo debemus, quin majestatem tuam his nostris litteris paterne moncamus, ut in ea pace, quæ inter te et haereticos Dei hostes, tuosque rebelles, vel jam couenisse, vel propediem convertitura esse dicitur, conficienda, etiam atque etiam diligenter videat quid agat. Nos enim ab omnibus privatarum rerum nostrarum rationibus liberi, solum Dei causam, tuamque et istius regni salutem præ oculis habentes, explorata re, id quod certissimum simul ac verissimum est, monemus, talem pacem, non pacem, sed malorum istius regni causam fore. Hoc, si qui sunt, qui aliter credant, quique M. T. secus persuadere conentur; hi, credit nobis, aut ipsi se decipiunt, aut majestatem tuam assentatione corrupti decipiunt; qui tametsi falso utilitatis nomine objecto, religionis Catholice majestatisque tuæ insuper existimationis obliiti, neque Deum, neque majestatem tuam reverentur; tamen illud saltem considerare deberent, ejusmodi pace conficienda, majestatem tuam infestissimos sibi hostes, ex aperto latrocínio, in domum suam, non sine maximo insidiarum periculo esse accepturam; quibus etiamsi (quod non putamus) ad insidiandum majestati tuæ voluntas deesset, tamen Deus, justo divinæ suæ providentiae judicio, eam illis mentem immittet, ut hac maxime ratione, religionis suæ, præ utilitate propria neglectæ, pœnas exposcat. Quantum autem quamque horribile sit in Dei viventis manus incidere, qui non solum corruptos hominum mores bellis emendare, sed propter regum populorumque peccata, regna conterere, eaque ab antiquis dominis ad alios transferre solet; id manifestias est, quam ut hoc exemplis docere necesse sit. Quæ, ut cætera deessent omnia, tamen ad faciendam hujus rei fidem, vel ipsa sola temporibus nostris Græcia sufficeret; quæ propter religionis Catholice contemptum, amisso veteris nobilitatis splendore, in durissimam infidelium servitutem est redacta. Itaque majestatem tuam hortamur, et per Omnipotentem Deum obtestamur, ut cæterorum exemplis edocta, diligenter cavere velit, ne adversus se regnumque suum divinæ animadversionis furem exsuscitet. Haec nos majestatem tuam, pro officio nostro, proque illa qua ipsam in Domino prosequimur paterna charitate, monere voluimus; quæ si paternis nostris monitis acquieverit, erit id cum majestati tuæ utilissimum, tuin nobis gratissimum: sin minus, nos tamen in malis dolorem nostrum communionis reipublicæ Christianæ causa susceptum, hoc ipso saltem consolabimur, quod nullum eorum officiorum prætermiserimus,

quæ pro suscepta communis omnium patris persona, majestati tuae in ejusmodi re prestare debebamus; cætera, quæ a nobis provideri non possunt, diviuæ misericordie gubernanda relicturi, Deumque Omnipotentem, pro majestatis tuae, regnique istius incolumente, quod unum nobis superest, humiliter rogaturi. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xxiii Aprilis MDLXX, Pontificat. nostr. anno quinto ».

178. Quanto etiam doloris sensu, ab episcopo Cenomanensi, Gallico oratore, paulo ante sibi oblata conditionum capita, quibus pax enim haereticis componenda esset, legisset Pius, ex Epistolis ab eo ad cardinalem Borbonum datis intelligere est. Ad eum siquidem sic scripsit¹:

« Dilecto filio nostro Carolo, cardinali Borbonio nuncupato.

PIUS PP. V.

« Dilecte etc.

« Non facile verbis consequi possumus, quantam animi molestiam doloremque cæperimus, cum vener. frater noster episcopus Cenomanensis, charissimi in Christo filii regis Christianissimi apud nos orator, conditionum quarundam capita, nobis legenda obtulisset, quibus, inter majestatem suam Hugonottorumque principes pax futura esse dicitur. Sunt enim hujusmodi ut neque dari neque accipi possint, sine magno Catholice reipublicæ, fideique Christianæ detrimento. Eas circumspectionem tuam, pro sua eximia in Deum omnipotentem pietate, divinique honoris zelo probare, nullo modo existimare possumus. Quis enim eas pacis probet conditiones, quibus, principibus haereticorum omnibusque eorum sectam securis conscientiæ libertate concessa, eisdemque in duabus istius regni civitatibus, haeresum professione, aduersus omnia divina humanaque jura impune permissa, bonis dignitatibusque restitutis, perpetua Christianissimi regis nomini macula inuritur; omne Catholicon haereticorumque disserimen tollitur, et haereticæ pravitatis impunitas constituitur; ut nihil de aliis earumdem conditionum capitibus in præsentia dicamus, quæ non ideo prætermittimus, quia ea minus improbemus, sed ut haec, quæ aperte in honesta atque indecora sunt, potissimum attingamus? Itaque qualis ea pax futura sit, cuius conditiones nullus vir Catholicus æquis auribus accipere potest, non difficile est intelligere. Omnino vanum est putare, aliquam inter Catholicos et haereticos istius regni pacem posse fieri firmam atque dinturnam. Regnare illi volunt, non pacem habere: regem in servitutem redigere, non regi obedire; idque ipsum totò hoc intestini belli tempore

¹ Ex Archiv. Vatic.

fam aperte præ se tulerunt, ut nemo dubitare possit, quod etiam, si illis propositum non esset, tamen erat majestatis Christianissimæ, homines Catholicæ religionis hostes, vel hoc solo nomine justis armis ulcisci potius quam amittendi regni metu, religionem Catholicam in ipso regno perdilam iri; præsertim cum Deus ipse, eujus causa agitur, gemina victoria regi Christianissimo concessa, non dubiam prosperi successus spem illi dedisset. Nunc vero non mediocriter pertimescendum est, ne si majestas sua in admittendis ejusmodi conditionibus, tantam fidei labem dissimulaverit, Dei omnipotentis iram provocet adversus se; sic ut quod amittendi regni metu sibi faciendum esse existimat; id contra quod ille pulat sibi regnoque suo exitiosum re ipsa experietur. Quod, ne accidat, circumspictionem tuam hortamur, et quo majori animi nostri studio possumus, rogamus, ut memor ejus pie latiss, quam turbulentissimis istius regni temporibus singularem semper ostendit; memor ejus, quam sustinet personæ, ejusmodi pacis consilia, auctoritate prudentiaque sua disturbare et dejicere conetur; nec ullo modo religionem Catholicam, talem tantumque plagam in isto regno accipere, pro sua parte patiatur. Praestat enim regi millies mori et regnum amittere, quam ut, illo vivente et connivente, et Christianissimi cognomen obliniente, ad exemplum Jeroboam Israelis regis, aurei viluli in ejus regno adorandi permittantur. Erit hoc circumspictionis tuae officium; tali tempore Deo Omnipotenti acceptissimum, fideique tuae, morumque in legrilatis et constantiae, dignissimum; nobis autem ipsis, qui de istarum successu, pro nostra pastorali sollicitudine maxime elaboramus, gratissimum; ad quod pluribus etiam te verbis hortaremur, nisi pro comperto haberemus, le in eo, quod ad religionem pertinet, nullius monitis hortationibusque indigere. Datum Romæ apud S. Petrum sud annulo Piscatoris, die n Martii MDLXX, Pontif. nostr. anno quinto ».

479. De pace aulem cum haereticis composita, seu melius componenda, non modo Lotharingium cardinalem ad amicos Lutetiae consiliorum conscos, scripsisse, Thuanus asserenti ultro concedimus: sed insuper addimus, ejusdem rei quoque certiorum redditum fuisse Pontificem; imo (quod deterius est) pacis ejusdem, et si non auctorem, probatorem cerle ipsum Lotharingium extitisse, Pio eidem fuisse delatum. Quid vero ex his? Forte quod Thuanus idem contendit, haereticique vulgarunt, falso nempe hanc pacis composite ab eo ac Catholicis sparsam famam, ut interim acriores cum eodem Pontifice, in haereticos insidiaœ struerentur? Nil hoc magis a veritale alienum, ad eundem Lotharingium hoc ferme tempore a Pio scriptæ Epistole ostendunt. In illis siqui-

dem, non modo nil eorum, quæ haeretici iidem commenti sunt, ac Thuanus scripto mandavit, reperiire est; sed Pius e contra, et graviter cardinalem objurgat, quod pacis ejusdem probator diceretur; et si non singula, graviora lamen ipsius capita refellenda suscepit, et ut ab ea regem revocet, foliis nisibus incumbat, enixe cardinalem¹ ipsum hortatur. En Epistola:

«Dilecto filio nostro cardinali, a Lotharingia vocalo.

PII'S PP. V.

«Dilecte ele.

«Cum venerabil. frater episcopus Cenomannensis, charissimi in Christo filii nostri regis Christianissimi apud nos orator, pacis, quæ inter majestatem suam et Hugonottorum principes, Catholicæque religionis hostes suosque rebelles, futura esse dicitur, conditiones, in nolitiam nostram perlatisset; pro nostra erga regem ipsum Christianissimum benevolentia, paternaque rerum istarum cura, magnum accepimus animo dolorem. Eas enim conditiones, non modo probare nullo modo potuimus, sed sine magno Reipublicæ Christianæ fideique Catholicæ detrimento, et Ecclesiasticæ dignitatis immunitione, neque dari neque accipi posse intelligimus. Sunt enim tales, ut si rex ipse victus captusque esset, iniquiores accipere non posset; cuius rei molestia ex eo quoque vehementer est aucla, quod eas ipsas conditiones circumspetio tuae dicilur non improbare: quod si verum est, quanquam prudentiae tuae multum tribuamus, tamen omnia animo diligenter circumspicientes, nihil adhuc in ejusmodi conditionibus invenire potuimus, quod animum nostrum, tum de salute dignitaleque regis sollicitum, vehementer non perturbet. Nam quod ad religionem pertinet, quid aliud est Hugonottorum principibus, reliquisque omnibus, qui eorum sectam secuti sunt, conscientie libertatem concedere, nisi haeresis unicuique suæ professionem impune permittere? Assignare autem eis duas civitales, in quibus quidquid eis collibitum fuerit facere possint, hoc vere nihil aliud est, quam haereticam pravitatem, divinarum omnium legum humanarumque jure damnatam, constituere ac stabilire. Quod si Hugonotti, eorumque haereditibus bona dignitatesque justissime illis ademptæ etiam restituantur, judiciaque et sententiae adversus eos latæ rescindantur, quemadmodum alio earumdem conditionum capite continetur; brevi futurum est, ut omne haereticorum Catholicorumque disserimen tollatur; quo nullum religio Catholicæ majus incommodum accipere potest. Nec vero aliarum conditionum capita probamus, de quibus nihil dicimus; sed haec, quæ mani-

¹ Ex Archiv. Vatic. sign. n. 2012. Secret. Thomas Aldobradini.

teste in honesta indecoraque sunt polissimum prosequimur, quibus sic omnia haereticis tribui, Catholicorum nullam rationem haberit videmus; quasi haeretici bonam, Catholicis malam causam defenderint. Cur enim dama Catholicis illata resarciri, bonaque ablata restilui non jubentur? Cur Ecclesiae Catholicorum, ab haereticis incensae et dirutae, inslaurari non demandantur? Quae autem securitas aut utilitas potest esse in ea pace, quae a Christianissimi regis rebellibus facta, pax futura non est, sed pactio servitutis? Nihil enim aliud eis propositum est, quam regem regnumque ipsum in servitulem redigere: qua de re dubitari fortasse posset, nisi toto hoc inteslini belli tempore aperte præstulissent. Vanum est enim existimare pacem inter eos esse posse, qui inter se de religione dissentint. Ut enim luci cum tenebris nulla est societas, sic nec inter Catholicos quidem et haereticos illa potest esse communio. Quin potius cavendum est, ne Deus, qui Christianissimo regi, religionis sua causam armis aperte defendant, reclusque sensibus eunti, geminate victoriae signo, non dubium pii belli eventum polliceri visus est; idem nunc, eodem rege, tantum Catholicæ fidei detrimentum dissimilante, et in tot tantisque haereticorum sceleribus connivente, ad iracundiam provocetur: sic ut quod majestas sua conservandi regni causa sibi faciendum esse judicat, id ei Redemptor noster in contrarium verlat, præsentisque temporis pœnas in alium diem reservet. Proponat sibi ante oculos rex Christianissimus Jeroboam regis Israelis exemplum, qui, cum timisset, ne ditionis sue populis Hierusalem ad sacrificandum Domino ascendentibus, ipse regnum recenter parum amitteret, vitulos aureos eis colendos adorandosque proposuit, cujus peccati gravitate commotus Deus, domum illius totam everit, eique regnum ademit. Ita quod ad conservandum sibi regnum utile esse judicavit; id sibi regnoque periculoso paulo post experlus est. Nihil enim aliud est christum regem, haereticis loca in suo regno ad haereses suas impune profitendas permittere; quam ut altare, praeter altare Domini Dei, adfiscetur concedere; quod a filiis Israel, filiis Gad et Ruben, maximi criminis in Deum loco objecatum est. Quae cum ita sint, circumspictionem tuam hortamur, ut officii, personæ, dignitatisque tuae memor, totam hanc assimulatæ pacis actionem, prudentia auctoritateque sua, sibi disturbandam suscipiat; neque tantum adversus Redemptorem nostrum, atque adeo contra regem ipsum dedecus admitti patiatur; a quo, si nihil aliud, ipsum revocare, Christianissimi certe cognomen, tanta majorum suorum clarissimorum regum laude partum, delerrere deberet. Quod si ea, qua es eximia in Deum pie late præditus. Catholicoque religionis zelo

succensus, eam quam soles prudentiam ad hujusmodi pacis consilia disturbanda adhibueris, quod te facturum esse, pro certo habemus; non desperamus fore, ut, et rex ipse Christianissimus, in eam, quam cupimus sententiam per te adducatur, et nos præsentis sollicitudinis molestia libaremur, et Deus ipse noster, ut æquum est, in tuis majestatisque suæ actionibus glorificetur. Quod autem ad eas pertinet litteras, quas tu nobis scripsisti, eidem ven. fratri episcopo Genomanensi mandavimus, ut tibi super his nostram sententiam significaret. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xi Martii MDLXX, Pontific. nostr. ann. quinto ».

480. Revera tamen, et ex his Pii Epistolis, et ex illis quæ narrat Thuanus simul collatis, illud rite elicetur utrumque confectæ vel confiendiæ pacis rem, et male acceptam, et aequam suspectam. Sicut enim haeretici fide pacem a Catholicis expeti vulgarique crediderunt, sic eadem de haereticis Catholicæ quoque putarunt; hoc tamen inter utrosque discriminé, quod a delictorum conscientia, quæ supplicium undeque sibi metuebat, haeretici in suspicionem merito ducerentur: Catholicæ vero, minime iis fidendum rite censerent, qui toties fracta in Deum ac regem fide, deteriora prioribus semper commoliti fuerant, et ex beneficiis peiores effecti essent. Ex animo nihilominus pacem ultraque pars desiderabat: et rex quidem, ob ea quæ diximus; Hugonotti autem, quod jam ferendo bello se impares viribus agnoscerent, neque auxilia e Germania vel Anglia sibi suppeditari posse sperarent. Ut pacem vero amplioribus conditionibus obtinerent, bellum pro viribus gerentes, varia ab illis loca sunt intercepta: et Colinins eum judicaret nunquam ad pacem, qui circa regem erant serio inclinaturos, quandiu bellum longe ab aula, atque adeo e regni metropoli Lutetia Parisiorum gereretur; eo arma prius inferenda censuit, ut eorum incommoditatibus domito plebis furore, qui vulgi gratiam per bellum captabant, plebe consentiente, eadem postmodum bellum de testante, ipsi in pacem consentire cogerentur.

481. Inter haec autem, cum aegrotasset Dux Andius, et ad comprimendos ingruentes haereticorum conatus, rursus exercitum rex coegisset, parum utili ac felici consilio (ut narrat Davila¹), summum ejusdem imperium, Arturo Cossæo detulit, qui animo cum esset Calviniana labe infecto, non modo hostes, ut facile potuisset, minime oppressit, quin potius tarditate ac segnitie sua haud parum eis profuit, ut interim vires colligere, ac se in lutum recipere possent. Hujusmodi autem agendi modum reginæ potius consilio tribuisse Thuanus² visus est: imperatum

¹ D. Avil. Hist. ut sup. — ² Thuan. ut supra.

siquidem ab ea scribit, ut fœderatos, quantum posset, longe ante se pelleret, qui, si vim facere vellent, et in provincias viciniores regi penetrare conarentur, tunc vires contrarias opponeret. At præfatus Davila refert, quod regina, enī prudentia sua ac acri ingenio agnoverisset, hinc Cossæum, illinc vero Damvillam nova struxisse consilia; de iisdem filiis admonitis, illos hortari cœpisse, ut ab eis, quæ pacis erant minime se abhorrere deinceps monstrarent, ulti poterit intelligeret, hominum perfidia, ex eo bello haud parum eis periculi imminere. Delegati igitur ad regem ab Hugonottis missi iterum veniunt, Tellinius, Bellovasius, in qua eum eis Casstellerius Navarro ab Epistolis, qui tandem decima Augusti, ut scribit Thuanus, vel oclava, ut Soulierius putat, certis conditionibus eum rege convenientiunt, et pacis edictum undecima ejusdem mensis in curia Parisiensi vulgaritur.

182. Præcipua vero hujus pacis capita hic ponenda videntur, ut perspicue agnoscatur, quām jure merito Ponlifex, præter allatas rationes, ex turpibus hujusmodi conditionibus quoque pacem hanc improbaverit, ac reprehenderit: quod in divinam simul ac regiam offensam, ac probrum, nimis eam redundare cognoverit. Ab Isselt¹ ipsa sic adnotavit:

“ Ut omnes inimicitiae atque odia, quæ a belli primordiis exarserant, cessarent, eorumque memoria perpetua oblivione sepeliretur.

“ Nulla propter offensas aut dissentientes opiniones fieret provocatio aut insultatio: sub pena publicæ pacis perturbatoribus constituta.

“ Ut Catholicæ religio Romana revocetur stabiliorque omnibus locis et provinciis Galliæ, cuius exercitium libere et sine ullo impedimento fiat.

“ Bona etiam ac provenlus Ecclesiastici, vel aliorum Catholicorum, superioribus bellii ab Hugonollis per vim occupata, restituantur in eodem statu, quo fuerunt, antequam legilimi domini illis exuerentur.

“ Omnibus vero nobilibus, qui plenam jurisdictionem habent, exercitium novæ religionis permittatur, idque in ædibus sue jurisdictionis, quas prius præfectis regiis nominare teneantur; idque habeant pro se, suis uxoribus, et familia, et accedere volenlibus.

“ Qui hujusmodi jurisdictiones non habent, ipsis pro se et familia tantum conceditur, nisi Baptismus sit celebrandus; quo casu etiam alii ad denarium numerum admittantur.

“ Ut eadem religio in suburbis duarum urbium, earum provinciarum, quæ in edicto exprimuntur (non autem cujusecumque, cum quædam in eo non nominentur), exerceatur. In omnibus etiam locis, ubi ea fuisset pri-

ma die Augusti, ante promulgatum edictum.

“ Expresse autem edicto hoc prohibetur quodvis exercitium ejus religionis, vel administrandæ, vel docendæ publice; vel instituendorum puerorum, aut aliorum, præterquam in locis prænominatis.

“ Eadem religio, neque in aula regis, neque in aliquo loco aula ad decem milliaria propinquæ exercetur: totidem milliaribus ejus exercitium absit Luætia, neque in ea urbe permittatur.

“ Præfectis regiis mandatur ut loca humandis corporibus istorum religiosorum idonea inveniant: procurent, ut cadavera nocte, absque ullo tumultu, non pluribus quam decem comitantibus efferrantur.

“ Matrimonia nulla inter affines aut consanguineos siant legibus prohibita.

“ Ut in scholas, xenodochia, aliaque similia pauperum loca, utriusque religionis homines promiscue recipiantur.

“ Declarat rex, qui contra ipsum, et religionem Catholicam arma sumpserunt, se non in perduellum numero, sed fidelium subditorum habiturum: hac lege, ut omni fœderi et societali, tam in regno, quam extra illud renuntiant, ab omni coitione populi, et exactionibus pecuniarum deinceps abstineant.

“ Ut nulla vicissim damna regno præteritis bellis illata praestare teneantur.

“ Ad dignitates etiam et publica munia admittantur.

“ Ut captivi ulrinque sine pretio dimittantur.

“ Ut omnes sententiae contra Hugonottas, a morte Henrici regis latæ, hoc etiam edicto aboleantur, et quisque suis bonis, honoribus et dignitatibus restituatur; nominatim autem Auriaco principi, et Ludovico Nassovio illius fratri, urbes, jura, principatus, tituli, privilegia, quæ in regno Galliæ habent, reddantur.

“ Ut Rupella, Montalbanum, Cogniacum, et Charitæa custodiæ Hugonottarum in duos annos tribuantur, quo qui dominum redire propter veteres simultates non audent, ibi luto commorari possint, quoad inimicitiae pœnitutis sopiantur: his tamen conditionibus, ut principes Navarrae, Condæus, et alii viginti ejus religionis nobiles a re nominandi, promittant, jurentque se presidia in dictis urbibus, regio nomine habituros, easque biennio exacto reddituros euicunque regi visum fuerit eo in statu, quo nunc sunt, nulla re in illis mutata; utque hoc spatio biennii elapsi religio nova in iis conservetur; ita tamen, ut et statim, et deinceps in perpetuum Catholicæ quoque religio in his libere et secure exerceatur.

“ Ecclesiasticis liber ad eas pateat accessus, omniumque bonorum suorum permittatur integra possessio”.

¹ Silich, ab Isselt, sub hoc ann.

183. Falsum autem humanæ prudentiae commentum, quo rex amplissima ista Hugo-nottis concedens, pacem obtenturum credidit, exitus cito elusit, nam, ut narrat Thuanus¹, vix per regni curias et inferiora tribunalia promulgato edicto, cum inde a Catholicis, inde a Protestantibus ingentes querimonie perlatae sunt, quibus, ut aliqua ex parte satis fieret, et ne qui motus ob eas excitarentur, Arturo Cos-sæo, et Philippo Garreo Protero libellorum supplicum magistro, negotium dñi nr, ut Rupel-lam proficiseantur, et de vera edicti interpretatione et executione cum Protestantibus delegatis ex aequo agerent. Addit Spondanus², quod quamvis pro tempore, Gallis pax ista gratissima acciderit, cæleris tamen, qui Catholicæ religionis integritatem incontaminatam desiderabant, regiamque auctoritatem in omnibus præ-valere cupiebant, non adeo acceptam fuisse; qui tamen (inquit), si bellorum incommoda sensissent, si non piam, forte necessariam judicassent. Et quidem necessario forsitan am-plectenda fuisse, si tamen (quod absit) apud Catholicos necessitas aliqua excogitari potest, quæ ad facienda mala, ut hujusmodi veniant bona impellere queat; si inquis saltem iis conditionibus obtineri potuisset: verum, ut Pontificem ad regem non semel scripsisse vidimus, hujusmodi pax, non modo non pax, sed acrioris belli causa insuper extitit. Cunctis igitur Catholicis pax ista, sed præcipue Catho-lico regi, et merito infensa fuit, qui frustra openi Gallis se subministrasse cognovit, ut rebelles etiam suos in Auriaco et Nassovio comprimerent, quorum conatus in suum fini-timum Belgium, deinceps transferri posse rite perlimuit. Sed, præ aliis gravissimam accidisse Pontifici, quod nullum omnino fructum consecuturam, nec regi, nec regno prævidisset; imo ex ea ingentem e contra malorum molem, et scriptores tradunt, et ex sequenlibus ejusdem Epistolis³ paulo ante quam pacem statulam credidisset, liquet.

184. Dilecto in Christo filio nostro Carolo cardinali a Lotharingia.

PIUS PP. V.

«Dilekte fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem.

«Quamvis de pace, quam inter charissimum in Christo filium nostrum Francorum regem Christianissimum, et hæreticos Dei hostes, majestatisque suæ rebelles, cum saepè alias, tum quam maxime hoc tempore conventura esse existinatur, quid sentiamus libere ad ma-jestatem suam, et ad circumspectionem quoque tuam antea scripserimus; tamen cum intelli-gamus nihilominus eam in præsentia conven-

turam esse existimari, prætermittere noluimus, quin circumspectionem tuam, cuius et consilio et prudentia omnia istius regni negotia admi-nistrari compertum habemus, moneamus, ut etiam atque etiam videat, et diligenter consideret, quid agatur. Nos enim ab omnibus, aut rerum nostrarum aut cuiusquam allerius pri-vatis rationibus liberi, solamque religionis Catholicæ causam, cum regis Christianissimi salutem atque utilitatem istius regni conjunctam, præ oculis habentes, re explorata, judicamus nullam Catholicis cum hæreticis pacem, nisi si clam aut simulatam esse posse; sed sub nomine specioso pacis, insidiosissimum prodi-tionis fraudisque maleficium latere, quo illi Christianissimum regem, nihil tale meluentem, aut de improviso adoriri, aut dolis ac fallaciis circumvenire, regnoque et vita spoliare enpiunt. Hoc autem, si qui sunt qui aliter credant, eos nos, aut præleritarum istius regni rerum pa-rum memores ipsos falli, aut majestatem suam fallere velle arbitramur. Regem illum Christianissimum opprimere, et perfidoce circum-venire, non pacem habere, volunt. Quod ex eo majestas sua cognoscere poterit, quod quolies-cumque auxilia externa habere potuerunt, ipsi primi pacis foedera rupti sint. Qua quidem pace, quid Christianissimo regi, totique isti regno perniciosius aut periculosius accidere potest? qua confecta primum quidem religioni Catholicæ, quod maximum accidere potest, vulnus infligitur: deinde ejusdem regis digni-tati et existimationi turpissima ignominiae labes aspergitur; postremo infestissimis hostibus, ad occellas insidias et conjurations aditus aperitur. Quibus quidem audendis rebus, etiamisi illis voluntas deesses, tamen Deus justo providentiae suæ judicio, eam illis mentem immitteret, ut hac maxime ratione neglectæ suæ religionis pœnas, ab his qui eam neglexerunt, exposcat. Quocirca circumspectionem tuam hortamur, et per Deum Omnipotentem obsecramus, ut memor pietatis, quam Omni-potenti Deo religionique Catholicæ debes, me-mor fidei, quam turbulentissimis istius regni temporibus egregiam præstisti, semper, me-mor ejus, quam sustines personæ, ejusmodi de pace consilia atque actiones disturbare ac disjicere coneris, nec ullo modo aut Catholicam fidem, lalem tantumque in isto regno plagam accipere, aut Christianissimi regni saludem, istiusque regni incolumitatem, in tale tantum-que discrimen adduci patiaris. Erit hoc cir-cumspectionis tuæ officium, tali tempore Om-nipotenti Deo acceptissimum, fideique tuæ consolanlia dignissimum. Nobis autem ipsis, qui de istius successu pacis, pro pastorali nostra sollicitudine maxime laboramus, gratissimum. Ad quod pluribus te quoque verbis hortaremur, nisi pro comperto haberemus, te in eo, quod

¹ Ibid. ut sup. — ² Gub. hoc ann. — ³ Apud Gub. Epist. lib. 4. Epist. 5.

ad religionis Catholicæ detensionem, regisque Christianissimi salutem tantopere pertinet, nullas officii tui partes esse prætermisurum. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die xiii Augusti mdcxx, Pontificatus nostri, ann. quinto ».

183. Et ad Carolum cardinalem Borbonum : « Dilecto filio Carolo cardinali¹ Borbonio,

PHYS. PP. V.

« Dileete fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Quod pro pastorali officio nobis, quamvis indignis, ab Omnipotenti Deo commisso sedulo fecimus, ut quotiescumque de pace inter charissimum in Christo filium nostrum Francorum regem Christianissimum, et haereticos Dei hostes, majestatisque suae rebelles conventura ad nos allatum est; de ea ipsa quid sentiremus, libere ad majestatem suam et circumspectionem quoque tuam scriberemus; id etiam hoc tempore, quod eamdem pacem conventuram esse intelligimus, prætermittere nullo modo potuimus : nam, si quis est, qui aliquam inter Christianissimum regem, et nefarios haereticos, communes omnium Catholicorum hostes, pacem veram ac stabilem convenire posse existimet, is, aut rerum istius regni præteritarum immemor seipsum imprudenter decipit, aut earum memor majestatem suam Christianissimam perfidiose decipit. Ut enim nulla esse potest Satana cum filiis lucis communio : ita, nec inter Catholicos quidem et haereticos ulla pacis compositio, nisi facta fallaciearumque plenissima fieri potest. Quia de re nemo sane mentis est, qui dubitare possit, qui modo improbissimorum haereticorum nefarias coniurationes, contra regis Christianissimi caput, regnique incolumitatem antea sepe imitas recordetur. Opprimere illum regem, sub falso specie quoque pacis nomine, eumque regno ac vita spoliare, non pacem habere, volunt. Quod ex eo majestas sua cognoscere poterit, quod quotiescumque illi auxilia externa habere poterunt, primi pacis foedera rupturi sunt; quibus audendis rebus, etiamsi illis, quod non putamus, voluntas deesset; tamen Deus justo providentiae sue judicio, eam illis mentem immittet, eum viderit in hujusmodi pace, qua religioni Catholicæ, maximum quod accipere potest, vulnus infligitur, nullam divini sui honoris, ab his, qui debebant, habitam esse rationem. Quid enim aliud in tali pace, præterquam religionis Catholicæ in isto regno interitus, regis Christianissimi dignitatis et existimationis labes, ejusdemque salutis manifestum disserimen continetur? Quæ eum ita sint, circumspectionem tuam hortamur, et quo majori animi nostri

studio possumus, requirimus, ut pacis tam ignominiosæ tamque perniciose consilia et actionem totam impeditre ac disturbare velit, et his, qui illam regi Christianissimo persuadere conantur, fortiter se opponere studeat. Hoc enim officium primo quidem Omnipotenti Deo debet, de cuius religione sanctissima, vel retinenda vel amittenda in isto regno agitur : deinde Christianissimo regi, cuius maiestas in rerum suarum gubernatione, tuo potissimum consilio tñaque fidei inititur ; postremo etiam persone quam sustinet. Quam quidem ad rem, pluribus quoque te verbis hortaremur, nisi haec ipsa satis esse putaremus, nisique firmiter speraremus, te in his rebus, que ad fidei Catholicæ regisque Christianissimi salutem ac dignitatem tantopere pertinent, nullas officii tui partes esse prætermisurum. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die xiii Augusti mdcxx, Pontificatus nostri, ann. quinto ».

186. Denum ad regem ipsum, sub ipsa die, per brevem hanc Epistolam¹ Pontifice dedita reperimus.

« Charissimo in Christo filio nostro Carolo Francorum regi.

PHYS. PP. V.

« Charissime etc.

« Scripsimus ad dilectos filios nostros card. Lotharingia et Borbonum sententiam nostram super pace, que inter M. T. et haereticos Dei hostes, suosque insuper rebellés, conventura esse existimatur, de qua etiam alias Majest. tuæ, nos scripsisse ineminiimus. Quam quidem hortamur et vehementer in Domino obseramus, ut quæ ad eos cum M. T. super haec ipsa pace communicanda scripsimus, diligenter attendere et considerare velit. Inveniet enim nostrum consilium, a paterna qua eam prosequimur benevolentia profectum, nihil aliud quam Dei Omnipotentis honorem, M. T. saltem, ac dignitatis conservationem, regnique illius incolumitatem sibi propositam habere. Qui quidem consilio, si M. T. acqueverit, erit eur illius, religionisque causa, vehementer in Domino gaudemus. Sin minus ex ipsa tamen re, dolorem nostrum inde acceptum consolabimur, quod ipsi officio nostro functi fuerimus, reliqua Dei Omnipotentis providentiae, cui confidimus, a quo animo permissuri. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die xiii Augusti mdcxx, Pontificatus nostri anno quinto ».

187. At cum Pius tandem intellexit pacem cum haereticis ac rebellibus Carolum regem, suis posthabitibus monitis, statuisse, vix verbis exprimi potest, quantum ex hoc dolorem conceperit. Datis nihilominus, et ad eosdem Borbonum et Lotharingium, neenon ad Strozziūm

¹ Ut supra Epist. 6.

¹ Ex Archiv. Vat. ut supra.

et Pelaeum cardinales Epistolis, qua melius oratione potuit, eum illis, his verbis aperuit¹:
— Dilecto filio Carolo cardinali Borbonio.

PIUS PP. V.

« Dilecte fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Non tam facile verbis explicare circum-spectioni tuæ animi nostri dolorem possumus, quem ex istius inter Christianissimum regem et hæreticos pacificationis nuntio accepimus, quam tu pro tua prudentia, id existimare potes. Quantum enim nobis et bonis omnibus dolenda, quam periculosa, quamque majestati sue pœnitenda sit ea pacificatio, in qua victi hæretici, victori regi tam nefarias tamque exitiales Catholicæ religioni leges imposuerunt, sine lacrymis exequi non possumus. Qui quidem rex, ultinam id quod verissimum manifestissimumque simul est intelligere potuisset, majora nempe sibi confecta haec pace ab hæreticorum occultis insidiis atque fallaciis, quam durante bello, ab eorumdem aperto latrocínio pericula immi-nere: nunquam in eam sententiam adductus eset, ut ullam cum perfidiosissimis hominibus infensissimisque hostibus pactionem sibi tutam esse existimaret. Quo magis verendum est, ne et ipsum regem, et eos, qui hujusmodi paci-ficationi sunt assensi, dederit Deus in reprobum sensum, ut videntes non viderent, et audientes non audirent ea, quæ et videnda et audienda fuerunt. Quæ quamvis ita sint, et peccatis nostris facientibus, eas quas nunquam puta-veramus in Christianissimo regno religionis Catholicæ labes videre cogamur: non tamen animo deficimus, sed fortitudinem nostram ad Deum custodimus, memores ejus nos vices in terris quamvis indignos gerere, qui custodit veritatem in sæculum, neque confundit spe-rantes in se. Quo autem pejore loco istius regni res sunt, quam quo adhuc fuerunt, eo magis te, et reliquos qui in eo sunt principes viros, et orthodoxæ fidei studiosos, excitandos, offi-cique sui admónendos esse putamus. Ex quorum numero, cum circumspetionem tuam nemini pietati divinique honoris zelo concedere pro comperto habeamus, faciendum nobis esse existimavimus, ut eam turbulentissimo istius regni tempore ad fidem servandam, ad resi-stendum hæreticis, ad bonum contra eos cer-tamen certandum, his litteris hortaremur. Meminisse autem debes, te unum esse ex numero venerabilium fratrum nostrorum, qui e nostro gremio, et hujus S. Catholicæ ac Romanæ Ecclesie sinu prodieris, qui te, sanctissimo jurejurando adhibito, ad profundendum pro ejus defensione sanguinem obstrinxeris: idecirco enim purpuream vestem indueris, n̄ vel hoc ipso signo ejus charitatis admonearisi,

quam in defendenda ortho doxa religione Re-demptori nostro, atque ejus sanctissimæ Ec-clesiae, cuius honorabile membrum factus es, præstare debes. Hæc igitur cogitans et in eo fiduciam tuam reponens, cuius dextera inven-nitur super omnes, qui illum oderunt, fac in illo virtutem, vocationem tuam firmiter tene, Catholicam religionem quovis periculo postpo-sito defende, hæreticorum conatibus, quantum potes, obsiste, omnipotentis Dei causam sustine: et quibus potes auxiliis jacentem in isto regno religionis Catholicæ statum erigere stude. Quod si feceris, non solum laboris tui fructum aternæ præmium remunerationis a Redemptore nostro accipies; sed etiam apud homines gloriam et laudem consequeris. Si vero, quod absit, offi-cium tuum tam necessario tempore, quavis de causa prætermiseris: non ideo tamen deeront omnipotenti Deo viæ, quibus causam suam defendat, presertim multorum, qui in isto regno reliqui sunt hominum, populorumque Catholicorum precibus adjuvantibus. Tu vero, nisi hoc tempore Deo ac religioni personæque tuæ, atque huic Sanctæ Sedi Apostolicae, quod debes persolveris, frustra ad hoc agendum aliud tempus requisiturnus es. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die xxiii Septembris M.DLXX, Pontificatus nostri anno quinto ».

188. Ad cardinalem vero a Lotharingia:

« Dilecto filio Carolo cardinali¹ a Lotha-ringia.

PIUS PP. V.

« Dilecte fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Certiores facti de pacificatione inter charris-simum in Christo filium nostrum Franeorum regem Christianissimum et hæreticos inita (si modo pacificatio appellanda est ea, in quam tam nefariae tamque exitiales religioni Catholicæ leges ab hominibus improbissimis majestati suæ Christianissimæ sunt impositæ) magnum cœpimus animo dolorem: tales scilicet, qualis par fuit, nos ex tanta regni istius antea non minus rei militaris quam religionis laude florentissimi calamitate accipere. Nos enim ita existimamus majorem ex tali pacificatione regnum istud plagam accepisse, quam quantam superioribus annis acceperit, ex quo tempore intestinis hæreticorum seditionibus laborare in-cœpit. Regi autem ipsi Christianissimo majora nunc ab hostium fraude atque insidiis, manente tali pace, imminere pericula arbitramur, quam ea fuerunt, in quibus, durante bello, versari visus est. Quamvis autem, peccatis nostris fa-cientibus, in eum locum adducta res sit, ut eas, quas nunquam putaveramus in regno Christianissimo religionis Catholicæ labes videre

¹ Apud Goob, ut supra, Epist. 7.

¹ Ut supra Epist. 8.

eogamur; non tamen idcirco animo deticimus, memores nos in eo spes omnes nostras collatas habere, cuius vices in terris, quamvis indigni gerimus, in quo qui sperant non confunduntur ab expectatione sua. Sed quo pejore loco res istius regni sunt, quam quo hucusque fuerunt; eo te, et reliquos, qui in eo sunt principes viros, religionis Catholicæ studiosos, excitando monendosque arbitramur, ut orthodoxam fidem, haereticorum malitia, et Catholicorum segnitie, quotidie in deterius labentem, quantum est in vobis, sustentetis, fidem servetis, bonum certamen adversus nostri Redemptoris hostes certelis. Quod officium, si quis unquam Omnipotenti Deo, atque huic Sancte Sedi Apostolice præstare debuit, tu certe is es: propterea quod a Deo tot spiritualibus temporalibusque bonis ornatus, a Sancta autem hac Sede Apostolica tot honoribus beneficiisque sis affectus, ut æquum sit, eam his turbulentissimis temporibus potissimum a tua virtute atque constantia sibi præsidium ac solatium expectare. Meminisce debes te unum esse e numero fratrum nostrorum, qui ex gremio nostro, et Romanæ Ecclesiæ omnium Ecclesiarum magistræ sinu prodieris; qui idcirco purpuream istam vestem indueris, ut ab ea illius jurisjurandi admonearis, quod S. huic Romanæ Ecclesiæ, ejusque Maximis Pontificibus præstitisti; quod scilicet te ad profundendum pro ea sanguinem, si opus fuerit, obstrinxisti. Hoc igitur cogitans, et in eo spem tuam repositam habens, qui superstinentes se misericordiam suam corroboravit, susline Dominum: honorificum ministerium tuum, et vocationem tuam ne deseras: Catholicam fidem, quovis proposito periculo constanter defende; haereticorum conatibus, quantum potes resiste. Quod si feceris, quemadmodum te facturum esse pro certo habemus, non solum ab Omnipotenti Deo laboris tui fructum, æternæ remunerationis mercedem accipies, sed etiam apud homines tam præclaræ actionis nomine laudem maximam consequeris: si vero, quod absit, aliter feceris, illud cogita, res istius regni, quamquam pessimo loco sint, non adeo tamen desperatas esse, ut eas jacentes ac fere oppressas misericors et miserabilis Dominus multorum, qui adhuc in eodem regno reliqui sunt, fidelium, Catholicorumque hominum ac populorum precibus exoratus, excitare atque erigere non possit; cuius te coadjutorem non fuisse, tam tibi ignominiosum in posterum, quam omni quo vixeris tempore ærumnosum est futurum. Nam Deo quidem, ejus investigabiles viæ sunt, non deerit facultas, vel ex ipsis lapidibus filios Abrahæ suscitandi. Tu, si hoc tempore officium vocationemque tuam deserueris, nec aliud tempus habere poteris, in quo religione Catholicæ, personæ tuæ, nobis atque huic Sedi Apostolice, quod debes persol-

vere possis. Hac ideo pluribus verbis ad circumspictionem tuam scripsimus, quia id et rei ipsius magnitudo postulare nobis visa est, et quia nullas officii nostri partes ipsi prætermittere voluntus, qui te ad id facendum hortabamur. Datum Roma apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die xxiii Septembris mcccxx, Pontificatus nostri anno quinto.

489. Et quidem quam aequo jure hujusmodi pacem cum haereticis, et hac præ ceteris vice improbaverit Pius; tum præsens, tum præterita facta abunde demonstrant. Cum enim alias rex, ac præcipue biennio ante, infelici consilio ac infaustiori exitu perduellibus ipsis pacem dedisset, quos potius, utpote victoriis inclitus, et Pontificis suffultus auxiliis, facile et honorifice delere omnino potuisset; eo edictus exemplo, nec oblatam perdenti rebellis occasionem, nunc dimittere debebat Carolus, nec pacem concedere, quæ majoris incendiæ fomitem, ut alias evenerat, ministraret. Tanto igitur contra hanc pacem rationabilius animo communolus est Pontifex, quanto agnovit cum ærumnoso præteriorum rerum experimento minime instructum; seque rursus illusum, utpote qui post factam vice altera parum honorificam eam pacem, nihiljam amplius pecuniarum se Gallis collaturum edixerat, ne inopportuno haereticorum beneficio, sacrum exhaustiret ararium; et nihilominus importunis ac fallaciebus denuo, illorum verbis ac promissionibus victimum, alia nunc ipsis auxilia suppeditasset), quorum faustos iterum effectus pax præsens, gloriae et fidei pariter exitiosa, irritos redderet. Ad leniendum idcirco Pontificis ejusdem animum hac de causa, ut audisti, plurimum exacerbatum, ad illum Carolum regem legationem misisse, scribit Spondanus¹, qua illi consilia sua aperiret, et quibus rationibus ad pacem se delatum fuisset, doceret. Verum hujus legationis apud alios scriptores nil penitus memoratum repetitur; et præterquamquod, quæ inferius ponenda erunt, nullatenus consilia sua Pio aperuisse Carolum monstrabunt; ea hujusmodi erant, ut Pio patefacta, potius quam demulcissent, absque dubio ejusdem Pontificis animum magis exasperassent. Interim vero Valesia regali domo deleta, ob prælatas religionis negotio politicas rationes, creplum ei Galliae regnum, aliisque (ut Pius prædicterat), traditum, nemo non novit.

490. E contra vero, licet Pius ipse jam cum haereticis pacem, ut vidimus, compositam intellectisset, non tamen ob id animum despondit, ut iniquissimæ ejusdem pacis capita executioni non mandari totis nisiibus curare desisteret. Nam præter ea quæ ad Lotharingium et Borbonium cardinales in Galliis commorantes scri-

¹ Spond. sub hoc ann.

psisse vidimus ; triduo a datis ad illos Epistolis, magistrum Franciscum Bramantem, suum et Apostolicæ Sedis notarium misit, ut fidei, quas in Vaticano Regesto naeti sumus, ad ipsum regem Epistolæ perspicue docent, suntque hujusmodi :

« Charissimo in Christo filio nostro Carolo Francorum regi Christianissimo.

PIUS PP. V.

« Charissime etc.

« Mittimus ad M. T. dilectum hunc filium magistrum Franciscum Bramantem, nostrum et Sedis Apostolicæ notarium, virum probum et spectate fidei, ut secum agat quibusdam de rebus, ut ab eo intelliget, valde ad nos hujusque Sanctæ Sedis Apostolicæ dignitatem pertinen- tibus ; cui mandavimus, ut primo quidem de- bitum paternæ nostræ benedictionis ac saluta- tionis officium M. T. persolvat, deinde ea, que a nobis habet mandata , exponat . Rogamus autem M. T., ut eum benigne atque attente audiat, illique eamdem fidem habeat, quam nobis ipsis haberet, si præsentes cum ea loque- remur. Id erit nobis gratissimum. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die xxv Septembris m D LXX, Pontif. nostr. ann. quinto ».

191. Ejusdem tenoris Epistolas scriptas fui- se ad reginam parentem, ad Andegavensem duecm, ad præmemoratos cardinales, ad duees Mercorensem et Montispenserii, docet Vatica- num Regestum. Bramantem vero non nisi hac de causa in Gallias missum, ut pacem, nimirum, cum hæreticis initam dissolvere contenderet, facile suadent, et quæ supra in medium protu- limus, sub die xxvi Septembris scriptæ Episto- læ ; et ejusdem omnino exempli, sub die ejus- dem mensis vigesima octava, ad cardinales Strozziūm, Pelæum et Armeniaeūm scriptæ aliae ; et quod demum a nullo in Gallia, magis quam ab isto, Pontifex hoc tempore premeretur negotio.

192. Cæterum ingrati pariler ac inurbani hominis fuit, non modo in hac pace male sibi Carolum, ut diximus, consuluisse, verum etiam, non nisi rerum suarum respectu habitu, Ponti- ficiem amicum, qui ut ei opem ferret se periculo exposuerat , in eodem periculo ingratissime deseruisse : in ea nimirum confiencia, nec verbo quidem de Pontifice injecto. Nec obtatam opportunitatem, vel ignorarunt, vel prætereun- dam hæretici duxerunt, ac quidem statim ac de pace agi cœpit, ut Pontificem, quem sibi infen- sissimum esse sciebant, offendenter ; fecissentque , ni Dei protegentis auxilium , dein Pii summa vigilantia ac prudentia malum avertisse. At de his audiendus Gabutius ¹ :

« At enim pace (inquit) regem inter et

Hugonottos conciliata, Admiralius Gaspar Coli- gnius, de Avenione Venaisinaque ditione occu- panda, copiis suis fretus, agitare consilia cœpit, ratus id sibi licere citra ullam de pace conditionum, in quibus nulla fieret mentio Pontificis, vel injuriam vel offensionem. Cogitabat enim cum esset urbs ipsa copiosa ac præmunita, in Provinciæ Galliæque Narbonensis finibus eis Rhodanum collocata, si ipsorum venisset in potestatem, fore, ut simul non modo validum præsidium, optimamque regionem ; sed etiam adversus regem, si minus ille conventis stare voluisse, firmissimum se propugnaculum ade- pturos. Atque ita, pro rei gerenda opportuni- tate, Arausicensi ditione in potestatem redacta, ad omnem Rhodani oceandam oram vires extensuros ».

193. Sic Gabutius ; at longe ante quam pacem cum hæreticis Carolus statuisset, ac cum vix (ut innuimus) cum iisdem pacis cœper- runt agitari consilia, illos Avenionensem ditio- nem occupare aggressos esse, eorumque molli- mina Pontificem, et cardinalis Armeniaci litteris ac nuntiis cognovisse, manifeste illius ad ipsum regem, sub die x Aprilis hujus anni datae sequentes Epistolæ ostendunt :

« Charissimo in Christo filio nostro Carolo Francorum regi Christianissimo ¹.

PIUS PP. V.

« Charissime etc.

« Ex litteris et nuntiis a dilecto filio nostro Georgio cardinali de Armeniaco ad nos missis, cognovimus Gasparum de Coligny, Hugonot- rum omnipotentis Dei tuorumque simul hosti- um in isto regno duecm, cum majori copia- rum suarum parte in provincia Narbonensi, ad Fortinianum, quadraginta ab Avenione nostra civitate milliariis constituisse; præmissisque aliquot peditum equitumque ducibus, transitum Rhodani, qui a Catholicis tenebatur, occupasse; eo, quemadmodum existimat, consilio, ut eos ipsos, qui a se præmissi sunt, cum reliquo toto exereitu paulo post ipse subsecutus, Rhodanoque transmisso, aditum habeat ad legationis nostræ Avenionensis loca atque oppida; atque adeo ad ipsam civitatem Avenionensem obsiden- dam. Quamvis autem nobis non desit animus, tali tantoque imminentि rebus nostris periculo, quibus possumus viribus obsistendi ; tamen considerantes eas, cum ipsas per se admodum esse exigas, tum ob eam maxime causam, quod eodem tempore plura, neque levia diversis in locis periclitantis reipublicæ Christianæ substinentæ onera subire cogimur : M. T. roga- mus, et per Omnipotentem Deum obtestamur, ut suis cum nostris auxiliis conjunetus, ad de- fendantem ejusdem nostræ legationis provin-

¹ Gabut. Vit. Pii V. lib. 2. cap. 3.

¹ Ex Archiv. Vatican. ut supra.

ciā nobiscum incumbere velit. Quod non solum ob eam causam M. T. facere debet, quod ea a communib[us] hostib[us] occupata provincia, magnum ipsa detrimentum acceptura esset; sed etiam quia, cum eam ipsam legationem a felic. record. Pio Quarto prædecessore nostro, Carolo cardinali Borbonio concessam, M. T. rogatu, de venerabilum fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium consilio, eidem cardinali ad vitam extendimus: in ea re concedenda promissa M. T. regiamque suam fidem præcipue secuti sumus, qua se civitatem illam, comitatumque nostrum Venaisinum, omni tempore defensurum esse, pro certo habemus. Sed non omnes tamen, quibus utitur, ministros sibi fideles esse existimamus. Experientia enim dicimus aliquos eorum, parum firma erga religionem Catholicam majestatemque tuam fide, in isto se bello gessisse, qui, si officio suo fungentes, eam, quam debuissent, majestati tuae fidem præstisissent, non, oppido Naumasausi amissio, in tanto rerum discriminē in præsentia versaremur: quo fideliter defenso, tūti securique ea ex parte esse poteramus. Itaque magnopere nobis probaretur, ut ad subveniendum in tempore legationis nostra Avenionensis periculo, aliquam eam copiarum partem, quas Helvetiis conductas M. T. paratas habere dicitor, in eas regiones mitteres, ex quibus adventantium communium hostium impetus repelli substinerique posset. Quod ut faciat, utque communib[us] periculis obviam eat, M. T., quo majori animi nostri studio possumus, hortamur et rogamus. Nos enim, quatum exiguis nostris viribus consequi poterimus, dabimus operam, ut nos ditionemque illam nostram, ab impia hae nefariorum hæreticorum conspiratione, adjuvante Deo, tueamur: quam quidem cum omnia quæcumque potuimus, fecerimus, sicut reliqua omnia, omnipotenti Dei misericordiae, cui potissimum fidem habemus, commendabimus: quæ si, peccatis nostris facientibus, in hæreticorum potestatem venerit, ad eam alio tempore recuperandam, nobis aut successori nosfro, neque animum, neque vires defuturas esse in Domino confidimus: quem tamen pro sua misericordia speramus non esse permissurum, hæreditatem suam ab impiis perditissimisque hæreticis occupari. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die x Aprilis MDLXX, Pontif. nostr. ann. quinto ».

194. Eadem ad Catharinam reginam scripsit Pius, eademque etiam ad cardinalem Borbonium, cui præ aliis cordi esse debebat, ut suæ commissæ fidei Pontificie ditionis securitati consuleretur. An vero aliquid eorum, quæ Pius adeo juste petebat, Carolus præstiterit, inquirendum. Et quidem præstissee, ab Epistola, sub die v Junii hujusmet anni ad Damvillam regium provinciæ Narbonensis gubernato-

rem, a Pontifice scripta elici posse videtur. In ea siquidem summis Damvillam ipsum laudibus evelit, quod Gasparis Colini per eamdem Narbonensem provinciam transeuntis, ut Avenionem sese conferret, astus elusisset, conatusque repulisset. En Epistola :

« Dilecto filio nobili viro domino Damville, gubernatori regio provinciæ Narbonensi ».

PIUS PP. V.

Dilecte etc.

Certiores facti ex litteris dilecti filii Georgii cardinalis Armeniaci, nobilitatem tuam in impediendo conatu Gasparis de Colignii, iniquitatis filii, per Narbonensem provinciam transiuntis, civitatiique nostræ Avenionensi comitatuique Venaysino periculose imminentis, egregiam nobis et reipublicæ Christianæ operam navasse; magnas omnipotenti Deo gralias egimus, ex eaque ipsa re magnam in Domino lætitiam dupliciter accepimus, tum propter religionis Catholicæ causam, ad ejusdem omnipotentis Dei gloriam egregie defensam, tum etiam propterea, quia tuis laudibus et existimationi faventes, gavisi sumus, te hac ipsa tam praelara actione confirmavisse illam opinionem, quam omnes boni, nosque in primis, de tua militari virtute ac prudentia semper habuimus. Quamvis autem persussum nobis sit, te ad bene de omnipotenti Deo, religionique Catholicæ merendum, nullis hortationibus indigere: tamen tua apud Redemptorem nostrum merita, quotidie magis augere cupientes, vehementer te, ad eamdem operam præstandam excitamus, et in Domino hortamur: quod te, pro tua eximia in Deum Omnipotentem pietate, militarique prudentia facturum esse non dubitamus. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die v Junii MDLXX, Pontificatus nostri anno quinto ».

195. *Pontifex ditionem Avenionensem tutatur, et expeditionem Arausicensem cogitat.* — At siue, sine regis jussu ista a Damvilla egregie peracta credere nefas est: sic ad ipsum regem, de illius ministris a Pio (ut vidimus) delatae querelæ parum profuissent, nisi opportuniore remedio, malo ipse occurrisset, Avenionensisbusque rebus Pontifex idem consuluisse. Præterquam quod enim (ut audisti), incertæ illi fidei essent, inter se etiam (forte studio) de ratione belli administrandi dissidebant. Huic igitur malo, ut mature Pius quam oportebat medicinam adhiberet, quid egerit, ex Epistola intelligere est, quam ad dominum de Susa¹, eadem die qua ad Damvillam dedit, et hujusmodi fuit :

« Dilecto filio nobili viro N. de Susa.

¹ Ex Archiv. Vatic. — ² Ex Vatic. Regest. n^o supra.

PIUS PP. V.

« Dilecte tili etc.

Cum ex his quæ superioribus diebus rerum istarum statu, et litteris et multorum munitiis ad nos perferebantur, cognoverimus ministros charissimi nobis in Christo filii Caroli Francorum regis Christianissimi, qui in istis locis sunt, in administrando bello, non ita inter se consentire, quemadmodum et Catholicae religionis defensio, et Christianissimi regis utilitas postulare videbatur; cæpimus de improviso consilium, certum aliquem hominem, spectatæ simi virtutis et fidei, eujusmodi nobis dilectus filius Torquatus de Comitibus visus est, Avenionem mittendi, qui, rebus ipsis eoram inspetatis, certiora nobis de rerum istarum statu afferre posset. Quod quidem, non ob eam causam fecimus, quia de tua egregia virtute ac bonitate affer existimaremus, ac semper existimavimus; sed quia in ejusmodi regiorum ministeriorum sententiarum varietate, Avenionensi nostræ civitati comitatuique Venaysino consultum esse cupiebamus: quin potius te vehementer in Domino hortamur, ut quibuscumque potes rebus, una cum predicto Torquato, et voluntate et sententia, adversus haereticos, Dei omnipotentis hostes, Christianissimum regis rebelles, conjunctus esse velis. Hoc enim si feceris, quemadmodum te facturum esse non dubitamus, non solum a Redemptore nostro præmium expectare poteris illud, quod omnibus religionis Catholicae studiosis in Cœlo paratum est; sed, et nos quibuscumque modis cum Domino poterimus, idonea occasione oblata, labores, pro religionis Catholicae defensione a te susceptos, remuneraturos esse pollicemur. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piseatoris, die v Junii M.DLXX, Pontif. nostr. ann. quinto ».

196. Erat Torquatus Comes (inquit Gabutius¹) et prima nobilitate Romanorum, ntpote qui amplissime Comitum gentis præclarum germe existeret, quæ post tot consuls, tot infulas, tot augustos triumphos, ad novem ex suis ad supremum sacrosanctumque Petri Cathedrae apicem erectos gloriabatur: cuique tandem, ad sempiterni immortalisque, nostro hoc tempore accessit INNOCENTIUS DECIMUS TERTIUS; qui maximo Christiani nominis reique bono, Ecclesiam Dei, recens moderatus est. Eximia autem suæ fortitudinis (eodem Gabutio teste) jam Torquatus, Pio specimina prebuerat, cum nimirum, ejusdem jussu, Asculanum in exiles ac prædones (iisdem summa celeritate partim extinetis, partim ex Piceno depulsi) expeditionem, summa cum laude conferat; ita ut in ejus fide (ut idem scribit²), atque virtute, Pontifex penitus conquiesceret.

¹ Ibid. ut supra. — ² Ibid. ut. sup.

Nonnullis igitur Gallis, quorum suspecta erat fides (licet primatum ope subnixis) se publicis ministeriis abdicare coactis, Avenionem Pontifex Torquatum (ut audisti) sese conferre mandavit. Ac præter armatas cohortes, quæ Pontificia ibi stipendia continentem merebantur, cum eo ingentem, Italorum præsertim, et Romanorum, tum equitum, tum pedum numerum misit; mandavitque Torquato, ut auxiliares insuper, et subsidiarios in Gallia milites conscriberet, tum ad se suosque tuendos, tum ad omnem bellum tempestatem fortiter ac tuto sustinendam. Quamobrem hostes (subdit Gabutius idem) quorum jam plurimi eo versus iter intenderant, negotio supersedere sunt coacti; et Admiralius Rhodanum tracieere non ausus, in Arverniam protinus ire contendit.

197. His duo addit Castruccius¹ insuper, quibus a proposito Avenionem occupandi perterritum Admiraliū dicit; et primum quidem summa vigilancia ac prudentia Georgii cardinalis de Armeniaco, qui ei ditioni tunc præerat, ademitque hostibus vias omnes artesque elusit, quibus ejusdem potiri studuerunt. Alterum vero ac sane præcipuum, specialis quædam ac cœlitus manifestissime ostensa, Dei ac Beatisimæ Virginis protectio; nam accendentibus clam hæreticis, ut ex improviso Avenionensem urbem occuparent, statim super ejusdem mœnia ac censa quædam fax apparebat, mœniaque ipsa cuneta circuibat. Cum vero hoc commoti miraculo, ac excitati lumine limitanei milites cum civibus in arma insurgerent; tunc fax statim extinguebatur; ita ut, sicut commolitus fuerat, nunquam hæreticus imparatam urbem apprehendere potuerit. De qua (quod tam dolosas perfidorum manus evaserit), rite tunc usurpari certe potuit Davidicum illud: ² *Nisi Dominus custodierit ciritatem, frustra vigilat qui custodit eam.*

198. Avenionensis hujus vero expeditionis occasione sublata, et sic divinitus, ab incœlo temere Admiraliū depulso, tolli quoque stipendia, ac Torquatum Comitem Pontificem revocare debuisse videbatur. Pius nihilominus, quod rebus cautiis consulendum arbitraretur, Torquatum ipsum, cum iis, quas secum duxerat copiis munitorum, per duos annos ibi subsistere jussit: eujus præsidii deinde ope, in Allobrobus castellum, Auriolum appellatum, receptum est. Imo, nisi, et Torquati ejusdem probala virtus, et summa Pii cura, et faciendi sumptus munificentia rebus presto fuissent; omnis ea ditio furentium hostium in potestatem facile pervenisset. Ista Gabutius. Quibus quidem addere non pignit, quæ de his agens, quem memoravimus. Castruccius quoque scriptum reliquit:

¹ Castrucc. Histor. Avenion. lib. 3, pag. 411. — ² Psalm. 426.

Periculi ditionis Avenionensis inquit Pius Quintus admonitus, sub anno 1570, Roma cum ingentibus Italieis copiis, Torquatum Comitem misit, nobilissimum domicellum Romanum, eximiaeque virtutis virum, qui summa vigilantia, fortitudine atque prudentia generalis imperatoris Avenionensis ac Venasinae ditionum munere functus, utramque sic communivit, ut insidias astusque omnes hostium irritos penitus reddiderit, ac haeresis pestem omnino ablegaverit. Praecipari hujus dueis corpus in Ecclesia S. Stephani Polonorum terrae amandatum est, sepulero hae imposita Epigraphe, per quam cetera illius egregia facta intelliguntur.

D. O. M.

TORQUATO DE COMITIBUS, BARONI ROMANO, HENRICI FRANCORUM REGIS INTIMO FAMILIARI, SUB PAULO IV, PIO IV, ET PIO V SEDIS APOSTOLICE LEGIONUM SUMMO DEGL. BELLO NEAPOLITANO MERALIBUS TORMENTIS, ET UMBRILE, PIGENIQUE COPIS MILITARIBUS, SUB PAULO IV PREFECTO, PAULI IV OBITU, SEDE VACANTE, CIVITATIS LEONINE PRESIDE; ANANIE SUB PIO IV GUBERNATORI, MUNITIONUM PREFECTO. ASCULUM UT FACTIONES, AVENIONEM, UT HUGONOTTOS REPRIMERET, CUM IMPERIO PER PIUM V MISSO. VIOLENTE, FARNESEA CONJUGI CHARISSIMO, FILII, PATRI OPTIMO MESTISS. POS. VIXIT ANN. 53. MENS. 3. ORBIT QUARTO NON. SEMPTEMBRIIS MDLXII.

Sic inscripicio ex qua elicetur, Torquatum a Gallica expeditione reversum, statim diem suum obiisse.

199. Cæterum nullum insuper finem fecit Pius, sicut præfatus Gabutius asserit, Gallorum regem suadendi, ut, vel sibi assentiretur Arausicensem expeditionem aggredi cogitanti; vel in eam iret sententiam, ut mitteret ipse rex, qui ditionem illam gubernarent; quam ubi in potestatem redegisset, eam Apostolicae Sedi, ad ingentem auri vim, quam antea ipsi regi Pontificia donaverat beneficentia, compensandam tribueret; vel denique, aut coemptionis aut pignoris titulo concederet sibi, Avenionensique legato subjeceret. Arausicensem namque ditionem, quod una cum præfecto suo haereticæ pravitatis laboraret morbo, et Catholicis infesta esset quotidie magis, rebellesque foveret; ad exitialis contagionis evenda pericula, jure posse ab ipsis Catholicis occupari, Pontifex cogitavit.

200. *Carolus Galliae rex nullum benevolentiae signum negligit erga haereticos.* — At tantum absuit, ut hujusmodi monitis rex assentiri voluerit, atque haereticis aliquod damnum inferre; quin potius nullam prorsus benevolentiae erga eos significationem, præ Catholicis ipsis, prætermiserit: ut, inter alia que retulimus pacis cum haereticis factæ capita ostendunt illudque, quo præcipue Auriaci incolumi-

tati dignitatique consultum est. Neque in hoc dumtaxat, sed in altero quoque matrimonii inter Lusitanæ regem et Margaritam regis Caroli sororem, pro quo adeo sollicitum fuisse Pontificem supra vidimus. Carolus ipse, non modo Pii iussa facere detrectavit, sed insuper, hoc eodem tempore, eum eludere coniux est, dum per Cossacum, quem missum ad Colinum, reginam Navarrae ac præcipios alios haereticorum diximus, ut cum iisdem, de capitum nuper initæ pacis interpretatione et executione ageret; de matrimonio quoque inter præfatam Margaritam et Henricum reginæ Navarrae filium agi voluit; vel quod id paci firmandæ opportunum videretur; vel quod, ut scribit Thuanus¹, insidiis tegendis optimum commentum, ne exitu careret, rite aestimaret; vel tandem, ut refert Adrianus, ut a nuptiis cum filia Saxonie Septemviri, quas maxime aversabatur, eundem Navarraum principem revocaret. Scrupulum quoque injecisse regi Thuanus addit, nimiam, ut sibi videbatur, sororis cum Henrico Lotharingio, Guisiano juvene, specie et indole præclaro, familiaritatem: qna pereulsum Carolum, de Guisio tollendo consilium cœpisse dicit, negotio dato Francisco Engolismensi fratri notho. Quo a Guisio cognito, ut omnem suspicionem ex regis animo deleret, ex Annæ Atestinæ prudenterissime feminæ consilio, festinatis nuptiis, Catharinam Cliviam, Antonii Croii Poreiani viduam, uxorem duxit.

201. Maximilianus imperator interea, ad Spirensia comitia eum conjugæ Augusta, tribus filiis et duabus filiabus se contulerat; quarum natu minorem Elizabetham, ut diximus, iam uxorem spoponderat Galliarum regi, qui pace modo cum rebellibus inita, de nuptiis prius contractis celebrandis egit. A Trevirensi archiepiscopo Septemviro solemni more sponsa ad eum perducta, at Cæsaris nomine in ipsius manus consignata est. Majorem natu autem Annam tradidit Maximilianus Philippo Secundo Hispaniarum regi, illius avunculo, intercedente dispensatione Pontificis: qui utrasque nuptias curaverat, et cuius auctoritati ob id nonnulli venenato animo, ex more detrahere ausi sunt. Qua de re audi ab Isselt²:

202. « Illam Pontificis dispensationem multi mirabantur, et qui potestatem Pontificis in dubium revocant, culminebantur, ignorantes eum gradum, nec in Evangelio, nec in lege prohiberi: cum neque in Levitico inter gradus prohibitos inveniatur, et Libro Iudicium simile exemplum reperiatur, ubi Caleb filiam suam Axam dat uxorem Othonieli suo fratri. Non igitur juris divini ea res est, sed positivi, in quo Pontifex, pro temporum, personarum et rerum ratione, dispensare posse creditur ». Sie ille.

¹ Ibid, ut supra. — ² Ab Isselt. Histor. sui temp.

203. Plura autem fuere, ipso scriptore teste, de quibus in Spirensibus hisce comitiis actum est; puta, de frenanda Germanorum militum exteris regibus militantium petulantia. De pace publica in imperio conservanda et defendenda. De Hungaricis arcibus contra Turcam minniendis. De Gothani belli sumptibus Augusto Saxoniae electori refundendis. De justitia in judicio camerae administranda, litium decisionibus accelerandis. De provinciis ab imperio avulsis recuperandis. De matricula imperii moneta, officiis collegiis, pannis saneis, officiis typographicis, de sessione, ac demum de aliis, de quibus dereta publice edita adhuc extant.

204. Super gregem Dominicum vigilans vero Pius, ne forte contingeret aliquid inter haec in ipsis comitiis agitari, quod in religionis perniciem verti posset; opportunis monitis, ac remediis malum avertere studuit; et ritè mandatis instructo apud Cæsaream majestatem Apostolico nuntio, et scriptis, tum ad eum, quem paulo ante memoravimus, Septenvirum archiepiscopum Trevirensem, tum ad alias, sequentibus Epistolis. Ad Trevirensem missa hujusmodi fuit:

«Venerabilli fratri Joanni archiepiscopo Trevirensi, sacri Romani imperii principi electori¹.

PIUS PP. V.

«Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Fraternitatis tuæ erga Catholicam religionem studium, divinique honoris zelum bene cognitum habentes, non dubitamus illam omnino non defuturam esse in eo convento: qui ad Spiram hoc ipso mense, a charissimo in Christo filio Maximiliano in imperatorem electo indictus esse dicitur: in quo, et si pro comperto habemus, eam neque personæ sibi ab Omnipotenti Deo impositæ, neque nostræ de sua eximia erga sanctissimam Dei Ecclesiam pietate expectationi defuturam esse: tamen prætermittere non debuimus, quin fraternalitatem tuam his nostris litteris, ad officium suum in eo conventu, pro fidei Catholicæ, Ecclesiastique Ordinis defensione præstandum, vehementer in Domino hortaremur. Quia etiam hæreticorum consuetudo ea est, ut ejusmodi conventuum occasione sibi oblata, aliquid semper moliri, ad subtrahendum illud obedientiae fundamentum, sine quo reliquum Ecclesiæ ædificium stare non potest. Qua de re plura dilecto filio magistro Melchiori Bilio notario nostro, et apud Cæsaream majestatem nostro et S. Sedis Apostolicæ nuntio, cum fraternitate tua communicanda scripsimus: cuius sermoni, quem in hanc eamdem sententiam, nostro nomine secum habiturus est, eam ipsam, ut fidem habeat, quam nobis ipsis præsentibus, secundum loquentibus haberet, fraternitatem

quod vel religionis Catholicæ statum, tot haeresum pestibus in ista provincia labefactatum, ad pejorem conditionem adducere, vel hujus Sanctæ Sedis Apostolicæ auctoritati, majera quam quæ adhuc accepit, detrimenta adferre valeat. In quam eamdem sententiam, quia dilecto filio magistro Melchiori Bilio notario nostro, et apud Cæsaream majestatem nostro et Sedis Apostolicæ nuntio, plura fraternitati tuæ communicanda scripsimus; idecirco fraternitatem tuam illius sermoni, quem super eadem re secum nostro est nomine habiturus, eamdem fidem habere volumus, quam nobis ipsis præsentibus, secundum loquentibus haberet. Erit id nobis gratissimum. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris. Die n. Junii M.DLXX, Pontificatus nostri anno quinto».

205. Ad archiepiscopum Moguntinum¹.

«Venerabili fratri Danieli archiepiscopo Moguntino. S. R. imperii principi electori.

PIUS PP. V.

«Venerabilis frater etc.

Quoniam pro comperto habemus fraternitatem tuam, pro suo erga religionem Catholicam studio, aifuturam esse in eo conventu, qui a charissimo in Christo filio nostro Maximiliano in imperatorem electo, ad Spiram proxime indictus est; idecirco prætermittere non debuimus, quin eam his nostris litteris ad officium suum omnipotenti Deo, ejusque sanctissimæ Ecclesiæ, et Ecclesiastico ordini fideliter fortiterque præstandum, vobementer in Domino hortaremur. Cujus quidem officii præstandi ratio illa futura est, primum quidem, ut si qui, quod Deus avertat, in eo ipso conventu fortasse fuerint, qui de rebus ad religionem pertinentibus agere velint, his, quantum est in se, constanter fortiterque obsistat. Deinde, si hoc omnino vitari non potuerit, det saltem operam, ut ne quid statuatur aut decernatur, quod vel religionem Catholicam, tot haeresum venenis in ista provincia afflictam, in pejorem adhuc statum adducere, vel huic ipsi S. Sedi Apostolicæ majus quam quantum hucusque accepit, detrimentum affere possit. Solent enim hæretici hujusmodi conventuum occasione sibi oblata, aliquid semper moliri, ad subtrahendum illud obedientiae fundamentum, sine quo reliquum Ecclesiæ ædificium stare non potest. Qua de re plura dilecto filio magistro Melchiori Bilio notario nostro, et apud Cæsaream majestatem nostro et S. Sedis Apostolicæ nuntio, cum fraternitate tua communicanda scripsimus: cuius sermoni, quem in hanc eamdem sententiam, nostro nomine secum habiturus est, eam ipsam, ut fidem habeat, quam nobis ipsis præsentibus, secundum loquentibus haberet, fraternitatem

¹ Apud Goub. lib. IV, Epist. 39.

¹ Ex Archiv. Vatic.

tuam rogamus. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris. Die n Junii M D LXX, Pontificatus nostri anno quinto».

206. Ad episcopum Leodiensem :
«Venerabili fratri Gerardo episcopo Leo-
diensi¹.

PIUS PP. V.

«Venerabilis frater etc.

«Quamvis persuasum nobis sit, fraternitatem tuam, quam pro suo officio affuturam esse non dubitamus in eo conventu, qui hoc ipso mense, a charissimo nobis in Christo filio Maximiliano in imperatorem electo, ad Spiram indictus esse dicitur, in eo ipso conventu, neque personæ sibi ab omnipotenti Deo impositæ, neque existimationi suæ ullo loco defuturum; tamen nullo modo prætermittere debuimus, quin sicut cæleros istius provinciæ archiepiscopos et episcopos, sic illam quoque horlaremur, ad officium suum in eodem conventu, pro Catholicæ fidei atque Ordinis Ecclesiastici defensione præstandum. Hæreticorum consuetudo quæ sit in ejusmodi conventibus, fraternitati tuæ minime obscurum esse putamus, quorum oblata occasione, aliquid semper novi moliuntur; vel ad confirmandas hæresum suarum pestes; vel ad sanctissimæ Ecclesiæ constitutiones labefactandas; vel hujus S. Sedis Apostolicæ dignitatem auctoritatemque minuendam. Quod idem, si nunc, quod Deus avertat, facere tentaverint, fraternitatis tuæ parles erunt, primum illud quidem conari, ne aliquid de rebus ad religionem pertinentibus agatur: deinde, si id obtineri non potuerit, id saltem studere, ne quid statuatur vel decernatur, quod, vel religioni Catholicæ, tot hæresum venenis afflictæ, pejora, quam quæ adhuc accepit, detrimenta inferre possit. Verum de tota hæc re idecio paucioribus verbis, quam quæ ipsius rei magnitudo postulat, ad fraternitatem tuam in præsentia scribimus, quia plura dilecto filio magistro Melchiori Bilio notario nostro, et apud Cæsaream majestatem nostro et Sedis Aportolicæ nuntio communicanda mandavimus; cuius super hac ipsa re sermoni proinde fraternitas sua fidem habebit, ac si nos præsentes, secum loquentes audiret. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris. Die n Junii M D LXX, Pontificatus nostri anno quinto».

Archiepiscopi ac episcopi illi, ad quos ejusdem tenoris se litteras dedisse Pius dicit, in Vaticano Regesto sic recensentur: archiepiscopus Cameracensis, episcopi Spirensis, Eistensis, Bambergensis, Erbipolensis. Monasteriensis, Passaviensis, archiepiscopus Salisburgensis.

¹ Ex Archiv. Vatic.

207. Et quidem in Spirensibus hisce comitiis, de Augustana Confessione actum fuisse putat Bzovius¹; et Maximilianum Cæsarem in eadem, qua prius sententia perstisset scribit, ut perniciosis nempe hæreticorum conatibus fortiter ob sistet. Verum cum id educere contendat ex Epistola Stanislai cardinalis Hosii ad eundem Maximilianum, sub die vigesima Junii scripta, profecto ipsius narratio omnino fabulosa cognoscitur: «Laudatus (inquit), videlicet Maximilianus, eo nomine, ab Iosio cardinali Varmensi, quod cum illi ipsi, qui superioribus mensibus magno studio contendissent, ut loco Christianæ Confessionis, Augustana induceretur, de qua tamen, inter ipsos confessionistas nondum satis conveniret, nec deinceps conveniet unquam, cum eam pluribus in locis, et in præcipuis Christianæ doctrinæ capitibus mutatam, versam, perversam, depravatam et adulteratam esse; quin, et qui suis eam scripsit digitis Philippum Melanchtonem ab ea discessisse, etiam ipsi confessionistæ queritarentur, ut confusio magis quam confessio dici mereretur: quod istorum ipsorum perniciosis conatibus fortissime restiterit, nec eorum libidini quidquam concedendum esse pulaverit.» Ista Bzovius. At cum ad comilia nonnisi decima tertia die Junii sese Maximilianus² contulerit, qua ratione Hosius, qui Romæ tunc morabatur, scire tam cito potuit eum hæreticorum ausibus restitisse, atque eo nomine ipsum laudare, scripta ad ipsum, ut supponit, sub die vigesima ejusdem mensis Junii Epistola? Sed quia si integrum ipsam dedisset Epistolam Bzovius, erroris nimis facile coarguendus apparuisset; idecio illius initium ac finem demit. Ex ipsius autem initio perspicue agnoscitur, non hoc quidem anno, sed priori, quo nos eam posuimus, fuisse scriptam; nam in ea Hosius meminit episcopi Olomucensis, apud Polonie regem Cæsarei oratoris, a quo ad Hosium Maximiliani litteræ delatae sunt: quibus Hosius idem respondens, Maximilianum commendat, quod Augustanam Confessionem Austriae populis non concesserit. Hæc autem, inter Maximilianum et Hosium, Lublinensium comitorum occasione intercessisse, suo loco anno præterito relulimus. Et revera eadem Hosii Epistola, nec data Romæ ubi modo morabatur; neque hoc anno, sed superiori in operibus ejusdem scriptoris Colonie impressis legitur, ac recensetur.

208. Sed quæ præ omnibus ostendunt, nullam prorsus in Spirensibus his comitiis, de religione injectam esse mentionem, ea sunt, quæ Pontifex idem, ad Franciscum Montis-

¹ Bzov. Annal. sub hoc ann. — ² Mellif. Histor. par IV, sub Maximil. II, pag. 828.

Acuti comitem, ac Hispaniarum regis apud Cæsarem oratorem scripsit. Comes siquidem, datus ad Pontificem litteris, eidem significaverat se intellexisse jam ad Pium ipsum quorundam imperii principum delata consilia fuisse, quibus a Maximiliano petierant, ut quibuscumque, tam Ecclesiasticis quam secularibus, vel Lutheranam, vel aliam quamlibet a Catholica alienam sectam profiteri fas esset. Quibus si Cæsar annuisset, vieissim cuneta bona Ecclesiis erpta se restituturos pollicebantur, quibus, non clerici modo, sed alii quoque, licet haeretici, libere ac quiete perfrii possent. Ad hæc minas quoque dicebatur principes ipsos addidisse, cum nimirum, nisi ista a Maximiliano impetrassent, se viceissim Maximiliano eidem, nil eorum quæ ab ipsis postulasset concessuros edixerant.

209. Acceptis igitur his Montis-Acuti litteris, quamvis Pius summis laudibus ejusdem zelum commendandum doxerit, nihilominus, neque, quæ Comes idem putaverat sibi significata fuisse asseruit, neque de hujusmodi in eomitiis, vel verbum injectum, aut injiciendum pro certo se compertum habere affirmavit. En Epistola¹, quam ad eum dedit:

«Dilecto filio nobili viro Francisco Comiti Montis-Acuti, serenissimi apud Cæsaream majestatem Hispaniarum regis oratori.

PIUS PP. V.

«Dilecte etc.

«Acceptimus ex litteris tuis proxime ad nos scriptis, ex ista provincia allatum esse ad nos, aliquot sac. Romani imperii principes, qui in isto Spirensi conventu adesse dieuntur, a charissimo in Christo filio Maximiliano, in imperatorem electo, postulavisse, ut iis omnibus in ista provincia, tam Ecclesiasticis quam secularibus viris, Lutheranam sectam, seu aliam quamcumque a fide Catholica alienam profitendi libertatem concederet: cuius quidem libertatis adipiscendæ causa, eosdem principes, bonorum Ecclesiasticorum restitutio nein sue Cæsareae majestati obtulisse, quibus non solum clerici, sed etiam fratres, quantumvis haeretici, sine ullo molestiæ periculo libere frui possent. Quod quandiu a majestate sua Cæsarea impetratum non est, tandem nihil eidem majestati, ab eisdem principibus concessum iri illarum rerum, quæ ab eodem sacro Romano imperio postulaverit. His igitur litteris tuis respondentes, primum quidem eximiam tuam erga nos sanctamque hanc Sedem Apostolicam observantiam, prudentiam ac vigiliam tuam, vehementer in Domino commendamus. Non enim nobis

ea solum significasti, quæ super eisdem rebus diligenter exquisita esse comperisti, quod fuit vigilantiae; sed ne ea quidem nobis ignota esse voluisti quæ ex ista provincia utcumque ad nos allata audiveras, quod fuit prudentiae. Deinde, quod proximum est, tibi affirmamus, non solum nihil unquam nos super tali re ab ullo, neque per litteras, neque per nuntios accepisse: sed ne, si accepissemus, quidem credituros fuisse. Si enim tale quidpiam nobis significatum esset, quod verum esse arbitrati essemus, hominem isthuc procul dubio, dedita opera misissemus, qui praedictorum principum consiliis atque actioni nomine nostro se opponeret; veluti duobus ab hinc annis, eum de Confessione Augustana, exclusis omnibus sectis, populis qui in patrimonio Cæsaris sunt, concedenda aetum est, dilectum filium Joannem Franciseum titul. S. Cyriaci in Thermis presyb. cardinali Commendonum, in istam provinciam legatum nostrum de latere misimus, qui ejus actionis consilia disturbaret. Quod igitur tune fecimus, idem pari vel majore periculo, quod scribis proposito sine dubio fecissemus. Reliqua, quæ ad nos etc. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris. Die II Novembris MDLXX, Pontific. nostri anno quinto ».

210. At si haeretici Germani nil obtainere in eomitiis his Spirensibus tentarunt, Belgæ alii, eorum, quæ postularunt, quam certe noluiscent, repulsam sunt passi. Ad eomitia siquidem hæc misere ipsi, qui libello suppliei typis excuso, injuriam, quam se pati dicebant, principibus imperii exponerent, se clientes imperii esse dicentes. Illorum causas patrocinabantur, (ut narrat ad Isselt) quidam principes Protestantes, causantes immanem tyrannidem, et exterorum in Belgium introductionem, imperio Romano, et quidem proximis Belgio provinceis, fraudi damnoque futuram. Ex his scintillis magnum incendium excitatum iri, cum facile intelligerent, non de religione tantum, sed et de fortunis subditorum potissimum agi. Cum vero Belgicæ ditiones, feudi jure Cæsari essent obligatae, eique, licet non immediate, in contributionibus pendendis subjectæ essent; fas erat, ut Belgæ, non minus quam ipsi Germani, sub Cæsaris tutela religionis pace fruerentur. Orare se igitur Cæsarem, ut secundo apud regem Hispaniarum (cui, eum pacificus princeps sit, nihil magis in votis est, quam cum natione Germanica amiciliam et pacem colere), intercederet, eumque permoneret, ut omnis persecutio cessaret; neminem rebus cum conscientia pugnantibus urgeret; nemo posthac, causa religionis relegaretur.

211. Inclinasse in rem Maximilianum, scri-

¹ Ex Archiv. Vatic. ut sup.

bit Meursius¹; cum legati ab Albano, et Catholicæ religionis reliqui principes, tum Belgarum audaciæ, tum Cæsaris levitati, tanta anima libertate ac robore obstitere, ut cum prodere puderet ipsam cui adhaeserat ex corde sententiam; illosque pœniteret, inani conatu magis prava cordis detoxisse consilia; interposita siquidem statim a regis legatis protestatione, ostenderunt libellum eum supplicem, et rebellium hæreticorumque postulationem, regio nomine indignam, Belgio perniciosam, Christianæ religioni iniuriam, nullisque rationibus subnixam esse. Quapropter, communi fere omnium voto, omnis supplicum postulatio ad legitimum judicem rejecta est; responsu: licere regi in rebelles pro arbitrio animadvertere, neque hanc curam ad imperium pertinere. Quod autem Pontificis Summi enixis precibus, venia nihilominus iisdem rebellibus impertita fuerit, inferius narrabitur.

212. Incassum e contra in his ipsis comitiis Spirensibus egit Pius, pro magistro ac Ordine S. Mariæ Thentonicorum, ut illis nimis, quæ per vim fraudemque, ut alibi plures narravimus, provinciarum Borussiæ pars magna ablata fuerat, ut æquitas postulabat, restitueret. Testantur hoc Epistolæ ab ipso scriptæ, quarum nonnullas hic inserere operæ premium duximus. Ad Ferdinandum siquidem Austriæ Archiducem has litteras² dedit:

«Dilecto filio, nobili viro Ferdinando Archiduci Austriæ.

PIUS PP. V.

«Dilecte etc.

«Quia persuasum nobis est, nobilitatem tuam, pro sua erga Deum omnipotentem pietate, justitiam sic diligere, ut singulis quæ sui juris sunt pro cuiusque dignitate tribui velit: idcirco studium auxiliumque suum non defuturum esse existimavimus, dilecto filio Ordinis Fratrum S. Mariæ Thentonicorum magistro, in eo conventu, quem charissimus in Christo filius noster Maximilianus in imperatorem electus, frater tuus, Spiræ habiturus esse dicitur, in quo intelligimus actum iri de controversia super provinciis Borussiæ, quas ad ejusdem, ut asseritur, prædictæ religionis magistri jus pertinentes, constat per vim aut occupatas esse, aut alioqui ab eodem alienatas. Quocirca nobilitatem tuam, quam in eodem conventu credimus esse affuturam, vehementer in Domino hortamur, ut ejus ipsis magistri, atque Ordinis justissimam causam, sibi pro sua æquitate tuendam, defendendamque suscipiat: quod si fecerit, non solu-

factura est id quod principe æquitatis justitiaeque studiosissimo dignum est; sed eodem quoque facto, tum reipublicæ Christianæ tranquillitat, tum animarum saluti optime est consulta. Non enim latere nobilitatem tuam pro sua prudentia putamus, quantum interstit ad dissensionum discordiarumque semina tollenda, eam ipsam controversiam, quamprimum pro justitia finiri; qua finita, eisque ipsis provinciis magistro illius Ordinis, ut æquum esse dicitur, restitutis, non dubitamus illum, et officio suo adductum, ac paternis nostris monitis hortationibusque incitatum, omnia facturum esse, ut in eis provinciis, homines ad Catholicæ religionis regulam, a qua, susceptis novarum hæresum sectis aberravisse dicuntur, revocati revertantur: et ejus quidem tam boni tamque salutaris operis fructus, si eam rem, pro sua parte adjuverit, ad nobilitatem tuam non minima ex parte pertinebit: quæ quidem eo ipso facto, nostram quoque gratiam promerebitur, ut idonea occasione oblata, fibenter paternæ nostre voluntatis affectum, nobilitati tuæ declaratur sumus. Datum Roma, apud S. Petruum, sub annulo Piscatoris, die xxii Junii MDLXX, Pontificat. nostr. ann. quinto.»

213. Hoc exemplo, datas quoque fuisse litteras, ad Bavarie et Julie duces, in Regesto Vaticano adnotatum reperimus: in quo etiam ad Ecclesiasticos principes, nempe ad archiepiscopum Trevirensim, Saliburgensem, episcopum Herbolensem, ejusdem tenoris alias scriptas fuisse invenimus, et quidem ad archiepiscopum Moguntinum missa hujusmodi fuit:

«Venerabili fratri archiepiscopo Maguntino¹ S. R. I. principi electori.

PIUS PP. V.

«Venerabilis etc.

«Non dubitamus fraternitati tuæ notam esse super provinciis Borussiæ controversiam, quarum magna pars ad dilectum filium Ordinis fratrum S. Mariæ Thentonicorum magistrum, haud dubio jure pertinere assertur, hoc tempore, aut per vim occupata, aut alioqui alienata esse dicitur: de qua cum actum iri intelligeremus, in proximo conventu, quem charissimus in Christo filius noster Maximilianus in imperatorem electus Spiræ est habiturus; fraternitatem tuam, quam in eo conventu affuturam esse credimus, his nostris litteris hortari voluimus, ut ejusdem prædictæ religionis magistri justissimam causam sibi tuendam adjuvandamque suscipiat. Quod eo quoque libentius, ac studiosius facere debet fraternitas tua, quia, et sublata hac contro-

¹ Jo. Meurs, in Vit. Gal. Auriac., lib. III, p. 71. — ² Ex Archiv. Valic.

¹ Ex Archiv. Vatic.

versia, omnia quæ inde oriri possent discordiarum dissensionumque semina tolletur: et is, qui earum provinciarum justus dominus esse dicitur, Teutonicæ religionis magister, si eas recuperaverit, curabit, ut in illis homines, ad religionis Catholice disciplinam, ab eis jampridem desertam, iterum amplectendam, fideliterque custodiendam revocentur; quod quam utile reipublicæ Christianæ tranquillitati, quam fructuosum animarum saluti futurum sit, profecto vides. Quæcum ita sint, fraternitatem tuam non dubitamus, quantum in se est, daturam esse operam diligenter, ut et favendo iustitia, et reipublicæ Christianæ utilitate animarumque salute adjuvanda, uno eodemque tempore, et officiis suis partes expleat, et nostris paternis hortationibus et vocibus satisfacial. In quo fraternitas tua, tum factura est id quod æquitate sua dignissimum est; tum etiam a nobis ipsis hujus rei nomine, non mediocrem gatiam est initura; quam idonea occasione oblata, quibuscumque cum Domino poterimus fraternæ nostræ erga se voluntatis indiciis, fraternitatì tuæ declarare non prætermittimus. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xxii Junii M.DLXX, Pontificatus nostr. ann. quinto».

214. At cum res Borussiæ potissimum ad Polonias pertinere Pius compertum haberet, idcirco Teutonicorum causam, non minus apud Polonus quam Germanos curandam existimavit. Quapropter, et ad archiepiscopum Gnesnensem, et ad episcopos Plocensem præpositum, ac demum ad ipsum regem, de eadem re diligentissime scripsit. En Epistola¹ ad illum data:

«Charissimo in Christo filio nostro Sigismundo Augusto, Poloniæ regi illustri.

PIUS PP. V.

«Charissime etc.

«Suscepsum a nobis, quamvis indignis, Apostolicæ servitutis officium, et sollicitudo pastoralis postulare videtur, ut non solum ipsi, quantum in nobis est, iustitiam colentes, his quibus præsumus singulis, pro enjusque dignitate jus suum adjuvante Domino tribuamus; sed ut indigentibus etiam opis nostræ, ad idem obtinendum, Apostolicæ commendationis officium impendamus. Quia vero in conventu, quem charissimus in Christo filius noster Maximilianus iu imperatorem electus proxime habiturus esse Spiræ dicitur, intelligimus actum iri de controversiis, quæ sunt super provinciis Borussiæ, quarum magna pars, quæ antea a dilecto filio Ordinis fratrum Teutonicorum S. Marie magistro obti-

nebatur, nunc per vim occupata, aut alienata esse dicitur; idcirco M. T. his nostris litteris in Domino vehementer hortamur, ut (quemadmodum principe iustitiæ studioso dignum est,) velit ejusdem prædicti religionis magistri causam, pro sua iustitia tuendam defendendamque suscipere; seque illi atque illius Ordini, ad ea quæ eorum juris sunt recuperanda, adjutorem præbere. Quod præterea dupli et nraque justissima de causa facere debet M. T. Primum quidem, ut haec controversia sublata, omnia discordiarum et dissensionum semina, que inde oriri possunt, tollantur: deinde quia, si is, quas justus Dominus esse asseritur, religionis Teutonicæ magister, eas ipsis provincias recuperaverit, curabit, ut in eis homines, ad religionis Catholicae regulam, quam deservisse dicuntur, rursus amplectendam, fideliterque retinendam revocentur. In quo factura est M. T. quidem rem, non minus æquitate, quam suo religionis Catholicae juvandæ studio dignissimam. Nobis verò adeo gratam, ut ejusmodi suo erga nos Sanctamque hanc Sedem Apostolicam obsequio, atque observantia, quibuslibet paternæ nostræ in se voluntatis officiis, idonea occasione oblata, libentissime simus semper responsuri. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die xxii Junii M.DLXX, Pontificie, nostr. ann. quinto».

215. Nil æquius postulare Pius poterat, quam, ut Borussiæ provinciæ ei militum Ordini restituerentur, qui strenue effusoque sanguine, eas sibi acquisiverant, ac in ipsis, idolatria depulsa, Christianam fidem invexerant. At vicissim, a nullo minus quam a Sigismundo Poloniæ rege, iustitia hæc expectanda erat, utpote ab eo qui deleto in Alberto Brandenburgico Teutonicorum Generali magisterio, quas memoravimus Borussiæ provincias ipsas, in mundanam politiam et sæcularem principalum conversas, contra omne fas et jus eidem contulerat; qui statim nefarie populos eos a vera Catholica religione abduxerat, ac Lutheri erroribus contaminaverat. Et, quod deterius, Alberto præfato ac filio ejus e vivis sublatis, præterito anno, ut diximus, Alberto Friderico prioris nepoti, ditionem ipsam, tanquam hæreditariam, riteque a majoribus acceptam, in Lublinensibus generalibus comitiis adjudicaverat, ac solemnii pompa confirmaverat. Cui improbae actioni, cum interfuisse quoque archiepiscopum Gnesnensem, Alexander Guagninus¹ tradat: quæ spes in eo ponenda erat, ut nimirum, Teutonici jus reddi curaret, quod sine justissima Alberti Friderici, (eius confirmationi consenserat,) abdicatione, reddi non poterat?

¹ Ex Archiv. Vatic., ut supra.

¹ In Respublic. Polonic. cap. X, in Prussia.

216. Apud Germaniae principes, non plus etiam profuturam Teutonicorum justam expostulationem sperare licuit. Cum enim tot ex illis, qui haereticorum placitis adhaeserant, potissimum ex eo moti adhaesissent, ut Ecclesiastis se bonis ingurgitarent: si injuste ablata Teutonicis restitui, ut æquum erat, iudicassent; nonne, ut eidem criminis obnoxios, sententiam contra se pronuntiassent, eique ipsi, cui Brandenburgicum, se pæne subjecissent? Quidquid igitur, et minis etiam intentatis, et Pii insuper auctoritate interposita, pro iuribus suis recuperandis, (moti præcipue ex his quæ in ipsorum perniciem Polonie rex in Lublineusibus, quæ prædiximus comitiis egerat,) Teutonici judicio experiri in Spirensibus comitiis cogitaverant: rei difficultate, ne dicam impossibilitate perspecta, satius prætermittendum ipsos cognovisse censemus: si tamen Maximilianus ac alii, de ipsa vel verbum facere non recusaverint, vel mentionem injici non prohibuerint.

217. Attente invigilat Pontefex ne haeretici in Ecclesiæ et capitula Germaniae obrepant. — Et quidem apud Maximilianum frustra etiam Pius hoc anno egit, ut Magdeburgensis Ecclesiæ summo discrimini opportune subveniret. Joachimus Fridericus, ut nos suo loco retulimus, et narrat Thuanus¹, Brandenburgicus, Joannis Georgii F. Joachimi II, Septenviri nepos, archiepiscopatus Magdeburgie administrator, quem jam Albertus cardinalis, et post eum Sigismundus, ex eadem familia, tenuerant, novo et insolenti more, ex sodalium illius collegii consensu, eadem administratione servata, nuptiis Eustrini celebratis, uxorem duxit Catharinam Joannis Patrui filiam, ex qua numerosam deinde sobolem suscepit. Facinus, ut æquum erat, indigne admundum Pius tulit, nihilque non egit, ut ei episcopatum abrogaret. Verum frustra Maximilianum sollicitavit, qui humanæ prudentiæ assuetis artibus dumtaxat innixus, et a prophaniis erroribus non aversus, re in longum pertracta, vota ae preces Pontificis elusit; dignus idcirco, qui eo nomine a Thuano laudetur, qui intempestiva e contra Pii studia vocare non dubitat; et ex eo (inquam) quod rem in longum protraxerit, prudentiam Maximiliani commendat. At hujusmodi prudentiæ commentum detexit, et opportuna vicissim Pii consilia exitus approbavit: eum ex eo tempore de Magdeburgensi Ecclesia impletum fuerit, quod jampridem de Jerusalem a Propheta fuerat pronuntiatum; quod nempe vigilasset jugum iniquitatum ejus in manu ejus, convolutæ essent et impositæ collo ejus; infinita virtus, et quod denique dedisset eam Dominus in manu, de qua surgere non potuisset. Quod quidem nostra haec usque tempora deploramus.

218. Cum autem cognovisset Pius, malum id Magdeburgensi Ecclesiæ non unius duntaxat Joannis Friderici, sed etiam sodalium Ecclesiæ ejusdem collegiique scelere accidisse; quod eis nempe consentientibus, ipse, ut diximus, sacrilegas nuptias contraxisset; idcirco, ne quid simile alibi in aliis Germanie Ecclesiis eveniret, prohibere sollicitus; cum audisset nonnullos haereticorum, collegio ac capitulo Heripolensis Ecclesiæ adseribi contendisse, ipsius Ecclesiæ capitulum ejusdemque episcopum commonendos his Epistolis existimavit:

« Dilectis filiis capitulo Ecclesiæ Heripolensis.

PIUS PP. V.

« Dilecti etc.

« Pervenit ad aures nostras, quosdam a fidei Catholice professione alienos, omni studio conatos esse, ad istius Ecclesiæ capitulum collegiumque obrepere¹. Quae res animum nostrum, tum rei præsentis indignitate, tum futuri periculi magnitudine vehementer conturbavit. Reputantes enim nobiscum illam Apostoli vocem: *Modicum scilicet fermentum totam massam corrumpere*, intelligimus quanta cum capituli totiusque collegii vestri periculo, ejusmodi hominibus aditus ad vos aperiatur. Sed in magno dolore nostro hoc fuit solatium, quod vos improborum hominum conatui fortiter restitisse, et ut eos decet, qui in Domini sortem vocati sunt, pro ejus Ecclesia murum constanter opposuisse cognovimus. Qua in re vestrum religionis Catholice studium, divinique honoris zelum debitum in Domino laudibus commendantes, dilectiones vestras hortamur, ut eadem fortitudinis constantia in posterum ad sui capituli collegiique custodiam diligenter advigilent; meminerintque illud, quod Germaniarum rerum experientia edocti didicisse potuerunt, facile esse rerum principiis obsistere, et præsentibus malis amovendis, futura quoque ne se insinuent providere; quæ eadem postea corroborata difficultius tolli possunt. Hoc igitur considerantes, vobis omnibus et singulis, harum tenore litterarum districte præcipientes mandamus, ne quem a fidei Catholice professione alienum, aut alioqui haereseos suspectum, quantum vultis illustrem aut potentem, in capitulum collegiumque istius Ecclesiæ recipiatis; a cuius quidem præcepti executione, nullius aut periculi denuntiatione terrori, aut quorumcumque hominum offensione avocari debetis, memores Deo Redemptori nostro magis parendum esse, quam hominibus. Quod si quid secus a vobis, aut factum esse, aut fieri contigerit; id omne irritum et inane esse decernimus. Datum Romæ

¹ Thuan. lib. XLVII, p. 633.

¹ Ex Archiv. Vatic.

apud Sanctum-Petrum, sub annulo Piscatoris, die xxii Februarii MDLXX, Pontifici nostr. ann. quinto ».

219. Ad episcopum Herbipolensem¹ :
« Venerabili N. episcopo Herbipolensi.

PIUS PP. V.

« Venerabilis frater, salutem et Apostoli-
cam benedictionem.

« Quia nuper ad nos allatum fuit, quosdam
a fidei Catholice professione alienos, conatos
esse ad Ecclesiae tuæ capitulum collegiumque
per factionem obrepentes aspirare; idecirco tum
præsentis indignitate rei, tum futuri quoque
periculi magnitudine commoti, dilectis filiis
capitulo ejusdem Ecclesiae litteras dedimus,
quibus eis districte præcipientes mandavimus,
ne quem a religione Catholica alienum, sive
alioquin de hæresi suspectum, quantumvis
illustrem aut potentem, in capitulum colle-
giumque istius Ecclesiae ullo modo recipient;
ea de re visum nobis est ad fraternalitatem quo-
que tuam scribere, eamque, ut facimus, in
Domino hortari, ut pro pastorali sollicitudine,
quam debet Ecclesiae suæ, hoc nostrum man-
dandum observari custodirique enret. Contra
quod, si quid factum fuisset secus, fierique
contigerit, id omne irritum atque inane esse
decernimus. Facile omnino est ad hæreticorum
pravitatem præcavendam, malorum initis
subsistere; sed, si patefacto semel ipsorum
improbitati aditu, corroborata fuerint, difficil-
limum tot tantarumque hæresum nascentibus
malis occurtere; quibus dein confirmatis, medi-
cinam invenire non possumus. Hoc igitur et
exemplo admonitus et fraternis hortationibus
excitatus, in eam curam sedulo
incumbe, ut inimico homini ad supersem-
nanda zizania omnes vias omnesque aditus
intercludas: a quo quidem officio Ecclesiae
tuæ præstanto, nullius te, aut periculi denun-
tiatio deterreat, aut quorumvis potentum vel
offensio revocet, vel gratia illiciat: memor, si
quid secus feceris, aut quod faciendum fuit
omiseris, de eo æterno illi Judici reddendam
esse rationem, qui non secundum faciem judi-
caturus est, sed ex singulorum merito unum-
quemque nostrum, æterna vel pæna vel præmio
remuneraturus. Datum Romæ apud S. Petrum
sub annulo Piscatoris, die xxi Februarii MDLXX.
Pontificatus nostri anno quinto ».

220. Quam æquo iure vero tanta sollicitu-
dine incubuerit Pius, ne in Herbipolense colle-
gium nefaria hæresis conspersus macula quis
introduceeretur, ex eo probatur, quod paulo
post accidit: cum enim episcopi nominatio,
aut electio penes Ecclesiarum capitula passim
in Germania sit, et hoc ipso anno e vivis deceas-

sisset Hildesiensis episcopus Burchardus; si in
illius Ecclesiae capitulo irrepissent hæretici,
sane periculum erat, ne ipsorum votis et fac-
tione, pro vero ac legitimo pastore, uti in
Magdeburgensi Ecclesia paulo ante evenisse
diximus, fur et latro ipsi Ecclesie præficeretur.
Verum cum ab eo discrimine, et propria in fide
firmitate, et Pii sollicitudine immunes essent;
ideo Pontifici ipsi, prefati Burchardi auditio
obitu, sat fuit, decanum et capitulum ejus-
dem Ecclesiae, super idoneo novo episcopo
eligendo, sequenti Epistola¹ commonere :

« Dilectis filiis decano et capitulo Ecclesiae
Hildesiensis.

PIUS PP. V.

« Dilecti etc :

« Certiores facti Omnipotenti Deo placuisse
venerabilem fratrem nostrum Burchardum, il-
lius Ecclesiae episcopum ad se vocare, magnum
ex obitu viri Catholice religionis studiosi,
quiœ pastorali officio diligenter admodum
fungebatur, dolorem accepimus. Ejus mortem,
pro vestra in eum charitate atque observantia,
non dubitamus magnum vobis quoque luctum
attulisse. Bonum enim præsulem ac fidelem,
et in grege sibi credito paseendo diligentem
pastorem, amisistis. Sed quoniam, et Dei
volontati acquiescendum est, omnia pro suæ
providentia modo sapientissime gubernantis;
et illum eo per venturum esse verisimiliter
credimus, ubi operum suorum copiosam mer-
cedem sit habiturus; idecirco, quod reliquum
est devotiones vestras hortamur in Domino,
ac vehementer requirimus, ut ad deligendum
vel postulandum, in demortui locum virum,
non minus illo Catholicum, animum adjiciatis:
ut non solum nihil canonicum obstet, quominus
episcopus recte a vobis, aut electus, aut
postulatus, a nobis confirmari possit; sed etiam
qui eis sit sacerdotalibus præditus, quæ ad
tale tantumque episcopale onus sustinendum
necessariae sunt. Meminisse autem debetis in
ea re, nihil aliud vobis præ oculis habendum
esse, quam animarum vestrarum utilitatem et
Omnipotentis Dei honorem. Quocirca vos nullus
potentis vel metus terreat vel gratia alliciat,
quominus eum Ecclesiae vestræ præsulem
eligatis, vel postuletis, qui, et propter vitæ
integritatem ad tenendam Ecclesiasticam disci-
plinam, et propter Catholicæ fidei zelum, ad
resistendum hæreticis idoneus reperiatur: qui
Catholicos in veræ religionis amore continere,
et ab ea aberrantes ad gremium sanctæ Matris
Ecclesiae revocare valeat; qui denique, non
minus doctrina quam morum honestate ornat-
tus, ovibus suæ fidei commissis se, tanquam
lucem ostendat ac præferat, in qua secure ab

¹ Apud Goub. Ep. ist. lib. IV, Epist. 9.

¹ Ex Archiv. Vatic.

haereticorum insidiis ambulent. Quia in re praestanda, etiamsi sanguis vobis profundendus sit, praelare vobis cum actum esse debetis existimare. Illud etiam officio vestro convenire existimamus, ut donec bonus fidelisque pastor a vobis lectus fuerit, quod, ut quamprimum fiat, omni animi nostri studio devotiones vestras hortamur, unusquisque vestrum his, quae ad eujusque officium pertinent, rite ac sedulo exequendis Ecclesiae ipsi pastoris providentia destitute, quidquid potest auxilii solatique impendat; ut quam minimum fieri potest, interea detrimentum patiatur. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die xiii Octobris m^olxx, Pontificat. nostr. ann. quinto».

221. Licit vero, inter ceteros Germaniae populos ac urbes, ut alibi vidimus, et ex praecipuo cardinalis Hosii testimonio, singularis emineret virtus et Catholicæ religionis studium civitatis ac senatus Coloniensis; tamen hoc anno, (a quo nescimus), delatum est Pontifici eos, a primo quodammodo pietatis instituto studioque excidisse: cum videlicet, nec ut antea haereticos omnes suis e finibus arcerent, neque ex eorum se consuetudine subducerent. Quod ubi Pius intellexit, vix credi potest, quanto fuerit mœrore affectus, unde ab imminenti periculo eos revocare contendit, salutari ad eos hac data Epistola ¹:

«Dilectis filiis consulibus et senatu civitatis Coloniae Agrippinæ.

PIUS PP. V.

«Dilecti etc.

«Allatum est ad nos, multos ex variis regionibus, potissimum autem ex inferiori Germania et Gallia, haereticæ pravitatis labi infectos; multos item principum suorum rebelles seditiososque homines, in istam civitatem confluisse, in eaque facultatum suorumque negotiorum sedem et domicilium, concedentibus sive potius conniventibus vobis, collocavisse. Audivimus præterea apud uxorem quondam Comitis Agamontii, concessionares esse quosdam haereticos, qui sine ulla pœna metu, libere haereticam doctrinam, et profitentur et prædicent. Quæ omnia, pro nostra erga vos civitatemque vestram paterna benevolentia, vehementi animum nostrum dolore commovereunt; nam cum præteritarum, hisce proximis superioribus annis, rerum experientia edocti didicerimus, quantopere civitatibus omnibus hæc hominum pestis timenda sit; sollicito animo esse cogimus de vestra salute, qui ex omnium genere scelerum natam, tantamque haereticorum, rebellium et seditiosorum colluviem, intra civitatis vestre tecta, atque adeo domi vestræ alatis: qui quoniam perniciosa lo-

quendo, etnequier vivendo non solum tidei, sed etiam morum integritatem corrumpunt; sine magno certe animarum vestrarum periculo, apud vos commorari non possunt. Cum enim unius sape improbi veneno sermonis, multa in Christo viventia membra inticantur; quid ibi putatis fieri, ubi tot homines ad corrumpendos mores Catholicamque doctrinam depravandam sedulo incumbunt? His accedit, quod ne publice quidem utiles sunt, qui præsentis tantum temporis utilitate, et ea quidem perpetuo objecta, Reipublice pacisque fundamenta discordiarum dissensionumque seminibus convellunt atque conturbant; cujus rei recentissimum exemplum paulo ante vidistis in inferiori Germania, in qua horum ipsorum hominum furor atque audacia tot tantasque seditionum et domesticorum incendiiorum flammæ excitavit. Quia igitur vos civitatemque vestram, prout debemus, ex animo diligimus, salvamque et incolunem esse cupimus; ac propterea etiam eam, quibus cum Domino potuimus, paternæ nostræ voluntatis indicis prosecuti semper fuimus, sperantes nos, non modo haereticos seditiososque homines in vestram civitatem non recepturos, sed etiam eis adversarios futuros, idcirco vos periculi vestri commonefacentes, atque ut ad salutis vestræ custodiad diligenter advigiletis, excitando esse putavimus. Quod quidem paternum nostrum erga vos officium, ita accipere debetis, ut non solum, sicut est, ab optimo ipsum animo ac voluntate profectum esse cognoscatis; sed etiam, ut re ipsa declarante vos admonitionis nostræ, eam, quam par est, rationem habuisse; haereticos omnes, rebelles, seditiosos, concionatores præsertim, non solum ejiciatis a civitate vestra, sed etiam procul ab ejusdem finibus discedere jubeatis: pro certo habentes id, non minus Omnipotenti Deo nobisque gratum, quam civitati vestræ salutare atque utile futurum. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die xxii Februarii m^olxx, Pontificat. nostr. ann. quinto».

222. Ubi hanc Pii Epistolam consules senatusque Coloniensis acceperunt, vix verbis enarrari potest, quantum ex ea mœrorem doloremque conceperint; utpote qui recte factorum suorum sibi concisi, nil horum, de quibus apud Pontificem insimulati fuerant, se vel committere vel commisisse certi essent. Postquam igitur falso sibi illata crimina, scripta ad ipsum Epistola delere studuerunt, amarissimo animo, de se hujusmodi ad eundem defata fuisse, amanter conquesti sunt; quibus Pius ¹ in hunc modum respondit:

«Dilectis filiis, consulibus et senatu civitatis Coloniae Agrippinæ.

¹ Ex Archiv. Vatic.

¹ Apud Goub. Epist. hb. IV, Epist. 41.

PIUS PP. V.

« Dilecti filii, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Magnam litterae vestrae, xiii Junii die date, nobis in Domino lætitiam attulerunt, quibus vos purgatos esse votuistis, de his quæ ad nos superioribus diebus delata, dilectionibus vestris, per litteras nostras xxii Februarii datas, significanda esse, pro pastorali officio nostro existimavimus; perspeximus enim ex illis, quantopere laboreis de vestra apud nos Sanctamque hanc Sedem Apostolicam existimatione retinenda: quod vestri erga religionem Catholicam studii et adversus haereticos perfecti odii signum minime obscurum esse judicamus. In primis autem illa nobis fuerunt gratissima, quæ ad vitandam haereticae pravitatis contagionem, super advenis, non passim, sed exhibita cautione, quales sint, recipiendis et approbandis, non minus religiose quam prudenter a vobis constituta sunt. Ut enim magnum in ea cautione momentum positum esse judicamus, ad cives vestros ab omni prorsus haeresum labe custodiendos; sic eam a vobis adhibitam esse vehementer gavisi sumus, ejusque rei nomine, debitum vos in Domino laudibus prosequentes, devotiones vestras hortamur, ut ea, qua cœpistis vigilantia, ab haereticorum venenata consuetudine, integrum atque incorruptam tueri perseveretis. Videtis enim lupos, videtis apes de sylva, ad laniandas Dominicæ oves, ad exterminandam Domini vineam ubique paratos atque intentos: qui si omne undequaque aditus sibi sollicitudine vestra clausos reperient, dentibus illi quidem suis frement, sed tamen tabescunt, cum nullum sibi ad nocendum locum relictum esse conspexerint. Quod vero ad ea pertinet, quæ eisdem vestris litteris falso ad nos delata esse doletis, et si dolorem vestrum justa de causa suscepimus esse non dubitamus; magis tamen, quod illa falsa fuerint, gaudendum, quam quod falso defata sint, tristandum vobis esse cognoscimus; quippe illud dolendum esset, si vere delata fuissent: quæ tamen, eum a viris spectatæ fidei, integratatis ac gravitatis nobis dicentur, nullo modo potuimus ac debuimus ea, vel contemnere, vel dissimulare. Fieri tamen potest, ut qui ea nobis dixerunt, ipsi quoque audierint. Quod ita esse pro nostra erga nos sanctamque hanc Sedem Apostolicam observantia, non magis optamus quam speramus. Datum Romæ apud Sanetum-Petrum sub annulo Piscatoris, die xxi Augusti MDLXX, Pontificatus nostr. ann. quinto ».

223. A Coloniensibus insuper obtinere hoc anno studuit Pius, eorum utilitati intentus, ut Societatis Jesu alumni, qui in ea urbe morabantur, juxta proprii instituti rationem, discipulos,

qui ad illorum gymnasias confluabant, dirigere gubernare, eosque gratis omnino, quas potio, res necessariasque existimarent scientias, docere possent. Quin ea efficerent, impedimento erat Coloniensis generalis studii Universitas, vel quod eorum docendi modum non probaret, vel quod magistris ejusdem qui accipiebant, Jesuitas, non acceptis mercedibus, docere, damno esset. Pius igitur, qui optime consultum animarum salutis fideique integratati sciebat, ubi Societatis præfatae sodales operam suam præstare possent, et ad consules senatumque Coloniensem, et ad ejusdem Universitatem sequentes litteras¹ dedit:

« Dilectis filiis consulibus et senatu Coloniæ Agrippinæ.

PIUS PP. V.

« Dilecti etc.

« Cum Apostolicæ voeis præcepto, etiam insipientibus debitores simus; multo magis sapientibus, et his qui vineæ Domini diligentes cultores sunt, commendationis nostræ favorem præstare debemus: quorum ex numero Societatis Jesu religiosos, assiduis laboribus, pro viribus sibi divinitus concessis, Dei Ecclesiam ædificantes, ea paterna benevolentia, atque amore in Domino prosequimur, ut eorum rationibus et commodis, quibus ipsis tamen publica Christianorum populorum utilitas non minima ex parte continetur, quantum in nobis est, provisum consultumque esse velimus. Quia vero eorum collegium apud vos esse accepimus, quod, et instituendis civibus vestris, et ad Christianam pietatem morumque integratatem firmandas magnopere civitati vestræ utile esse dicitur; idcirco vobis majorem in modum commendantes, dilectiones vestras hortamur, atque ab eis vehementer requirimus, ut prædicti collegii sodales, in sui instituti ratione et libertate conservanda, vestra auctoritate et opera tueamini. Audivimus enim eos expetiisse non semel a dilectis filiis rectore et Universitale studii generalis istius civitatis, ut sibi licet, juxta suum Institutum scholares gubernare, nullam mercedem ab eis accipere, disciplinas illas profiteri que viderentur utiliores fore et aptiores discipulis; et, ut semel dicatur, rationem sui Instituti, et libertatem docendi, quam in aliis collegiis Germaniae habent, apud eos habere posse, quod hactenus tamen obtinere non potuerunt. Quæ si vera sunt, date diligenter operam, quantum in vobis est, religiosis hominibus, civium vestrorum æque ac vos ipsi studiosis, quod maxime cupiunt et cupere debent, sua Instituta in rebus omnibus observare sine impedimento liceat. Hoc enim agentes, et ipsi quod justum et dignum est feceri-

¹ Ex Archiv. Vatic.

tis, et nobis gratissimum erit intelligere, nostram haue commendationem, ut aequum est, illis apud vos maxime profuisse. Datum Roma apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die in Iulii m^olxviii, Pontificat. nostr. ann. quinto ».

224. Ad Colonensem Universitatem¹:

« Dilectis filiis rectori et Universitati studii generalis Coloniae.

PIUS PP. V.

« Dilecti etc.

« Societatis Jesu collegia, quae quasi quædam Catholicæ doctrinæ Christianorumque monum seminaria, Dei providentia per diversas orbis Christiani provincias, calamitosis hisce reipublicæ Christianæ temporibus excitavit, atque adeo religiosos omnes prædictæ Societatis, ea benevolentia paterna prosequimur, qua digni videntur esse hi, qui de Ecclesia Dei quotidie melius mereri student, et in vinea Domini excolenda, egregiam assiduamque operam navare non desistunt. Eorum collegium, quod apud vos est, cum in tradendis bonarum artium disciplinis instituendisque pueris, tum in cæteris rebus, quæ ejusdem collegiorum propria sunt diligenter agendis, vehementer isti civitali utile esse, hominum fide dignorum testimonio accepimus : quod, quo verius esse intelleximus, eo magis eorum religiosorum vicem doluimus. Intelleximus enim sæpe illos expetiisse, ut liceret sibi suum Institutum in suis ministeriis, quæ in ista civitate obeunt, observare ; quod tamen hactenus obtinere non potuerunt ; nam, et ad accipiendam lectionum a discipulis mercedem, contra collegiorum suorum instituta cogi dicuntur, et impediri quominus eisdem discipulis eas, quas utiliores aptioresque esse judicaverint, disciplinas facultatesque tradere possint. Quæ si vera sunt, quia prædicti collegii et illorum religiosorum ratio vivendi a Sede Apostolica comprobata, omnino servanda esse videtur ; dilectiones vestras vehementer in Domino hortamur, ut ipsis in omnibus prædictis opem benigne afferatis ; collegium ipsum libere et sine ullo impedimento, institutum suum sequi permittatis ; ac neque ad accipiendam lectionum mercedem, contra ipsius consuetudinem compellatis ; et quascumque maluerint ingenuas liberalesque disciplinas ac facultates legere, discipulisque suis, tradere sinatis ; quod idem in omnibus eorundem collegiis, quæ in Germania sunt, observari accepimus ; et si quid præterea expetunt ad sui instituti rationem pertinens, in eo vestrum beneficium non desiderent ; in quo præterquam quod vos facturi estis id quod vestra in Deum pietate religionisque Catholice zelo dignum est, ut homines scilicet religiosos, vestrorum-

que civium saluti morumque integritati consulere cupientes, ea qua decet benignitate humanitateque prosequamini ; nos præterea eamdem vestram erga nos sanctamque hanc Sedem Apostolicam observantiam, gratissimo sumus animo accepturi ; et nostram erga vos paternam benevolentiam, quibuscumque cum Dominu poterimus, benignitatis indicis declaratur. Datum Roma apud S. Petrum sud anno Piscatoris, die in Iulii m^olxviii, Pontificat. nostr. ann. quinto ».

225. Carolum Austriæ archiducem hortatur Pius ut ludimagistros hæreticos e suis ditionibus expellat, et in auxilium mittit Societatis Jesu religiosos. — Sicut autem in Societatis Jesu sodalibus, oplinios sacerdotes, itidemque bonarum artium ac pietatis magistros, Coloniensisibus commendandos Pontifex censuit ; sic e contrario multo post, cum Carolo Austriæ archiduce agendum ei fuit, quod in ipsis ditionis quodam oppido, presbyter quidam et ludimister cum commorarentur manifeste hæretici, non parvam incolis perniciem inferrent. Et malo igitur statim occurreretur, qua potuit sollicitudine Pontifex curavit, scripta etiam ad eumdem archiducem sequenti Epistola¹, qua perfidos homines teneri et in episcopi potestatem quamprimum tradi sic postulavit :

« Dilecto filio nobili viro Carolo, archiduci Austriæ.

PIUS PP. V.

« Dilecte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Allatum est ad nos Coslahui, quod oppidum temporali jurisdictioni nobilitatis tuae subjectum esse asseritur, presbyterum quemdam Matthæum de Pisino vocatum commorari, hominem manifeste hæreticum, qui nihil aliud magis studet, quam populos a fidei Catholice veritate, ad hæreticæ falsitatem avocare ; et ubique hæresum, quibus est vehementer infectus, tum privatim, tum publice docendo, venenum disseminare conatur, magna cum Dominicis gregis jactura, fideliumque Christo populorum scandalo. Quin etiam superioribus mensibus, prædicti oppidi domini filiam baptizasse dicitur, et in baptismate, veterem et sanctam Ecclesiæ Catholice formam minime servasse. In eodem quoque oppido quemdam Georgium esse audivimus scholæ magistrum, virum hæreticæ pravitatis labi infectum, qui non solum eos, quos docet pueros, sed etiam quoscumque potest, omnibus artibus seducens, eadem, qua ipse imbutus est hæresum doctrina, contaminat. Tuam vero nobilitatem decet episcopo, cuius diœcesi loca sua ditionis subjecta sunt, ad tantæ pestis, animarumque

¹ Ibid. ut sup.

¹ Apud Goub. Epist. lib. IV, Epist. 40.

contagionem coercendam, auxilium favoremque suum, propenso animo impendere. Idcirco nobilitatem tuam hortamus in Domino, et ab ea requirimus, ut predictos homines, per ministros suos comprehensos, istius diœcesis episcopi ministris tradi jubeat: quibus, nisi nobilitas tua, quam potest, opem suam, in rebus ad eorum officium pertinentibus præstiterit, brevi futurum esse videmus, ut non solum in eo oppido, sed in ceteris quoque suaæ ditionis locis, omnes hæreticæ pravitatis labæ inticentur, magna cum animarum Jesu Christi Domini nostri sanguine redemptarum pernicie. Id autem, et nobilitas tua studiosius facere debet; quod eadem res, ad populos in fide et obsequio continendos, et tranquilla pace regendos, maxime pertineat; ut, si id fecerit, non solum id factura sit, quod decet; sed eodem quoque tempore ditionis suaæ securitati consulta. Quod idem, ut nostra quoque causa facere velit, nobilitatem tuam rogamus. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die in Augusti MDCXX, Pontificatus nostr. ann. quinto.

226. Malis oboriri solitis ob sacerdotes ac ludimagiros, qui sub ovina pelle lupinum cor contegere consueverant, ut facilius Christi oves diriperent ac perderent, cautum quoque fuisse hoc anno in diœcesi Trevirensi, opera potissimum religiosorum Societatis Jesu, scribit Sacchinus his verbis: « Per diœcesim Trevirensim Hermannus Firaeus collegii rector, et Joannes Berkelius, quod proximo anno instiuerant, archiepiscopi missu discurrentes, præter cætera curarunt, ut sacerdotes atque ludimagistri editæ clara voce professioni Catholice fidei subscriberent, incausum repugnantibus principumque snorum nomine intentantibus minas hæreticis ». Sic Sacchinus, qui plura addit, de gestis ab ejusdem Societatis Jesu alumnis, et pro hæreticorum coercitione, in comitiis et diœcesi Spirensi, in Badensi ditione, Auguslae, in Styria, Viennæ, aliisque Germaniae locis, ut fuse videare est apud ipsum. Non parum tamen Catholice religioni attulit damni, quod ex ipsa Societate, imo quod deterius est, a fide defecerit Adam Hellerius, ac hostibus junctus, maledictis et probris utramque impiissime lacessere non dubitaverit. Verum id, non hoc anno, sed praecedenti accidisse, ex Epistola Magii provincialis, data Viennæ, sub die tertia Aprilis anno MDLXIX, quam idem Sacchinus affert, evidentissime cognoscitur. Scelerum tamen debitas postea Hellerium dedisse pœnas, idem scribit, ut mox dicetur.

227. *Quid senserit Hosius de Altemburgensi colloquio.* — A colloquio autem Altemburgensi, inter molles et rigidos Lutheranos, ut suo loco diximus, habito, Catholicae fidei veritas magis vires sumere ac præfulgere visa est: id præser-

tim agente incomparabili viro Stanislao cardinali Bosio, de quo ista Rescius¹: « Acta colloqui Altemburgensis typis mandata cum legisset Hosius, gratulatus est vehementer Ecclesiae Dei quod magis ac magis divisum esset eorum. Tantis enim odiis, tantis maledictis certabant invicem, tot anathematismos secta contra sectam pronuntiavit, ut in majore odio et impetu, magisque furenter, Ecclesiam Catholicaem et doctrinam illius non fuisse persecuti viderentur. Cæterum hoc tulit molestissime, quod utraque secta fœdissimo homini Luthero, Christum et Paulum in omni sermone et oratione admisceret, et eamdem Christo et Luthero auctoritatem et potestatem tribuere videbatur: verbi gratia: Sic docet Christus et Lutherus; Matthæus et Lutherus; Paulus et Lutherus; Iohannes et Lutherus. Ac non sine quodam stomacho solebat sæpe dicere: accusant nos hæretici impietatis et idolatriæ; sed quæ potest esse major et verior, magisque genuina idolatria, quam Lutheri vel Calvini verbum, eodem loco, quo Christi, quo Pauli verbum habere, illud: que pro Dei verbo adorare? Quod Deus per se, per Apostolos suos, per Ecclesiam sponsam suam loquitur, id pro figmentis hominum; quod autem Sathanas per Lutherum, Calvinum, Bezam, et alias hominum quisquiliis, fanaticosque spiritus loquitur, id pro Dei verbo et Evangelio Christi recipere. Ac auctor etiam fuit Nicolao Sandero theologo suo, ut librum lotum accuratius expenderet et refutaret, illum præsertim de justificatione articulum, in quo sibi cauti et prudentes videbantur illi disputationes; veramque illis ad unitatem et concordiam viam et rationem ostenderet. Et hoc etiam tempus maxime omnium idoneum esse reputabat, in quo Lutheri sectatores, de verbo Dei inter se maxime dissentiebant, ut utrique parti ostenderetur, quod neutra Verbum Dei intelligeret, quod non alibi, quam in Ecclesia Dei invenire licet: cum præserlim audite fuisserent voces quorumdam in illo ipso Altemburgensi colloquio, quod citius se adduci paterentur, ut in papæ Romani, quam in Philippi vel Eberi sententiam descenderent ».

228. Ista Rescius de Hosio: at satius erit, ex ipsiusmet Epistolis tanti viri, pro Catholicae veritate zelui, ac de Altemburgensi colloquio testimare judicium. De illo itaque ista hoc anno scripsit, ad Stanislauum Barzium Palatinum Cracoviensem: « Legi nuper colloquium, quod est habitum Altemburgi, multis in locis conjugi, verbum Dei et Lutheri, Deus et Lutherus. Christus et Lutherus. Quæ potest esse minus toleranda blasphemia, quæ major idolatria, quam sit hæc? Scilicet jam duos Deos, duos Christos habent isti, qui dum de confessione

¹ Resc. Vit. Hosii lib. III, c. iv, p. 227.

Augustana litigant, et magna quadam animorum acerbitate mutuo se invicem condemnant et excommunicant; utramque tandem confessionem et ea, quae fuit oblata Carolo Quinto Cæsari **XL** ab hinc anno, et eam, quæ postea, siue Flacciani dieunt, per Philippum depravata fuit et adulterata, fœde ejusdam hæreseos arguunt. Quid autem haec quidem in re vere sentiant ex utraque parte, dubitandum non est. Nam sunt vere hæretici utriusque, tam Flacciani quam Eberiani: nam hæc invicem sibi nomina tribuunt etc ».

229. Et iisdem fere verbis¹ ad regem Poloniae Sigismundum: « Legi (scripsit) nuper Altemburgense colloquium, cui præcerat, novo more, novus quidam Pontifex Guitelmos Saxoniae dux. et commissarii principis Electoris. Tractabatur ibi de concordia, non inter Lutheranos et Zuinglianos atque Valdenses; sed inter ipsos Lutheranos, quorum alii *Flacciani* vocantur, alii *Philippiani vel Eberiani*: tantum absfuit, ut aliqua concordia coiret inter eos, qui sunt ex ejusdem Lutheri schola profecti, quique pro Dei verbo, verbum illius ex utraque parte recipiunt: magis ut etiam discordes ab invicem discederent, quam unquam antea, seque mutuo condemnarent hæreseos et excommunicarent. Nam a Flaccianis falsi crimen Philippo fuit objectum, quod adulterasset primam illam Confessionem Augustanam, quæ Cæsari fuit anno **XL** oblata; et quædam addidisset, nonnulla detraxisset, alia mutasset arbitratu suo. Nec negatum est hoc ab Eberianis, quemadmodum e scheda, quam inclusam his litteris mitto, majestas vestra cognoscet. Damnarunt igitur Flacciani Philippum et sectatores ejus, quod in quibusdam ad Pontificiam doctrinam, hoc est, ad Christianam fidem a Lutheri perfidia defecisset: in dogmate vero de Eucharistia. Calvinii sententiam secutus esset. Qui vero partes Philippi tuebantur, primam illam Confessionem oblatam Cæsari, propterea mutatam ab illo dicebant, quod in Manichæi veteris hæretici, pridemque damnati sententiam inclinasset. Itaque magis infestis animis discesserunt a colloquio, quam ad illud venerant. Sic non potuit inter eos fieri compositio, qui sunt ejusdem seculæ etc ».

230. Meminit demum ejusdem Altemburgensis colloqui in Epistola² ad Melchiorem Billium, Apostolicum apud Cæsarem nuntium, his verbis: « Cæterum in ista mea rusticatione, legi quoddam ingens volumen, quod inscribitur colloquium Altemburgense, quod fuit habitum, inter ipsos Lutheranos, quorum uni vocantur *Flacciani*, alteri *Philippiani* sive *Eberiani*. Vidi quod non minoribus conviciis mu-

¹ Rosin. Epist. **XXXIII**, p. 287. — ² Rosin. Epist. **XXXIV**, p. 286.

tu se invicem, quam nos Christianos, quos illis Papistas vocare visum est, insectantur; et majore propemodum odio flagrant inter se, quam contra nos; neque dubitant utrique alteros errorum et hæreseos insimulare: quin, et ejiciunt alteri alteros ex communione sua; et habent quamdam phrasim, quam ego nunquam haec tenus in scriptis Catholicorum legere me recordor, Flacciani præsertim. Dicunt enim: *Verbum Dei et Lutheri, Christus et Lutherus, Paulus et Lutherus*; ut non modo Paulo, sed nec ipso Christo, Lutherum interiorum videri velint. Quid est autem, si hoc non est, soli Deo debitam gloriam in creaturas transferre? Habemus nos orbis Christiani lumina, non doctrinæ magis quam vitæ sanctimonia præsentes Ecclesiæ doctores; nunquam tamen ita quemquam, vel dicentem vel scribentem audivi: *Verbum Dei et Hieronymi, Christus et Augustinus, Paulus et Ambrosius*. Sed insana ista capita, non alio loco scripta Lutheri, quam quo Scripturas Canonicas haberi volunt: nec ad suos errores ex utraque parte confutandos quidquam adferunt, præter verbum Dei et Lutheri. Mirari satis non possum, quomodo possint aures hominis Christiani tantas ferre blasphemias. Accusant nos idolatriæ: quæ autem potest esse, si non est hæc, germana idolatria, cum Christo Lutherum conjungere? ut eodem loco sit Antichristus Islebiensis, qui cum sua nonna membra sua mortificavit, quo loco nos habemus Christum in Bethleem natum, et propter nos homines, et propter nostram salutem crucifixum et mortuum. Evidem horum hominum dementiam satis mirari non possum, nec miror tantum; verum, et cætitatem illorum satis deplorare nequeo. Velle, ut dominatio vestra, si facultatem hanc habet, legeret colloquium hoc, quod illi futurum esse non parvus usui, et pleraque cum Casarea maiestate communicaret, præcipue ubi Philippum arguant Flacciani, quod adulteraverit Confessionem Augustanam: neque negant hoc Eberiani, qui rejiciunt primam illam Cæsari oblatam anno **XXX**, quod Manichæismum sapient. Contra, Flacciani non admittunt posteriorem Confusionem, quod in quibusdam ad Pontificiam, hoc est, Christianam doctrinam, in capite vero de Eucharistia, in Calvinii sententiam inclinat. Verum de his haec tenus. Datum Romæ **xx Octobris MDLXX** ».

231. *Maximiliani segnities in plectendis hæreticis*. — Cæterum sub hujus anni initium, ex cogitatam fuisse rationem quamdam, colluctantes tam a criterio inter se hæreticos componendi: eamque oblatam fuisse Maximiliano Cæsari, tradit Thuanus³, his verbis: « Cæsar tune Pragæ erat; quo cum imperii principes ad natalem ejus celebrandum convenissent, comitia ad Quinti-

³ Thuan. Histor. lib. **XLVII**, p. 635.

iem proximum Spiræ Nemetum indicit. Interea Servestæ, quæ Cheruseorum olim sedes fuisse dicitur, x Martii formula concordiae a Jacobo Andreano præscribitur, qua controversiæ, de quinque artieulis, inter Misnenses et Turingicos theologos, post Altemburgicum colloquium, per contentiones solutum exacerbatae, aliquo modo composite sunt; Julio Brunswico duce et Wilhelmo Hessen principe operam dantibus, ut conciliationis via iniretur, et a verborum acerbitate, tam in concessionibus, quam in librorum editione, ab utraque parte abstineretur. Cum Julius Pragam initio anni venisset cum Jacobo Andreano, et consiliū sui rationem Cæsari expusisset, prudentissimus princeps, qui seiret quantum ad imperii tranquillitatem, et belli, quod contra Turcam parabatur, gerendi rationes expediendas interesset, ut inter Protestantes principes concordia sareiretur; eorum propositum non solum laudavit, sed ut in eo pergerent hortatus est. Itaque Jacobus Andreanus, longis per Germaniam itineribus hoc perfecit, ut complurium theologorum subscriptionibus corrogatis, libri tunc Servestæ publicati, auctoritatem confirmarent; qui postea a Tetemano Hessusio propalam in concessionibus, et a Matthia Flaeceo Illirico, qui Melanethonem pacis studiosum tota vita exagitaverant, scriptis oppugnat⁹ est; quod et in causa fuit, quod Vitembergenses theologi sententiam mutarent, et consensum revocarent, sicut ex scriptis ab utraque parte evulgatis abunde videre lieet. Sic ille.

232. At quam longe abfuerit, ut Maximilianus propositum conciliandi inter se dissidentes hæreticos, non solum laudaret, sed etiam promovere, ex eo quod eam pacem prudentissimus princeps, belli, quod contra Turcam parabatur, gerendi rationes expediendas interesse prospiceret; et numquam excogitatum contra eosdem Turcas ab eo, ut diximus, bellum ostendit; et Venetorum ob id legatio ab eo repulsa demonstrat: et tandem manifeste declarat, quod scribit Hadrianus¹; nempe Maximilianum, non modo Pontifici hortanti, ut contra communes hostes arma sumeret, parere noluisse; sed insuper veritum, ne Turca contra se indignaretur, statim Constantinopolim misisse, qui ei assuelum vegetal, pro Hungarico regno singulis annis persolvendo, publice penderet. Quapropter studium Maximiliani, pro concilianda inter hæreticos pace, vel tranquillitatis imperii desiderio, vel potius in res hæreticorum veteri ipsius præclivitati tribuendum videtur.

233. Laudandus nihilominus aliquaterritus est Maximilianus ipse hoc anno, Catholicissimo viro cardinali Hosio, in allata Epistola² ad Melchiorem Biliam; in qua gaudens Hosius ipse, de ostensa divinitus super quosdam hæreticos

homines cœlesti vindicta: quod intellexisse etiam, de perditissimi saltem eujusdam apostatæ interitu, ac divinitus ostensa in illum animadversione, Maximilianum enimdem gaudium vel concepisse, vel ostentasse, se lætari fatetur; cum alioqui, de ejusdem Cæsaris segnitie in nefariis ipsis hominibus puniendis, haud parum conqueratur. Sic enim scribit³:

« Ex litteris dominationis vestræ, valde mihi gratum fuit cognoscere, quandoquidem Viennæ nullus in causa Christi fuit executor justitiae; quod ipse Christus, de quibusdam impiis, quod merebantur, supplicium sumpsit». Et post nonnulla: « Sed non minus lætum est illud, quod Cæsarea majestas tanta lætitia mortem illius impii prosecuta est. Quare planum fecit omnibus, falsum fuisse, quod hic mussitabatur, non invita majestate illius, per impium apostamat illum, blasphemias illas evomi. Cujus perfidiae fuerit hic apostata, nescio; nam certum est, quod fides non est nisi nna, et quidquid est extra unam fidem, non fides, sed perfidia est. Verum hoc scire mihi videor, si diutius vixisset, quod multorum animas in illa civitate ad extreum interitum perduxisset etc ».

234. Fuisse autem apostatam hunc, quem Illosius memorat, eum, eujus paulo ante meminimus Adam Hellerium, ex his, quæ de istius gestis impiissimis ac pessima morte narrat Sacchinus⁴, rationabiliter educi posse cognoscitur. Dieit enim: « Impudens transfuga, post desertam Societatem, religionis quoque Catholicae infamis proditor, Viennæ propalam e loco superiori cum populo cœpit agere, Dei Ecclesiam, itemquæ Societatem proscindens maledictis, maximo popularium hæreticorum gaudio, eorumque favore, qui de senatu erant. Tandemque homo, et votorum sanctitate religiosorum adstrictus, et sacerdotalis castimoniam devotus, tremendo Dei judicio, penitus in suarum cupiditatum potestatem traditus, incestas nuptias celebrare sustinuit, et insania et turpitudine contra sapientiam et sanctimoniam pugnans. Sed adeo exitiosam, exultantemque impudentiam diu divina mansuetudo non tulit. Pestilenta paulo post ipse, et quam duxerat, mere tricula infelicem animam evomuere: quanquam fuit rumor, ipsum tandem morti proximum edidisse signa poenitentiae. Quidquid sit, Dei quidem infinita est pietas, sed justitia quoque formidanda ». Sie ille.

235. *Sanderi liber contra Altemburgense colloquium.* — Ut vero ad librum revertamur, contra Altemburgense Colloquium, ut ex Rescio⁵ audiisti a Nicolao Sanderio, cardinalis Hosii jussu egregie conscriptum, hæc Sanderus⁶ ipse in

¹ Ut supra. Epist. cxxxiii, p. 286. — ² Sacchin. ut supra. par. 3, lib. VI, p. 252. — ³ Resc. in Vita Illosii ut supra. —

⁴ Nicolaus Sander. de justific. cap. colloq. Altemburg. in prefat. circa finem.

eiusdem Praefatione adnotata reliquit : « Gae-
rum, ut illis satisfaciam, qui forte magis elabo-
rata a nobis in hoc de quo jam agimus argu-
mento expectassent, dicam nonnulla de hoc la-
bore meo; quem si mea sponte suscepisset, —
frustra hoc in toto execusatione aliqua usus es-
sem; cum potius oportuisset id dolum, quod
decerat, per temporis opportunitatem, supptere,
quam eurdefuisse præmature exponere. Scripsi
autem ista, non modo exul a patria, que omnia
mihi ab scribendum necessaria copiosius sup-
peditasset, verum etiam ab illa ipsa Bibliotheca
mea, quam in Germania inferiore, annis plus
minus decem, collegeram, magno locorum in-
tervallo disjunctus. Scripsi preterea maximam
parlem, non in urbe aliqua celebri, sed ruri
potius in arte Sublacensi, non ita longe ab eo
loco, quem sibi ad pœnitentiam agendam
sanctus Benedictus delegerat; ubi tantum abe-
rat, ut mihi adesset insignis aliqua librorum
copia, ut neque Bibliorum concordantias ibi
habuerim, quibus memoriam adjuvare possem.
Quod cum ita evenisset, necesse habebam to-
tum me Scripturis sacris committere, et ex ipsis
pene solis, Catholicam fidem, alioqui notissi-
mam et celeberrimam, contra Evangelicos tueri.
Nam, si quid ex Patribus, aut Historiis Ecclesiasti-
cis profero, id, aut memoria prius tenueram,
aut per eam occasionem, qua in librum ali-
quem incideram, qua potui ratione, transcripsi.
Cur igitur (inquiet aliquis forte vestrum,) hoc
tam grave et difficile argumentum in tanta penuria
librorum agressus es? Feci hoc, ex illustrissimi
cardinalis Hosii jussu, cui quantum debeam,
alias non semel palam aperteque sum testatus.
Is primum admonuit, ut Altemburgensis Collo-
quii Acta perlegerem; deinde rei summam, de
qua contendebatur, colligerem; ac demum,
ut præcipua capita, quæ a fidei veritate aber-
rassent, confutarem. Scripsi ergo tanti viri et
unici patroni mei auctoritate adductus, cum
aliter facere non possem. Ubi vero quod potui,
feceram, tametsi plerique, in quorum manus
hi labores mei pervenerunt, vehementer opta-
bant, ut quæ ex Scripturis hauseram, ea gravissi-
morum Patrum testimoniis, et perpetuo Ecclesi-
iarum usu ornarem et perpotirem; tamen eum
viderent id a me, sine librorum, et maxima copia
et assidua lectione fieri non posse; nec brevi
spes foret ad meam Bibliothecam pervenirendi,
et non desperarent posse hæc ipsa fructum ali-
quem apud eos parere, qui olim Scripturas a
suis partibus stare opinati essent; tot gravissi-
morum hominum judiciis eo sum pertractus, ut
hoc opus, quale jam est, in lucem exire permit-
terem. Quibus ita constitutis, reliquum est, ut
nemo jam dicat: hic oportuit Concilia OEcume-
nica citata fuisse: hic Basilium, hic Hierony-
mum, hic Augustinum. Nulla enim lex imposta
est necessitatis duro telo, cui solus dominatur

Deus, qui nulla necessitate constringi potest .

236. Prodiit autem Sanderi liber, ut ex ipsa Praefatione¹, ad alumnos Anglicanos Collegiorum Romani ac Duacensis conscripta apparet, anno dumtaxat reparata salutis millesimo quin-
gentesimo septuagesimo octavo, et quidem summo Catholicorum plausu exceptus: quare in admonitione ad ipsum præposita: «Magna (legitur,) et operosa de justificatione volumina passim habentur. Fateor; sed non Sanderi. Multa, eaque præclaræ, elaboravit Sanderus; sed non de justificatione, nec isto modo. Ecce ergo tibi damus, et Sanderum, et Sanderum de justificatione: virum magnum, de re tongue maxime hœc sænlo controversa disserentem, modo quodam singulari. Nam sive se tuetur, sive ferit adversarium, videtas ilium, non aliunde hastas amentatas depromere, quam ex armamentario divinarum litterarum, quas ea torquet dexteritate, ordine, multitudine, ut miretur Catholicus, percussatur hereticus. Unde vir doctrina, auctoritate, religione clarissimus Stanislaus Hosius S. R. E. cardinalis professus fuit, multa se de justificatione legisse; qui sibi tam cumulate eo in genere satisfecerit, quam ista Sanderi elucubratio, vidiisse neminem ». Ita ibi.

237. *Praæclara Hosii Epistola ad regem Poloniæ contra Augustanam Confessionem.* — At quamvis tam acriter exagitata, a dissidentibus inter se, ut audisti, hereticis hoc tempore Angustana Confessio esset; tamen, per dolum in Poloniæ regnum eam introducere impii nonnulli, una cum aliis nefandissimis sectis contendunt. Rei vero, exsententia conficiendæ, op-
portuna visa est occasio Comitiorum, quæ hoc anno Varsaviæ coacta sunt, quo universi regni Ordines convenere. In iis, ut Neugebaverus² narrat, primum cœptum agi, de disquirendis et in ordinem redigendis privilegiis, ac veteribus Reipublicæ monumentis, ex occasione causæ Gedanensium, de qua plura præteritis annis, et quæ eliam Lublini agitata fuerat. Deinde, ex aliquorum suggestione, tum Gedanenses, tum alios facile in ordinem redigendos, dictum est, dummodo Augustanae Confessionis professio, libere eis permitteretur; quod hæc unica ratione et populi in obsequio regis esse possent, et vere obsequentes populos rex habere valeret. Ita, (ut Scripturæ verbis utamur,) momordit serpens in silentio, publicæ concordie specie, Catholicæ religionis, in qua dumtaxat, cum vera fide ac charitate, pax etiam vera reperiri potest, existimatur. Verum, ut ipsa Scriptura loquitur, non dormire neque dormitavere, qui custodiebant Israel; nempe Pius et Hosius, qui ut rem hanc missari intellexit, vere sacerdotali libertate, has statim ad regem Sigismundum³ litteras dedit:

¹ Ibid. ut supra. — ² Nengebaver. lib. VIII. p. 628. —

³ Epist. Hosii 123, p. 272.

« Proprium semper hoc fuit regum et principum Christianorum officium, non sibi de causa fidei judicium arrogare, sed quae semel essent in Conciliis episcoporum. Oecumenicis praesertim, de fidei doctrina constituta, ea tueri atque defendere, nec ut quisquam de eis, non dicam judicare, verum etiam disputare, vel quicquam eorum, quae decreta essent, in dubium vocare auderet, utla ratione permittere; gravissimis etiam poenis propositis, si quid securus ab aliquo tentatum foret. Cum itaque ad instantiam imperatorum Caroli et Ferdinandi beatae memoriae, et omnium regum ac principum Catholicorum) inter quos etiam fuit divus ille parens Majestatis vestrae, cuius in fide Catholica constantia toto celebratur in orbe; quin, et ipsa majestas vestra, quae sicut haec tenus fecit, sic deinceps etiam pientissimi sui parentis vestigia superincedit) Concilium Tridenti fuerit indictum et celebrandum, ad quod ipsa quoque majestas vestra oratorem suum legaverat, virum, et nobilitatem generis, et doctrina, pietateque illustrem. R. D. Valentini Herborum, episcopum Premisiensem, qui decretis Concilii, nomine majestatis vestre subscripsit, et eis consensit. Cum etiam haec ipsa S. Concilii de creta, Pareoviae in frequenti senatu, per illustrissimum dominum cardinalem Commendonum, tunc legalum Apostolicum, majestati vestrae fuerint oblata, simul ut S. Sedis Apostolicae auctoritate fuerunt approbata; et ea majestas vestra, tanquam obsequens Ecclesiæ filius, magna cum reverentia receperit, quæso majestatem vestram, ut ipsa secum expendat, quale sit eorum consilium, qui novam quamdam ulti fiduciam obtrudunt, et eam judicio majestatis vestrae comprobari volunt; quin et illud audent postulare, ne quid episcoporum, sed hæreticorum judicio tribuat omnia. Qualem autem fiduciam offerunt? Eam certe, quam non solum Christiani, verum etiam ipsi rident Germani Lutherani, et eam vocant ocream Polonam, quemadmodum in libello Germanico, cuius verba in Comitiis Lublinensibus ipsa majestas vestra legit, perscriptum est. Itane jam defensus nobis erit e Symbolo Apostolico, quem in dies recitamus Artieulus ille: *Credo Sanctam Ecclesiam Catholicam*; et illius loco ponendum: *Credo in non sanctam, et fetidam ocream Polonam?* Mirum est autem, quod videri volunt isti belli homines approbari a se Confessionem, vel, ut verius dicam, Confusionem Augustanam: cum in ea disertis verbis haec scripta contineantur, secundum Evangelium, sive, ut loquuntur, de jure divino. Nulla jurisdictione competit episcopis, hoc est, quibus commissum ministerium verbi et Sacramentorum, nisi remittere peccata. Item cognoscere doctrinam, et doctrinam dissentientem ab Evangelio rejicere, et impios, quorum nota est impietas, excludere a com-

munione Ecclesiæ. Quin et qui suis Confessionem hanc scripsit digitis, et eam toties mutavit, atque ad extremum, sicut ex Christiano Lutheranus, sic ex Lutherano factus est postea Calvinianus in libello, quem hoc ipso argumento conscripsit Philippus Melancton; spiritus ministerium principibus admittit, sed externæ tantum disciplinæ conservandæ officium illis tribuit, in his, quae ad primam tabulam pertinent. Et ejus verbum isti qui novam fiduciam offerunt majestati vestrae, tanquam Dei Verbum adorant, ut gravissimi idolatriæ criminis argui merito possint. Calvinus etiam ipse negat Ecclesiam cogendi potestatem habere, sed eorum partes esse dicit legibus et edictis Religionem sustinere: judicandi vero partes illis admittit: et Ambrosii factum, qui numquam laicis ut de causis fidei judicarent permitti voluit, atque Theodosium imperatorem ex communione piorum ejecit, vehementer probat: Ambrosium laudat Calvinus, quod episcopali sua jurisdictione contra Theodosium imperatorem usus fuerit; et isti, qui Calvini discipuli videri volunt, negant ullam habere jurisdictionem episcopos, sed eam in ovili Christi per vim usurpare sibi dicunt. Sie isti, neque Calvinistæ, neque Lutheristæ, sed Suistæ sunt; hoc est, suæ cuiusdam opinionis et fidei, si modo fides appellari debeat, quod est extra unam fidem. Nam tale quid, perfidiam potius quam fidem appellari debere docet Hilarius. Nec enim isti Suistæ, quod Lutherò, vel Calvino, sed quod sibi ipsis videtur, hoc pro verbo Dei volunt adorari. Videntur autem isti Suistæ me perstringere in Praefatione sua: quod ego libellum majestati vestrae dicaverim, in quo dissensiones hæreticorum inter se descripserim; quod ego factum esse a me non diffiteor in primo libro contra Brentium. Sed obsecro, per Denum immortalem, videat majestas vestra, quanta sit vis veritatis, et quemadmodum etiam per hostium veritatis jugula nonnunquam erumpat. Semel et iterum Catholicum vocant, qui librum hunc majestati vestrae dicavit. Quid autem aliud ea re, quam impios hæreticos se esse profitentur? Cum itaque, vel propria ipsorum hæreticorum confessione Catholicus ille sit, quem ipsi perstringunt in Praefatione sua; quis erit, qui Catholicus et orthodoxus dei et esse cupit, qui non Catholicus potius, quam alienjus hæretici doctrinam sibi sequendam esse persuasum habeat? quando minus, quem Christianum, Catholicum et Orthodoxum regem esse scimus, ea de re dubitare debet? Quam autem impudens est hoc mendacium, quod consentire se, qui Calvini, sive Bezae perfidiam profitentur cum Lutheranis affirmant, cum invicem odio majori se prosecuantur Lutherani et Calviniani, quam ipsos etiam Christianos, quos illis Papistas libet appellare. Legat qui velit Germanorum Luthera-

norum libros, Flacei Illyrici, Nicolai Galli, Tili-manni Heslusi, Joachimi Westphalii, Jacobi Vigandi, Ciriaci Springerbergii, Matthaei Judicis, Joachimi Merlini, qui nunc episcopum se Regio-montanum profitetur, et aliorum multorum, qui nunc memorie non succurrunt, contra Calvinum, et Bezam, quem bestiam appellant, conscriptos; et quomodo conveniat inter Calvinianos, et Lutheranos facile perspicet: non aliter certe quam inter murem et gattum, inter ovem et lupum. Sed quid opus est haereticorum libros legere? cum illud in confesso sit, quod Merlinus Dantiscanos superintendentes et ministros, pro haereticis habet. Idem Dantiscani sentiunt de Merlino; quin et ipsi Dantiscani et Turonenses ministri, mutuo se vocant haereticos, nec aliam apud utrosque fere, preter hanc unam veritatem, reperire licet. Tenet procul-dubio memoria majestas vestra quid de Canvi-ciis Fratribus, viris nobilitate primariis, de Se-verino, de Auloco statuerit Merlinus: quemad-modum eos, non senatu modo moverit, sed ex ipsa etiam Borussia quosdam submoverit et ejecerit auctoritate sua, plusquam episcopali, propter hanc solam causam, quod impiam Cal-vini Bezaeque sectam profiterentur. Appellaverat Aulaeus ad majestatem vestram a Merlini sententia, et certe graves rationes produxerat, quamobrem neque tolerari sectam ipsius Calvinianam sive Bezanam oppoteret, atque Lutheranam, cum priores Lutherania Christianismo, quem haeretici Papismum vocant, defecerint, et ideo priores etiam ex Ecclesia exterminandi sint. Sed nullum ex appellatione sua fructum tulit; quinqua de re graves querimoniae fuerunt apud me, sub ipsum discessum meum ex diecesi mea; per majestatem vestram Merlini sententia confirmata diebatur, nullus ut Aulaco deinceps locus esset in illius ducis consilio. Quis autem satis mirari queat, cum semel ma-jestas vestra sententiam tulisse videtur in senatu, sive consilio subditi dueis non esse ferendos Calvinistas, sive Bezistas; quod qui sunt ejusdem impiae sectae, non contenti, quod in senatu majestatis vestrae tolerantur, audent insuper a Christiano Catholico, et orthodoxo rege postulare, ut impiam eorum doctrinam approbet, Christianam rejiciat, et qui nihilo sunt Calvinistis deteriores, Trideistas ex terris imperio vestræ majestatis subjectisejciat. Audeo dicere, pejores, et minus ferendos esse Calvinistas et Bezistas, quam ipsos etiam Trideistas. Nam præterquamquod non ignorat majestas vestra, quales erga reginam suam in Scotia se Cal-vinistæ gesserint, quos motus concitaverint, quantis infortuniis illa regna mactaverint, Tri-deistæ, quod peccant, simplicitate quadam pec-care videntur; nam docti a Lutheranis, nihil recipiendum esse præter Scripturas, quod etiam affirmant in Præfatione sua Suistæ; cum

non viderent Scripturis nomen Trinitatis, nomen Personæ, nomen Essentia de Deo dictum, no-men Homousii, Deum Trinum et Unum, quem in fine Praefationis contineatur Suistæ, Lutheri sententiam sunt amplexi: nec sibi quidquam credendum esse putaverunt, quod Scripturis comprehensum non esset. At quid potest esse Scripturis istis aperius? Accepto pane, duxit Jesus: hoc est corpus meum. Accepto calice dixit: hic est sanguis meus. Potuitne clarioribus verbis veritas Christi corporis et sanguinis in Eucharistia demonstrari? Et huic tamen im-piï Calvinista repugnare non dubitant. Non du-bitant mendacii veritatem arguere, non dubitant a majestate vestra petere, ut hoc etiam impium dogma confirmet. Quod ipsam, quæ pietas illius est et religio! nunquam esse facturam certe scio. Nec enim clam est majestatem vestram, quæ regum, quæ vero sunt sacerdotum propria. Nec illud nescit, quam graves penas deridit Saul rex, cum sibi sacerdotis minus usur-passet. Core, Dathan et Abiron, nunquam tantas blasphemias quales illi bellum homunculi novæ fidiculae conditores protulisse leguntur; quin eundem cum sacerdote Aaron et Moyse Deum noverant, parilege et religione viventes unum et verum Deum, qui colendus atque invocandus fuerat invocabant; ob hoc tamen solum, quod sibi quæ propria sunt sacerdotum usurpabant, statim disrupta est terra sub pedibus eorum, et aperiens os suum devoravit illos cum tabernaculo suis, et universa substantia eorum, descendenteruntque vivi in infernum operati homo. Ora quoque, rex, ut nihil dicam de Oza, quem Suistæ quoque silentio prætereunt, cum aream, quæ minari rui-nam visa est, sustentasset, quam nemini tangere, præter sacerdotes fas erat; repentina morte statim ob solam hanc rem est extinctus. Horum igitur exemplis, qualia plura commemo-rare possem, nisi vererer, ne quod majestati vestrae fastidium adferrem, facile majestas vestra deterrebitur, ne consiliis istorum novæ fidiculae conditorum, qui nomina sua non adscripserunt, loci quidquam det. Inspecti libellum, quod obtrudunt majestati vestrae. Vidi quod in eo Theodori Beza doctrina continetur: nam eodem argumento scriptum Beza libellum lati-num legeram in castro Ecclesie meæ Varmien-sis Heliopergensi. Non frustra majestatem vestram admonneram ante biennium, ut quos ille bipedum et quadrupedum omnium nequissimos hue miserat Synagogistas, eos, si gravioribus suppliciis afficiendos non putaret, saltem ex regni sui finibus excedere primo quoque tem-pore juberet: quod facile suspicabar, tale quid eos parturire, quale nunc etiam peperisse vide-mus. Ut autem sciat majestas vestra, quis vir sit iste Beza, scribitur a viris fide dignis, quod omni vitam suam in Istris, et ganeis, et in omni libidinis genere traduxit. Ac indicat hoc

Epigrammatum liber per eum editus, in quo Catullos, Tibullos et Martiales, lascivia petulantiaque sua, si non superare, saltem æquare videtur. Qui cum in conventu Possiaco, tam distare Christi corpus ab Eucharistia, quam cœlum a terra publice dixisset, lepide ex sodalibus ejus quidam : Quomodo credat, inquit, esse Corpus Christi in Eucharistia, qui vix Deum in cœlo esse credit? Hic est ille Beza, qui ducem illum fortissimum Guisium, prælia Domini præliantem in Gallis, cum atia ratione vinci non posse videret, submisso sicario, non magis nomine quam re ipsa Poltrono, per summum scelus proditorie confodiendum curavit. Nec satis habuit hoc tam atrox facinus patrasse; verum etiam, edito tibello, parricidium hoe defendere, laudare, tituloque pietatis ornare virtus non est. Quidam, et insidiatoris illius tam horrendum flagitium, cum facto Moysis qui Egyptium, et Davidis qui Goliath interfecit, comparare : et cum, quod meruerat, supplicium de scelerato sicario sumptum fuisse, Poltronum inter martyres referre non dubitavit. Potestne vel cogitari scelus aliquod atrocius? At ille minime contentus fuit tam immane factum parricidæ landasse; verum alios etiam ad imitandum illud ejus exemplo accedit : ac fas esse docuit, fallere fidem, heris insidiari, et eos quoquomodo tollere, juxta illud ;

Dolus, au Virtus, quis in hoste requirat?

Sed quid ego plura scribam de Beza hoc, quo nihil umquam terra produxit scelestius? Hic enim est fax incendiorum omnium, fonsque caputque malorum omnium, quibus florentissimum quondam Galliae regnum, tot jam annos est afflictum : qui propterea misit huc Synagogistas suos, ut eodem dejicerent hujus quoque majestatis vestrae statum, et in easdem illud calamitates adducerent. Quod si maxime pius et orthodoxus esset libellus, qui scriptus ab eo, vestræque majestati, nescio per quos, est oblatus; tamen vel propter hanc solam causam, quod ab homine tot flagitiis infami scriptus est, eum ut rejoiceat majestati vestrae suadere non dubitarem. Nunc tauto magis id facere debet, quod nihil eo magis impium et blasphemum legisse umquam videor. Sed ego longior esse nolo, neque pluribus etiam verbis hortabor, et orabo majestatem vestram, ut ne pestilentibus hisce quorundam consiliis apud se locum esse velit : ne de constantia illius in vera religione dubitare videar. Hoc tantum ab illa maiorem in modum peto, quandoquidem ita scriptus est hic libellus, ut rudium animos facile possit inficere, nec eo pestilentius quicquam esse potest, ut ne publice prostet, prohibere velit. Sic enim orbi facile declarabit universo, quod ab hoc genere blasphemiae vehementer abhorreat, et eorum spem debilitabit, qui sibi nescio quid pro-

mittunt de majestate vestra, quasi permisura sit, ut in Ocream Polonam credant. Quantam autem ea res apud homines laudem et gloriam; apud Deum vero gratiam esset majestati vestrae conciliatura, si publice profiteretur in comitiis, nihil esse, quod quisquam speraret, novam aliquam fidiculam a majestate vestra obtineri posse; se in his, quæ Patrum sunt acquiescere, nec ab his unquam discedere velle. Si præterea dignitates, præfecturas et munera publica, non aliis quam Catholicis mandaret. Nam, ut illi Deus mentem inspiret, simul, ut eam quam longissimo tempore salvam et incolumem conservet, et comitiorum felicem exitum tribuat, majestatem illius divinam precari non intermitto. Romæ xiii Maii MDCCLXX».

238. *Sandomiriense colloquium, in quo hæretici frustra querunt inter se concordiam.* — Ex hac autem Hosii Epistola appetet, quod licet præcipuum quorundam studium eo tenderet, ut Augustana Confessio reciperetur, ac a rege in comitiis comprobaretur; tamen, eadem occasione arrepta, cæterarum sectarum ministros singulos singulas suas hæreses confirmari pariter curasse. Quia vero experimento didicerant, ut alibi diximus, omnes eorum conatus, usque adhuc irritos evasisse, propter mutnas inter se concertationes, quibus secta una alteram deturbare connixa fuerat, unde earum neutra incassum obtinere, quod concupierat, curaverat; ideo, ne quid simile in Varsaviensibus hisce comitiis etiam accideret, oleumque ac operam, ut antea, perderent, hoc ipso anno, priusquam comitia cogerentur, die decima quarta Aprilis, agente (ut narrat Hosius¹), regni quodam priuate, quem hujus conciliabuli auctorem dicit, cum convenissent Sandomiriæ, unionem quamdam ac pacificationem inter se iniere. Regni vero Constitutionibus cautum fuisse, ne ejusmodi conventicula cogerentur, idem Hosius² his verbis asserit : « Quis fuerit auctor hujus mendacii, obscurum non est; nimur is, quo due fuit conventiculum illud Sandomiriæ institutum; cum tamen regni constitutionibus ejusmodi conventicula fieri sit prohibitum, quorum executio, eum nullum habeat apud nos adversus hæreticos locum; qui supremus est bonarum omnium legum executor, debitas de eo Deus pœnas sumpsit. » In hae autem inter hæreticos concordia nullatenus comprehensos fuisse Trideistas et Antitrinitarios, quos infensissimo odio utrique, nempe Calvinistæ et Lutherani persecabantur, et ex ipsa Epistola Hosii educitur, et manifeste testatur Regenvolscius³ hæreticus, qui de hoc hæreticorum conciliabulo agens, sic seribit :

« Quare, ut tam funestis in Ecclesia distrae-

¹ Hosii Epist. cxxxiv. p. 288. — ² Hosii Epist. cxxxiv, ut sup. — ³ Regenvol. Hist. Eccl. Slavonicæ Provinc. libro I, p. 88.

tionibus, et scandalis Evangelici in Polonia occurrerent, consensum in fide et religione Christiana, inter Ecclesias majoris et minoris Poloniae, neenon Lithuaniae, juxta Confessionem Augustanam, Bohemicam et Helveticam, in Synodo generali Sandomiriensi anno MDLXX. xiv Aprilis, sanciverunt, et deinceps in aliquot Synodis Generalibus etc. » et inferius : « Pro eo consensu firmando ibidem in hae Synodo generali Sandomiriensi, Confessio tertia Helvetica sive Tigurina, lingua Polonica explicatius conscripta fuit x Aprilis. Hinc Sandomiriensis dicta, Confessionibus Augustanae et Boemicae conformis etc. » Et paulo post : « Itaque hunc respiendi consensum, Evangelici reformati, ita ab Augustanis Ecclesiarum in Polonia et Lithuania distincti, quemadmodum olim Sandomiriae, ita postea in Generali Confessione doctrinae sue proposita anno MDCLXV. i Septembris in Conventu Turonensi professi sunt, se ei sententiae accedere, quæ tum in Augustana Confessione superioris saeculi anno trigesimo imperatori Carolo V a principibus et civitatibus imperii Protestantibus exhibita; sive etiam invariata, sive repetitam aut emendatam dixeris; tum etiam in Boemica et Sandomiriensi auctoritate Scripturarum explicata in Ecclesiis hujus regni reformatis, integrum jam fere saeculum obtinuit, prout tres illæ Confessiones, quamvis verbis nonnihil discepantes, tamen re ipsa cum Scripturis et inter se mutuo quoad capita fidei necessari consentientes, Sandomiriensi consensu, anno MDLXX in Ecclesiis receptæ unitæque sunt, atque etiam confederatione pacis, et securitate publica in hoc regno firmatae ac munitæ; adeo ut eam Confessionem Sandomiriensem Augustanae consensu amico conformem, sequantur unanimiter in hunc usque diem Germani, Galli, Angli, Scotti, Britanni, Bohemi, Hungari ».

Addit vero¹, de Antritinitariis in hac cæterorum haereticorum concordia minime comprehensis : « Ita, singulari Dei gratia, vinculo fraterne charitatis, et fidei mutuo consensu, in Sandomiriensi Synodo anni MDLXX, constricta Evangelicorum Ecclesia erat, schismate Antitrinitariorum, de die in diem majoribus distracto contrariarum opinionum pugnis ».

239. Thuanus² pariter, de inita in Sandomiriensi conciliabulo, inter haereticos concordia, eadem fere, qua Regenvolscius scripsit, his verbis confirmat : « Exorta inter Protestantes, in Lithuania et Samogitia contentio, quæ cum aliis Germanicani, alii Helveticam Confessionem sequentes, aliter atque aliter de mediatore Christo ac Cœna Dominicæ sentirent ac loquerentur. Synodo Sandomiriensi, coacto xiv Aprilis, dirempta est, theologis, in id, quod primum caput respiciebat, consentientibus, ut meritis

Christi vis et efficacia a Christo Deo et homine, a Patre non homine, a Spiritu Sancto non homine procedat. De altero capite, sic decreverunt : Cœnam Dominicam duabus rebus, juxta B. Irenæi sententiam, constare : terrena ac celesti, neque elementa signave illa nuda esse et vacua ; sed simul reipsa credentibus exhibere ac representare fide, quod significent. Addit hujusmodi decreto, in Posnaniensi altero conciliabulo prædictarum sectarum professores, post octiduum se subscrississe : quod hoc eodem anno, sub die vigesima Maii, ut Regenvolscius præfatus narrat, pseudosynodus aliam ipsi sectarii Posnaniae coegerint.

240. At quamvis, tum Thuanus, tum Regenvolscius, tam magnifice de hujusmodi concordia tamque serio agant, referantque haereticos in id quod primum caput respiciebat, inter se consensisse; vel, ut verbis Regenvolscii³ utamur : « Quamvis verbis nonnihil discepantes, tamen re ipsa cum Scripturis, et inter se mutuo, quoad capita fidei necessaria convenerint » : tamen, et cardinalis Hosius, Epistol. t24, ut inferius audies, ad archiepiscopum Gnesensem, et Catholici alii, concordiam hanc, quam falso scriptores haeretici, sic jaetant, cum ab ea tamen haeretici ipsi, et fere omnes abhoruerint, vel decepti tantummodo eidem subscriperint, ut ex præfate Hosio mox accipies.) merito irriserunt : inter quos Rescius⁴ ista habet : « Consensus mutuus ; sic enim inscripserunt, in religionis Christianæ capitibus, inter Ecclesias Majoris et Minoris Poloniae, Lithuaniae, Russiae et Samogitia, que juxta Confessionem Augustanam fratrum Valdensium, ut vocant, et Confessionem Belveticam, aliquo modo a se dissentire videbantur. factus in Synodo Sandomiriensi MDLXX. xiv Aprilis. Libet isto loco nonnullos articulos producere, ut ostendamus, ex iis, quæ deinceps consecuta sunt, et quæ quotidie oculis nostris subjecta habemus, unitatem extra Ecclesiam quæri posse, inveniri non posse. Ab ipsis certe minime omnium inventam et servatam ostendemus. Jubent ut ministri prædictarum Ecclesiarum, cum conciones, tum Sacraenta administrent et dispensent, ea forma et ritu eodem, quo usitatus est iisdem in illorum cœtibus, cuius fuerint Confessiones. O cœtitatem plusquam talparum ! An hic esse, vel unum gramum concordie potest, si sua quisque forma et ritu, conciones habebit et Sacraenta ministrabit ? Nonne quot sunt Confessiones, tot habent ritus inter se diversos ? jubent etiam, ut quoties minister cœtus alterum cœtum convenerit, cujuscumque sit Confessio, debet eodem ritu fungi ministerio, ut est ejus cœtus consuetudo. Et an necit, o Legiupæ, quod Lutherani Calvinistas, Calvinistæ

¹ Ibid. ut sup. — ² Thuan. lib. XLVI, p. 63.

³ Idem supra pag. 89. — ⁴ Resc. Evangelie, convente, p. 132.

Trideistas, et Anabaptistas anathema maranatha reputant; et e contra? Quomodo poterit Augustanus aliquis, aut quicumque tandem Lutheranus minister, aut quomodo sciet Calvinistica, aut Anabaptistica sacra, vel Tygurina, vel Genervensia ministrare, aut e contra? o si legissetis Osiandri et Papii de his ritibus contentiones; aut Bezae cum Jacobo Andrea, plusquam caninos et viperinos morsus! Jubent præterea, ut ministrum catechistam, auditoresque partis vel cœtus unius, pars altera nulla vel ratione vel occasione abstrahat. Cur itaque tam acerbe pro concione? Cur in omnibus libris tam acriter cœtus cœtum mordet et lacerat, nisi ut ab illo auditores ad suum cœtum pertrahat? Cur Anglia Jezabel pœnas decernit in eos, qui ad Puritanorum cohortem e Calvinistico cœtu accesserint? Cur equites nostri subditos suos muleta afficiunt, si ad alium, quam ad suum cœtum miser colonus aheat? Jubent adhuc, ne quisquam Ecclesiasticas Confessiones alterius in omnibus et doctrinae et rituum punctis damnare, vel verbis vel scriptis ullis perstringere audeat. Cur Budneus Atheista damnat, et perstringit Czechovicium Anabaptistam? Cur Volanus Zuinglista, Budneum Atheistam? Cur Socius Deista Crae. Danielem Calvinistam? » Et post nonnulla: « Divisi et dissentientes venerunt; divisi et dissentientes abierunt, et permanerunt, et permanebunt in sempilernum, donec ad Ecclesiam revertantur, aut certe ad infidelitatis scopolos allidantur. » Sic Rescius, qui de his fusius agit, occasione alterius pseudosynodi Craeviensis anno MDLXXIII coactæ, ut suo loco videbitur. Primatis vero illius, ejus opera, ut diximus, conciliabulum Sandomiriense coactum fuit potissimo studio, sectarios hanc concordiam jactasse, ac in immensum extulisse; scribit ad regem Sigismundum, his verbis Hosius¹: « Nam quod is, qui conseripsit Confessionem istam gloriatur, omnes qui Sandomiriam convenerant, variarum sectarum homines, in eam consensisse. falsissimum id esse constat: quod non obscurum esse M. V. persuasi habeo. Sed nec novum est, nec innitatum istis præconibus nescio ejus novi Evangelii, mendacia pro veris asserere. Quis fuerit auctor hujus mendacii, obscurum non est, nimurum is. quo duce fuit conventiculum illud Sandomiriae institutum. » Sic ille.

241. *Fortiter obsistit Hosius hæreticorum conatibus.* — Verum, sicut sectariis vanum fuit hujusmodi excogitatae concordiae in pseudosynodo Sandomiriensi commentum effluxisse: sic ictius species, qua omnes simul sectæ, errorum eluvie totum Poloniæ regnum inficere meditabantur, in Varsaviensibus comitiis, fraude cognita, nec regem, nec orthodoxos cœleros

proceres decipere valuit. Rem diserte ac fideliter narrat cardinalis Hosius¹ in Epistola ad Joannem Syrakouuski palatinum Lenciniensem, Catholicæ fidei acerrimum propugnatorem in iisdem comitiis, hoc pacto:

« Etsi longius absum a patria, status tamen illius miserabilis, non minorem animo meo perturbationem affert, quam si præsens adessem; sic enim animo prospicere videor celeriore illius, opinione multorum, interitum, sicut ea quæ cernuntur oculis. Quæ potest enim expeditior ad interitum esse via, quam si Christus negetur, qui solus in hoc tanto rerum discrimine servare nos potest? Atqui spargitur hic nihil aliud in proximis superioribus comitiis actum fuisse majore contentione, quam ut negare Christum, utque ab illius corpore mystico, pro quo verum ille suum et vivum corpus in mortem tradidit, disjungere licet. Christus enim, non solum caput, verum et corpus est, et est unus Christus in corpore suo. Quisquis igitur ab illius corpore mystico separationem querit, nec amplius, quod in Symbolo nobis præscriptum est, Sanctam Ecclesiam Catholicaam credere vult: is non minus Christum negat, quam si Verbum carnem factum esse negaret. Hoc nihilominus ausi sunt importuni quidam homines, in proximis superioribus comitiis a regia majestate tanta contentione petere, vel extorquere potius; ut majore contentione nunquam res acta fuisse dicatur. Quæ res, ut initio scripsi, ingentem animo meo cruciatum attulit, cum præsertim, et hoc isti dicerent regiæ majestati, quod mihi tamen verisimile non sit, non omnino quod peterent concedere voluisse. Sed est haec singularis, et numquam prædicanda sati Dei bonitas et misericordia, quod cum in summum periculum adducta res fuisset, ostendit illi, quod sibi reliquerit adhuc septem milia, qui non curvarunt genua ante Baal, vel Islebien, vel Geneven. Proruperunt enim statim generosi Christi milites, et pro domo Dei murum se opposuerunt. Viri non solum illustri loco nati, verum, et ingenio, et judicio, et eloquentia, et prudentia præstantes, et ex celso quodam animo prædicti; qui tanto zelo fuisse dicuntur in tuenda et defendenda contra Bezanam perfidiam fide Christiana, ut eorum etiam zelum, ad quos magis proprie munus id pertinebat, superare videretur. Qui statim impiorum hæreticorum furorem represserunt, et ne qua fieret ad hoc discessio, prohibuerunt. Inter eos non postrema laus dominat. ves. tribuitur, quæ cum quibusdam aliis, quos consiliorum suorum socios habuit, nihil curæ, diligentia, laboris prætermisit in conservanda fide Christiana; de qua prorsus abolenda, et in ejus locum Augustana perfidia substituenda, tantopere fuit a Mama-

¹ Epist. 129, p. 282.

¹ Epist. 129, p. 282.

Incessis laboratum. Vere dictum est ab illo S. Pater : quod fides non est nisi una; et quidquid est præler unam fidem, non fides, sed perfidia est. Perfidiā itaque, non fidem permitti sibi postularunt, quotquot, relicta Confessione Christiana, nescio quam Confessionem Augustanam, concedi sibi contendebant. Miror autem, quæ sit frons istorum hominum, qui Confessionis Augustanae nomen, ei perfidiæ tribuerunt, quam qui sunt illius Confessionis maxime detestantur, et in eam, qui fuerunt in Sandomiriensi conventiculo se convenisse jaetant, cum ab ea plurimos dissensisse constet. Si qui vero consenserunt, in eam prius approbarunt quam viderunt, et in quam perfidiā consenserint ipsi nesciunt. Quamvis aulem æque perfida sit Augustana Confessio, sicut alia quæcumque, tamen et illud palam est omnibus, quod qui Confessionis Augustanae videri volunt, Calvinistas sive Bezistas oderont, cane pejus et angue, nec unquam eos dignos censuerunt, cum quibus colloquium sive collationem ullam haberent, quod esse manifestos hæreticos dicerent, non stylo, sive disputatione, sed sceptro magistratus refutandos. Itaque nunquam suis congressibus dignali sunt; atque adeo in his civitatibus, ubi purum Lutheri verbum, pro puro verbo Dei venditator, quicunque sunt ejus sectæ, receperunt eis dari prohibetur.

» Interim nostri isti præclari viri, confussionis Augustanae pallio, non solum Sacramentarios, verum et Waldenses tegi volunt; cum nihil sit apud Lutheranos, qui suam propriam hanc esse confusionem volunt, ultraque secta detestabilius et magis abominandum.

« Hæc ego, non propterea scribo, quod Augustanam confussionem cæteris antepondam esse, nec perinde fugiendam, ut alias censem. Nam apud me Lutheristæ, Calvinistæ, Anabaptistæ, eodem sunt omnes numero, cum una sit et eadem omnium perfidia. Quamvis enim posteriores ii sint longius progressi, tamen æque sunt, ut primi, in suis erroribus submersi. Parum autem referre puto, num in littore maris, an in mediis illius fluctibus mergatur aliquis. Sed eorum impudentiam ferre non possum, qui se jaetant esse confussionis Augustanae, cum per quos ea condita fuit, ab iis non recipiantur, quin hostes Evangelii pronuntientur. Jam, quod ad ipsam attinet confussionem Augustanam, nec inter ipsos Lutheranos de ea satis convenit. Nam, quæ fuit oblata Cæsari ante annos xl., eam Philippus et qui sunt ejus partium Adiaphoristæ, Synergistæ, quod Manichæi sapiat hæresim, non admittunt, cum tamen Lutherus eam aperte professus fuerit. Flaccianî contra, qui soli nunc restant germani Lutheri discipuli, quique verbum illius, non alio loco, quam quo Dei verbum

haberi volunt, nec addi quidquam illi vel minni permittunt; eam quam Philippus postea corrèxit, vel ut illi loquuntur, corrupti, prorsus rejiciunt, suoque præceptorí Philippo falsi crimen objiciunt, quem etiam diris aliquando devoverunt, et cum ipsum, tum omnes, qui sectantur doctrinam illius, e communione sua ejecerunt. Legi proximis superioribus diebus grandem quemdam librum, non sine magno fastidio, qui Colloquium Altemburgense inserbitur, in quo de corruptelis Augustanae Confussionis longa fuit per menses aliquot inter Electorales et Saxonicos theologos, altero ab hinc anno, disceplatio. Bone Deus ! quibus mutuis se homines illi conviciis insectantur; quantis inter eos odiis certatur, magis ut erga se invicem, quam erga Christianos, quos Papistas vocant, infestis animis esse videantur. Inter alia queruntur Electorales, quod eos ad cœtum suum vel ad conciones admittere Saxonici theologi noluerunt. Idem queruntur Saxonici de Electoralibus, quod cum Dresdam venissent, sumptis alis, in altum sese effarentes, excommunicationem contra se protulerint, seque nullam habituros deinceps cum illis societatem, denuntiarint. Sic illi mulno se invicem a cœtu fidelium ejiciunt, et hæreticos pronuntiant. Cur aulem utrisque non credamus, quod sint hæretici et excommunicati ? Vix ulla est veritas in scriptis eorum, quæ mihi certior esse videatur, quam una, et cui minus gravatim assentiar. Hæc ego propterea dominat, vest. scribenda putavi, ut intelligeret quæ sit eorum absurdâ postulatione, qui de confusione Augustana tantopere laborant, cum ea, non solum a Christianis, verum, et quidem utriusque parlis, tam Flaccianis quam Philippianis vel Eberianis, prorsus rejecta jam sit et explosa. Mili quidem haec non magna fuit cum dominat, vest. consuetudo : sed cum allatum esset ad nos, quanta contentione Christi causam, contra Mainalucos, in proximis superioribus comitiis defenderit ; qua prudentia, qua eloquentia, quo animi robore conatibus hæreticorum impiis obsterit, ut cum vita sanguinem etiam suum se prius profundere paratum ostenderet, quam ab eo, per quem vocati sumus in gratiam, in aliud Evangelium, quod enjusvis esse potius, quam Christij certo constat, translationem fieri permetteret ; ineredibili quodam illius amore exarsi, atque hunc illius animum, tam fortem in tuenda fide Christiana, sum exosculatus, neque tenere me potui, quandoquidem eoram non licet, quin illi saltem per litteras gratularer ; simul Deum precarer, ut confirmet hoc, quod operatus est in illa, sueque gratia dona magis in dies atque magis augeat etc. xiv Octobris ».

242. Ejusdem fere argumenti ipsius Ilosii

Epistolam alteram,¹ datam etiam reperimus ad Andream Opolenski, Polonie regni marescallum: qua illi in fide Christiana constantiam, invictumque ipsius animi robur, in haereticorum conatibus propulsandis, in Varsaviensibus comitiis gratulatur: inter alia dicens:

« Dominationi vestræ præcipua laus tribuitur, quæ prudenter et fortiter haereticorum impia consilia propulsasse, et eorum conatus refutasse prædicatur. Quo nomine quin illi gratularer, quamvis longius absim, non potui metamen continere: nam hue etiam perlata sunt voces illæ, quibus Ecclesia Dei, et quam a majoribus nostris, per manus nolis traditam accepimus, sanam fidei doctrinam adversus fidei Christianæ hostes defendere conata est etc. ».

243. Scribens² quoque ad Zbaski, qui nuper ab haeresum tenebris ad Catholicæ veritatis lumen redierat, hortansque, ut sicut plures, dum errorum laqueis irretitus esset, in perfidiae barathrum trahere curaverat; sic modo, ad veram fidem, eos, qui ab ea aberrassent, revocare contenderet; exemplo ad id provocat nonnullorum, qui in præfatis Varsaviensibus comitiis, pro vera religione tuenda se strenue gesserant, eoruinque nomina recitat, dicens: « Quam autem cuperem, ut quemadmodum auctor nonnullis fuisse diceris, cum alibi, tum Bononiae præsertim, ut in errores prolaberentur; sic nunc auctor essem multis, qui sunt serpentis astutia decepti, ut relictis erroribus, in viam veritatis redirent. Hoc esset plenè pro peccato tuo satisfacere, eni nullum posset a te, quam hoc offerri sacrificium, gratius. Fecerunt hoc in proximis superioribus comitiis viri clarissimi et semipiterna memoria digni, palatinus Siradiensis, palatinus Lenicoensis, castellani vero Przemeten., et Lauden., et Judex Calicien., quorum nomina, prœcul dubio scripta sunt in Cœlis, nec de eorum laudibus nulla unquam actas conticescet. Fuerunt autem, et hi serpentis astutia, quemadmodum et tu, aliquando seducti: et exederunt a simplicitate, quæ est in Christo, cum alium quemdam prædicari Christum audivissent, quam qui fuerat ab Apostolis et eorum successoribus in Ecclesia Dei prædicatus: et eujus Evangelium jam inde a sexcentis et amplius annis in Polonia receptum est. Quam autem egregie suum errorem in proximis comitiis texerunt, cum se pro domo Dei murum opposuerunt contra hostes Evangelii, ac nullum se discriberent effugere velle demonstrarunt, dum fidem Christianam, contra perfidianam Calviniam sive Bezanam tueri et defendere possent. Evidem non dubito quin hac sua tanta pietate, quod ignorantes antea peccaverunt, pro eo plene Deo satisfecerint.

¹ Hosii Epist. 130, p. 283. — ² Epist. 131, p. 284.

Nam tam ardenti zelo fuisse dicuntur in propagando Christi Evangelio, ut si verum est quod hic narratur, etiam eos ad quod magis proprium id munus pertinet, superare viderentur». Quibus extremis verbis, vel regis, vel Ecclesiasticorum aliquorum, in præfatis comitiis, in tuenda fide segnitiem innuere voluisse censer potest. Commendasse nihilominus plurimum, inter episcopos, qui digne in his comitiis munere suo functi sunt, Valentium Herbortum D. Presmiliensem episcopum, et Jacobum Uchanskii archiepiscopum Gnesensem, ex scripta ad hunc Epistola¹ appetat: nam inter caetera dicit: « Illud clam esse nolo D. V., quod accepi litteras ex patria, quibus mihi significatur, quod sub finem comitiorum, in tuenda religione, nemo se magis virum præstiterit et murum pro domo Dei opposuerit, quam D. V. cum Valentino Herborto D. Presmiliensi episcopo, quo nomine plurimum illi gratulor etc.» Sie ibi.

244. Cæterum quam atrox fuerit in comitiis ipsis concertatio Catholicos inter atque haereticos, unde qui istorum conatibus obstatere, præconio tanti viri digni habitu fuerint, colligere est ex altera ejusdem Epistola² ad Andream Opolenski Polonie marescallum, cuius paulo ante meminimus: « Laboratum autem esse, (inquit) tanta contentione fertur, ut res a tumultu minimum abesse videretur». Verum Deo bene disponente, dum aerius confligeretur, concidit Goliath ille, qui incircumcisorum agminibus præibat: quo plurimum illorum viribus detractum est, ut ipsemet ad eundem scribens his verbis subjungit: « Sed est, quod Patri misericordiarum et Deo totius consolationis agamus gratias, qui quamvis juste peccatis nostris irascitur, quæ tamen est illius paterna elementia, non est visum adhuc, ut in ira sua contineret misericordias suas. Primum e medio sustulit acerrimum perfidiae Bezanæ propugnatorem, quo submoto, permultum haereticorum viribus est detractum; deinde Spiritu suo sancto sic mentes quorundam regni senatorum inflammat, ut se pro Dei domo murum opponerent etc ». Et in altera³ ad Melchiorem Billum Apostolicum apud Cœsarem nuntium, de apostata agens, divina ultiōne e vivis Viennæ, ut diximus, sublato: « Idem factum est (inquit) in comitiis, quæ nuper a serenissimo rege meo sunt habita Varsaviae. Nam cum impius quidam, qui præpodium primas regni fuit, summa contentione laboraret, ut Christiana fides rejiceretur, et in ejus locum Augustana perfidia recipereatur: quæ tamen cothurnus quidam erat, utrique pedi aptus, nam et Zuwingliana enim illa

¹ Hosii Epist. 124, p. 276. — ² Epist. Hosii 130, p. 280. —

³ Epist. 139, p. 286.

conjuncta fuit : ecce in medio cursu, sublatus est e vivis impius ille, contritus est, et nos per Dei gratiam liberati sumus .

245. *Reprehendit Hosius regem Poloniarum, quod permisit religionis negotium ad alia comitia rejici, et docet iniri non posse concordium Catholicos inter et haereticos.* — Importunis nihilominus ac seditionis sectariorum petitionibus, in his eomitiis, tum rex, tum respublica aliquo modo acquievisse visi sunt, cum religionis negotium, de quo ulterius disputationem instituendam non esse merito decernendum erat, ad alia comitia rejectum est; imo cum de eo decreatum, obscuris ambagibus involutum, conscriptum fuerit: de quo ista ad regem ipsum Hosius¹: « Vidi litteras recessus comitiorum, quae nuper habita sunt Versaviæ. Fatebor autem, quod res est; quod verba quidem intellexi, sed quis sensus eorum sit, assequi nondum potui, nam ita scripta sunt, ut non fere quiequam explicetur, sed ænigmata quedam sphyngis esse videantur, ut in quam partem accipi debeas, nescias. » Sic ille, qui id iniurissime ferens, has ad Jacobum Uehanskium archiepiscopum Gnesnensem Epistolas² dedisse reperimus : in quibus, quæ ex hoc, tam regi, quam regno plurima oboritura essent incommoda, præ oculis ponit :

« De turbis, que fuerunt in proximis superioribus comitiis concitatae, varie narratum est. Verum. Deo sit gratia, quod talis qualis tandem finis illis est impositus, etiam si nullus finis impositus videatur; verum tanum tempus prorogatum, ut haeretici possent instructiores ad futura comitia venire, ad suam perfidiam tuendam. Quæ res autem alia turbis istis causam dedit, præterquam illa pollicitatio, quod in fuluris comitiis, quandoquidem jam est profecta illa benedicta unio, quæ nobis majorem disunionem peperit, (agit de proposita ab haereticis unione,) de constituenda religione tractandum esset; quasi pridem ea non sit constituta, aut quasi per sexcentos istos et amplius annos, non fuerimus haecenus Christiani, sed nunc demum a nescio quibus, novam quamdam fidem Christianam, quæ diabolica perfidia rectius diei potest, discere debeamus; cum certum sit fidem, si non una sit, perfidiam dici potius quam fidem oportere. Una autem erit, si eadem cum illa fuerit, quam a patribus nostris, avis, proavis et atavis per manus accepimus. Mihi quidem absurdum nimis hæc pollicitatio visa est. Itaque Lubavæcum essem anno superiori, nam ibi primum ea de re certior factus fui, Romanam proficisciens, majestati regiae scripseram : quod ejusmodi pollicitatio, magnos esset motus in regno majestatis illius concilalura; scilicet, si in comitiis de religione tractari debet, aut de

alia nobis suscipienda religione deliberandum est, quæ diversa sit ab ea, quam a sexcentis et amplius annis, in Polonia receptam esse sciimus et approbatam. Nunc manet eadem pollicitatio; res in alia comitia rejecta est. Quid autem aliud in his nobis quam graviores etiam motus sunt expectandi? Quorsum autem ambages haec? Cum non clara voce pronuntianus nos Christianos esse? Christum in Bethleem natum profiteri, nihil nobis cum Islebiensi, vel cum Genevensi, vel Valdensi, vel cum quoquecumque alio Antichristo commune esse: frustra a nobis aliam quam Christianam fidem expectari? Christianam autem cum dicimus, eam dicimus, quam parentes, avi, proavi, atavi et abavi nostri, et quotquot illos antecesserunt, jam inde a sexcentis annis, in Polonia sunt amplecti. Eam fidem integrum et inviolatam perpetuo conservare certum est et indubitatum: prius vitam cum sanguine profusuri, quam vel unguem latum ab ea discessuri. In hanc sententiam, si dicaret regia majestas, si subsequeretur primas regni cum aliis senatoribus Catholicis, tam spiritualibus quam saecularibus, facile motus omnes tranquillarentur. Nunc autem, nescio quæ narrabantur hic, de concordia religionis tractanda. Sed mihi fuit Heliæ prophetae cogitatio in re non dissimili: *Usquequo elaudicatis, inquit, in utramque partem?* Si Dominus est Deus, sequimini illum, si autem Baal, vel Islebiensis, vel Genevensis, vel Valdensis, vel quicumque tamdem alius, sequimini illum. *Nolite jugum ducere cum infidelibus.* Pejores autem sunt haeretici. Quæ participatio justitiae cum iniuritate? Aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conventio Christi ad Belial? Aut, quæ pars fidelis cum infidei? Qui autem consensus templi Dei cum idolis haereticorum? qui suis phantasmatibus, suique capitis somniis, nomen Dei Verbi tribuere non verentur, et extolluntur super omne quod dicitur Deus, ita ut in templo se deant, ostendentes tamquam sint Dii, neque dubitent, quod ipsi docent Dei Verbum, et Christi Evangelium appellare, ut jam tot videre Deos liceat, quos sunt haereticorum idola. Cum tamen interim de hoc ipso Dei verbo, haud aliter quam Homerici illi dii, inter se pugnare ipsi videantur. Quamobrem nihil absurdius cogitari potest, quam si quis Christum cum Belial, sive electo ejus vase Luthero conciliare velit. Coangustatum est stratum, dicit Propheta, ita ut alter decidat, et pallium breve utrumque operire non polest. Non possunt in eadem esse domino, hoc est, in eodem hominis corde, Christus et Lutherus, una cum suis discipulis Zwinglio et Calvinio; alter excidat necesse est, non possunt eodem operiri pallio. Quoties tentatum est in Germania, si possunt eodem operiri pallio, qui sunt Augustanae Confessionis, cum iis, qui se Tigurinae vel Genevensis esse profitentur:

¹ Epist. 134, p. 287. — ² Epist. 124, p. 275.

neque tamen id unquam succedere potuit. Quin eo ventum est ad extremum, ut ab ipsis Lutheranis, ea Confessio Augustana, quæ Calvini dogma condemnare non audet, qualis est ea, quæ Sandomiriæ nuper edita est, ocrea Polona vocaretur. Itaque jam in hanc ocream Polonam credendum erit? Procul a nobis Deus avertat hanc tantam vesaniam. Quamobrem a dominat. vestr. peto, velit regiae majestati persuadere, ne quid ejusmodi deinceps pollicetur; quin ad ista comitia minora, quæ particularia vocant, per nuntios suos, quos ad ea miserit, expressam suam voluntatem testatam omnibus faciat, frustra a se expectari novam aliquam fidiculam, quam Lutherani Polonam ocream vocant. Se jam pridem Christum agnoscisse; Christianis parentibus, avis et proavis prognatum esse; quam illi fidem professi sunt, eam se quoad vixerit salvam et inviolatam conservare; quin etiam, si necessitas postularet, sanguinem suum profundere pro illa velle. Quamobrem nugas istas missas faciant, neque sperent, se novam aliquam fidiculam unquam esse consecuturos, quam calculo suo regia majestas adprobet. Tales itaque nuntios, ad regni comitia majora designent, qui de religione nullum verbum faciant; sed de his tantum, quæ proposita fuerint, sententiam suam dicant: nee unquam futurum credant, ut regia majestas, oblita personæ quam gerit, pro Pontifice se gerat, et ea sibi, quæ propria sunt Pontificum arroget. Cum tali instructione, si nuntios suos ad minora comitia miserit, non dubito quin istæ contentiones facile cessatura sint. Et fuit hoc semel factum in Prussia, ni fallor, anno LVII, nam cum gravis impetus multorum contra me fuisset factus in religionis causa, nec in illis comitiis quicquam decretum esset, quæ regia majestas cupiebat; re ad alia comitia relata, misit nuntium suum regia majestas, ac ne qua tieret de religione disputatione interdixit; quod avitam fidem relinere certo deliberatum haberet. Mox paritum est, et contributio nihilominus decreta est, nisi quod, nescio quæ practice intercesserunt, de quibus ego celabar unum et alterum annum. Fuerunt enim in majoribus regni civitatibus cœremoniae mutatae, quod ego tamen, sciente et consentiente regia majestate, factum esse non puto. Memini cum essem in aula regia, quod multis instructiones ad comitia minora sœpe scripsi, quin et propositiones in comitiorum initio faciendas. Quamvis autem jampridem secretarius esse desierim, et in consiliariorum numerum a xx et amplius annis relatus sim, tamen, et nunc, si regia majestas mandaret, secretarii munere fungi non dubitarem, et instructionem ipse scriberem, quod fortassis etiam absque mandato faciam, et regiae majestati mittam. Erit hoc in illius majestatis arbitrio positum, num suis internuntiis talem instructionem dare

velit, neque illius correctioni subjecta erunt omnia. Haec mihi nunc ratio succurrat, qua posse improbis hæreticorum conatibus obviam iri. Nunc haec partes erunt dominat. vestr. dare operam, at quam potest, plurimorum studia sibi conciliat; non eorum tantum qui senatores, verum etiam qui sunt et ex equestri Ordine, et quos apud populum præ cœteris gratia et auctoritate valere videt. Est quod immortales Deo gratias agamus, quod in his proximis superioribus comitiis, plures steterunt a partibus nostris opinione nostra. Quod nisi fuisset benedicta ista unio, de qua tot annis, nescio quo fructu laboratum est; per quam factum est, ut convenirent in unum principes sive proceres Poloni et Lithuaniae, adversus Dominum et adversus Christum ejus, ut sicut primum, ex Magno Ducatu Lithuaniae, sic eum deinceps etiam ex regno Poloniae exterminarent, nihil procordubio profecissent duo tantum palatini, qui Christum oppugnandum suscepserant. Quamobrem, cum videamus nos adhuc non esse prorsus destitutos Dei gratia, in dies plurimorum studia nobis adjungere conemur. Plura scriberem, sed imbecilla valetudo mea, plura non permittit, ad proximum Sabbathum reliqua scribenda reservabo». Et post nonnulla: « Mitto autem illi pretensum in articulo de Cœna Domini consensum Sathanistarum, qui fuerunt Sandomiriæ congregati, in Germania typis mandatum; ut intelligat quam isti cupiant omnibus persuasum esse, quod ejusmodi conciliatio facta sit, cum tamen id, quemadmodum ipsa quoque in suis litteris meminit, purum esse mendacium constet. Sed ex eo Evangelio vel Cacangelio potius, cuius primus auctor fuit Lutherus, aliæ veritates prodire non possunt. Datum Romæ, ultima Augusti anni. MDLXX ».

246. Juxta id igitur, quod in hac Epistola se animo concepisse dicit, paulo post, ad Poloniæ regem litteras Hosius dedit, unaque cum illis exemplar misit instructionis a se elaboratæ, quam ab eadem regia majestate, nuntiis ad minora seu particularia comitia mittendis, tradi concupivit. Digna quidem Epistola haec est, quæ hic inseratur; tum quod iis, quæ diximus plurimam fidem astruat, eorumque veritatem confirmet, tum quod sacerdotale vere peetus animumque exhibeat, cuius virtus ac robur eo spectabiliora censenda sunt, quo rariora eorumdem offendantur exempla. Itaque sic se habet¹:

« Facit fides mea, qua M. V. sum obstrictus, facit studium atque observantia erga illam, a qua multis et magnis beneficiis affectum esse, et plurimum hoc nomine M. V. debere lubens profiteor; facit amor quoque patriæ, cui cum celeriore, opinione multorum, interitum im-

¹ Epist. 134, p. 186.

pendere, sicut ea, quæ cernuntur oculis, ita mente prospicere mihi videar; succurrsum omnibus modis, et eam ab extremo inferitu servatam cuperem; ut me tenere non possim, quin, de quibusdam rebus majestati vestrae scribam, et ad animæ et ad fortunarum ad regni illius salutem pertinentibus. Supplico majestati vestrae, quandoquidem de rebus gravissimis agitur, nec alio spectat institutum hoc meum, quam ut vestrae majestati et regni illius incoluntati consuli queat, ut hasce litteras a fideli subdito et consiliario suo scriptas, non gravatim legere, vel saltem audire, cum lectæ fuerint, dignetur ».

247. Et de litteris recessus comitiorum, quæ nuper habita Varsaviae fuerant, mentionem faciens, inter cælera subjungit: « Fit in eis concordiae mentio, inter statum spiritualem et sæcularem; qua de re vero concordia ista tentari debeat, verbo non attingitur. Absum jam annum unum a patria, sed dum ibi essem, aut in Borussia, non animadvertis, quod ultra esset discordia, inter statum spiritualem et sæcularem, vel de limitibus, vel de privatis quibuscumque rebus; nisi quod ab haereticis magna contentione semper fuit laboratum, ut Christiana fides, quam a þc annis, et amplius Polonia suscepit, prorsus abrogaretur, et in ejus locum perfidia Calviniana sive Bezana recipetur: et quo facilius id effici posset, ut omnis episcoporum auctoritas et jurisdictione tolleretur; quo sit uniuersique liberum, quemadmodum vellit, credere, templo per vim occupare, sacra vasa diripere, et in profanos usus convertere, decimas, quas esse divini juris constat, non reddere licet; ut impune quisque posset sacrilegia patrare, blasphemias in Deum jaaculari, neque corpora jam, sed animas pretioso sanguine redemptas interimere.

« Itaque, quod quidem ego sciām, inter status nulla est discordia; sed inter haereticos tantum, qui nullius in regno status sunt, et Catholicos; inter Calvinianos, sive Bezanos qui sunt Biesovac Vuiarki, et inter Christianos. Quemadmodum autem inter istos pacificationem, concordiam et compositionem (libet enim uti verbis in litteris recessus positis) majestas vestra facere possit; equidem non video. Quæ societas luci ad tenebras, dicit Paulus? Quæ conventione Christi ad Belial? Quæ pars fideli cum infidei? Qui consensus templi Dei cum idolis? Et quod ille sanctissimus Apostolus, nulla ratione fieri posse dicit, id se majestas vestra perfecturam confidit, ut sit societas inter Ecclesiae Catholicæ lucem, et eorum tenebras, qui se præciderunt ab illa; ut conveniat inter Christum et Belial, vel Islebiensem, vel Genevensem; ut sit pars fideli Christiano eum infidei haeretico? At non ita Scriptura: Coangustatum est, inquit, stratum, ita ut alter decidat, et pallium breve

utrumque operire non potest. Non possunt in eodem esse strato, hoc est, in eodem hominis corde, Christus et Lutherus, aut aliquis ejus discipulorum; sive Calvinus is nominetur, sive Beza: non possunt eodem operiri pallio. Quoties tentatum est in Germania, si possent eodem operiri pallio, qui sunt Augustanae confessoris, cum his, qui se Tigurinae vel Genevensis esse profitentur. At ea res adeo non successit, ut quo maiore studio ea de re laborabatur, eo gravius inter eos dissidium oriretur. Nam in tantum odium res erupit, inter Lutheranos et Calvinianos, ut illos Lutherani, quamvis nibilo meliores, neque congressu suo dignarentur. Quoties optabat Calvinus, ut convenire cum Lutheranis et colloqui liceret, si qua fortasse concordiae ratio inveniri posset: neque tamen obtinere potuit, quod tam essent abominabiles et execrabilis, apud ipsos etiam haereticos Lutheranos, haeretici Calviniani, ut eos non esse dignos judicarent, quos in colloquium admitterent; sceptro magistratus, non stylo, nou disputatio, sive collatione refutandos esse dicarent; ac ne receptum quidem eis darent in Saxonie civitatibus: sed simul, ut aliquam essent civitatem ingressi, facessere statim ex ea juberent. Qua de re multas querimonias in Joannis a Lasko et Vireti scriptis videre licet.

« Legi nuper Altemburgense colloquium, cui praerat, novo more, novus quidam Pontifex Guillelmus Saxonie Dux, et commissarii principis Electoris. Tractabatur ibi de concordia, non inter Lutheranos et Zwinglianos atque Valdenses, sed inter ipsos Lutheranos, quorum alii Flacciani vocantur, alii Philippiani, vel Eberiani: tantum absfuit, ut aliqua concordia coiret inter eos, qui sunt ex ejusdem Lutheri schola profecti, quique, pro Dei Verbo, verbum illius ex utraque parte recipiunt; magis ut etiam discordes, ab invicem discederent, quam unquam antea, seque mutuo condemnarent haereses et excommunicarent. Nam a Flaccianis falsi crimen Philippo fuit objectum, quod adulterasset primam illam Confessionem Augustanam, quæ Cæsari fuit anno xi. oblatam; et quædam addidisset, nonnulla detraxisset, alia mutasset arbitratu suo. Nec negatum est hoc ab Eberianis quemadmodum e scheda, quam inclusam his litteris mitto. M. V. cognoscet. Dammariunt igitur Flacciani Philippum et seclatores ejus, quod in quibusdam, ad Pontificiam doctrinam, hoc est, ad Christianam fidem a Lutheri perfidia defecisset; in dogmate vero de Eucharistia, Calvini sententiam seculus esset. Qui vero partes Philippi tuebantur, primam illam Confessionem oblatam Cæsari, propterea mutataam ab illo dicebant, quod in Manichæi veteris haeretici pridemque damnavi, sententiam inclinasset. Itaque magis infestis animis discesserunt a colloquio, quam ad illud venerant.

« Si non potuit inter eos fieri compositio, qui sunt ejusdem sectae, qui se Lutheranos ex utraque parte profitentur, cum tanta contentione per menses aliquot laboratum in ea re fuerit; quanto minus id fieri posse sperandum est. ubi ex variis seculis, et earum diversis opinionibus, unum, quasi quoddam corpus conficitur, mirabiliter tamen disseclum? Qualis est ea Confessio, quae proximis superioribus comitiis M. V. fuit oblata? Cujus generis Confessionem, sicut ostendi M. V. cum essem Lublini, vocauit ipsi quoque Lutherani cothurnum quemdam, et ocream sive calceum Polonum, qui dum utrique pedi aptatur, neutri salis aptus esse videtur: nam quod is, qui conscripsit Confessionem istam gloriatur, omnes, qui Sandomiriam convenerant, variarum sectarum homines, (audiant Neugebauerus, Thuanus, Regenvolscius, aliqui haereticorum scriptores) in eam consensisse: falsissimum id esse constat: quod non obscurum esse M. V. persuasum habeo. Sed nec novum est, nec insitatum istis praeconibus, nescio cujus novi Evangelii, mendacia pro veris afferre. Quis fuerit auctor hujus mendacii, obscurum non est, nimisrum is, quo duce fuit conventiculum illud Sandomiriæ instilulum: cum autem, regni Constitutionibus, ejusmodi conventicula fieri sit prohibiti: quorum executio, cum nullum habeat apud nos adversus haereticos locum, qui supremus est bonarum omnium legum executor, debitas de eo Deus penas sumpsit.

« Quare meum est consilium, ut V. M., omnem cogitationem de conciliando Christo cum Belial abjiciat: nam et oleum, quod aiunt, et operam perdet. Ceterum fuit quiddam in litteris recessus, quod me nonnihil recrearet. Faletur enim hoc V. M., quod pii reges et imperatores, ex eo tempore, quo Christianam fidem receperunt, omnes unanimiter semper sunt confessi, cognoscere de haeresi, vel de causa fidei, non esse sui munieris, nec ad se pertinere. Digna vox rege Christiano, Catholico, et Orthodoxo: executor enim est rex in causa religionis, non judex, aut cognitor. Quemadmodum aulem exequi debeat, regni Constitutionibus docelur. Sæpe autem, et haec vox a M. V. fuit audita, quod ab assere ad asserem, executionem statutorum facere velit. Cur ubi, Christi causa agitur, ibi cessat executio? Non placet haereticis, scilicet, solum id quod haereticis placuit, legis vigorem obtinere debet? Desinunt esse haereticorum, et non erunt executioni obnoxii. Nuic autem, quanto magis, quod pie sanctum est adversus haereticos in regni Constitutionibus oppugnant; tanlo se manifestius haereticos esse demonstrant, alioqui nihil erat, quod ab executione sibi metuerent. Est autem in Castro meo Helisberg Calvini libellus, quo docet recte supplicium capitum de haereticis sumi, cui multi

superintendentes et ministri subscripserunt. Est autem Beze quoque, quo magistri sui sententiam confirmat. Ulrumque, quando jusserit, mittet M. V. coadjutor meus. Si displicet illis regni statutum, quod mitius est, saltem placeat idolorum, quae colunt isti haeretici, statutum Joannis Calvini, atque Theodori Bezae. Certe quorum verbum, tanquam Dei verbum amplectuntur, adorant; et eorum sententiae contradicere non debent, cum præsertim illi, non magis id scripto comprobarint, quam re ipsa præstiterint. Nam Servetus Calvinus, quamvis eo nihilo melior esset, vivum Genevæ comburi fecit. De Gentili quoque, qui cum nusquam alibi locum inter Christianos habere posset, ad asylum haereticorum (sic enim Poloniam vocat Simlerus quidam Tigurinus minister), se receperat; posteaquam inde discessit, et in Helvetiam rediit. Bernæ capitale de eo supplicium sumptum est; quod, non modo non reprehendit Beza, verum eliam laudat vehementer, et scriptis ad M. V. litteris me reprehendit, quasi ego auctor fuerim M. V. ut Parzovien. decreta executioni ne mandaret. Ut autem in solos Trideistas et Anabaptistas animadverteret, hoc fateor me nunquam M. V. suadere voluisse, quando quidem eorum præceptores Calvinistæ, nihilo sunt illis meliores; et visa fuisset illorum, etiam ipsis Lutheranis execrabilis haeresis, quodammodo, per M. V. approbata, si tantum contra duo haereticorum genera executio statuti, de haereticis facta fuisset, quam quod V. M. inter mittendam in proximis superioribus comitiis, et omne negotium, de quo traetabatur in illis, in proxime futura comitia rejiciendum esse pulavit; ulcumque res se habeat, esse tamen tolerabilius hoc videtur, quam si postulatis haereticorum assensa per omnia fuisset. Quanquam nisi mutaverit hanc suam sententiam, video quod cædem fortassis, quæ fuerunt in præteritis, et majores difficultates M. V. in proximis futuris Comitiis manebunt. Nam quod promittit in litteris Recessus, quod prius concordiam, nescio iuler quos status, finire velit, quam reipublicæ negotia exordiat; hoc sciat certo M. V., quod nunquam perficiet, ut inter Christum et Belial concordia fiat; atque ita, si slare promissis voluerit, nunquam de gravioribus, et magis ad suum officium pertinentibus regni negotiis, tractationem ordietur. Quid autem impedit, quoniam M. V. memor illius, quod a Christo dictum est: *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor, et ego eum coram Patre meo, qui in Cœlis est. Si quis autem negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo, qui in Cœlis est;* aperle Christum confiteatur; ne si factum ab ea secus fuerit, speciem quamdam ne-gantis Christum coram hominibus habere videntur? Cur non aperite dicit, Christianus sum,

Christum semel in Baptismo indulus, et confessus, Christianis parentibus, avis, proavis, prognatus: Christum, quem semel confessus sum, negabo nunquam; Christianam fidem, quae jam a dc annis recepta est in Polonia, quod ad spiritus hos reget artus, non deseram unquam; prius vitam cum sanguine profusurus, quam ut illam, pro virili mea non fuerat et defendam? Quamobrem apagite cum istis tidi-
culis vestris, nec vobis de me persuadete, quod illas aliquando sim recepturus. Fides non est, nisi una. Quidquid est extra unam fidem, non fides, sed perfidia est. Perfidiam ut ego appro-
bem, absit hoc a me; nunquam faciam. Si quis venit alium Christum prædicans, quam qui predicatus est dc annis in hoc regno nostro; si quis alium spiritum accipit, quam qui tum acceptus est; si aliud Evangelium annuntia-
verit, quam quod ex illo tempore in hunc usque diem, per longam episcoporum et sacer-
dotum successionem, nobis, quasi per manus, traditum est, memores illius, quod a Paulo scriptum est: *Si quis vobis evangelizaverit, præter id quod accepistis, etiam si Angelus fuerit de Cælo: anathema sit:* non modo recipiemus ta-
lem, verum etiam aversabimur, tanquam pesta-
tem aliquam; in eo regni nostri Statutorum, juxta jusjurandi quo sumus obstricti religio-
nem, executionem faciemus. Quamobrem, fa-
cessile cum istis nugis vestris, et de rebus ad regni salutem conservandam perlinentibus, quæ propius etiam spectant ad nos, cum de rebus Ecclesiasticis tractandi munus nostrum non sit, deliberationem suscipite. Si M. V. tandem ad hunc modum responderet hostibus istis Evan-
geli, publicæque tranquillitatis perturbatorib-
us; hoc illi pro certo polliceri possum, quod multo quietiorem rei sui statum esset habitura. Fecerat hoc semel M. V. in comitiis nostris Prus-
sieis; nam cum in iis quoque polonizare nuntii cupissent, nec ad ea, quæ per nuntium V. Ma-
jestatis proposita fuerant, respondere quiequam vellent, nisi prius eis a Christo, et ab ejus cor-
pore Ecclesia discessio permetteretur; alque ita, nulla conclusione facta ex comitiis discessum fuisset; M. V. quinto post mense, cum ad festum D. Michaelis comitia celebrarentur, misit iterum suum nuntium, cum instructione digna rege Catholico; monebat enim homines, ne quam de religione mentionem injicerent, neque spera-
rent quod M. V. aliquam illius mutationem esset umquam permissa, vel ab avita religione discessura.

Simul ut haec dicta fuerunt a nuntio M. V. statim de rebus ab eo propositis habita consultatio, et voluntati M. V. satisfactum est. Velle ut inquiret faceret instructionem istam V. M. quæ scripta est, ni fallor ann. MDLXVI; est enim digna lectu, et asservatur in Archivo castri Ecclesiæ meæ Helisbergensis diligenter; neque

dubito, quin etiam in Cancelleria Registris M. V. inveniatur.

« Mihi dubium non est, si proximis in co-
mitiis ad secundum modum M. V. rem ageret,
et missis ad minora comitia nuntiis, prius in
illis omnes hortaremur, ut ne quam de nova
aliqua fidicula, per M. V. approbanda, spem
conciiperent; quosque miserint ad majora co-
mitia nuntios, eos de religione sermones aliquos
babere prohiberent, verum de Polonicis tantum
rebus deliberationem suscipere juberent; si
M. V. sic rem ageret, et aperte coram omnibus
Christum confiteri vellet; non mihi dubium,
qui eam vicissim Christus confiteretur, et con-
siliorum ejus felicem progressum et exitum
larginaretur. Quandiu vero tale nihil fit atque
tolluntur animæ multorum, dum pendent ex-
pectatione quidnam sit in proximis comitiis
futurum, Christiana fides, an Augustana per-
fidia sit in eis locum habitura; credat mihi
M. V., quod nullus est bonus comitiorum finis
expectandus. Negabit eam Christus, si eum
aperte confiteri non fuerit ausa: spiritu con-
silio et fortitudinis eam destinet, et immittet
spiritum vertiginis, quemadmodum in superio-
ribus comitiis factum vidimus.

« Supplex a M. V. peto, ne verecundetur, neve
formidet aperte confiteri Christum, nec ab ali-
quo quopiam sibi magis metuat quam a Christo.
Quamvis enim longanimitis est, et patiens, et
multæ misericordiae; tamen si quis divitias
bonitatis illius et longanimitatis contemnat,
tarditatem suplicii gravitate compensat. Multa
de eo scribit Lutherus, quam sit metuendus,
quamque fortis Diabolus, et quod Angelos for-
titudine sua superet, et quam sit horribilis. Sed
ego dieo M. V., quod fortior est unus Christus,
quam sint mille millia legionum Diabolorum
omnium. Quamobrem ab illo sibi M. V. metuat,
non a Sathanæ, vel a membris ejus; illum offendere
caveat, illum sibi propitium reddere studeat:
neque eos audiat, qui dicunt unam Christo,
propitius ut sit, duas Diabolo; ne noceat of-
fensus, esse candelas accendendas; ut si unum
Christianum in senatum adlegerit, duos vel tres
alios in eumdem Bezanos sive Sathanianos co-
optet. Impia vox haec est, a qua merito Christianorum
omnium aures abhorrire debent: quam
tamen in regno M. V. cumprimis usitatam
esse scio.

« Promitto M. V., et quidem in Dei nomine,
cujus, quamvis indignus, minister tamen sum;
quod si M. V. aperte Christum in proximis co-
mitiis confessa fuerit; si solum illum reveren-
dum, si solum illum sibi metuendum esse pu-
taverit, omnemque curam et sollicitudinem in
haec una re defixam habuerit, quemadmodum
illum qui merito peccatis nostris irascitur, pro-
pitium sibi reddere queat; quod illi feliciter
omnia sint cessura: tanquam numen aliquod,

omnes eam pii colent et observabunt. Impiis vero Sathanæ ministris, quibus, quanto sit contemptui videmus omnes, et ingemiscimus, tantum terrorem incutiet, cum viderint solum Deum ab illa metui; nihil ut, contra veritatem illius vel mutire sint ausuri. Si vero, quod absit, cognoverint haeretici, quos esse membra Diaboli, certum est et indubitatum, quod plus ab illo, quam a Christo sibi metuit, et hunc quam illum offendere malit: horret animus commemorasse, quæ sunt ad M. V., et ad regnum ejus infornunia, quæ calamitates ex ista Christi quasi negatione perventuræ. Nec enim illud sibi diutius Christus patietur, quem ego supplex precor, ut misereatur nostri, illuminet vultum suum super nos, auferat ex oculis mentium nostrarum, qua percussi videmur, cœcitatem et amennitiam, ut impendentia peccatis nostris mala videamus, deque propulsandis illis cogitationem aliquando seriam suscipiamus. Denique, ut convertat nos a peccatis nostris ad se solum colendum et metuendum animos nostros inclinet, etsic quam commeriti videmur, avertat a nobis iram suam: quæ certe gravior imminere jam videtur, quam ut in illa continere possit miresicordias suas ». Verum de his hactenus.

248. Sed post nonnullare diensi in ipsum, addit sacerdotali vere libertate: «Utinam aliqua gratiora M. V. scribere possem. Sed malo vera quam blanda: malo salutaria, quam quæ sunt auribus jucunda: malo, que pertinent ad regni conservationem, quam quæ sunt extrellum interitum allatura. Provolutus ad genua M. V., per viscera misericordiae Dei supplex ab illa peto, misereatur afflictæ Ecclesiæ, misereatur ruentis ad interitum regni sui, misereatur animæ snæ. Quod in hanc usque diem facere, (vide mirum hominis zelum), nescio qua de causa distulit, tandem aliquando Christum aperte confiteri coram hominibus incipiat: ut sciant omnes habere se regem Christianum, ne qui sunt hostes fidei Christianæ, quod quidam ex illis facere dicuntur, suarum illam partium esse gloriari possint. Unicum hoc remedium ad ea mala, quibus obrui videmur, propulsanda reperio, ad justam Dei iram placandam. Quod si Christum aperie coram hominibus confessa fuerit, vicissim et ipse M. V. coram Patre suo qui in Cœlis est confitebitur, salubrica consilia suggesteret, nec est M. V. sua gratia defuturus. Si minus... sed tacere malo, nam et dolor me plura dicere prohibet, cum et hæc nunc sine profusis lacrymis scripserim. Iterum, atque ilerum oro et obtestor: Confiteatur Christum. Aliud quod scribam præterea non habeo, nec video quod aliud impendentibus nobis malis remedium afferri queat. Mussitatur etiam, quod M. V. a concilio nationali non abhorreat, scilicet, in Polonia viri, doctrina, pietateque præstantiores reperiuntur, quique melius causam religionis trac-

tare possint, quam fuerunt illi trecenti fere Patres, una cum aliis multis S. Theologiæ professoribus, ex orbe toto Christiano in sacro Concilio Tridentino congregati. Jam fortasse decimus annus agitur, quod in Galliis quoque tentatum tale quid fuit. Persuasum est feminæ, Papissam ut ageret, et una cum puero concilio nationali præsideret. Quem autem exitum ejus rei videmus? Statim ut conciliabulum illud absolutum est, bella horrenda sunt exorta, quæ sic regnum illud olim florentissimum affecerunt, ut vix ullum nunc calamitosius esse videatur.

«Quæso, per Deum immortalem, quorum exitum perhorrescimus, eorum facta ne velimus imitari. Non opus est ullo consilio: unum, unum tantum est necessarium, ut M. V. coram hominibus aperte Christum confiteatur. Fui secretarius M. V. aliquandiu, divi vero parentis illius per multos annos, crebras instructiones nuntiis qui mittebantur ad minora sive particularia comitia scripsi. Visum est, ut nunc quoque scribeberem, quandoquidem securim ad arboris radicem positam jam video, si fortasse posset aliquod remedium inveniri, ne simul omnes opinione nostra citius pereamus. Eam M. V. mitto, quod visum illi fuerit de ea statuet; nihil autem illud, neque dicere, neque scribere scio, quam, ut confiteatur Christum, si vult, ut viceps Christus confiteatur illam. Datum Romæ vi Octobris MDLXX ».

249. In exemplo autem instructionis ad regem una cum hac Epistola missæ, tradendæ nuntiis, (ut audisti) ad minora seu particularia comitia mittendis, cum eadem fere contineantur, quæ in præfata Epistola habentur: ideo exemplum ipsum hic ponere superfluum judicavimus; cum præservit illud videndi studiosis, præsto sit inter ejusdem Hosii Opera, Coloniæ Agrippinæ excusa, sub anno MDXXXIV. Cæterum tam apertam Christi et Catholice religionis Confessionem, ad quam Hosius regem impellere connixus fuit, nullatenus ab homine modicæ fidei, uti Sigismundus erat, Hosium expromere, allatis validissimis rationibus, potuisse, perspicuum est, ex his, quæ Hosium eundem inferius scripsisse, suis locis videbimus. Politieis siquidem Sigismundus idem abstractus abreptusque cogitationibus, temporalium vel amore vel metu, his spiritualia præferre, (ut debuisset), minime ausus est; a sincera, et publica nominis confessione illius, cui venti et maria obediunt, inani timore perterritus, majorem sibi metuens tempestatem. Verum, ut Hosius sapienter animadverterat, contra accidit, furentioresque in Polonia regno procellas haereticorum perfidia ex hac regis segnitie, majores vires in dies sumente, exortas esse: quæ inferius dicentur, manifeste monstrabunt.

250. *Revocatur a rege Poloniae mandatum hæreticis favens, unde a Pontifice commendatur.* — Ut autem in Catholicæ veritatis partes transire palam Sigismundus non est ausus; ita etiam ab hæreticorum consiliis omnino nequam se abduci passus est; quapropter cum hoc eodem anno subdole a regni cancellario sectarii mandatum quoddam extorsissent, quo magistratibus civitatis Derschoviensis facultas dabatur, ut in quibusdam Ecclesiis, juxta Confessionis Augustanae morem, et haberi concesiones, et administrari sacramenta possent: et earum ipsarum rerum ministri, in regie majestatis fidem ac protectionem suscipiebantur: Sigismundus, ut hoc cognovit, statim mandatum ipsum revocari præcepit: quo nomine, a Summo Pontifice sequenti Epistola¹ commendari meruit et admoneri.

« Charissimo in Christo filio Sigismundo regi Poloniae.

PIUS PP. V.

« Charissime in Christo fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Quanta superioribus diebus animi molestia affecti fuimus, cum in notitiam nostram perlatum esset, quorundam hæreticorum fallaciis, ab istius regni cancellario mandatum extortum fuisse, in quo majestatis tuae nomine, magistratibus Deschoviensis civitatis dabatur, ut in quibusdam Ecclesiis, secundum Confessionis Augustanae præscriptum, et haberi concesiones et administrari Sacra menta possent, et earum ipsarum rerum ministri in M. T. fidem ac protectionem susciperentur: tantam postea hætitiam accepimus, cum a majestate tua tam pestiferum religioni Catholicæ mandatum, revocatum fuisse cognovimus. In quo revocando, sicut M. T. fecit, id quod suo majorumque inclytæ mem. regum perpetuo Christianæ orthodoxæ fidei studio dignum fuit: sic nos talem eximium suum erga Deum Omnipotentem pietatis affectum, debitum in Domino laudibus commendamus. Ex hoc uno hæreticorum ipsius regni crimine, facile est M. T. quid in reliquis omnibus animi audaciæque sit intelligere; quando non veriti sunt, ad spargendam Confusionis illius Augustanae in vulgo venenum, regii tui nominis auctoritate turpiter abuti. Quod ne amplius audeant, neve adversus inveteratam tot annorum sæculis Ecclesiæ Catholicæ ac Romanæ auctoritatem, prophanas vocum novitates introducere studeant; decet te, ebarissime in Christo fili, omni qua potes adhibita diligentia, providere. Una est fides Catholicæ, ab Apostolorum temporibus, per longam Romanorum Pontificum scriem, usque ad Pontificatum

nostrum atque haec tempora deducta; a qua, qui una in re deficit, factus est omnium reus. Augustana autem Confessio, et si similis est cæteris hæresum pravitatibus, tamen ob eam causam periculosior est, quod levius quam cæteræ, a Catholicæ fidei professione declinans, speciem quamdam religiosi retainere videatur; eo perniciosior aliis, quo venenum ejus occultius latet, nec eminet foras, si putas eos uno Confessionis Augustanae nomine atque errore contentos fore. Hoc illi principio M. T. patientiam tentant, initiumque solum, ab Apostolica doctrina, atque ab hac S. Sede descendendi querunt, quod illico atque obtinere potuerint. Regnum innumerabilibus dissentientium inter se hæresum discordiis miserabiliter distrahi lacerarieque videbis. Haec, quæ vera sunt, et ipsa rerum experientia comprobata, libere, sicut persona officioque nostro dignum est, ad M. T. scribere voluimus; hortantes eam in Domino, et quo majore animi nostri studio possumus, rogantes, ut, quod sui muneric regiæque personæ sibi ab Omnipotenti Deo impositæ proprium est, operam det, ne, et istic religio Catholicæ, (quod Deus avertat), ab hæreticorum fallaciis detrimentum aliquod patiatur; et nos hic ea quæ nollemus, magno cum animi nostri dolore audire cogamur. Quod M. T. pro eximio suo fidei Catholicæ studio, et erga nos sanctamque hanc Sedem Apostolicam observantia, facturam esse pro comperto habemus. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die v Decembris MDLXX, Pontificatus nostri anno quinto».

251. *Poloniae legati a duce Moschorum male habiti propter eorum detectas blasphemias.* — At ubi senior, quam oportuisset, in vindicandis injuriis regiae ac divinæ majestati ab hæreticorum versutia ac temeritate illatis visus est Sigismundus; magno cum regiæ ipsius dignitatis dedecore, hæreticorum perfidiam, qua Deus adeo graviter offendebatur, magnus Moschorum dux in ejusdem Sigismundi legatis puniendam suscepit. In quas autem crudelitates debacchatus fuerit hoc ipso anno saevissimum monstrum illud, videre primum est, narratque Michael ab Isselt, licet hæc eadem, in sequentem Neugeubaverus² rejiciat. Isseltigitur, Derbati in Livonia regem, facta a Magno duce Moschorum Joannis Basilidis creatione relata, quæ Moscha Moscovie metropoli magnificissime celebrata est, addit³: «Eius elemen-tiam, nempe Basilidis, plerique admirabantur, erat enim Basilides hic, quovis Nerone aut Phalaride crudelior, cuius crudelitatis aliquot exempla eo Iubentins hoc loco referam, quod hoc anno, imo hoc eodem tempore acciderunt.

¹ Epist. lib. IV, epist. 43, pag. 79.

² Neugeubay, lib. VIII, p. 830. — ³ Michael ab Isselt sub anno 1570, p. 220.

Nam, praeter insignia tyrannidis exempla, quæ præteritis annis, et quidem potissimum anno hunc precedentem, in Polonos, Lithuanos Ruthenosque statuerat: per hos dies,¹ fratrem suum germanum, a quodam suo consiliario Tizviak Wiskonati injuste accusatum, inaudita causa, tormentis exquisitissimis subjicit, eique, inter excarnificandum, omnem thesaurum extorsit. Inde semivivo, jussu illius securi caput carnifex amputavit. Fratriam in faciem, ante pedes ejus procumbentem et misericordiam implorantem, arripi jubet, exutisque vestimentis omnibus, turpissime nudam populo exhiberi. Jussus deinde miles equum conseedere, eamque funi alligatam, velocissimo cursu in flumen rapere, aquisque miserrime sulforeare.

« Simili truenientia ipso die Eliæ Prophetæ (qui dies festus apud Ruthenos est celeberrimus), in arem Moscovia ingressus, nobilem quemdam Serebrinum, et alium Missojedum (cujus uxorem et ancillam paulo ante constitutas, in superiore limine suarum aedium suspendi atque strangulari jusserset), nulla dicta causa, securi feriri præcipit. Quo peracto, ex arece ad carceres furibundus procedit. Cumque eives nonnulli, inusitato illius satellitio, nonnihil territi, de via deflecterent; eos, ut insequerentur suis mandat, correptosque fruslatis dissecarent. Primum carcerem ingressus, tres captivos Polonos et Lithuanos produci imperat; ex quibus Petrum Biekouski, Albertum Bugatki, et Besum, tres antiquæ nobilitatis viros, propria manu interemit. Inde satellitum in reliquos quinquaginta captivos immisit et ut membratim eos dissecarent præcepit. Idem in secundo et tertio carcere fecit. In singulis enim, cum ipse tres interfecisset, reliquos ex a suis militibus discripi curavit.

« Vigesimo deinde mensis Julii die, in urbe Moscovia octodecim grandes palos erigi jubet, eisque transversos, in modum furcarum superimponi. Satellites varia tormentorum genera ad eum locum ferebant, excitatoque luculentio igne, vas ingens æneum apponebant, ut ebulliret et ferveret per multas horas. Processit tandem Dux Magnus, et juxta æneum militibus circumquaque dispositis, consedit. Adducti sunt ejus jussu trecenti nobiles Moscovitæ, quorum nonnullis venia data, in multos sœvire incœpit. Cancellarium Joannem Michaelem Wieuviskovati, cum multis criminibus accusaretur a secretario, quorum nullius illeconscius se palam profitebatur; tandem ad fureas illas prono capite, ex pedibus suspendit. Cumque præfectus satellitum rogaret, quo eum genere supplicii mactari vellet, respondit dux: Vos omnes aulici mei, ordine ipsum excarnificare

debetis, et dilaniare. Præfectus igitur ex equo descendens, arrepto cultro auriculam dexteram illi abscidit: Accessit alius qui sinistram, et tertius, qui labia amputavit; atque ita ordine, omnibus illi membris mutilarunt. Secretarius deinde quidam ad extremum, ne quid crudelitatis deesset, pudenda præscidit; statimque exhalavit animam miser cancellarius. Videns magnus dux, ob membrum illud detrunecatum cancellarium obiisse, indignissime tulit, incandescente in secretarium inclamat: Oh! scelerate, expectes paululum, istud totum est tibi exedendum, quod ille exedere debuisset. Putabat enim secretarium ex commiseratione istud fecisse, ut citius e vivis cancellarius discederet. Cadaver, e furea depositum, in minutissimas partes considerunt. Adductum deinde thesaurarium, simili tyrannide dilaniavit. Tres deinde secretarios dux eduei jussit, eosque ordine, cum uxoribus et liberis coram se mactari. Denique ducentos nobiles captivos capite multevit, quos totidem electi ejus aulici interfecerunt.

« Ut autem hanc lanienam ipse egregia catastrophe finiret, venerabilem senem coram sessi mandat, quem hasta transfixit; utque suam crudelitatem impleret, sexdecim vulneribus mortuum sauciat. Tot funera dedit, tantamque immanitatem quatuor horarum spatio perpetravit. Relictis cadaveribus, avibus et feris, dux reversus est, et in thesaurarii uxorem, quam indignis modis sœvierit, dicere ant scribere nefas esse existimo. Postridie iterum quamplurimos nobiles, a satellitibus laniari, eorumque uxores ad flumen adduci et submergi mandavit. Ilæc aliaque plura Magnus Moscovia dux hoc anno perpetravit, quibus innuatam suam tyrannidem ostendit ». 1sta ab Isselt, de Basiliis crudelitatibus. At quid Polonicis legalis acciderit modo videndum.

232. Fuerunt hi, ut Regenvolscius narrat, Joannes Crolascius palatinus Inouladislavinsis, Raphael comes Leferinius, capitaneus Redreziensis Poloni; quibus totidem Lithuani additi sunt: nempe Nicolaus Falvoceius, Castellanus Minseensis (postea Samogisiensis), et Andreas Juanovicus regis secretarius. Hi induciarum gratia in Moschoviam a Sigismundo directi sunt: verum, cum omnes hæresis labe infecti essent, vel rege nesciente, vel potius dissimulante, impium aliud, hac arrepta occasione, meditati sunt; ut, nempe sua virus perfidiae Moschoviam inficerent. Ad hoc ea in legatione, sibi socium ac ministrum Joannem Rokitam, natione Boemum, sed linguae Polonicae optime gnarum, adseverere. « Moschoviam urbem ingressi sunt igitur (Regenvolscii sunt verba,) tertia Martii. Inter cætera, cum iis legatis habuit etiam de re

¹ Memorat paulo ante mensem Maium.

¹ Regenvolsc. lib. I. p. 91.

ligione colloquium dux Basilides, homo alioquin ferox. Ministrum autem Evangelicum, (nempe Roxitam) Moschorum princeps, ad se in senatum adductum, et honorifice acceptum, Evangelicae doctrinae summam confidenter edisse jussit. Quod ille humillimis gestibus, imperantis animum preoccupando, modeste et graviter praestitit. Hanc fidei professionem a se, mandato principis Moschi conscriptum, Rokita toti senatui ipsius, eo praesente, exhibuit. Tum Moschus dux, responsionem ad hanc Rokitae, libro eleganter in quarto Ruthenicis litteris scripto, et pretiose tela auro texta ornato comprehensam, ei in manus porrexit. Auctor hujus Historiae, vidit librum hunc in Bibliotheca eximii cuiusdam patroni». Sie ille, qui addit, colloquium hoc, et quæstiones ultra citroque, inter Moschorum principem et Rokitam ministrum habitas, Latino idiomate descripsisse. Joannem Lascicium, in theologia Moschovitica, Spiræ Nemetum ann. MDLXXXII edita, cum refutatione superstitionum Russicarum et Evangelicorum, atque ipsius Lutheri defensione: extareque dicit colloquium ipsum, fuisus, forma nonnulli diversa, sensu tamen eodem, apud Paulum Oderbonum in Vita Joan. Basilidis magni Moschoviæ ducis lib. 1. 3.: et apud alterum, qui ex eo hausit, Michaelem Gasparum Lundorpium continuatorum Historiae Heidani, de statu religionis ac reipublicæ To. 2. lib. x part. iii et seq. Ac tandem nonnulla de hac Rokitae cum Basilide duce colloquione, Jacobum Augustinum Thuanum, in sua Historia narrare asserit.

293. Verum sicut ipse aliquique quos memorat, tanta diligentia adnotarunt, vel humiles gestus, quibus Rokita captare Moschi principis animum studuit; vel librum pretiose tela auro texta ornatum, eidem principi a Rokita porrectum; sic etiam præterire silentio minime debuisse, quam acri ipse odio ac furore Sathanæ ministrum, statim ac falsa illius dogmata percepit, abominatus fuerit ac execratus. Cujus rei fideliorum ideo relationem, Genebrardus in Chronic.¹ nobis subministrat, his verbis: «Joannes Rokita minister legatorum Sigismundi regis Poloniæ, a Joanne Basilio magno Moschorum Cæsare, sive imperatore, de religione Lutherana auditus, cum ignominia et conviciis, non Christiani, canis, onagri, Antichristi, etc. rejectus est; ac voce scriptoque principis refutatus, præsertim in capitibus de patribus sive doctoribus Ecclesiæ, de miraculis, de statu defunctorum, de bonis operibus, de sanctorum, potissimum de Virginis veneratione, de traditionibus, de jejuniis, de Liturgia sive missa, de imaginibus, de Votis et castitate, monachis etc.».

294. Idem confirmat Gothardus ² Artus Dan-

¹ Genebrar. in Chronic. lib. IV, p. 757. — ² Gothard. Art. Gall. Belg. Merc. Bzov., p. 815.

fiscanus in suo Gallo-Belgico Mercurio; qui inter alia a Joanne Basilide Rokite exprobata, ista refert: «Vos, de fide Evangelica gloriari consuevistis: sed factionibus ita divisi estis, ut jam omnem fere Europam vestris novis dogmatibus subverteritis: quod etiam incredibile foret, nisi illud nos, ex quotidiani fere nuntiis, magna admiratione audiremus. Intelligimus vero etiam sectæ vestrae placita, veterum hereticorum dogmatibus inclusa, jam pridem in pluribus Conciliis, a vere doctis et Christianis hominibus explorata et severe vindicata esse. Quid igitur monstri est, quod incertarum haeresum propugnatores estis, et soli fidei justificationem adscribitis, cum venturus sit dominus reddere unicuique mercedem secundum opera sua? Si sola fides beatitudinem adfert sempiternam; quid illo opus est judicio? et cur toties in Novo Testamento operum dignitas nobis inculcatur? Praeceptorum haec vestrorum, Hussi et Lutheri egregia sunt paradoxa, qui schismatis et dissidiis orbem terrarum involverunt. Et quidem pro comperto habemus, nulla eos Scripturarum auctoritate, ut has turbas darent, adductos: sed temeritate potius, ac impetu plebis, cum semper imperitæ, tum in omni rerum novarum motu, absqueulla jucidii ratione se gestientis, etc. »

295. Haec, et alia plura a Basilide, in nobilissimorum procerum consessu dicta refert Artus, seu potius exprobata; imo nervosius, et acrioribus, tum verbis, tum sententiis, impietatis ministro objecta fuisse narrat; eumque nugatur, quod hereticorum dogmatum rationem, blasphemiarumque, Basilidi, prolixa oratione, quam ipse de suo cerebro finxit, se reddidisse jactaverit; ab eoque principe honorifice habitum, etiam pretiosa munera accepisse vulgaverit. Sed revera, tot injuriis exceptus, tot contumeliis a Basilide, una cum sectariis legatis ejectus fuit Rakita, ut quem paulo ante Regenvolscius memoravit, Joannes Lascicetus hereticus, in libro de Theologia Moschovitica, Spiræ, ut diximus, anno MDLXXXII edito, uti Genebrardus ¹ habet in Chronic., ministrum fœde prostratum, erigere ideo commentis pluribus, licet frustra, connixus fuerit, juxta proverbium (inquit): Pinguis venter tennes sensus non gignit.

296. At que insuper sunt subsecuta, rem aliter, quam Regenvolscius, quosque ipse recitat, scriptores narrant, accidisse, perspicuum redditum; non modo enim, ut ipsem et Genebrardus dicit, ex eo tempore Moschus saevior Polonis fuit, tamquam hereticorum fautoribus, eosque magnis præliis fudit; verum etiam adeo male habuit, ut innuimus, hereticos regis Poloniæ oratores, tantoque eum dedecore sua

¹ Genebrar. ut sup.

aula detrusit, ut in eis jus gentium Sigismundus idem violatum fuisse conquestus fuerit, ac inducias cum Moscho initas, ea ratione dissolvere cogitaverit. Quamvis ab ea sententia, sapienter cum Hosius cardinalis,¹ ista ad illum scribens, revocare studuerit:

« Jactatur nescio quid, quasi majestas vestra rata habere nolit inducias cum duce Moschoviæ, per oratores suos confectas, propter contumelias illis irrogatas. Quin hoc immane sit facinus barbari illius ducis, et animadversione dignum negari non polest. Verum interea renuntiatur, et hoc, quod non oratoribus vestr. majest. haec fuerint irrogatae contumeliae, sed hostibus Evangelii, Christique Crucis inimicis, qui mendacii Christum, qui veritas est, arguere non exhorruerunt. Quod si Christianos oratores majest. vestr. misisset, fortasse tale quid non accidisset. Sed quoniam hostes Christi misit, qui multas in Christum blasphemias evocabant, dux ille, qui se Christianum profiteatur, pro suo zelo, qua Christi injuriam sibi vindicandam existimavit, tenere se non potuit, quin in eos tale quid statueret. Quod si res ita se habet, excusationem aliquam faciem hoc illius mereri videtur. Quamvis enim et ille Catholicus non est, tamen cum istis hæretieis ad se missis collatus, propemodum Catholicus censeri possit; dignus ut sit, cui veniam det majestas vestra, si Christum contumeliis affici ferre non poluit, et in blasphematos homines durius aliquid consuluit. Cum non oratoribus vestræ majestatis, sed blasphematoribus Christi, contumelias illas, de quibus queruntur, irrogaverit. Quamobrem, supplico majestati vestræ, quæ cum eo pacie semel sunt induciae, ne velit eas fescindi. »

237. *Laskium senatorem ab hæresi revocant dissidia et scanda sectariorum: Hosii ad eumdem gratulatoriæ litteræ.* — Debuisset sane Sigismundus, tot experimentis edoctus, didicisse tandem, consilium illud humanae prudentiæ, quo ut sibi sectariorum turbulentos animos conciliaret, non modo contra eos remissius agere quam oportuisset, sed muneribus ac honoribus etiam eumulare consuevit, semper ipsi sibi ac reipublicæ infaustum evasisse; cum ii, non quæ regis ac regni in omnibus, sed quæ sua quærerent; et ab impio ac furente principe illud pietatis genus percipere, quo rex alte sanctius instruelus: ² *Iniquos odio habuit, et abominatus est. et legem Dei dilexit.* « Usque adeo enim », inquit Augustinus, ³ « non omnis qui irascitur odit, ut aliquando magis odisse convincatur, si non irascitur ». Comilas hæc enim Sigismundi et hæreticis ipsis noxia, et sibi semper dedecori ac damno fuit. Quanto melius fuisset, si cum

¹ Hosii Epist. cxxxiv. p. 289. — ² Psal. 18. — ³ D. August. Serm. 16, de Verb. Dom. tom. 10, p. 45, cap. 28.

Basilide eos iratus correxisset, quam permettere illos non iraseendo interire ? Accepta nihilominus contumelia, nec salubrioribus consiliis adhaesit Sigismundus, nec sectarii ab improbis, quas struxerant cogitationibus deslitere; imo, eum cognovissent proximis Varsaviensibus commitiis, temerariis eorum ansibus, præ aliis constantissime obstitisse, qui ab illorum erroribus, ut diximus, ad Catholicam veritatem emerserant; inter hosque illustrissimum Albertum Laski, inlytum Poloniae senatorem, quem hæresi pariter abnegata, ad Catholicorum partes transiisse, Hosii cardinalis opera, anno præterito narravimus; acerbo dolore pereiti, ac summa hinc sibi incommoda metuentes, nil omnino prælermiserunt, quo transfugam revoarent, inter alia scripta ad eum sequenti hoc titulo Epistola⁴:

« Präcones et universitas tota Christum profitantium in Polonia illustri domino Alberto Laski.

« Christi Jesu, Dei viventis Filii, Domini et Servatoris veram notitiam, tibi Alberto Laski, ex animo precamur. Factum est autem, dedisti Romano oscula Pontificie. Hoc illud est, captivus, in Babyloniam ductus es : Proh libertatem ! Tametsi autem non dubitamus, te facti tui aliquas habere rationes, negamus tamen esse tales, quæ piis et fidelibus Christi Domini servis satisfaciant : tantum abest, ut coram Deo aliquo loco esse queant. Nempe puduit te defectorum, vidisti multa in Ecclesia Dei scandala; certatim novas de Christo emergere opiniones, ne dicamus hæreses audivisti; num ideo in adversariorum doctrinæ Evangelicæ castra transeundum erat ? Minime gentium. An sic didicisti Christum, ut illum Petram esse scandali nescires, et positum in signum, cui contradicatur ? Qui nihilominus est lumen revelationis gentium et gloria Israelis; quique dominari debet in medio inimicorum suorum, ut illos regat et conterat. Vide quid Eliæ acciderat prophetæ Domini, quomodo coram Deo Israelem defectionis accusaverit, seque relicum solum, qui eliam queratur ad suppliium : sed adhuc audit superesse millia virorum septem, qui poplitem non flexerunt coram Baal. Audit etiam punitorum iri Israelem, qui a Deo suo factus est profugus, et prophetas Domini occiderit. Sic ille præstantissimus heros Jessides rex Israelis, num Dominum pernegat, quod videat sanctos deficere, et veritatem a filiis hominum diminui ? Qui polius cum audit vana loquentes, ille Dominum poscit salutem. Et quamvis defectores hi corde loquantur, serio, inquam, rem agant, tamen ne nimium ferociant, Dominus se surrectum pollicetur, ut inopie pauperum opemferat. Adeum modum se res in Ecclesia Filii Dei habet. Quod etiam si bestiæ et prophetæ datum

⁴ Extant inter Epistol. Hosii Epist. cxxvi. p. 277.

est grandia loqui, et vincere sanctos, ut de sanguine illorum ad ebrietatem nauseam, inquam, potet: nihilominus penes Agnum victoriam fore, quoniam ille sit Rex regum, et Dominus dominantium. et bestiam pessum cum pseudopropheta ituram. Alia vero causa sibi querenda est, o magnanime Laske, quæ quidem in promptu et obvia est. Unicum exemplum tibi proponimus, sapientissimum regum omnium Salomonem, inquam Quæ causa illi fuit fana ædificandi, et colendi Astharothen, Chamos, et Molochum, postquam templum Deo Israel ædificasset mandato ipsius? Quæsumus, collige te, et rerum consciente tua subduc rationes, et ultimum jam prope instare diem scito, quo viventes et mortui judicandi sunt. Domino nostro Jesu-Christo veniente cum virtute multa in gloria Patris sui, cui neque mors, neque sepulcrum eripiet quemquam, quomodo ipsius sistatur judicio. Hic judicialurus est, secundum eum sermonem, quem nobis loculus est a Patre suo, non secundum placita aut invenia hominum. Nolumus te diutius detinere; habes multos ejusmodi casus, qui te com mode instruere possunt, quid tibi faciendum sit, ut Domino Christo lucricias et reconcilieris. Blandiatur quis tibi: satis est nos tibi quod verum est dicere. Vale ».

258. Sic Epistola, ex qua evidentissime patet, Laskum, ex eo potissimum adductum, ut hæreticam pravitatem abnegaret, quod perpetuae iræ, dissensiones, odia et scandala inter sectarios hoc præcipue tempore ferverent; unde merito idcirco ridenda Regenvolsci, Thuani, Neng-bavari, aliorumque hæreticorum scriptorum, quæ supra retulimus commenta, dum hoc ipso tempore, pacem tandem inter illos firmatam fuisse, incauto lectori suadere conantur; eodem certe animo, quo insuper gravissimis contumeliis, a magno Moschorum duce Polonicos ac Lithuanos oratores hæreticos affectos, amplissimis nihilo minus muneribus cumulatos, dimisso, fingere veriti non sunt, ut paulo ante commemoravimus.

259. Laskius aulem, præfata Epistola accepta, eis quod merebantur, Catholico senatore dignum, tale dedil responsum¹:

« Litteras vestras non sine animi consternatione perlegi. Commotus enim sinistra admonitione perversi consilii, non possum non abhorre tam autores, quam eorum fucatas persuasions. An me rationis experiem, desperatae conscientiae, vel levem arundinem ventorum procellis agitatam esse pulabitis, ut a profundissimi errorum latebris, in manifestissimum lumen veritatis, gratia divina adductus, rursus in novas despiciatissimorum hæreticorum sectas, vestris vel aliorum stimulis me temere præcipitem? Non sum quem putatis, neque quem in-

constantiae accusetis. Incideram quidem, fateor, in atrocissimos falsæ doctrinæ fluctus, detestandamque seductorum tempestalem: errabam in deserlo tenebrarum ovis morbida; persequebatur me luporum rabies ferocissima; sed immensa Summi Pastoris benignitate circumseptus, ad verum et unicum ovile humeris ejus propriis sum reportatus. Nunc jam cognosco unum in essentia Deum, hypostasis trinum. Patrem videlicet, Filium et Spiritum sanctum, sed unum *ipsissimum* perfectum Deum. Hunc Christum Jesum Eterni Patris Filium, æternum Pontificem et sacerdotem perpetuum, secundum ordinem Melchisedech, excussa omnis cœcitatibus caligine, sincere cognosco, credo, adoro et invoco. Ecclesiam Catholicam, sanguine ejus pretiosissimo dedicatam, unam esse affirmo, quæ ut est universalis, ita omnia Divinitatis mysteria in ea sola esse reposita firmiter teneo, extra quam, neque salus, neque remissio peccatorum hominibus contingere potest. Huic a Christo vicarius constitutus Romanus præsedit Pontifex: cui in regenda gubernandaque Ecclesia, non minor quam Petro Apostolorum principi a Deo concessa est auctoritas. Minime igitur mirum esse vobis videatur, si illi in fide lubens obedio, cujus potestatis imperio Christus ipse parendum mihi præcepit. Oscula vero illa, si tanquam sacrilegia mihi proponitis, erratis infelices. Talis enim et osculo dignus est vero, qui pascit me vita pabulo. An non a Christo Ecclesiæ subjecti sumus dignitati? Aut ego contemnerem eos, quos audire jubet his dictis: *Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit?* Nolo igitur temerarie rebellionis stultitia inflammatus, spernere Christum in Romano Pontifice. Illum superiorem adora, hunc tanquam personam ejus in terris gerentem, fideliter observa. Neque ea ratione, ut vos somniatis, in Babylonicam ductus sum captivitatem, imo ruptis vinculis teterrimis pestiferæ hæresis, cujus dira contagione implicitus, miseram contaminaveram animam, in lucem veritatis, non in castra adversariorum, ut vos detorquetis, erumpere festinavi. Sed, quæso, num is recte aliis consulere potest, cujns doctrina inexplicabilibus nefandissimorum errorum sordibus est depravata? Numquid ex corruptissimo et amarissimo fonte, dulcis aqua emanabit? Turpe est doctori, cum se redarguit culpa. Vos mihi consulitis, qui Christum dereliquistis, Apostolos eorumque successores contempsistis, Ecclesiam suam abhorruistis, ex qua ut effrenis potentior vagaretur libido, improvisa et immoderata solutæ carnis licentia, ad quaslibet stupendissimas hæresum opiniones, insolenter vosmetipsos præcipitastis. Ibi orta jam scandalis infinita, ibi dissensiones continuæ, ibi sceleratissimorum hæreticorum impurissimæ professions, perpetua de religione pugna, miserabilis et afflictæ conscientiae desperatio. Con-

¹ Inter Epist. Hosii Epist. cxxvii. p. 278.

siderate, quanta sit inter vos sectarum diversitas, quam auctorum numerosa differentia, in religione impostura, in fide blasphemia, in opere incontinentia. Nullus ordo, nullus status, nulla potestas, nulla dignitas Ecclesiastica, nihil inter vos, praeter confusionem video, nil praeter dissensionem expertus sum. Cum Deus non sit dissensionis Deus, sed pacis Deus. Atque cum ita sint, innocentis prophetae querelas, Salomonem et Jessidem mihi proponere, importunisque obscurissimi sensus vestri consilio tentare non erubescitis? Paeata est mea conscientia, quieta religio, tranquilla fides. Et ipsa cum aliis Catholicis una, unum Baptisma, unus Deus, una Ecclesia, cuius caput est Christus, quæ regitur et gubernatur auctore Spiritu sancto. Haec non errat, haec non desipit, non delirat: firma stat et immobilis, perpetuo durat. Contra hanc pseudopropheta, horrendissimus Antichristus, qui est seductor et auctor profligatissimi erroris, miserandæque conscientiæ vestrae, cum bestia, quam scribitis, crudelissimas ferociissimæ naturæ suæ vires exercere nuditur, hanc impugnare tentat, sed frustra laborat. Quandoquidem est fundata supra firmam petram. Ipsa autem bestia, cum pseudoprophetis vestris, Spiritu oris Domini, in vindictam sui nominis sanctissimi sanctorumquejus, mirabiliter occidetur. Quamobrem admoneo vos, et per Spiritum Dei viventis obsecro, resipiscite aliquando, vestrosque errores recognoscite et emendate. Reverlimini ad unitatem, et gremium S. Matris Ecclesiæ, cuius uberibus estis nutriti, ne cum seditiosis et blasphemis aliis, quemadmodum Chore, Dathan et Abiron, vivi ad lacus infernales, et tormenta nunquam finienda in momento descendatis. Me vero amplius vestriscriptis, ne sollicitetis. Nam, neque persuasio, neque tribulatio, neque angustia, neque mors acerbissima, me a Christo et veritatis acceptæ constantia separabit».

260. Praeclarissima vero haec Epistola, cum ad manus cardinalis Hosii pervenisset incredibili lætitia affectus, se haud continere potuit, quin Laskio gratularetur; et quia hoc tempore erat Hosius ipse adversa valetudine præpeditus, ideoque Summum Pontificem adire non poterat; per alium, tum hæreticorum ad Laskium, tum Laskii ad eos, et ad Pium, et ad alios S. R. E. cardinales Epistolas deferri curavit; ut patet ex his, quæ ad ipsum Laskium seripsit hoc modo¹:

«Vidi litterarum exemplum, quas ad D. V. dederunt præcones mendaciorum, et particularitas potius, quam universitas Antichristum profitentium in Polonia. Vidi et responsum, Catholico, vereque pio, et magnanimo, et aperte Christum profitente senatore dignum. Simil autem, ut legi, quoniam ipse per adversam vale-

tudinem S. D. N. convenire non potui, per alium litteras Sanctitati suæ exhibendas et legendas curavi: quæ zelum hunc dominationis vestræ, et in fide Christiana tuenda, et conservanda constantiam commendavit plurimum, et est eam sua paterna benedictione prosecuta. Communicas etiam illas curavi cum nonnullis S. R. E. cardinalibus, qui cum legissent, fortem hunc animum D. V. (quæ se, nulla serpentis astutia seduci, nec ullis rationibus, de semel agnita vera fidei doctrina dimoveri patitur) in cœlum usque laudibus extulerunt».

261. Pluribus agit deinde de hæreticorum erroribus, commendansque eum, quod in proximis superioribus Versaviensibus comitiis, sectariorum ausibus constantissime restitissel; tandem incolumitatem a Deo, et fausta quæque ei precatur.

262. *Hosius monet alios Polonus de hæreticorum fraudibus.* — Maneris enim sui putavit Hosius idem, qui, uti Apostolus, cum infirmaretur potentior videbatur, nil eorum prætermittere, quibus fideles in vera fide confirmare, et ad eam, qui aberrassent, revocare. Nam sicut sectarii animas seducere totis viribus connitebantur: sic toto etiam conatu, vel seductas reducere, vel eas, quæ seduei poterant confirmare, vel tandem confirmatas adhuc magis in bono stabilire ac firmare Hosius suum esse arbitrabatur. Hinc ejus Epistola¹ ad Nicolaum Tomickii, qua hortatus est (quandoquidem cum hæreticis multum ei commercii cerebro futurum erat), ut eorum doctrinis variis et peregrinis abduci se ne pateretur; atque falsæ doctrinæ viento circumferri se minime sineret; quinquo aliquos errantes, præcipue vero parentes suos, in viam revocaret. Hinc altera² ad Nicolaum Fitlejum Palatini Cracoviensis filium, qua gratulatur ei in Catholicæ Ecclesiæ gremium reditum; pariterque admonet, ut pro parentis sui conversione laboret. Ad hoc autem perficiendum, Epistolam ipsam, per patrem Stanislauum Varsekevicium, de quo plura inferius, misit, ut familiariter Nicolaus (utpote cum viro, non vulgari doctrina, nec minore pietate prædicto,) cum eo uteretur, et ut parens ejusdem idem faceret, Nicolaus ipse operam daret; quo veritati oculos facilius aperire posset. Et hinc demum illa ad Andream Comitem a Gorka castellanum Gnesensem, qua virum laudavit, quod ad Petri Cathedram, in quadam lite dijudicanda confugisset; et ut eamdem in religionis negotiis sequeretur, admonuit. Digna vero præ cæteris videtur haec Epistola³ quæ hic inseratur. Dicit enim:

«Accepi litteras D. V., quæ mihi, vel hoc nomine cumprimis gratæ et jucundæ accide-

¹ Epist. 128, p. 279.

¹ Epist. 132, p. 286. — ² Epist. 120, p. 272. — ³ Epist. 121, p. 270.

runt, quod omnem dubitationem, quam de illa habui, prorsus ex animo meo excusserunt. Fatus enim ingenue, quod res est, quod bona tamen cum gratia D. V. dictum velim, quod in hunc usque diem certi nihil habebam, an inter Christianos, an inter Lutheranos et Calvinianos, ea numeranda foret. Quamvis euim magis ad nostra, quam ad adversariorum partes inclinare visa est, inter vacillantes tamen ea censebatur potius a nonnullis, quam ut prorsus nostra iudicari posset. Hie serupulus nunc ex mente mea ejectus est; memor enim illius, quod a sancto Patre quodam scriptum est: qui Cathedrae Petri jungitur, mecum est; ambigere jam non possum quin illam inter nostros numerem, quandoquidem ad Petri Cathedram, in his, de quibus ei lis est cum quibusdam, sibi confugiendum esse putavit. Quod utinam similiter ab aliis fieret: minus nunc sectarum miserandum in modum inter se dissecatarum, in patria nostra, magno cum animorum nostrorum cruciatu videremus: nam vere dixit ille: Quod non aliunde schismata et haereses obortae sunt, quam inde, quod sacerdoti Dei non obtemperatur; dum episcopus, qui unus est, et Ecclesie praest, superba quorundam presumptione contemnatur; et homo dignatione Dei honoratus, ab indignis hominibus judicatur; nec unus in Ecclesia Dei sacerdos, et ad tempus iudex, vice Christi judicatur: cui si secundum magisteria divina obtemperaret fraternitas universa, nemo adversussacerdotum collegium quidquam moveret; nemo, post divinum judicium, post populi suffragium, postque episcoporum consensum, judicem se, non tam Dei quam episcopi faceret; nemo dissidio, unitatis Christi Ecclesiam scinderet; nemo sibi placens ac tumultus, seorsum foris novam haeresim conderet. An autem suis ipsa non cernit oculis, quam vere dixerit haec sanctus ille martyr et pontifex? Quid enim factum est, postquam iudex, vice Christi, rejectus a multis est Romanus Pontifex? An tot fides nunc, quot voluntates videre non licet? An eo audaciae et dementiae progressum non est, ut quidam sibi placentes et tumentes, tanquam idola quedam, ab omnibus adorari contendant, dum quae sunt somnia suorum capitum, ea tanquam Dei verbum et Evangelium ab omnibus accipi, nec alio, quam divini Verbi nomine censi volant? Deinde sic ipsi dissident inter se, tantis contentionibus, quod quisque sentit, Verbum id esse Dei contendit, ut ab opinione sua dissidente, alter alterum haereticum appellare ne dubitet, et haec est sola veritas, quam in scriptis eorum reperire licet. Sunt enim haeretici revera, dum seorsum ab Ecclesia novas opiniones quasdam eligunt, quas pro Dei Verbo populo venditant. Esset autem eo res unquam perdueta, si Christi vice iudex unus, Petri successor in terris agnoscereetur? Quam-

obrem D. V. satis laudare non possum, quod quamvis in alio quodam quam fidei negotio, ad Petri Cathedram contigit, in ea sibi jus decerni petit, sicut ex litteris D. V. ad Rescium meum datis intellexi; neque dubito quod facit in causa temporali, quin idem facturus sit in iis causis, quae pertinent ad salutem animae sempiternam, neque fanaticorum quorundam vocibus aures suas accomodabit, novas subinde doctrinas, et eas inter se pugnantes, pro Verbo Dei venditantur; sed si qua de re dubitaverit, Petri Cathedram sibi consulendam putabit, ad quam proprie judicium de doctrina religionis spectat. Ego vero, quoad fides et religio mea patietur, etiam in hac temporali causa, pro virili mea D. V. libenter presto sum adfuturus; multo libentius id facturus, quoties opera mea uti dignabitur in causis ad salutem aeternam pertinentibus. Hoc enim certo sibi de me persuadere potest, nihil esse, quod ardentibus votis expetam, quam, ut et in hoc, et in futuro saeculo feliciter illi eedant omnia. Cujus, ut mei desiderii me Deus compotem faciat, supplex illius Majestatem imploro. Datum xiii Januarii. Romæ MDLXX.

263. Hosius columnas Bezanorum diluit. — Sed præ omnibus, quæ hoc anno, pro religione tuenda, ac Poloniae regno ab erroribus expurgando egit Hosius, in illud potissimum curam omnem intendit, ut Bezae Synagogistas proligaret: utpote omnium pestilentissimum haereticorum genus, quod summa temeritate ac audacia, præ aliis, menda sua ac zizania in Ecclesie agro superseminare contenderet. Gavisus est ideo, quod hoc ipso tempore rex Sigismundus, Palatinatus dignitatem Craeviensis, in Stanislaum Barzii contulisset, Catholicum nempe ac pius virum, quem de officio ideo admonendum duxit, inter alia breve ad eum scribens¹:

«Haec igitur excelsa demoliri, quæ pietas est D. V., et ministros eorum, quoad ejus fieri poterit, ex omnibus prefecturae sue locis, præcipue vero ex ea civitate, quæ regni totius caput est, exterminare conabitur: procul dubio certo sibi persuasum hoc habeat, quod nullum offerre Deo sacrificium gratius poterit, quam si in exterminandas istas pestes, præsertim a Beza superioribus annis submissas, toto pectore, quod aiunt, ineubuerit. Nam ab illis haec Biesowa Wiarea, id forte est quod alibi ocream Polonicam vocat, quam in proximis superioribus comitiis, nempe Varsaviensibus obtrudere majestati regiae quidam sunt conati. Sed et regiae majestati gratiam ea re sibi demerebitur, quæ proculdubio munus hoc, ob eam causam potissimum D. V. mandavit, ut habere possit eorum, quæ sancte per se deereta fuerunt, ex-

¹ Epist. 133. p. 291.

tremum executorem. Nec enim ignorat D. V. quod ante quinquennium in comitiis habitis Pareoviae decretum fuit, praesente etiam S. Sedis Apostolice legato, qui decreta Concilii Tridentini reg. majest. tum obtulerat, ut si minus alii, saltem externi ministri pellerentur ex Polonia. Sed cum, qui munus hoc, quod nunc est D. V. mandatum, antea gerebat, non solum executorem esse tam pii decreti recusaret, verum etiam impiorum Satanae ministrorum, eorum praesertim, qui sunt a Beza missi protectionem susciperet, et eos in familiaritatem suam reciperet; magna eum regiae majestatis, et gentis nostrae totius infamia, in spongiam, sicut ille quondam dixit, hoc decretum incubuit. Quod si nunc exequendum D. V. curaverit, et saltem Synagogistas a Beza missos, si non potest alios, ex his locis, in quibus praefectum agit, ejecerit; magnam ea re nomini suo laudem comparabit; summam, et apud terrestrem, et apud caelestem regem sibi gratiam conciliabit. Petivit autem hoc magna contentione ipse Beza a majestate regia, ut omnes externos ministros, juxta decretum a se Pareoviae factum, quod etiam in celum laudibus usque fert, ex regno suo proscripteret; quin et me graviter hoc nomine reprehendit: quod ego majestati illius, ne faceret, suaserim; quod falsissimum esse constat. Nam in eadem ego quoque fui semper, et nunc sum sententia. Supplex etiam ab illius majestate petivi, ut illud sanctum decretum exceptione mandaret, et ab istis Synagogistis a Beza missis exordium sumeret. Quamobrem prompta semper fuit illius majestatis voluntas, verum quo ministro recte uti posset, in ejusmodi executione facienda, non habebat. Quem posteaquam nacta nunc est, bona spe sum, quod D. V. quae sunt officii sui, facere non prætermittet, nec falle eorum expectationem, quam omnes pii, de illius in fide Christiana tuenda zelo, conceperunt. » Et post nonnulla: « Quamobrem (tandem coneludit) quanti facit communis regis et benefactoris nostri dignitatem, communis nostra etiam patriæ salutem et utilitatem; quanti denique Christum ipsum facit, communem Deum ac Dominum nostrum, quem illi, qui sunt Biessowii Wiarkii, arguere mendacii, et plurimis afficere blasphemias non dubitant: tantum contendat et elaboret, ut si minus alios multos, saltem pestes illas a Beza submissas, ex praefecture sua locis, arceat, nec eos virus suum, cuiquam afflare permittat. Quod si fecerit, non solum a regia majestate, eujus id plurimum interest, verum etiam ab illo, qui Rex est regum et Dominus dominantium, hujus tam præclari facti sui mercedem accipiet, nec in hac vita tantum, verum et in illa ad quam aspiramus, omni felicitatis genere cumulabitur. Romæ xvi Decembris MDLXX ».

264. Quod sibi per easumniam objectum a

Beza scribit Hosius, ut nempe regi Sigismundo suaserit, ut omnes externos ministros, juxta Pareoviense decretum, minime de Polonia regno proscribere; nil aliud certe fuit, quod cum Bezae Synagogistæ, e Polonio regno Trideistas, aliquaque sectarios ejicere totis viribus contenderent, ut liberius sibi solis sua errorum semina dispergere liceret; obstiterat Hosius, ac, vel cum Bezanis ceteros quoque haereticos simul in regno tolerandos, ut mutuis inter se concertationibus, se vicissim everterent; vel cum sectariis ceteris Bezanis in primis pellendos ostenderat, ut supra vidimus.

265. Cæterum inani propemodum conatu, a Craeoviensi ditione eosdem Bezae Synagogistas exturbare Hosium connixum fuisse; ea ostendunt, quæ sunt subsecuta, narratque Rescius¹ in ejusdem Hosii Vita: nam referit haud multo post in ipsa civitate Cracoviensi illos officinam nequitiae, et omnium blasphemiarum diversorum, in domo, quam materna lingua Brog, latina Acerbum dixeris, incredibili importunitate et audacia usi, in honorem Dei sui Catvini et semidei Bezae instruxisse, in qua Christum mendacii arguerent, qui dixit, accepto pane: *Hoc est corpus meum: et accepto calice: Hic est sanguis meus.* Quæ res, quantum dolorem Hosii animo attulerit, ex Epistolis, quas ea de re multas ad regem, episcopos, nuntios, palatinos, ceterosque cum auctoritate viros conscripsit; et ad reprimendam haereticorum audaciam inflamavit, petere quisque potest. Nos eas, ceterasque, quæ ad hac rem pertinent, suo loco dabimus.

266. Gedanenses ad regis obsequium reducti dant spem redundi ad veram fidem, si calicis usus eis permittatur. — Quia vero commemo-ravimus horrendas in Dominicis Corporis et sanguinis Sacraenta, a Bezanis prolatas blasphemias: minime prætereundum est, hoc ferme tempore Gedanenses, ex Varsaviensium comitiorum decreto, tandem ad regis et regni obsequium revocatos, ad Catholicæ quoque Ecclesiæ gremium facile reversuros, nonnullos censuisse. Aliæ quædam Pomeraniæ civitates, agente potissimum Stanislao Karnkovuskii episcopo Wladislaviensi vigilantissimo, hoc ipso anno, e cœno errorum emersæ, ad veram religionem redierant; ideoque de Gedanensibus eamdem pariter spem concipere, absurdum omnino non videbatur. Cui addas, quod spem eam injeccerat Burgravius ipse Gedanensis, hac tamen conditione, ut Calicis usus Gedanensibus concederetur. Be hoc egit is cum præfato Wladislaviensi episcopo, qui super hac re, de sententia rogavit flosium. Verum, quod Hosius in his, et similibus, longo experimento edoctus, ac fovearum hujusmodi vulpium plenissime instructus

¹ Resc. in Vit. Hosii lib. III, cap. vi, p. 237.

ad Wladislaviensem responsum dederit; petendum est ab ipsius Epistola ad illum, quae sic sese habuit:

« De diurno silentio nihil erat quod se purgaret D. V. præcipue sub illud comitiorum tempus, quo quibus fuerit curis distracta, nemo est qui nesciat. De successibus Gedani, D. V. gratulor, nec mediocrem ex ea re laetitiam capio, quod in hunc statum res tandem est perducta: deinceps quietiora speranda sunt omnia. De Burgravia Gedanensi, semper fuit meum judicium, quod ab Ecclesia Dei minus esset alienus, quam alii multi. Fortassis autem vix est alius in magistratu Gedanensi, qui propius ad nos accedat. Quod autem ille de Calice petit, si certum esset ejus concessionem senatum populumque Gedanensem adductum iri, relicto Islebiensi et Genevensi Antichristo, ad Christum, cui jam ab annis aliquot nuntium remisit, rediret; equidem et manibns et pedibus enixe contulerem ut concederetur. Sed quid alibi fuerit consecutum, posteaquam concessus est Calix, videmus. Cujus autem ea de re testimonium pondus habere majus debet, quam Dudicij non haeretici, sed pro Catholicis tamen habitu, priusquam feminæ eujusdam amore cœperit insanire. Dixit is, cum esset in Petricoviensibus comitiis, non semel etiam in publicis congressibus, laboratum in consilio fuisse, ut Germanis Calix concederetur; sed per quos labor hic susceptus est, eos consilii sui vehementer pœnituisse. Num cum spes ostensa fuisse, quod per hanc viam Lutherani multi, ad Christianam fidem essent reddituri; non modo nihil tale factum esse, verum etiam contrarium evenisse potius. Nam ex Christianis plerique facti sunt Lutherani: ex Lutheranis vix quisquam repertus est, qui non majore pertinacia perfidiam suam tueretur. Sic, nec interim Cæsarea majestas, qui plus etiam aliquid, nescio qua auctoritate permisit; nec concessio Calicis, per Pontificem facta, penes quem ejus rei potestas est, quiequam attulit adjumenti ad haereticos, ad officium revocandos. Quin majora sunt inter ipsos haereticos consequata schismata quam ante concessionem ejusmodi fuerunt, et ad quidvis audendum, multo sunt facti projectiores. Vellem autem scire, cur Calix petatur? An sub altera tantum specie Christus integer esse non creditur? Potest autem heresis esse magis horrenda, quam sit haec, quæ tot seculis, non vivum corpus, quod sanguine carere non potest, sed mortuum cadaver, (totus, cum haec scribo, contremisco,) sumptum a Christianis in Eucharistia fuisse contendit? Quorsum autem ventum est, per Deum Immortalem? Posteaquam de Calice litigari cœptum est, rem ipsam amiserunt, qui tantopere de Calice litigarunt. Altercationibus istis eo progressum est, ut veritas amitteretur, ut verum et vivum Christi Corpus, verus et vivus Christi san-

guis in Eucharistia præsens adesse negaretur. Verum hac de re versus quosdam germaneos D. V. mitto, quos ipsa per occasionem ad Burgravium Gedanensem preferendos enrabit. Equidem non video, quid aliud in Calice petendo, quam ab Ecclesia divisionis initium queratur; cum tamen Dominus Deus noster, non divisionis, non dissensionis, sed pacis et dilectionis sit Deus. Sieut ipse Christus divisus non est; sic haereditatem suam dividi non vult, in hujus præsertim Sacramenti usu, quod signum charitatis, et symbolum est unitatis. Quotquot extiterunt haeretici nostro saeculo, non aliunde, quam a Calicis usu divisionis initium fecerunt; neque nostro solum, verum et superiore saeculo. Et in Bohemia, et in Moravia, non aliunde, quam Calicis usu divisionis exordium factum est. Quæ postea fuerint conseonta, cum cum propria quadam libidine usurparunt, D. V. per Moraviam transiens, oculis ipsa suis vidi. Fatetur hoc antesignanus nostri temporis haereticorum, quod non aliam ob causam, quam in despectum Ecclesiae, de Calice potari velit; que si statueret sub utraque communicandum esse, velut sub una, vel sub neutra: et eos omnes anathema promuntiaret, qui sub utraque communicarent. Quanto melius faceret Burgravius Gedanensis, si secum ipse cogitaret, iam a sexcentis plus minus annis, non aliter, quam sub una specie Gedani communicatum esse. Egone maiores meos condemnabo, qui sic usi sunt hoc venerabili sacramento? Condemnabo S. Adalbertum et S. Stanislauum, qui nobis Evangelium Christi sanguine suo signatum reliquerunt, a quibus non aliter, quam sub una specie sacramentum Eucharistiæ ministratum esse constat? Tradam eos Oreo, qui tot ante saecula vixerunt, quod contra expressum Dei verbum venerint; vel eos cœtitatis arguam, qui vel ipsa luce clariorem Scripturam non intellexerunt? Quin ego me potius hallucinari credam, qui mihi plus in Scripturis interpretandis tribnam, quam oportet. Orbis iudicio meum anteponam? Cum præsertim tot jam intercesserint OEcumenica Concilia, in quibus nullum esse de Calice necessario sumendo præceptum declaratum est. Ecclesiæ audire me jussit Christus, quam etiam in Symbolo me credere profiteor. Sempiternum autem Væ comminatus est prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, et nihil vident. Nolo esse propheta insipiens, nolo sequi spiritum meum, qui falli potest et fallere. Sequare eum, qui promissus est Ecclesiæ Spiritum Sanctum, quam, illo regente, nunquam errare certe scio. Quamobrem hanc parentem meam, qua decet pietate venerabor, illi me permittam, illi credam, illam audiam, illam secundum Deum reverebor; que de divinis rebus ipsa sentit, sentiam; que de humanis præscribit, faciam; que prohibet, citra dubitationem

ullam fugere conabor. Sic secum potius ratione inari deberet Burgravius, quam ut majore eum instantia Calicem peteret, ex quo bibat aliquis, vel non bibat, parum ad salutem refert. Non bibunt ex eo infantes, neque tamen propterea contra Christi praeceptum veniunt, qui dixit: *Bibite ex hoc omnes*. Quin certum est et indubitum, si post Baptismum diem suum extremum clauerint, in illa sua innocentia, quod haereditatem regni cœlestis consequentur. Bibit ex Calice Iudas, quem etiam ipse Christus manibus suis illi porrexit: est nihilominus condemnatus. Verum hac de re satis. Vehementer autem D. V. gratulor, quod quasdam Pomeraniae civitates de manibus haereticorum vindicaverit. Utinam eamdem illi felicitatem Deus tribuat in Gedanensi quoque civitate, ut et illa possit ad Christum, quem tot annis deserui, revocari, et eo adduci, ut ejiciat Antichristos illos, qui sicut pridem Papistæ, sic postea, neque Registæ esse noluerunt: neque minus fortiter contra regem quam contra papam, præsentibus etiam modo non audientibus regiae majest. commissariis clamarent. Quod si fecisset Cathoficus aliquis, jampridem supplicium de eo sumptum esset. Sed haereticis omnia licent, haud aliter quam si sacrosancti sint. Nemo eos audet attingere, quin quod illis placuit, id in comitiis legis vigorem obtinet, etiam si sit major pars contradicentium. Quam ego patriæ meæ tantam calamitatem satis deplorare non possum. Vivere videmur absque rege; et hoc agi cernimus, ut simus absque saecordio, et per consequens, absque Deo. Datum Tyburi xii Octob. MDLXX ».

267. *Disputatio theologica inter orthodoxos et haereticos in laudem veritatis terminatur.* — Novissimis hisce verbis, haud aliud Hosius, quam nimiam regis Sigismundi cum haereticis comitatem, de qua nos pluribus supra, coarguere voluisse compertum est. Eodem vero tempore, quo Gedanenses, postulato Dominicæ Calicis usu, simulatam eum Orthodoxis concordiam inire velle ostenderunt; de sectariis aliis in Lithuania, venerabile ipsum sacramentum oppugnauitibus, pro communione sub una tantum specie certantibus, victoriam Catholicæ retulere. Rem narrat his verbis Sacchinus¹: « Andreas Volanus, qui palatino Vilnensi a secretis erat, adjuncto sibi Andrea Tricesio, et aulicorum globo de eodem grege Calvini cum Lutheranorum etiam concursu tentandam sibi jesuitarum facultatem putavit; et ad Collegium (recens instructum) profectus, de sacramento Eucharisticæ, quid Patres sentirent, interrogavit. Qui cum sententiam Catholicam ita explicassent, probassentque, maxime anctorilate S. Augustini et Ambrosii, quibus se stare haereticus aiebat, ut nemo dissentire, nisi obstinata pertinacia pos-

set; tamen nihil commutatus discessit. Tum tres ante omnia infringendos illos haereticorum spiritus, comprimendamque plebis lacessendi procaciam rati; de cuncta Philosophia theses atque ex Theologia, nominatim de vera Corporis et Sanguinis Christi in Sacramento Eucharistæ præsentia, deque Communione sub una specie, sustinendas proposuerunt. Quæ cum ad valvas templorum septem dies pependissent, ad disputationem ventum est. Joannes Hajus Scotus, Rethoricæ designatus magister, propugnabat, præsidibus Versavio et Balthassare Hostonino. Ingens ad audiendum etiam haereticorum numerus convenit; at ex his, quamquam semel atque iterum ac tertio invitatis, nemo unus toto triduo, quo disputatum est, conserere manum voluit. Ita res inter Catholicos gesta, et haereticorum argumenta serio tractata, et magnifice refutata sunt. Haud facile dictu est, quantum illæ disputationes, aliæque subinde pari felicitate, et eadem haereticarum fuga editæ, Catholicorum et animos confirmaverint, et vultus, itemque adversariorum temeritatem frenarint, etc ». Ita Sacchinus.

268. *Misertus ærumnarum Lithuaniae Hosius, Sigismundum a bello abstinere monet.* — Sed quia de Lithuania sermo incidit, haud incongruum videbitur hie opponere, quæ cardinalem Hosium¹ ærumnarum illius miserium, ad regem Sigismundum, sua sacerdotali charitate simul ac libertate scripsisse reperimus: « Dicitur (illius sunt verba) Lithuania magnam ad vastationem esse redacta, propterea quod a milite, quem tot annis aluerunt, durans quam ab hoste traetati fuerint. Nam, qui propugnatores esse debebant, per vim omnia miseris colonis eripiebant, nec eis vel ad vietum saltem necessaria retinequebant, ut nec quod seminarent in futurum annum haberent; quin etiam si qui resistere vi factæ conabantur, eos crudeliter occidebant. Iterum atque iterum supplex oro, misereatur miserorum subditorum suorum, nec eos ad internectionem usque deleri velit. Jam enim diffugisse multi, plures etiam fame dicuntur interiisse, ut prope desolata sit terra, de qua procul dubio jam actum erit, si non dabitur a bellis aliqua requies, ut respirare tantum miseris colonis ticeat ». Hinc Christiana qua consuevit libertate admonens, ut ab omni prorsus bello se temperaret, ² addit: « Ego vero et hoc majestatem vestram oro et obseero, ut quoad ejus fieri poterit, ab omni bello prorsus abstineat. Nam cum iratum peccatis nostris Deum habemus; illo graviter offenso, eum præsertim de plaecanda ira ejus nihil cogitetur, non est quod teliciter nobis aliquid cessurum existimemus. Utinam aliqua gratiora majestati vestrae scribere possem: sed malo vera, quam

¹ Sacchin. Histor. Societ. p. 3, lib. VI, p. 296 no. 122.

¹ Epist. Hosii 134, p. 290. — ² Idid. ut supra.

Blanda, malo salutaria quam quae sunt extre-
num regni interitum allatura. Provolulus ad
genua majestatis vestræ, per viscera misericor-
diae Dei, supplex ab illa peto; misereatur afflictæ
Ecclesiæ, misereatur ruentis ad interitum regni
sui, misereatur animæ suæ. Quod in hunc usque
diem facere, nescio qua de causa, distulit, tan-
dem aliquando Christum aperle confiteri coram
hominibus incipiat, ut sciant omnes habere se
regem Christianum; ne qui sunt hostes fidei
Christianæ, quod quidam ex illis facere dicun-
tur, suarum illam partium esse gloriari possint.
Unicum hoc remedium ad ea mala, quibus
obrui videamus, propulsare reperio, et adjustam
Dei iram placandam. Quod si Christum aperte
coram hominibus confessa fuerit, vicissim et
ipse majestatem vestram coram Patre suo, qui
in Cœlis est, confitebitur, salubria consilia sug-
geret, nec est majestati vestræ sua gratia desfu-
turus. Si minus . . . sed tacere malo, nam et
dolor me plura dicere prohibet, cum et hæc non
sine profusis lacrymis scripserim. Herum atque
iterum oro et obtestor; confitealur Christum.
Aliud quod scribam præterea non habeo, nec
video quod atiud, impendentibus nobis malis,
remedium adferri queal ». Sic Hosius.

*269. Pius Hosio Cromerum coadjutorem dat.
cum titulo Posnaniensis Ecclesiæ.* — Eidem Hosio a
Pio hoc anno, (ut etiam præterito innimus,) Martinus Cromerus Varmiensis canonicus, ejusdem
Varmiensis Ecclesiæ coadjutor, cum futura suc-
cessione tribuitur. Placuit hic ea referre, quæ in
Diario, et quidem autographo quod apud nos
servamus, cardinalis S. Severina offendimus,
ut pole quod in illis Pii simul et Hosii et Cro-
meri, ad vivum quodammodo depictæ virtutes
ac merita videantur.

« Die Veneris, feria sexta, xi Junii MDLXX, in
Consistorio Sanctissimus proposuit necessitates
Ecclesiæ Varmiensis, eujus administrator sanctissimus vir cardinalis Varmiensis intererat,
quas ob haereticorum circumstantium et insi-
diantium infestationem sustinet; et quomodo
D. cardinalis ob residentiam in curia inde abesse
cogatur, et ob ætatis grandævæ gravilatem illuc
redire non facile possit; et quod, si vacaret,
quod absit, in manus eujusque haereticæ perve-
nire posset, non sine maximo illius Ecclesiæ
ac populorum exitio ac pernicie. Proplera ve-
nerabilem ejus fratrem cardinalem cogitare de
snbrogando coadjutore, etiam cum futura suc-
cessione, qui illius Ecclesiæ gubernacula susti-
neret, et adversus haereticorum impelus resi-
stere, et illorum falsa dogmata respuere valeret.
Et quamvis Sanctitas sua hactenus hujusmodi
coadjutorias non concesserit, nec concedere inten-
dal, ut saerí Generalis Tridentini Concilii
illibata maneat auctoritas; in hoc casu, ob evi-
dentem illius Ecclesiæ utilitatem, videtur dis-
pensandum, nec etiam poterit trahi in exem-

plum, ut aliis concedatur vel ab illis petatur,
cum similis casus vix unquam occurrere possit;
ad quod tanto magis liberius concedendum Sua
Sanctitas condescendit, quod rex Polonie, qui
habet jus proponendi seu nominandi duos aut
tres ex canonicis et capitulo ejusdem Ecclesiæ,
e quibus unum eligant, huic coadjutoria con-
stituenda, non modo in gratiam ejusdem D. car-
dinalis consentit, sed et eam obtinere ob fidei
Catholicæ zelum maximopere exoptat. Per-
sonam autem coadjutoris esse Martinum Cromerum
canonicum ejusdem Ecclesiæ, et aliarum
etiam cathedralium in Polonia; virum eruditissi-
mum, et spectatae vitae atque scientiæ notissi-
mum in Germania et Polonia, ubi semper acer-
rimus extitit fidei orthodoxæ adversus haereti-
cos propugnator, verbo et scriptis etiam editis.
De cuius probitate atque doctrina Sanctissimus
undequaque habet locupletissima testimonia;
unde et in illis partibus *MALLEUS HERETICORUM*
APPELLATOR: et quod providendum esset de ali-
qua Ecclesia titulari, vel quæ esset apud infi-
deles, vel de quadam ab haereticis occupata eis-
dem partibus, ut etiam episcopalia munia posset
implere. Sed quia adhuc non est resolutum,
quid fieri vel sperari de ea Ecclesia posset; proin-
de sufficere nunc ipsum coadjutorem illius
Ecclesiæ instituere, et deinde poterit creari epi-
scopus; et insuper videri Sanctitati Sue dispen-
sandum cum eodem, ad retinendum canonicatus
et præbendas, tam in d. Ecclesia, quam in aliis
etiam cathedralibus, ne veniant in manus haereti-
corum, defectu Catholicorum; qui non repe-
riuntur in eisdem partibus habiles ad illas con-
sequendas: et quod eidem coadjutori reservar-
etur de mensa episcopali certa pars fructuum,
ut congrue sustentari valeret; quæ juxta quod
illarum partium moneta computabatur, exec-
debat medietatem; reliqua parte remanente
cardinali Varmensi episcopo; et quod in gratia
cardinalis, et meritorum Martini Cromeri
coadjutoris, gratis transiret expeditio. Tunc
SSmus rogavit sententias. Omnes patres collan-
daverunt probum et utile propositum, atque
consilium cardinalis Varmiensis, et S. D. N. de-
liberationem. ut illi Ecclesiæ maxime saluta-
rem; collaudarunt personam coadjutoris. ex
his, quæ de eo circumferuntur; probaverunt
que coadjutoriam ex hujusmodi necessaria
causa, et reservationem: et gratias egerunt pro
gratia Domini cardin. Varmiens. et eisdem pla-
cuit retenlio, et commendarunt pietatem et li-
beralitatem cardinalis, qui plus cessit coadju-
tori, et sibi minus redditum retinuit, contra
morem cedentium, aut sibi successorem desi-
gnantium: gratiæ quoque litterarum expedi-
tionis, libentissime astipulati sunt.

« Nonnulli ex patribus diverunt, hanc
coadjutoriæ causam, non modo non esse contra
Tridentini Concilii decretum; sed imo secun-

dum illud Sess. xxv. de reformat. General. cap. vii. Quod si urgens necessitas vel evidens utilitas postulet, causa cognita a sanctissimo Romano Pontifice, illam concedi posse. Aliquis visum fuit, ut eidem coadjutori daretur Ecclesia, et fieret episcopus titularis, ut Pontificalia munera præstare potuisset: quia non esset meritis in eodem sacro loco deputari quempiam coadjutorem cum futura successione alienus episcopi, qui non institueretur simul et semel episcopus: præsertim ut pontificalia munera administraret, ad quem principaliter finem instituitur, et ut cum majori existimatione dignitatem tueri posset. Itujus objectionis fuit auctor D. cardinalis a Gambara, quem vera dicere Farnesius, et aliqui testati sunt. Sed ... Commendonus, et quidam alii graviter responderunt, coadjutores, etiam non episcopos, deligi posse; morem non fuisse perpetuo servatum, expeetandum tempus resolutionis illius Ecclesiæ, quæ ab haereticis detineretur, commendandæ; semper opportunum esse, de ejus persona aliquam Ecclesiam titularem provideri; coadjutoriam non esse principaliter ad præstanta et implenda munia Pontificalia, sed ad exerceendam jurisdictionem episcopalem: quod maxime patet ex sacris canonibus, tractantibus vel permittentibus coadjutorias sine futura successione: quod qui in eis deputabantur, episcopi non essent; præsertim cum a vicinis episcopis Pontificalia administrari possint, vel etiam cum non magnum dispendium sustineant, si eorum ministerium paulisper differtur, donec de Ecclesia illis commendanda consultius agatur. Et ita Sanctissimus illum coadjutorem cum futura successione, et retentione, et reservatione promunavit. Sic ibi.

270. De eodem Cromero in Varmiensis Ecclesiæ coadjutorem electo, in Vita Hosii sic loquitur Rescius¹: « Hunc virum, propter studiorum et consiliorum similitudinem administratorem primo, deinde coadjutorem successoremque futurum, accedente regis consensu, ac Pontificis Maximi approbatione, tanto libenterius (Hosius) designavit, quod meminerat, non solum hac tempestate nostra, qua versa et perversa in pejorem partem sunt omnia; sed majorum quoque nostrorum memoria, per ambitiosos et contentiosos homines Ecclesias perturbari solere; et a sanctissimis illis Patribus, Ecclesiæ Catholicæ columnis, Valerio, Augustino, Alexandro, Athanasio, imo et a Mose, qui loco suo vivus adhuc Iesum designaverat, et a Petro, qui Linum et Clementem, et aliis idem factum esse sciebat ».

271. Cæterum Pius paulo post certiorem Sigismundum regem reddens de Cromero in coadjutorem cardinalis Hosii a se electo, quod

sibi antea magis sententia eorum placuisset, qui eundem episcopalis consecrationis honore decoratum voluissent, ut cumulatius pastoralia munera obire valeret; a rege ipso exquisivit, ut Posnaniensis Ecclesiæ titulo, quod ipsem etiam ei decreverat, cuiusve nominatio ad eum pertinebat, Cromerum ipsum ornare posset; ut probat ad illum, quam hic damus scripta Epistola:

« Charissimo in Christo filio nostro Sigismundo Augusto, Poloniæ regi illustri¹.

PIUS PP. V.

« Charissime etc.

« Cum a nobis M. T. per litteras vehementer petiisset, ut dilecto filio nostro Stanislao Tit. S. Prisciæ, cardinali Illosio nuncupato, Martinum Cromerum, Varmiensis Ecclesiæ canonicum, virum cum doctrina, tum morum et vitæ integritate præstantem, in eadem Varmensi Ecclesia coadjutorem cum futura successione constitueremus; nos, et M. T. postulatis satisfacere cupientes, et ejusdem cardinalis ætate jam prope decursum laboribus parcendum esse judicantes, M. T. voluntati morem gessimus, prædictumque Martinum eidem cardinali Illosio in episcopatu Varmensi coadjutorem deputavimus. Sed quia is, nisi episcopus consecraretur, episcopi munera obire non potest; optimum nobis factum videtur, si accedente T. M. consensu, coadjutoria durante, Posnaniensis episcopatus titulus, et multis jam annis in Prussia vacans, illi a nobis conferatur; quod quidem eo magis M. T. probatum iri existimamus, quia non exigua Posnaniensis diæesis pars, sue ditioni subjecta esse asseritur, quæ non sine gravissimo animarum Christi fidelium detrimento, ad hunc usque diem proprio caruisse pastore est existimanda. Qua de re ad M. T. idecirco scribere voluimus, ut de sua super eadem sententia certiores nos facere non gravaretur. Futurum speramus, consilium nostrum M. T., non solum probaturam, sed ut ad effectum adducatur, operam quoque daturam esse. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xvi Junii MDLXXX, Pontific. nostri an. v ».

272. Cum Varmiensis Ecclesiæ coadjutorem hunc Cromerum Posnaniensis titulo ornare voluit Pius; haud dubio Posnaniensi ipsi, non solum ea in parte, quæ regiæ ditioni, ut audisti, suberat, sed etiam in reliqua consulere voluisse perspicuum est: consultumque optime censuit, cum ejus qualecumque curam eidem Cromero committere voluit. Pius siquidem sic omnium Ecclesiarum pastoralem curam gerebat, ut singularum etiam peculiaribus prospiceret. Quod quidem testatur paulo ante ista scripta

¹ Vpt. II. s. ab. II. c. xxxiv. p. 216.

¹ Ex Archiv. ut supra.

ab eo ad Benedictum Herbestum Posnaniensem canonicum Epistola, qui munus abiecere cogitabat, quo magno animarum profectu ea in Ecclesia fungebatur; ab eo enim consilio sic ipsum revocare contendit.

« Dilecto filio Benedicto Herbesto, canonico Posnaniensi »¹.

PIUS PP. V.

« Dilecta etc.

« Cum intelligamus te, ubi nunc es, Posnaniæ præsentem, ad animarum salutem multum proficere, et adjuvante Domino, populo isti, tum concionibus, tum sacramentorum administratione magnam utilitatem afferre; periculumque esse, ne si isthinc discesseris, magnum discessus tuus animabus istis detrimentum sit allaturus; moleste accepimus te hoc tempore de discessu cogitare. Quocirea faciendum nobis esse putavimus, ut te ab hujusmodi consilio dehortaremur, atque ad manendum tandem in ista, in qua a Deo positus es statione, paterne hortaremur, donec a ven. fratre nostro episcopo Posnaniensi, antequam isthinc discedas, aliqua ratione Ecclesiæ sue consulatur. Quod eo quoque libentius facimus, quia mansionem isthinc tuam, non minus exterorum, quam tuæ saluti utilem esse arbitramur. Nam quod Apostolus Paulus de se ipso dicebat, vñ sibi fulurum esse, nisi evangelizaret; id sub ejus persona, omnibus dictum esse putari debet, qui ad ali-quod certum opus a Deo vocati sunt. Ilaque hortamur te, ut forti constantique animo sis, in mansionis istius molestiis perferendis; memorve sis, qui semel obsequio Unipotentis Dei se addixerunt, propriam esse voluntatem abnegandam. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xxvii Maii MDLXX, Pontificat. nostr. ann. quinto ».

273. *Sueciæ regno Pius redditum ad veram fidem procurare enittitur.* Hoc vero anno Suecus rex tandem paci annuit eum Dano, quæ Cæsare et Gallo rege intercedentibus, Stetini confecta est. OEsilia et diœesis Revalliensis Friderico addictæ, Reculia et Wittensteinum regi Sueco. Redditure Elburgum Suecis, occupataque Norvegia, et naves erectæ Danis, in integrum restitutæ sunt. Renuntiatum juri, si quod Suecus in Norvegiam, Gorlandiam, Hallandiam, Scania, Bleckingiam teneret; navigationi primum jus; Lubecanis sua privilegia asserta sunt.

274. At de Catholica religione in Suetia restituenda, hoc anno, ad omnem occasionem intentus, sollicite egit Pius. Cum enim, quem paulo ante commemoravimus, Stanislaus Versevitus, Societatis Jesu alumnus, Poloniæ petere deberet; huic Roma decedenti, una cum

litteris, quas fidei vocant, ad regem Sigismundum et Annam ejus sororem scriptis, in mandatis Pontifex dedit, ut hac de re cum iisdem sedulo ageret: jussitque insuper, ut in Suetiam quoque, Polonie itineris occasione arrepta, sese conferret, ut ibi Catharinam Jangellonianam, alteram Sigismundi ejusdem Poloniae regis sororem, et Joannis filii Suetiae regis uxorem, mulierem, inquit Rescius, Catholicissimam, suo nomine inviseret et salutaret. Ex Vaticano Regesto¹, quas diximus ad Annam, ejusque fratrem Sigismundum regem litteras naeti sumus, quæ ejusmodi fuerunt:

« Charissimo in Christo filio nostro Sigis-mundo Augusto, Poloniae regi illustri.

PIUS PP. V.

« Charissime, etc.

« Dilecto huic filio Stanislaeo Versevitio Jesuitæ isthuc venienti mandavimus, ut debito primum paternæ nostræ salutationis officio M. T. persoluto, quedam ei nostro nomine exponat. Petimus a majestate tua, ut eum, qua solet humanitate exceptum, benigne audiat, et in his rebus, quas ei nostris verbis expositurus est, fidem habeat. Erit id nobis gratissimum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub an-nulo Piscatoris, die viii Martii MDLXX, Pontificat. nostr. ann. quinto ».

275. Altera ad Annam Poloniae principem.

« Dilecta in Christo filia nobili mulieri Annæ, regis Poloniae sorori.

PIUS PP. V.

« Dilecta, etc.

« Fecit eximia tua in Deum omnipotentem pietas, singulare Catholice religionis studium, et erga hanc S. Sedem Apostolicam reverentia, ut dilectum hunc filium Stanislaum Versevitum Jesuitam isthuc proficiscentem, sine nostris ad te litteris venire noluerimus. Cui etiam mandavimus, ut nobilitatem tuam, nostro nomine invisens, debitumque ei salutationis officium persolvens, nostra simul paternæ erga se voluntatis affectum, et honorificum de sua virtute judicium ad eam deferat. Quia vero tuus divini honoris zelus, ac pia devotionis charitas no-tissima nobis est, et quantopere religiosis hominibus favere soleas perspectum habemus; ideireo non dubitamus nobilitatem tuam, non solum praedictum Stanislaum libenter visuram, benigneque audituram esse; sed etiam ab eo rogatam, quibuscumque rebus poterit, pios illius conatus pro parte sua adjuvaturam. Quod ut faciat, utque ejus verbis tideri habeat, ab ea vehementer petimus. Erit id nobis gratissimum. Datum Romæ apud S. Petrum, sub

¹ Ex Archiv. Vatic. ut sup.

¹ Ex Archiv. Vatic. signat. 2012. sec. Thes. Alix. Cod. 100.

annulo Piscatoris, die viii Martii MDLXX, Pontific. nostr. anno quinto ».

276. At cum in his litteris nil penitus commemoretur eorum, quae Versevitius cum rege ac sorore, Pii nomine agere debuerat; ea idcirco omnino incompta nobis remansissent, nisi Sacchinus¹ ipsa nobis saltem indicasset his verbis, ubi de Magio, Sunerio, ac Versevitio Jesuitis, a Vincentio Portico, Apostolico internuntio, Varsaviam evocatis agit. « Ibi quoque magna humanitate excepti, et Magio jam noto, rex in omnes usus patrocinium detulit; ejusdemque jussu, coram eo et senatu, et cunctis episcopis, Versavitius haud sine approbatione est concionatus. Ante omnes letata reginula est. Ita vocabant sororem regis, nomine Annam, pietatis memorandæ virginem. Attulerat ei ab Summo Pontifice Versevitius litteras, per quas hortabatur, ut sororis suæ virum, Sueciae regem Joannem, ad Ecclesiam revocandum susciperet ». Sic ille.

277. Epistola autem², quam ad Catharinam Sueciae reginam Pius deferendam dedit, hujusmodi fuit:

« Charissimæ in Christo filiae nostræ Sueciae reginæ illustri.

PHYS. PP. V.

« Charissima, etc.

« Cum Stanislaus Versevitius in Poloniam proficisciens, isthuc quoque in Sueciam ventrus sit, eo tamen consilio, ut in Poloniam, ad collegium suum quamprimum revertatur, prætermittere noluimus, quin has ad M. T. litteras, nostræ erga se paternæ benevolentæ testes daremus, eidemque Stanislae mandaremus, ut M. T. nostro nomine invisat, eique nostræ primum salutationis, benedictionisque officio persoluto, voluntatis quoque nostræ erga eam propensionem studiumque significet. Intelligere enim M. T. cupimus, quanta eam in Domino charitate prosequamur; pro certo habentes, ipsam pari quoque erga nos Sanctamque hanc Sedem Apostolicam observantia semper futuram. Et quidem decet te, charissima in Christo filia, talem esse, ut quantum populis ditioni tuae subjectis, potestate præstas; tanto eis pietatis in Deum Omnipotentem merito, et erga ejus Sanctissimam Ecclesiam devotione antecellas. Quo enim magis M. T. obsequium Redemptoris nostri, quemadmodum par est, omnibus rebus prælulerit; eo quoque certius sperare potest, regnum suum a Deo confirmatum iri, in cuius manu sunt omnium potestates atque jura regnorum. Quam quidem ad rem M. T., quo majori animi nostri studio possumus, hortamur: non quod suo Catholicæ religionis

studio, et in Deum pietate quidquam diffidamus; sed ut nostram illi paternam sollicitudinem testificantes, hoc quoque debito nobis officio fungamur. Quod M. T. pro sua erga nos Sanctamque hanc Sedem Apostolicam reverentia, non ingratum futurum esse, pro comperto habemus. Rogamus autem M. T. ut predicto Stanislae in his rebus quas illi exponet fidem habeat. Erit id nobis gratissimum. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die viii Martii MDLXX, Pontific. nostr. anno quinto ».

278. An vero Versevilius in Poloniam pergens, se in Sueciam contulerit, omnino incomptum. Neque Sacchinus, nec alii de hac Suecia Versevitii missione verbum injiciunt. Illius enim regni, ad quod, ut diximus, fratre exturbato, recens Joannes evictus fuerat, res adeo pacatae tranquillæque tunc forte adhuc non erant, ut illuc se conferre Versevitio tutum esset; ideoque ab ea legatione se abstinere satius putavisse: vel priusquam cam suscepseret, cum Poloniæ rege ac sorore Anna rem antea maturius expendendam censuisse arbitramur. Præcipuum vero res Suecicas, quæ ad Catholicam religionem spectarent, curandi, auctorem Pontifici extitisse Hosium cardinalem; quæ narrat Rescius, nosque suis locis dabimus, facile suadent.

279. *Dux Albanus edictum generale, veniæ nuncupatum, promulgat, exclusis tamen quibusdam reorum classibus.* — Albanus dux interea, Belgio pacem reddere voluisse hoc ferme tempore visus est: nam die decima sexta mensis Jutii hujus anni, regium Antuerpiæ edictum, sub nomine veniæ, seu gratiæ generalis, ratione turbarum vulgare fecit, signatumque erat Matriti sub die decima sexta Novembbris anni superioris. Priusquam vero id perageret, ut Havensius tradit, Albanus ipse Lindanum Ruremudensem episcopum in aulam evocavit, ut suo et aliorum quorundam episcoporum consilio et opera, condonatio illa, in eos, qui infra trium mensium spatium a Geusianismi erroribus resipiscere vellent, publicaretur. Erant in eo inter cætera ista ab Haræo relata: « Quandoquidem multi illecebri, simplicitate, curiositate, et juvenili temeritate inducti, graviter delinquissent; rex Catholicus Philippus, Pii V Pontificis Max. summa clementia, iis pronam gratiam Matris Ecclesiæ patere intelligens, et ipse summo erga suos amore permotus, delictorum omnium gratiam, Ducis Albani consilio facere decernit, subditos potius amore et clementia, quam rigore et inclemencia regere exoptans, nullamque occasionem patrium solum relinquendi eis dare volens; his tamen moderationibus et præscriptionibus. Nempe quicumque turbis et seditionibus præteritis, quicumque modo in placita, decreta, edicta

¹ Sacchin. Histor. Soc. Jes., p. 3, lib. 6, p. 294, num. 414.
— ² Ibid. ut supra.

peccarunt; iis quidem pœnitentibus peccatum condonabitur, ea lege atque conditione, ut intra duos menses, post hujus remissionis publicationem, sinceram obedientiam, professionem, palinodiam, et omnium hæresum abjurrationem exhibeant; seque salutarem pœnitentiam, qualis a deputatis Pontificia auctoritate statuetur, humiliiter acceptaturos atque adimpleturos promittant. Ab hac tamen gratia exclusi censentur omnes concessionatores et consistoriales novæ doctrinæ, et quicunque eos introduci curarunt, aut scienter hospitio receperunt; insuper omnes demolidores monasteriorum, templorum, aut rerum sacrarum. Hinc etiam exclusi omnes nominatim proscripti, omnes rebellionis auctores. Præterea qui cum rebellibus socia arma postremo sumpserunt, aut iisdem, comœtu, pecunia, viva voce aut scripto, aut quomodocumque auxiliati fuerunt. Insuper excluduntur omnes magistratus, senatores, consiliarii, publicis officiis præfeti, pensionarii, secretarii, advocati, procuratores, apparitores, lictores, et quicunque publici ministri, qui quoquomodo particeps fuerunt præcedentium turbarum. Datum Matrii die xvi Novembris anno MDLXIX, et publicatum die xvi Julii hujus anni ».

280. Cum autem (ut audisti) generali hac venia templorum ac sacrorum rerum violatores comprehendere Albanus minime voluerit, hinc biduo priusquam eamdem gratiam vulgaret, nempe die decima quarta Julii, in Ultrajectinos, de quibus anno superiore plura, tanquam in Iæsæ Majestatis reos, quod nempe templorum violatores Leonomachos anno MDLXVI modo non impedivissent, quin etiam certa paœta conventa cum eis fecissent, damnationis sententiam dixit. De ipsa, hæc inter alia habentur apud Haræum¹ in oratione pro Ultrajectinis habita a Veuselio, tum ad D. Petri ad Trajectum decano, mox senatore Mechlinensi, et Trajecti ad Mosam præposito, ad Hispaniæ regem: « Nemo (inquit) nostrum sententiam ferri audivit, neque primarium exemplar videre potuit; nec ad eam audiendam excipiendamque ullus nostrum est citatus. Sed tantum tradito condemnationis exemplo, mox ad executionem est progressum; privilegiorum urbis serinia ad arem perlata; factus ingens apparatus disjiciendis urbis moenibus, paratique civibus tæterrini carceres. Interim sævit miles: oppressis nulla justitia. Hæretici clam in sinu gaudentes illudunt, causæque suæ iniquitatem æquissimam haec ratione incautis faciunt. » Hæc et hujus generis alia plura Veuselins, qui appellationem ab ea Albani sententia in Hispaniis coram rege prosecutus est: et secundo tandem anno, ut præfatus Haræus refert, eam revocari impetravit.

¹ Haræus ut supra, p. 3.

281. Ut vero Ultrajectini, e venie, quod prædivimus, generali edicto exclusi fuere; sic toto Belgio (quidquid sit quod narrat Havensis², multos mempe vi edicti ejusdem, exiles ad suas possessiones redisse, et ab episcopis primum absolutos in foro conscientiae relaxationem confiscaitionis, et suorum excessuum remissionem in aula esse consecutos) tam lata, inquam, ejusdem edicti exceptio, modicum admodum beneficium contulit, et delictorum gratia populis cunctis minus accepta, quia pauis utilis, omnibus dubia fuit; eo magis quod in ipsa propriae voluntati rex reservaret privilegia locorum, que præteritis turbis occasionem præbuerant, vel adimere vel servare. Quamobrem (ut narrat Meursius²) rari considerare ausi, dominum redierunt, fueruntque hi homines nullius fere loci, quos fortuna temuitas, numerique infrequentia tutos præstitit. Ceterum ab aliis, qui in periculo animadvertingo sagaciores fuerunt, clam agitari cœptum plurima, palam per occasionem mox tentanda. Et quamvis Albani vigilantiam, vel feritatem, vix ejusmodi quidquam latere posse videretur; tamen quorundam hæreticorum concessionarum opera, nova Auriacus commoliri cœpit. Hi enim ignoti, per Hollandiam et Ultrajectinum agrum versantes, et occultis domiciliis apud religionis suæ socios usi, pro eodem Auriaco novas turbas meditante vim pecuniae satis magnam corrasere: quippe in communni negotio (inquit Meursius), vindicandis conscientiis, patriæque libertati instituto, nulli magis efficaces. Commotos idcirco animos commovere, ac in sententiam attrahere, imo currentibus calcaria addere facile fuit: quapropter eo aliqui perduerti sunt affectu in Auriacum, patram ac in Albanum odio, ut non pecuniā modo, sed se quoque ipsos, ac sanguinem offerre, mortemque ipsam oppelere se non dubitare palam significaverint. Quod in Hollandia et Ultrajectino agro, idem quoque factum in Frisia et alibi ipse Meursius tradit.

282. Sævit Albanus in judices prævaricatores, et in adulterinæ monetæ fabricatores. — Albanum interea hoc anno, ineunte mense Februario, Joannem Gronelfum, Spellam vulgo dictum, latrunculorum et capitalium rerum prætorem, hominem valde crudelem, quod in tanta eorum, qui superioribus annis rei capititis agebantur multitudine, improbos plures avaritiae causa dimisisset; et e contra (quod deterritus est) innoxios quosdam judicibus eorum loco obtulisset; cum duobus ministris suis criminum hujusmodi consciis et alfinibus, suspendio publice Bruxellæ meritissime necari curasse, scribit Haræus; qui addit Dordraci

¹ Havens ut supra. — ² Joan. Meurs. in Vita Goli. Auri., lib. 5, p. 173.

quoque monetæ præfectum, aliumque adulterrandæ administrum in careerem conjecisse. Et præfectus quidem ejus jussu capite damnatus fuit; alteri ob ætatis imprudentiam, multorum interventu gratia facta. Ut vero cautum esset in posterum fraudi, idib. Martii edicto prohibuit, ne cujuscumque argenteæ monetæ usus esset, quæ Philippi regis signo eusa minime fuisset. Rem utilissimam publice hanc visam esse dicit Meursius; verum magis privatum ipsi quæstuosam addit. At scriptoris hujus fidem, vel immensum in Auriacum studium, vel immortale in Albanum odium, dubiam merito reddit.

283. *Libros vetitos in flamas injici jubet Albanus, et typographis leges præscribit.* — Longe tamen his majora pro religione conservanda ae tuenda, quam pro politico rerum statu, hoc tempore in Belgio peracta sunt. In primis enim Albanus ipse, libris vetitis plane abstinere jussit, edito eorum indice, Plantinianis typis hoc anno vulgato. Illum conficiendi theologis Academiae Lovaniensis negotium dedit, qui, notatis auctorum locis, quæ majorum pietatem laederent, absolutissimum confece- runt. Curie isti insuper additur Arias Montanus, vir egregia litterarum fama, qui sibi demandatam a Philippo Bibliorum editionem curaturus, recens ex Hispania advenerat. Exiitque Index cum hac cautione in diplomate eidem præfixo: « Ne in eo, sine præfeti aut senatus auctoritate, quisquam aliquid mutaret ». Signatum fuit die decima quinta Februarii anni sexagesimi noni; sed id intelligendum est (ut reete observat Hæreus¹) more tunc in ea curia recepto, anno illo non ante Pascha exeunte: quæ confusio perseveravit usque ad annum septuagesimum quintum, quo Requesensius edicto publico præcepit, ut omnes deinceps, non aliter quam a kalendis Januariis annum auspicarentur. Quod rite admonendum duxit Hæreus ipse, ne quis miretur eadem aliquando ab uno auctore præsenti anno, ab altero præcedenti adscribi. Hadrianus² sequenti tantum anno præfatum, contra vetitos libros edictum prodiisse scribit; verum in contrarium est cæterorum omnium scriptorum narratio. Thuanus³ hoc quidem anno confectum improbatæ lectionis Librorum Indicem vult, sequenti vero dumtaxat vulgatum; at eum aperte sub hoc anno publicationem hujusmodi omnes referant, non est certe unde in sequentem rejiciendam eam esse potius cum illo censeamus. Eodem hoc anno Typographis ac Ludimagistris leges præscriptas fuisse, narrat Menrsius⁴. Nec prætereundum, quia de libris improbatæ lectionis loquimur, quod de Lindano episcopo Ruremundano, sub hoc ipso anno, his verbis narrat

Havensis¹: « Visitationem Ecclesiae Weertensis aggreditur, ubi perpauei Catholici erant; profligato inde Petro Mosano pastore, cum clericis aliquot hæresi infectis, gregis Domiaici veris pestibus, cæteros ad purioris vitæ formam revocavit, hæreticorum conventiculis abolitis, et ne in posterum fierent, severe prohibitus. Aliquot etiam plaustra librorum hæreticorum cante abscondita, sed multa D. Lindani solertia reperta, in foro publice erecto theatro, flammis tradita sunt ».

284. *Concilium provinciale Mechliniæ habitum, in quo recipiuntur decreta Concilii Tridentini.* — Inter alia vero², cum summopere Philippo regi illud cordi esset, ut Tridentinum Concilium toto Belgio reciperetur; hinc publicationi ac receptioni huic Albanus toto conatu animum adjevit. Jusserat id quidem rex ab anno MDLXV, ac deinceps rescriptis pluribus ac mandatis; sed quominus istis obtemperatum esset, tumultus impedierant; vel, ut verum fateamur, cum excitatorum tumultuum haud exigua hæc causa fuisset, ad eos componendos necesse fuit ab ea abstinere. His igitur quoquomodo nunc sedatis, concilium Mechliniæ indictum est, in quo tandem ad diu optatum finem res perdeceretur. De hoc concilio ista habet Havensis³: « In initio anni septuagesimi pergit reverendissimus Lindanus, ut ante aliquoties fecerat, suos coepiscopos, et præcipue seniorem D. Martinum Rithovium (qui jamdum omnes in suis Ecclesiis residebant) ad Concilii provincialis inductionem urgere: demonstrans, quam permieose illud tot annis differretur ». Et post nonnulla: « Ea quoque aestate celebratum fuit concilium provinciale Mechliniæ, omnibus comprovincialibus episcopis præsentibus: excepto solo archiepiscopo cardinale Granvellano Romæ tunc agente, quo concesserat propter gravissimas cum Egmondano comite et aliis quibusdam, sub initium tumultuum Belgicorum, contentiones; adeo ut multi rerum gestarum et occasionum earumdem ignari, in dictum cardinalem omnium tumultuum culpam temere rejicere noui verecentur. Cæterum inchoante dicto Concilio, reverendissimus Lindanus in Festo D. Joannis Baptiste, a precibus vespertinis aeri admodum oratione publice dixit de abolendis in clero grassantibus vitiis et scandalis, de concubinatu, simonia, luxu vestium tollendo, atque inexplibili plurium beneficiorum cupiditate, omnibus, ac potissimum qui reliquis dignitate præstarent, vitanda; atque de solida Belgicorum Ecclesiarum reformatione, a metropoli Mechlinensi inchoanda, ut inde cæteræ exem-

¹ Hæreus, ut sup., p. 107. — ² Hadrian. Histor., pag. 1563. — ³ Thuan. Hist., lib. 47, p. 134. — ⁴ Meurs. ut supra.

¹ Havens. de Episc. Belg., lib. 2, c. 4, p. 413. — ² Ab Isselt. Histor. Hæreus, et alii. — ³ Havens. de Episc. Belg., lib. 2, ca. 4, p. 42 et seq.

plum capere possent. Et ut breviter dicam: hoc agebat vir pius, ut collegae episcopi, universi que gregis Dominici custodes, sive pastores, accuratius solito suum quisque officium ficeret, aut monastica professione devotum, aut beneficii Ecclesiastici susceptione promissum. Quod nisi resipiscentes tandem præstarent, futuras a Deo propediem plagas prædictis Belgio toti horribiliter impendentes; quas nunc consecutas per tot annos, summa miseria tolerat afflictissima Christi in Belgio Ecclesia ». Sic ille.

283. Praefuit autem Synodo¹, quem paulo ante memoravit Havensis, Martinus Rithovius Ypresensis episcopus, tanquam senior comprovineialis, nomine et loco cardinalis Granvellani; super eujus absentia ista Patres decreverunt: « Etsi non dubitet Synodus provincialis, sue Sanctitati notas esse causas, propter quas illustrissimus cardinalis, reverendissimus D. archiepiscopus Mechliniensis, provincia sua ad tempus relicita, ad Urbem se contulerit; volens tamen officio suo satisfacere, juxta decreta Tridentina, excusationem sibi a generali vicario exhibitam, et positam recepit et admisit; sed ex singulari affectu, quo erga suum archiepiscopum tenetur, illum rogat et hortatur, ut quamprimum cessantibus causis libebit, ad Ecclesiam suam redeat, ut ipsius præsentia et auctoritate, universi ordines Ecclesiastici in hac provincia, in officio suo rectius continentur ».

Quod autem audisti ab Havensi, inchoante nimirum Concilio in Festo D. Joannis Baptiste, Lindanum orationem habuisse, non ita accipiendum est, ut tunc tantummodo Concilium idem cœpisse existimetur; cum oppositum cuncti fere scriptores² alii afferant; nempe illud undecima die mensis Junii cœplum, et quartadecima Julii hujusmet anni conclusum; sed potius, quod alienus Sessionis initio eamdem habuerit.

286. Primum igitur provincialis istius Synodi Decretum³, quod summopere, tum rex, tum Albanus desideraverant, hoc fuit:

« Hæc Synodus provincialis Mechliniensis, in Spiritu sancto legitime congregata, in primis et ante omnia volens satisfacere dispositioni Concilii Tridentini, cap. xx, sess. 23, in quo de recipiendis decretis ejusdem Concilii Tridentini, et obedientia, professione fidei ac haereson detestatione agitur; post publicam decretorum ejusdem Concilii lectionem, statuenda duxit, et statuit ea quæ sequuntur.

« Decretum primum.

« In primis ordinat et præcipit, ut omnes, et singuli, qui ad hanc Synodus convenerunt, simpliciter et sine ulla protestatione, ea omnia

et singula, quæ a S. Synodo Tridentina definita et statuta sunt, palam recipiant; neenon veram obedientiam Summo Romano Pontifici spondeant et profiteantur; simulque omnes haereses a sacris Canonibus, præsertimque ab eadem Synodo Tridentina damnatas, detestentur et anathematizent, secundum tenorem schiude sequentis:

« Tenor receptionis decretorum, et professionis fidei :

« Ego N. omnia et singula, quæ a S. Synodo Tridentina statuta et definita sunt, palam recipio; neenon veram obedientiam Summo Romano Pontifici spondeo, simulque haereses omnes, a sacris Canonibus et Generalibus Conciliis, præsertimque ab eadem Synodo Tridentina damnatas, detestor et anathematizo ».

287. Inter alia autem pie, utiliterque in hac Synodo sancita, illud certe memoratu dignum, quod Cap. quarto, de Sacramentis præcepit, sequenti Canone¹:

« Quia superioris temporis negligentia, probatissimus ille Christianæ Ecclesie mos, quibusdam in locis est collapsus, quo puerperæ, certo post partum die, referre Domino Deo gratias solent; statuit sancta Synodus, ut ubique conformiter in usum revocetur, ac puerperæ ad Missæ Sacrificium veniant, et contra negligentes seu pia consuetudinis violatores procedatur ».

288. Terminant tandem Concilii decreta cum episcoporum subscriptionibus hoc modo²:

« Etsi alia sint, quæ reformatione opus habeant, tamen cum non omnia eodem tempore fieri possint, et quedam in Concilio diœcesano commodius peragantur; ut de reparacione Ecclesiarum, de emolumentis pecorum, et Iuris ex venditione vinorum, nonnisi in pluim usum convertendis, post deductis sumptibus. Similiter, de non onerandis illis, qui ad beneficii possessionem admittuntur, solutione iurium possessionis, priusquam ad perceptionem suorum fructuum pervenerint; et id genus aliis: episcopi, in proxima Diœcesana Synodo statuant pro æquitate. Interim mandat eadem provincialis Synodus, ut omnia et singula supradicta, et in primis, quæ in sacro Concilio Tridentino decreta et statuta sunt, inviolabiliter observentur, sub poenis in iisdem contentis, submittens se suaque omnia beneplacito S. Sedis Apostolica: quam humillime rogal, ut eadem, quo meliorem habeant progressum, sua auctoritate rehorare dignetur. Actum Mechliniae anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo, mensis Julii die decima quarta.

Sic subsignalum :

« Martinus Rithovius episcopus Ypresensis, præses hujus Concilii, subscripsi.

¹ Labbe Concil. Tom. 15, Concil. Mechlin. p. 790. — ² Havens, ut supra. Haræus ut sup. Lab. ut sup. — ³ Lab. ut supra.

« Franciscus Sonnius episcopus Antuerpien. subserpsi.

« Wilelmus Damasi Lindanus episcopus Ruremund. subserpsi.

« Cornelius Jansenius episcopus Gandaven. subserpsi.

» Laurentius Methius episcopus Buscodensis subserpsi.

» Maximilianus Morillon vicarius generalis illustrissimi et reverendissimi D. cardinalis Granvellani archiepiscopi Mechliniensis, ejus nomine subserpsi ».

289. *Diœcesana Synodus Ruremundæ et Namurei.* — Synodos vero diœcesanas, ad quas plura ad reformationem et alia pertinentia, Concilium provinciale Mechliniense rejecisse vidimus, nullas penitus coactas fuisse hoc anno in eadem Mechliniensi provincia reperimus, praeter eam, quam Ruremundensis episcopus Lindanus habuit; de qua ista Havensis¹: « Inde (nempe Neomago, quo, ut infra dicetur, se contulerat) reverendissimus Lindanus domum reversus, Synodum alteram diœcesanam in sextam diem Septembri indixit. In qua orationem perquam insignem et doctam habuit, quæ etiam typis est excusa, tractans illud regii Prophetæ Psalm. cxxxi²: *Sacerdotes tui induantur justitiam, et Sancti tui exultent;* atque eleganter demonstrans, ad instaurandam domum Dei et religionem, necessarium esse, ut sacerdotes suam induantur justitiam sacerdotalem, quæ tribus potissimum partibus absolvitur; vide-licet: fidei orthodoxæ doctrina et professione, deinde piæ vitæ conversatione, tertio religioso Dei cultu. Quæ saerdotalis justitiae partes, si a sacro Ordine dignis moribus exprimantur, sancti omnes exultatione exultabunt, et Deum laudabunt; imo et totus mundus, populusque universus Dei servitio consecratus gaudebit, Deoque laudes decantabit, quod sui nominis tales ministros elegerit, quorum vita pura, incontaminata et religiosa, nomen ejus in dies magis magisque illustretur ac prædicetur.

» In ipsa vero Synodo promulgatum est Concilium Mechliniense et ut executioni illius deereta mandarentur, serio actum. Deinde fundamenta jacta sunt seminarii, et clerici inductus ad consentiendum in ducentesimum nummum, et quædam præclaræ edictæ Constitutiones Synodales, quæ et impressæ extant: De Sacramentis nimirum rite administrandis, deque cultu divino, et de vita et honestate clericorum, piarumque fundationum præstationibus. De scholis publicis et privatis, atque Iudimagistrorum officio. De archipresbyteris et accurata ipsorum in oves sibi concreditas vigilantia. De sanandis et ad Ecclesiam revocandis hæreticis; atque de his aliisque similibus valde oppor-

tunis et necessariis ad reformatam Ecclesiam constitutis et ordinatis, clerum ad sua epis-copus dimisit ». Sic Havensis.

290. Aliam pariter Synodum hoc anno coactam Cameraci, referat Meursius¹; at corrigendus est, dum non Cameraci, sed Namurei, qui Metropolitanæ Cameracensi suberat. Diœcesana Synodus habita fuerit. Cameracense enim provinciale Concilium, jam ab anno MDLXV celebratum fuerat, sub Maximiliano a Bergis archiepiscopo et duce Cameracensi. De synodo igitur diœcesana Namurei habita, ista refert præfatus Havensis²: « Cæterum in altero novo episcopatu, qui Cameracensi Ecclesiæ subest. hoc est, in Namureensi, primus episcopus nominatus erat, ut superius dictum est, dominus D. Antonius Havetius Ordinis Dominicanorum S. T. doctor, concionator facundissimus, qui anno Domini MDLXX, die ix, x, xi, et xii Julii celebravit synodum diœcesanam, in qua utilia aliquot promul-gavit statuta, prælo commissa Lovanii apud Joannem Bogardum anno MDLXXI ». Sic ille.

291. *Immunitates suas a decretis Concilii Tridentini lasas Belgæ arbitrantur.* — Sed ut ad provinciale Mechliniensem Synodum redeamus; certum est Belgis decretum illud non placuisse, quo nullo legum, privilegio-rum, immunitatum, aut consuetudinum habito respectu, cunctis a Concilio Tridentino statutis et ordinatis parere jubebatur. Hujusmodi siquidem fuit³:

« Ut autem decreta Concilii Tridentini, ab omnibus præsentibus in hac synodo provinciali jam reepta, et ab aliis, sive in hac eadem, sive in futuris Diœcesanis recipienda, ab omnibus fideliter obseruentur, et ne quid successu temporis, contra eadem decreta, ex lectione anti-quorum statutorum, aut juramentorum, (quæ omnia, qua parte decretis aut statutis Tridentinoris repugnant, irrita decernit et inania), in usum recipiatur; voluit et præcepit eadem Synodus omnibus et singulis provinciæ Mechliniensis episcopis, ut in Ecclesiis suarum res-ppective civitatum et diœcesum, etiam exemptis, statuta et juramenta diligenter visitent, exami-nent: et si in nullo decretis Concilii Tridentini repugnant, mutent et reforment, et Tridentinoris decretis accommodent. Injungit etiam earumdem Ecclesiarum universis prælatis, præpositis, decanis et capitulis, ut episcopo visitanti, et statuta vel juramenta, ut præmittitur, corrigenti et reformanti, pareant, sub pœnis arbitrio ipsorum imponendis ». Sic decretum, a Belgis, pro tempore magis dissimulatum quam accep-tum, utpote id, a quo suam ac patriæ liber-tatem adeptam vel imminutam existimarent.

292. *Causa Baiana iterum agitat scholas, et*

¹ Havens. ut sup. p. 110. — ² Psalm. 131.

³ Meurs. in Vit. Gubel. Aur. hb. LI, p. 170. — ² Havens. de-rect. Episc lib. I et II, p. 50. — ³ Labbe ut supra.

imprimis Lovaniensem Academiam: qualis reipsa fuerit iste Baius ex Bellarmino. — Actum quoque fuisse in hac eadem Synodo de percelebri causa alias memorati Michaelis Baii Lovaniensis theologi, sub hoc anno legitur in Appendice ad illius opera¹, his verbis conscriptum:

« Anno MDLXX ineunte, septima videlicet Februarii die, vita funetus est Iudecus Ravestyn, unus e praecipuis Michaelis Baii emulis. Nihilominus junior quidam theologus, de quo jam non semel feci mentionem, nimirum, Cunerus Petri, in Sabbathiniis Scholae exercitationibus, et quidam Fr. Godefridus Leodius Minorita, in Concionibus, quas hoc anno MDLXX, per Quadragesimam in templo Fratrum Minorum Lovanii habebat, Michaeli Baium denuo exagitare cœperunt, tanquam qui Iudeco Tiletano mortuo, novos motus excitaret, ac proscriptos articulos, audaciiori animo defenderet.

» Has calumnias Michael Baius in modesto silentio sustinebat; donec tandem Martinus Rictovius Ypresiensis episcopus, Fanciseus Sonnius Sylveducensis episcopus, et Cornelius Jansenius episcopus Gandavensis, iniquius ferentes, tam exquisitæ eruditio[n]is ac tam humilis patientiae virum, hujusmodi æmulatorum dentibus sic discripsi: ipsi die undecima Aprilis prætercurrentis hujusce anni MDLXX consuissent, ut se ab iis calumniis publicitus vindicaret, suamque mentem palam exponeret circa istos articulos.

» Ipsorum itaque consilio et snasu, Michael Baius, die decima septima Aprilis ejusdem anni MDLXX, hora decima, cœpit in scholis theologorum, quid circa hujusmodi articulos sentiret, cum multa humilitate ac modestia aperire: declarans nonnullos ipsorum esse falsos, ac jure confixos, sed a se nunquam traditos; alios esse arte ac dolo confictos, qui pravum sensum pati possent, quem nunquam tenuil, licet et in sano intelligi quoque facile possent.

» Die decima nona ejusdem mensis, explanationem, quam die decima septima suscepserat, in publicis scholis prosecutus est; nec prætermisit dicere, quod quidam, eius nomen tacuit, qui ejus sententiam non capiebat, duriora fuisset de ipso locutus; sed postquam ipse suam mentem ei aperuisset, veniam ab eo supplex petierit, et scripto quidem testimonio. Verum, neque his sedati sunt animi, in Michaeli Baium improbe commoti.

» Quidam enim apud ducem Albanum, Belgii eo tempore præfectum, quem Michaeli Baii infensum suis calumniis reddiderant, con questi, quod ipse Pontificiæ Constitutioni, qua ejus, ut dicebant, errores fuerant proscripti, impune morem non gereret, eo obtentu, quod ista Constitutio, non solemní ritu fuisset pro-

mulgata, sed domtaxat privatis in aedibus doctoris Tiletani, aliquot theologis doctoribus prælecta; institeruntque apud ducem, ut in publicis Lovaniensis Academiae scholis promulgaretur, eique subscriberent Michael Baius, ceterique sacrae theologiae magistri.

» Cum itaque eodem anno MDLXX, die undecima Junii, Mechliniae Synodus haberetur omnium episcoporum Belgii, cui Martinus Rithovius episcopus Ypresensis, cardinale Granvilliano archiepiscopo Mechlinensi absente, præerat; dux Albanus ad eos de isto negotio scripsit, urgens, ut Pii V Bulla, adversus LXXV articulos tata, solemniter publicaretur Lovanii, ac ei ab omnibus subscriberetur Lovaniensis Academiae theologis, doctoribus ac professoriibus. Id se præstituros duci Albano polliciti sunt; licet per priorem, quæ anno MDLXVII contigerat, Bullæ intimationem, mandato Pontificis adeo plene foisset satisfactum, ut a Pontifice nihil ulteriori requireretur. Ut igitur fidem suam liberarent hi episcopi, in synodo constituerunt, præter præscriptum papæ, qui suæ Bullæ executionem cardinali Granvilliano nominatim commiserat, Lovanium denuo mittendum esse eundem Maximilianum Morillon, qui Pii V Constitutionem ibi publicitus ac more solemniori publicaret, ac theologos induceret ad subscribendum.

» Id antequam exequeretur, visum est istius Synodi Patribus, ut ex ipsis duo, nimirum Martinus Rithovius, et Cornelius Jansenius episcopus Gandavensis, istud Synodi propositum Michaeli Baii communicarent, qui sacrae facultatis Lovaniensis erat senior. Illi itaque venerunt Lovanium, rem Michaeli Baii communica verunt, quem ad omnia præstanda, quæ ad pacem, salva veritate, conducebant, invenerunt paratissimum. Indeque recedentes duci Albano promptum ad obediendum testificati sunt Michaelis Baii animum, quod ducem summopere mitigavit.

» Cum igitur consilium hoc omnibus istius Synodi episcopis, et Belgii præfecto probaretur, memoratus Morillon Lovanium iterum venit, ibique decima sexta Novembris die præterlabantis anni MDLXX, Pii V rescriptum, seu Bullam in Scholis publicis, ritu solemní promulgavit, nullo tamen istius Bullæ exemplo relicto: institutique, ut theologiae magistri huic censuræ subscriberent. Deinde petit ab omnibus theologis, an litteris Apostolicis ab ipso præbitis vellent obtemperare: ad id se esse paratos clamaverunt omnes, sed de subscriptione cuncti siluerunt.

» Eodem die vesperi, rector, inscio decano P. Balthassare Textore Ord. Prædici., Bedellum Facultatis privata sua auctoritate misit ad singulos doctores theologos, cum quadam formula, qua profitebantur se reverenter amplecti Sedis

¹ In append. ad Opera Baii pag. 199.

Apostolice definitionem, circa recensitos LXXVI Articulos, seque in omnibus disputationibus, lectionibus ac responsionibus sententiam hanc definitioni conformem, fore secuturos. Statim ac decano exhibita est, ut ei subscripteret, ipse se hujusmodi subscriptionibus strenuus opposuit, ac postridie Facultati Theologicae in majori collegio convocatae declaravit, istius formulæ subscriptionem a theologis exigi. Ille andito sacra Facultas respondit, primo se postulare exemplum Bullæ, ut plenius intelligere valeat, quomodo se debeat circa has censuras gerere. Quoad subscriptionem attinet, se existimare, quod per solemnum Bullæ promulgationem menti sit satisfactum episcoporum Synodi Mechliniensis.

» Igitur nulla subscriptio obtineri potuit a theologis, qui fraudes et insidias in novo isto subscribendi mandato subolfaciebant. Imo statim ac Maximilianus Morillon Lovanio discessit, ferebatur alteram hanc, proprio nutu, sub emento episcoporum nomine, Pianæ Bullæ evulgationem suscepisse; novamque illam exegisse subscriptionem, ut qui illi subscriptissent, veluti erroris ac relapsi convicti haberentur, ab iis qui eos criminabantur, etsi mendaciter recensitos tenuisse Articulos, etiam postquam Pontificio Diplomate fuissent proscripti.

» Ubi hujusmodi querelæ pervenerunt ad Morillonium, Martino Rithovio et Cornelio Jansenio per litteras significavit, quam moleste ferret, suspicionem hanc de ipso haberí, et quam vehementer ab ea liberari euperet.

» Eam ob causam, ambo hi episcopi, die XXIII Decembris hujus anni MDLXX, sacrae Facultati Lovaniensi, scripserunt litteras, quibus illam certiorem faciebant, quod Morillon, non privato suo nomine, sed ex commissione, quam gravissimas ob causas ei dederant Patres Synodi, Bullam Pii V in scholis Lovaniensibus novissime promulgasset, et præscripta formula subscribendum proposisset. Deinde ipsam sacr. Facultatem rogant et hortantur, ut vana fraudis alienus suspicione deposita, Pontificia subscribante censuræ, ad odiosissimam, ut aiunt, causam conspiendam. At frustra id postulasse, ac Lovanienses theologos nunquam potuisse ad id adduci, ut Pianam censuram, sua subscriptione firmarent, facilis erediderim. Id enim ab eis præstitum, nullibi reperio ».

293. Sic in Baiana, cui fidem præbeat, qui ipsius auctorem seu editorem ignorat, prostitutum, nempe virum illum Gabrielem Gerbenorum, qui in Jansenistarum gratiam, annuente seu connivente improbo altero Petro Coddæo, Baium e latebris rursus eduxit; Baiumque ipsum, humilitate, modestia, patientia, aliisque virtutibus sic exornatum exhibuit, ut minus esset, quo ejus perfidia, obdurataque nequitia, rebellisque obstinatio horrore esset; quam ut conte-

geret, ipsummet earumdem virtutum pallio, se etiam contegere potuisse, facile suadet inquisimæ subdolæque ejus sobolis agendi ratio; cum luce clarius eniteat, ad incantes decipiendos lupos istos sub ovina pelle semper incedere assuetos. Ut alibi monuimus, nos ejusdem, ceterorumque Jansenistarum singula commenta, toties, imo millies rejecta explosaque; vel in his, quæ ad Baium eundem, vel quæ ad illius assecelas, vel quæ ad alias demum theologos, imo ad totam Lovaniensem Facultatem pertinent, discutienda vel rejicienda minime suscepimus: nihilominus, ex eadem Baiana desumptam (si tamen in rerum natura umquam fuit) Yprensis et Gandavensis episcoporum Epistolam, ad Lovaniensem Facultatem, sic inserere duximus¹:

« Eximii domini et colendissimi magistri nostri.

« Litteris suis nobis exposuit D. vicarius Morillonius, quod apud vestras dominationes accusetur, ut qui privato facto suo, alienum nomen prætexere voluerit; dum nuper, tanquam ex commissione eorum Patrum, qui Mechliniae provincialis Concilii causa congregati erant, in scholis theologicis publicationem fecit ejus rescripti Apostolici, quod de quibusdam propositionibus ad se missum acceperat; a qua suspicione vehementer liberari cupit. Nos vero ingenue fatemur hanc commissionem ei datam fuisse, tum ut fidem nostram liberaremus apud ducem Albam, cui id ante menses aliquot promiseramus; tum etiam quod res antea quidem solis magistris Facultatis sacrae theologiae indicata, et ut tum sperabatur, silentio ponenda, jam longe lateque innotuisset, et non pauci obloquerentur et ægre ferrent non proponi publice, quod omnes ex æquo concerneret; quodque censurarum comminationem conjunctam haberet. Unde nobis videbatur oculatio, ultra cætera incommoda, etiam Facultati indignationem, et mali nominis periculam allatura. Approbationem autem et subscriptionem existimamus nihil difficultatis habituram esse. Nam cum solemne sit sacrae Theologiae professoribus in omni resolutione difficiliori, promittere aperlam protestationem obedientiæ erga eos, quorum est errantes in viam veritatis reducere; quid promptius erat, quam, ut Summi Pontificis etiam iterata definitioni acquiesceretur: præsertim dum satis constaret eos, qui occasionem queritare dicuntur, dilationem interpretaturos esse recusationem, et inde traducendi majorem occasionem accepturos? Accidit, quod cum eximio D. M. N. Michaeli Seniori Facultatis, hæc tota res antea fuit communicata, et inde relata ad suam excellentiam, cui sic placuit, ut conceptam indigna-

¹ In Baiana, p. 149.

tionem pro maxima parte ei eximerit : placuit et præsidi Vigilio ; Patribus autem, quorum consilio Lovanium veneramus, in primis vero Reverendissimis dominis archiepiscopo Cameracensi piae memorie, et episcopo Atrebateni, usque adeo grata fuit, ut nos optimam operam navasse testarentur. Quod igitur tanto applausu ab omnibus probatum fuit, nescio an sine grayi causa possit omitti. Dominus Morillonius scribil quosdam esse, qui ex subscriptione aestimant, relapsus insidias alicui strui posse, et ob id tardiores esse ad subserendum. Nos vero, ne lapsus quidem agnoscendum jam pulamus, si bona fide probetur, et in signum candidioris mentis, etiam subscriptione corroboratur decisio S. Sanctitatis, ad cuius sententiam et definitionem, ex more Lovaniensis scholæ, semper omnia referunt. Proinde nisi aliis et gravioribus de causis DD. VV. moveantur, rogamus, ut quod tantorum virorum judicio, ad sopiendam odiosissimam causam visum fuit utilissimum, et tam concorditer derelictum, non differatur, propter vanum metum ; nostraque monitio, ex candore animi, et sincero affectu procedens, boni consulatur. Benignissimus Deus vestras dominationes conservet nostri memores. Decemb. xxiii. MDLXX.

« Vestris dominationibus addietissimi Martinus Rithovius, Cornelius Jansenius. »

294. Ex hac Epistola a probatissimis viris (ut asseritur) scripta, haud parum labefactari arbitramur argumenta, quibus tum theologorum Lovaniensium quorundam, tum Baii causam vindicare Jansenistæ contendunt. Neque enim facile quisque sapiens sibi snaserit, adeo graves (uti contenditur) ac vere rationabiles fuisse causas, ob quas theologi illi parere ac subseribere detrectarunt ; dum ipsam nullius prope momenti, ac levissimas, ac solius vani metus nomenclatione dignas, prefati episcopi, et in Lovaniensem Academiam obsequentissimi, et erga Baium studiosissimi censuerunt. Hujusmodi siquidem fuisse, præ aliis, ex eo appareat, quod supra ex ipsa Baiana retulimus ; cum nempe famam et honorem Baii emulantes episcopi iidem, audientes eum adversariorum dentibus disceptum, ut se ab iis calumniis publice vindicaret, suamque mentem circa damnatos articulos palam exponeret, hoc ipso anno consuluerunt.

295. Aliarum insuper rerum, quæ in relata Baiana recitantur, veritati haud parum detracatum agnoscitur ab iis, quæ Roberlus Bellarminus Societatis Jesu, egregius ille Catholicæ fidei assertor, ac deinde S. R. E. ob prieclaras merita cardinalis, qui tunc Lovani morabatur, authentico scripto amandavit, fuitque hujusmodi¹ :

¹ Ex MSS. Bibliothec. Spad. Tom. 243, p. 429.

« Ante annos circiter triginta, cœpit Lovani nova quadam doctrina, de gratia, justificatione, meritis operum, aliisque id genus argumentis. Auctor primum fuit rector Michael Baii, qui hodie etiam superest. Is adjunxit sibi Joannem a Lovanio, qui, dum vixit, novam illam doctrinam mirabiliter auxit. Eos secuti sunt Thomas Gozens, aliqui nonnulli ex novis magistris, ex quibus unus tantum cum ipso Michaeli, quantum arbitror, vivit. Is appellatur Joannes Lenseus Belleolanus, Theologie professor in eadem accademia. Opposuerunt se novis illis opinionibus D. Ruardus Tapper decanus, quem audio circa mortem valde doluisse, quod Joannem a Lovanio ad magisterium promovisset, Jodocus Tiletanus, Cunerus Petri nunc episcopus in Frisia, Fr. Entichius Leodius Franciscanus, et si qui sunt alii. Et quidem Tiletanus, Articulos illos colligit ex libris Michaelis, quos Pius V Pontifex postea damnavit. Cunerus adversus eosdem artículos librum conscripsit, quem ego legi, sed non edidit. Fr. Entichius artículos eosdem in Hispaniam primum, deinde Romam detulit. Parisienses quoque xv vel xvm ejusdem Michaelis damnaverunt ; ad quos ipse apologiam scripsit, quam ego legi.

« Cum ego Lovanium venissem anno MDLXIX, offendì scholam valde tumultuantem ; nam Tiletanus in gymnasio, inter disputandum, et Fr. Leodius in templo inter concionandum, in Michaelis doctrinam aperte invehebantur. Interim tamen pars maxima Universitatis Michaeli adhærebat, et privatim eum defendebat.

« Anno sequenti, hoc est MDLXX, die xvi Novembris promulgata est in scholis, per vicarium illustrissimi domini cardinalis Granveliani archiepiscopi Mechliniensis, Bulla Pii V, præsentè ipso Michaeli, aliisque doctoribus, et auditoribus theologis ; juralementum quoque postulatum est a doctoribus, de obedientia Summo Pontifici exhibenda in ejus Bullæ observatione ; quod et prestilium fuit, cum ingenti mœrore multorum, Michaeli etiam laerymante. Sequenti die sub tempus lectionis, idem Michael percurrit breviter articulos Bullæ, et aliquot assruit non esse suos, aliquos autem suos quidem esse, sed ex S. Augustino desumptos dixit. Addidit postremo, quando sic placeat Pontifici, se eos articulos non amplius ex Cathedra, nec docendo, nec disputando traditum.

« Non multum tempus intercessit, cum cœperunt sectatores Michaelis dicere ; Bullam videri subreplitam ; tum quod non ostendetur facile petentibus, tum et quod sine ullo ordine, et interdum sine ullo sensu, articuli posili fuissent in ipsa Bulla ; nam interdum simpliciter proponuntur, interdum additur, Auctor dicit ; interdum dicunt, et nec tamen

explicatur, quis sit auctor iste, vel qui sint illi qui dicunt. Deinde ulterius progressi, cœperunt asserere Pontificem errare posse; firmitatem in Ecclesia esse, non in Pontifice. Aliquando doctor Michael in lectione admonuit, in Scripturis explicandis, majorem esse Doctorum Ecclesiae quam Pontificium auctoritatem, idque probavit, ex Gratiano dist. xx. Can. Decret. : ex quo discipuli ejus deducebant, in iis, quæ ad fidem pertinent, magis divo Augustino, quam Summo Pontifici credendum esse.

« Cirea idem tempus, cum ego a quondam illius auditore quererem, quid de Pontificis auctoritate sentiret: respondit ille continuo Pontificem in iis, quæ præcipit circa mores, in omnibus audiendum esse; circa fidem autem, cautius procedendum; propterea quod ipse quoque ea in re falli possit; et ideo SS. Patres consulendos.

« Alio tempore, cum quidam ex discipulis meis in scholis publicis positiones defenderet, ipso Michael presidente, qui tamen positiones antea non consideraverat; accidit, ut ea positio oppugnaretur, qua diserte asserebatur, Summum Pontificem in dogmatibus fidei definiendis errare non posse. Tum vero Michael palam affirmavit verba illa Domini, Lue. 22. *Oravi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua*: non intelligi de infallibilitate aliqua Summo Pontifici a Christo impetrata; sed de perseveratione Petri in gratia fidei personalis, usque ad mortem; eumque esse sensum Sanctorum Patrum, solo Bernardo excepto.

« Item alias orationem prolixam habuit idem Michael in Scholis, dum quidam, ad gradum licentiae promovendus esset. In ea oratione docuit, duo esse genera hæreticorum; unum eorum qui se ab Ecclesia manifeste separant, quique sacramenta alio ritu ministrant quam in Ecclesia fieri solet; quales esse dicebat, Lutheranos, Calvinistas et similes. Aliud genus hæreticorum esse volebat eorum, qui nihil in Sacramentorum ritu mutarent, nec ab Ecclesia discessionem facerent, sed solum errarent in explicanda doctrina, de gratia, justificatione et similibus articulis. Hos hæreticos esse occultos dicebat, et in Ecclesia ipsa manere, nec posse vigentibus ejusmodi Hæresibus, veram fidem internosci alia nota, quam testimonii Scripturarum: atque ad hoc demonstrandum, recitavit sub nomine Chrysostomi magnam partem Homiliae XLIV. Operis imperfecti in Mathæum. Quem locum, tanquam hæreticis aperte faventem, expungendum curarunt ii, qui Opus illud imperfectum emendare voluerunt.

« Ex hac oratione multi deduxerunt, eos omnes Michaeli hæreticos videri, qui Bullam Pii V defendenter. Iisdem diebus unus ex nostris, qui Joannes Harbenicus dicebatur, quique anno superiore obiit, mihi secreto indicavit,

audivisse Michaelem dicentem: Quis scit, an Romanus Pontifex non sit ille Antiebristus, qui sessurus dicitur in Templo Dei?

« Pio V defuncto, cœperunt, ut mihi videbatur, utque ad auditoribus nostris aliquando intelligebam, liberins agere de artieulis illis damnatis, ut salis appareret, errorem non abdicatum, sed lingnam dumtaxat aliquantulum compressam. Iussi ego aliquando a Michaeli quæri, quam ob causam nos in hæreticorum numero haberet: responsum accepi, quia sentiebamus, non esse peccata omnia opera infidelium.

« Solitus est idem Michael sœpe numero queri de Pio V, quod articulos suos damnasset, non anditis utriusque partis rationibus; se enim misisse, vel obtulisse (nec enim recte memini) Apologiam, sed nunquam fuisse auditum, et solum pro imperio secum actum.

« Vir est prædictus Michael, magno ingenio præditus, et in divi Augustini lectione maxime exercitatus. Ad hæc, prudentiam, pietatem et humilitatem singularem præ se fert. Agit nunc, ut opinor, annum ætatis LXVI, et partim ob decanatus officium, partim ob eruditiois et pietatis opinionem, summa apud suos auctoritate floret».

296. Ista Bellarminus, quæ tamen scripto mandasse, anno tantum millesimo quingentesimo septuagesimo nono, sub eodem anno monstrabitur, quo alia plura etiam ad rem hanc pertinentia in medium producentur.

At ex his, quæ hic dicit, manifeste colligere est quinam homo fuerit Bains iste, cuiusnam ponderis illius virtutes, (in Baiana, ut vidimus ac observavimus, præclaro adeo encomio descriptæ celebratæque), humilitas nempe, patientia et obedientia; et, an demum prudentia illa, qua prædictus dicitur, alterius speciei fuerit, quam carnis, quæ inimica est Deo. In speciem siquidem, quoties opus fuit, ac de exhibenda Summi Pontificis decretis obedientia actuum est, versutus homo humiliavit se. Verum (ut Scriptura¹ loquitur) *interiora ejus plena erant dolo*. Extrinsecus in vestimentis ovium procedens, intrinsecus lupus rapax. Ex Pii V Bulla, qua errores ejus reprobati sunt, tantum pervicax et superbus homo concepit dolorem, ut pareret inquitatem illam, qua affirmavit, ut audisti, Pontificem Romanum in rebns fidei definiendis errare posse. Adeo enim errores suos dilexit eisque adhæsit, quod, ut sententiis suis infallibilitatis quodammodo privilegium assereret, (dum se nimirum non errasse deceptumque fuisse contendit) Ecclesiæ Capiti infallibilitatem detrahere non timuerit. Ex hoc autem pntidissimo fonte rivuli illi manarunt, qui priscam erga Romanam et Apostolicam Sedem,

¹ Eccles. 490, n. 23.

Gallicanæ potissimum Ecclesie, proh dolor! devotionem et obedientiam corruerunt. Pestilentiæ hunc virum, non Apostolum quendam, non Angelum de Corlo annuntiantem sequuntur, qui fallaci eidem opinioni adhaerent; et pseudoprophetam illum, ambitiosæ ac rebellis doctrinæ, qui eam sectantur, nostris hisce temporibus, debent primum agnoscere auctorem.

At sunt et alia plura, quæ ex haereditate Baii accepta, subdola solertia diligentissime ejusdem alumni servant. Ex his siquidem, quas in medium protulimus, prater damnatas a Pio Baii sententias, improbas alias plures illum sectatum fuisse docuisseque manifestum est: illaque semina quadam extitisse iniquarum sententiarium aliarum, quibus orbem fere universum infecerunt, negabit nemo. Hujusmodi sunt saeraram Scriptorarum recens invectæ versio[n]es. Totius humanæ historiæ eversio. Temeraria Operum SS. Patrum cribralio. Aclorum, imaginum, reliquiarum Sanctorum, ac hujusmodi contemptus, andaxque decretorum Apostolicarum Sedis spretus: piarum traditionum conciliatio ac irrisio; et ut uno verbo totum complectamus, snrsum deorsum omnia evertisse, atque in dubium ad disceptationem vocasse. Quis vero non intelliget a Baianis hæc desumpta, ac a præfatis auctoritatib[us] Apostolicæ detraetis juribus derivasse: cui, nimirum devote ac pie fideles, non modo in rebus fidei dijudicandis, sed in cieleris quoque acquiescebant? Ab eo fonte deductas istas, in summam Ecclesie perniciem putentes aquas, dubitari nequit, aliasque præterea veneno imbulas conclusiones, ex aliis Baianis principiis elicitas reperiri; qui studiose animadvertiset, dilucide intelliget.

Nec est, quod dicast tot pravarum opinionum mala, longe ante Baianos Jansenistasque, a Lutheranis Calvinistisque sata fuisse, negari non posse: nam negari etiam nequit Baianos Jansenistasne omnium primos extitisse, qui ea vanfritie zizania isla seminaverint, ut nihil ipsi credentes, cæterorum fidelium fidem corrumpere studeant, et inter Catholicos, ut vere Catholicæ versentur, impuneque suum illis propinandum venenum exhibeant. Quid plura? Prævaluuit adeo, vel iniquorum hominum perfecte Baii simulationem imitantium malitia; vel obsecura, imo obscurissima plurimorum cæcitas, ut audacie detractionisque crimen Catholicis quibusve viris impingere non vereantur, cum ab illis Baianarum, Jansenistarumque sententiarum, ab ipsisque probe elicitarum conclusiōnum, ac consequentiarum sectatores evineantur; contumelioseque secum actum incautis suadere connitantur, qnod Baiani Jansenistasque dicantur: licet dicantur non nisi quod sunt, ac esse non erubescant.

Persepe nihilominus, ut videantur justeinfausti nominis repulisse ignominiam, vel ab

aliquibus signanter damnatis Janseniam, Baulisque erroribus, ad simplices decipiendos, se abhorrire ostentant; vel Ecclesie legibus, quibus reprobati sunt, contrarie palam non audent. Pertidissimis profecto similes Eusebianis illis, qui mordicus Arii blasphemis adhaerentes, Arianorum tamen cognomen ut evaderent, Nicæni Concilii decreta nunquam reprobare presumebant. Et quidem, si verum lateri viderimus, uti nunc, mutato in illa criticorum ac eruditorum Jansenistarum nomine, Arianorum criticas et eruditos Eusebianos extitisse dicimus; ita eos, de quibus loquimur, Jansenistas Jansenistarum corundem esse Eusebianos, asserere non veremur. At de his satis hoc anno.

297. Anna Austriaca, uxor futura Philippi regis, per Belgum transit, et magni pompa excipitur. — Anna Austriaca, Maximiliani Cæsaris filia, hoc ipso fere tempore in Hispaniam prolectura, utpote sponsa Philippi regis, in Belgum descendit. De ipsis adventu, ac Lindani pro religione operibus, occasione quod ei obviam venerit, hæc monumentis mandavit Havensis¹: « Finito Concilio Mechlinensi, Lindanus domum veniens, Neomagum cogitat, ad excipiendam Annam Austriacam. Maximiliani Cæsaris filiam, quæ per Rhenum, secundo flumine in Belgum conlendebat, ut inde in Hispaniam trajiceret, duobus fraterculis Alberto et Wenceslao comitata, tertia uxor Philippi II Hispaniarum regis futura. Ad quam salutandam excipiendamque, ut dixi, dum Neomagum Lindanus properat, intelligens sibi aliquid temporis superesse, ne illud sine fructu abiret; utque inciperet, quæ in Concilio Mechlinensi statuta erant, ad reformationem pertinentia paulatim exequi, in itinere eadem opera perlustrabat quasdam Ecclesiæ, ad ceteriorem Mosæ tractum in Arsen, Alferden, Wel, totaque illa vicinia sitas: invenitque librarium, qui copiosam, sed occultam omnis generis infectorum librorum supellectilem, seu officinam habebat, quos ipse ex Germania recipiebat, ac passim per Belgum, maximo quidem suo quæstu et lucro, Reipublicæ autem incomparabili damno distrahebat. Reperta quoque sunt aliquot centena exemplaria istius pestilentissimi libri, Alleariū dicti, quod tum hand ita diu in lucem prodierat. D. Lindanus omnes istos libros ad Mosæ ripam sub noctem publice exurendos curavit. Unde dominus de Wel, in haeresim propensior, ei non parum offensus fuit, petens suo librario damnum illatum refundi, sed Lindanus ejus offensam et minas flocci faciebat. Tandem Neomagum venit; ubi post aliquot dies reginam adventantem, duce Albano et omnibus Ordinibus Belgii præsentibus, solemnii supplicatione comitante, e navi ascendente excepit, et maxima pompa,

¹ Havens. de administr. Episc. Buremund. lib. II. c. iv. p. 24.

populique concursu, ad Collegiatam Ecclesiam S. Stephani deduxit; in cuius ingressu eam, inter episcopum Monasteriensem, et magnum Ordinis Theutonici magistrum, Lindanus salvavit, et brevi oratione illi omnia fausta comprecatus est; religionemque Catholicam, et has provincias Belgicas, quantum potuit, eidem hisce verbis commendavit :

« Serenissima regina.

« Gratulamur ex animo salvum vestram majestatis, illustr. DD. Fratrum Austriaeorum, totiusque comitatus ad has exultantis Belgicæ oras adventum, nobis Belgis ad unum omnibus, ut multo latissimum, ita longe exoptatissimum. Proinde Deo Opt. Maximo immortales gratias agimus, quod ab istro usque hue, majest. tuam deduxerit sospitem, et incolumem. Cæterum quia profixus superest in Hispaniam usque iter: non desinemus supplices eumdem Deum Omnipotentem, terræ atque maris Dominum jugiter deprecari, ut majestatem vestram ad sponsum suum, regem Catholicum Philippum dominum nostrum clementissimum, salvam perducat; et matrimonium istud hisce provinciis Belgicis exoptatissimum, beare, ac sua paterna benignitate benedicere, donisque cælestibus exornare dignetur. Quo hisce felicissimis ex nuptiis, ad exemplum Liæ atque Rachelis salutariter fecundam læti videamus te pulchra prole parentem, et quæ nobis beata felix iuuenem edas multos reges, pios Ferdinandos, fortes Carolos, invictos justosque Maximianos. Sieuti enim illorum patrum et avorum tuorum opera sanctissima, Christus Dominus suam Ecclesiam haec tenus salvam tueri ac propagare dignatus est; ita filiorum tuorum studio, tadem speramus propagatam iri salvam et florentissimam. Rogamus autem V. Majest. supplices, ut hanc Ecclesiam Neomagensem, tamque diæcesim Ruremudensem commendatam habere dignetur, atque suo tempore serenissimo domino nostro regi Philippo clementissimo, una cum toto hujus Belgii populo, ejus majestati devotissimo, piis ac benignis vocibus commendare, ne gravetur. Offerimus porro nostrum omne obsequium, ut majestati V. ex animo deditissimum, ita semper in Domino devotissimum. Salve, atque vale diu incolumis, regina serenissima, et majestatem vestram salvam, et sospitem, ad regem sponsum perducat Deus, terræ marisque Dominus, qui vivit et regnat in secula benedictus. Amen.

« Postquam ita peroravit, et respondisset nomine reginæ episcopus Monasteriensis, itum est ad chorum, ubi, cantato *Te Deum laudamus*, quisque suum ad hospitium divertit. Altera vero die Lindanus, presente regina, Albano, et principibus reliquis, solemne saerum ecceinit. Tum ad triduum extra portam in campo visuntur spectacula, hastiludia, atque concursus, et

velitationes militum, globique igniti per aera vibrati, aliisque nusquam hactenus visi triumphi, qui sumptibus provinciarum Belgicarum, in gratiam reginæ istic exhibebantur. Tantus erat Neomagi tunc hominum concursus, ut etiam prelati aliquot scannum (quod dici solet) declinare discerent; cogerenturque lectis destituti, ad quietem somnumque capiendum, in scannis decumbere ». Sic Havensis.

298. Neomago, Albano deducente, regina Antuerpiam abiit, ubi regio pariter apparatus excepta a Belgii provinciis ultra Mosam et Scaldim positis, vota itidem ac munera accepit. Hinc in Zelandiam profecta, classem Ulissinge VII kalend. Octobr. condescendit, ducente Maximiliano Bossuvio maris præfecto. In Hispaniam trajicienti, comites a Duce Albano dati Ferdinandus Totetanus filius, Rodericus Tolestanus, et Christophorus Mondragonius, cum legione sua ea de causa Daventria evocata. Id sibi muneris, ut nempe novam sponsam regi marito deducere, enixe curaverat dux ipse Albinus, qui et antea successorem dari sibimet a Philippo petierat; vel honorificum ratus, per eam occasionem, abire Belgio, satis a se in præsens, turbis quomodo cumque sedatis, regiae obdientiæ restituto, ac fundatis arcibus, uti putabat, in posterum communio; vel quod in ipsa regione se invisum cernens, ac populos vi quidem subactos, animo vero ab Hispanica subjectione, ex hoc ipso magis ab alienatos, perspicaci quo poterat ingenio intelligeret; ut novorum, quos prævidebat tumultum invidiā vitaret, in specie rebus compositis, fama rei bene actæ discederet.

299. Initio petitioni Albani rex assensus non est; postea tamen (si iis credatur, quæ scriptor aliquis tradit) offensus aliquibus quæ in administratione idem Albanus egerat, ipsum revocare decrevit, successoremque nominavit Joannem a Cerda, ex Medina Cœli ducibus, vel Navarræ, vel, ut Hadrianus asserit, Siciliæ proregem: qui tamen, non nisi biennio post Belgium adivit, ac brevi, alii remissa ea bellorum mole, in Hispaniam reversus est. At vero, licet nos rationes lateant, ob quas Philippus deinde consilium mutaverit ac Albani desiderio satisficerit; illud certe compertum est, statim fere a reginæ e Belgio discessu, regem ipsum ejusdem Albani petitioni annuisse: nam cum illa septimo kal. Octob., ut diximus, classem condescenderit, quæ eam in Hispaniam evexit: nono kal. Novembbris, de sua a Belgio emigratione, ac in Hispaniam mox secutura profectio, Albanus idem Summum Pontificem certiore reddidit, ut patet ex sequenti Epistola, qua illius litteris super hac re Pontifex ipse respondit²:

¹ Fam. Srad. lib. VII, p. 225. — ² Ex Regist. Epist. Pii V, in Archivio Vatic. To. 3, complect. Epist. an. 5. Pontific. p. 269.

« Dilecto filio nobili viro Ferdinando¹ duci Albæ.

P I U S PP. V.

« Dilecte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Litteras tuas xxii Octob. datas accepimus, ex quibus te, ex ista Provincia propediem discessum, et in Hispaniam ad charissimum in Christo filium nostrum regem Catholicum reversurum, significasti: in quo officio, pristinam tuam erga nos sanctamque hanc Sedem observantiam recognovimus, et in Domino vehementer laudavimus. Quamvis autem optabile nobis fuisset, ex rebus istius provinciae, tam prudenter tantaque cum tua laude compositis, ut ad constituendum et stabiendum illius statum, diutius in ea manere potuisses: tamen cum et discessus isthine tuus, non sine maiore serenissimi regis Catholicæ utilitate sit futurus, et tu idipsum cōpere videaris; facile et Majestatis suæ Catholicæ voluntati et nobilitatis tuae desiderio acquiescimus. Omnipotentem Deum precamur, ut nobilitati tuae semper praesto sit, eique prosperum redditum in patriam, et secundum divinæ suæ voluntatis obesquium, omnia semper agere concedat. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die vigesima septima Novembri, millesimo quingentesimo septuagesimo, Pontificatus nostri anno quinto».

300. Paulo post autem, re melius considerata, Epistolam alteram ad eundem Albanum Pius dedit, qua cum a sententia Belgio discedendi abducere studuit; quod oportere censeret, ad firmandam earum provinciarum tranquillitatem, ut ibi diutius Albanus permaneret. Epistola hujusmodi fuit:

« Dilecto filio nobili viro Ferdinando duci Albæ.

P I U S PP. V.

« Dilecte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Post litteras nostras xxvii die Novembri, ad nobilitatem tuam das, quibus super tuo ex ista provincia discessu, desiderium magis nostrum, quam sententiam leviter significabamus: statum ejusdem provinciae diligentius atque accuratius considerantes, judicavimus ea, quæ a te, pro ejus conservatione prudenter provisa, et sapienter statuta sunt, minime duratura, nisi ea in ea ipsa provincia aliquanto diutius tibi permanendum esse statueris: quod ut non solum religionis Catholicæ causa, sed ipsius quoque charissimi nobis in Christo filii regis Catholicæ utilitatis gratia facias, nobilitatem tuam in Domino vehementer et hortamur et rogamus; qui quidem discessus

isthine tui tarditatem diurnioremque moram in bonam semper partem accipiet. Id præterquamquod tua erga Deum Omnipotentem pietate, eximioque fidei Catholicæ consevanda studio, dignum futurum est; erit præterea nobis gratissimum. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die sexta Decembris, millesimo quingentesimo septuagesimo, Pontificatus nostri anno quinto».

301. Videtur autem ex hac Epistola educi posse, importuni potius Albani precibus ad ductum Philippum, ut eum e Belgio evocaret, quam sua sponte, vel alia ex causa id fecisse. Diurniorem enim ejusdem moram in bonam partem regem semper accepturum, Pius minime scripsisset, si in aliquibus offensus rex ipse, facultatem discedendi ei concessisset. An vero Pii officia apud Philippum intercesserint, ne Albanum e Belgio removeret; licet haec invraisembl videatur, nobis tamen incompertum est. Eamdem nihilominus sententiam, tum Pii, tum Philippi animo insedisse; quod scilicet ex longiori in Belgio Albani mora, religionis securitatem, ac illius regionis obedientiam ac pacem magis ac magis confirmatam iri crediderint; pro certo existimamus.

302. At aliter sese res habuit, nam quo ad continendos in officio Belgas, ubi se in primis necessariorem ac præ aliis aptiorem, in Pontificis opinione intellexit Albanus; eo in prosequendis iis, quæ cœperat (utpote quæ non vituperationem, sed laudem potius apud probos consecuta essent), acrior ac petulantior insurrexit; ideoque ad Belgas concutiendos, ad exactionem decimæ vigesimæque rediit, conditionibus sœpe ab se mulatis, a populis sœpe rejectis, pari utrinque pertinacia. Cum Belgarum pertinaciam angeret rumor de Albani successore populis optatus ob idque eruditus, unde iis a eadente minor metus: ac major ex hoc Albani indignatio, quod finem ejus præstolarentur. Verum haec ex Haero et aliis in sequentem annum rejicienda.

303. *Archiepiscopum Bisuntinum, diu Romæ detentum. Pius ad suos redire permittit.* — Profuit autem alibi a nobis plories commemorato archiepiscopo Bisuntino, Romæ adhuc a Pio delineri, quod is intercedere pro illo apud Albanum potuerit, ut damna sarcirentur abbatiae suæ de Ciarlico a Barone quodam S. Remigii dicto, Hugonottorum duce, dnm in Gallias haereticorum Germanicæ copiæ, per Burgundiæ fines trajicerentur, illata. Ab anno superiori ejusdem archiepiscopi precibus, idem curaverat Pontifex; at studiosius præsentí eodem officio perfunctus est, ut plane ex sequenti ad Albanum præfatum, data Epistola intelligere erit:

« Dilecto filio nobili viro Ferdinando duci Albæ etc.

¹ Ex Archiv. Vatic. ut sup. p. 273, et pag. 119.

PIUS PP. V.

Dilecte etc.

« Scripsimus anno superiore nobilitati tuae de re non pauca venerab. fratre, noste. archiepiscopi Bisunlini, cuius abbatia, quæ appellatur de Ciarlico a barone S. Remigii, tamquam ab Hugenottorum quorundam duece, ob privatas quasdam offensiones, tota incensa esse asseritur eo tempore, quo haereticorum exercitus ex Germania in Galliam ad oppugnandum charissimum in Christo filium nostrum Francorum regem Christianissimum transiit. In eis litteris, id a nobilitate tua impetrare volebamus, ut quantum praedictus archiepiscopus ab eodem barone defrimenti accepisset, tantumdem ei, de cuius ipsius bonis, quæ, tanquam serenissimi regis Catholici rebellis, in fiscum redacta esse dicebantur, reficerentur. Nunc vero, cum ad nos allatum sit, dilectum filium gubernatorem Burgundiæ, et senatorem unum, ad inspicendum incendium, considerandique illius rei jacluram deputatos, relatione facta, damnum illud existimavisse, nobilitatem tuam rogamus, ut, si id verum est, predicti archiepiscopi detrimeni rationem habere velit eam, quam sibi pro sua æquitate habendam esse judicaverit. Quia de re quamvis ejusdem archiepiscopi, cuius non mediocris, ut cernis, res agitur, rogatu ad nobilitatem tuam scripserimus: tamen, ut hoc idem faceremus, multo magis officio nostro adducti sumus, cuius est omnium quidem Ecclesiastiorum hominum, præcipue vero ven. fratrum nostrorum utilitatem, et jura, quibus rebus, cum Domino possumus, semper lueri. Gratissimum igitur nobis fecerit nobilitas tua, si in hac quoque re nobis gratificanda, suam erga nos sanctamque hanc Sedem Apostolicam observantiam devotionemque declaraverit. Quod, quamvis eam sponte sua, quoad ejus fieri potest, facturam fuisse pro certo habemus; aliquanto tamen libenter atque alacris commendatione nostra adductam, facturam esse confidimus. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xviii Julii mdcxx, Pontificatus nostri anno quinto ».

301. Cum autem habeamus, in alias recensito cardinalis S. Severinæ diario, sub die decima sexta Junii hujus anni habitum fuisse consistorium, in quo (Diarii ejusdem sunt verba): « Postulatum est pallium pro archiepiscopo Bisunino praesente et concessum, ac mandatum exhiberi cardinali Carafa primo diaconorum etc. » hinc verosimile videtur, hoc tandem anno ad propriam redire Ecclesiam, uti pastoralibus cunctis decoratus insignibus, ita quoque probatioribus moribus ornatum, ac ad meliorem frugem redactum, archiepiscopum ipsum Pium permisisse; cui etiam ad Albanum deferendam præfata Epistolam tradidisse pro-

babiliter censeri potest; illum vero, non nisi sub sequentis anni initium, Roma discessisse, suo loco dicetur.

303. *Sub rectæ intentionis specie tegit Aurianus piraticas deprædationes.* — Præsenti pariter anno, præter ea quæ recensuimus ab Auriaeo structa, ut infamiam navium suarum bellicarum, quæ insolentius piraticam exercebant, ipse emendare ac moderari videretur; dato illis præfecto Lumbresio, edictis pluribus ipsarum licentiam adstrinxit, ut narrat Meursius¹: qui tanquam insigne aliquod facinus, illud exollit (specie quidem minime vituperandum), quod jusserit, nempe, procul ambitione omni et avaritia, boni tantum publici curam haberi, neque militem, nisi fama integrum legi, criminique aut lictori non obnoxium; additque concionatorem singulis item navibus impo-nuisse, qui pietatem et saeras preces exereceret. Verum nec piatatis certe, nec boni publici fuit, quod illico subjungit; nefarios videlicet eosdem prædones, non multo post diversis temporibus, naves circuler quinquaginta varie omistas contra fas omne et jus invasisse.

304. *Festo Omnim Sanctorum tremenda tempestate Belgum atterritur.* — Majora autem his consilia Aurianus animo agitabat, quippe qui de Euchusa, et aliis aliquot maritimis locis capiendis cogitaret, jamque in Amasi flumine naves copiasque parasset, et in Anglia præfatus Lumbresius, classem instrueret. At antevertit, quod eo ipso tempore prope horrendum accidit, narratque his verbis Harcus: « Hoc anno, Festo die Omnim Sanctorum kalen. Novembr. tanto pelagus ferbuit aestu, ut vesperi circa horam nonam. Antuerpiæ, aggeribus ruplis, novam urbem aliaque loca aquæ invaderent, et cellaria locaque decliviora infra et extra urbem late implerent. Hinc pecora et homines multi misere submersi, summo damno tota passim civitas horribili hac inundatione affecta. Detrimentum in mercibus, marina aqua corruptis, aestimatum centenis florenorum millibus et amplius; in structuris Reipublicæ Antuerpianæ, utpote castætæ, actis, crepidinibus, urbis muris, publicisque aedificiis centenis quoque ut minimum millibus. Zelandi quoque easu hoc acerbo misere concursi; ubique locorum, maxime autem Romerswalle, et Satringa prorsus submersa est; ita ut necesse fuerit, undique naves ocyus eo mittere, ad miseros homines, qui adhuc in cacuminibus arborum et aggerum sedebant, eripiendos alque alendos. Auctor bona fidei, his verbis miseriam hujus exundationis describit: Vix aestimari, inquit, clades possit: et perriere in sola Frisia hominum fere viginti millia, nec immunis Flandria in opposita Belgii parte fuit, Gravelinga, Donkerca, Neoporlus, Ostenda,

¹ Meurs. in Vit. Auriac.

pagique plures experli concussae vehementer ipsæ Brugie : eversa calaraeta Gandensis, quæ Sassa vocatur : et Gandavum quoque, usque ad Cæsaris portum, aqua excurrit. Minus periculi Brabantia habuit, si Anluerpiam excipias, et pagos aliquot Sealdi vicinos. In Zelandia, præter reliquam pecorum et aggerum cladem, hominum tria militia absumpla. Gravissime vero Hollandia quoque laboravit. Dordraci, Roterdami, aliisque in urbibus ad tertium pedem aqua plateas supergressa est; ad Rapendrecum, et in insula Crimpensi, septem locis disjectus ager, inereditate quantum hominum pecorumque abripuerit. Pagos mari adjacentes eadem procella invasit, ac potissimum Seevelingam, ubi eversæ aedes centum viginti octo, naves in littore stabulantes, statione erectæ, per vi eos, seu Oceano vectæ ferebantur; ingressa templum aqua in ipso sacrario gravem e ferro cistam subvertit. Immane damnum Amstelodamum etiam accepit, et qui Mudam ducilagger, tredecies perforatus. Parlem cladis quoque Hollandia borealis sensit, et insulae adjacentes. Zypæ, e centum quatuor adibüs, vix quidquam superfuit. Luctuosus certe Belgio casus, et qui præter cæteram jacturam, plus centum millia hominum creditur absumpsisse. Hispani justæ sanctorum iræ, his suis Feriis se vindicantum, rem imputabant, utpote quorum imagines et templum Belgæ violassent. Id nulli dubium, irali ob peccata Dei judicium fuisse ». Ille auctor ille. Quod igitur horrenda hæc procella, Auriae, quæ innuimus, consilia anteverterit; subjungit Haræus ipse his verbis : « Sed quia tempestas plures naves afflixerat, et egressæ ripas aquæ, incertum nautis alvæ fecerant; dilatum necessario propositum est, mox alia quoque impedimenta objecta ». Sic ille. Præ Hispanis, qui (ut audisti) justæ sanctorum iræ, ob imagines ac templo violata, damna et clades a sœva tempestate illatas Belgis, pie tribuerunt; simplicius eosdem Belgas judicasse, scribit Meursius¹; cum sanctos, nimirum, vindictæ cupidos minime existimarent. At ignoravit profecto sectarii auctor, *judicium illud conscriptum*², quo omnes sancti gloriantur; et ad quod exercendum, a justissimo vindice Deo omnipotenti, dati sunt gladii ancipes in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis³. Et quod deum non modo lætabitur justus, cum viderit vindictam; sed insuper lavabit manus suas in sanguine peccatoris.

307. Moravius, nothus et infensissimus frater Mariæ Scoticæ, occiditur ab Hamiltonio ob privatam vindictam, non ex coniuratione. — Manifesta autem ira Dei, ut verbis Apostoli ulti mur, hoc anno revelata est super hominem ope-

¹ Mears, ut sup. p. 177. — ² Psalm. 49, v. 6, 7. — ³ Psalm. 57, v. 43.

rantem iniquitatem in Anglia et Scotia, nempe Jacobum Nothum Moravium. Dum enim sedulo cum Elisabetha Angla agit, ut Scotorum regina sibi in mores tradatur, quo effrenem in eam suam rabiem exercere possit; coque notum Elisabethæ ipsi non obrides modo, et vulnus Camdenus, sed ipsum quoque puerulum regem, utranno præterito ostendimus, offert; et Northumbriam alque Westmorlandum tradere premittit; efficitque ut Rossanensis episcopus, banquami rebellionis auctor, apud episcopum Londonensem in custodiam tradatur; deinde, ut Elisabetham beneficio demeretur, mense Januario in limitaneas Scotie versus Anglicæ provincias cum exercitu ingressus, ad Anglo-rebellæ indagandos, illorum paucis interceptis, tandem præfatum Northumbriae comitem capi et ad factum Levinum custodiendum mittit. Eodem tandem Januarii mense, cum jam securè animo viderein, immunitabilium suorum scelerum debitas penas iuxta acciditque ei, quod Scriptura¹ loquitur: *Cum dicerint par et securitas, tunc repentinus eis superveniet interclusus*. Nam Limuchi, ex insidiis, glande plumbea paulo infra umbilicum transfixus equoque dejectus, maguis clamoribus, obsecrationibusque et minis, inquit Conlaus², vindictam nequidquam ingeminans, devolam sæpius diris animam efflavit.

308. Caedem hanc insigni commolitione meditatam fuisse, Buchananus³, ejusque insignis assecla Thuanus contendunt; eorumque posterior superioris iisdem usus verbis, sic rem prosequitur: « Moravius cum de insidiis undique afferretur adversus se structis ab amula factione, quippe quæ, vivo illo, nullum consilii exitum reperiret; sublato, omnia voluntati sua prona crederet; ad hoc inducta reginae captivæ pollicitationibus, quæ Gallorum et Hispanorum auxilia brevi affiore affirmabat: tamen is, sive talium periculorum natura contemptor, sive quod se satis, nobilitate latus assidue tegente, tutum existimabat, nihil de priore securitate mutavit. Hamiltonii coniurationis principes erant, qui quod Moravium regno inhibare dicebant, ac per eum stare quoniam regina a suis in suo regno reciperebatur, atque id agere, ut puer rege, quem tuendum in speciem contra matrem suscepserat, regiam potestatem, atque adeo regnum ipsum in se paulatim ex occasione transferretur. Fodus ad eum tollendum inveniunt, Gulielmo Kireadio areis Edimburgensis præfecto, ut creditur, minime ignaro. In eam rem Jacobus Hamiltonius, ex archiepiscopi Fanii Andreæ sorore natus, operam suam ultro detulerat, tempusque idoneum patrando facinori

¹ I Thess., c. v, v. 3. — ² Gen. Vit. Mar. Huan. p. 113. —

³ Buchanan. lib. 49, p. 680 et seq. Thuan. Histor. lib. XI. p. 616.

aucupabatur. Cum insidiae primum Glascuæ, ac postea Sterlini non processissent; postremo Limnuchi, loco, ut sibi videbatur, commodo, quippe quod in Hamiltoniorum clientela esset, rem exequendam suscepit. Cum igitur prorex, ab indicibus monitus ut sibi caveret, nam percussorem, inter tertias et quartas ædes, ab ejus hospitio diversari, nihil commotus, tantum per aliam portam regredi, et mutato itinere statuit; sed multitudine equitum eum operiente impeditus est, et suspecta loca celeriter in equo prætereuntem turba obsistens, cum remoraretur, percussore podio ligneo linteis operto, eum ptumbea glande paulo infra umbilicum transverberat, et per posticum equo, ad id parato, elabitur, etc. » Sie Thnanus.

309. At Camdenus, licet et ipse hæreticus, cum tamen minori invidia in Scotiæ reginam feratur, et ex purioribus fontibus veritatem hausisse credendum sit; præfata omnia Buchanani ac Thuanii deliramenta eludit, cum de cæde Moravii agens, sic scribit¹: « Percusso erat Hamiltonius, qui in Galliam mox evasit, et annos aliquot superfuit, subinde protestatus, se privatam de Moravio vindictam sumpsisse, postquam patientia, ad injurias diutius obdurescere non potuisse. Moravius enim hominem, quod a regina steterat, proscipserat, et carcere condiderat, patibulum subinde minatus, donec prædiolo, quod per uxorem obvenerat, Moravii clienti cederet. Unde uxor mente capta, et ille in furorem versus, careere effraeto, eadem admisit. Nec persuaderi postea poterat in Gallia, cum homo ad facinus promptus videretur, ut in admirarium Colinium idem auderet; dictitans se justi sui doloris fuisse vindicem, cuius pœnituit; alieni vero, nec prece, nec pretio unquam futurum ». Sic ille: qui paucis interjectis evidenter ostendit, quam longe fuerit, ut Scotiæ regina Moravii cædis, aliquo modo, ut virulento calamo Buchananus et Thuanus tradiderunt, auctor extiterit, cum addit²: « Ipsa Seotorum regina indoluit illum, nempe Moravium, tam repentina et violenta morte præreptum fuisse: priusquam, ut dixit, peccata in Deum, patriam et principem seria pœnitentia expiasset ». Quæ quidem attulimus ut improbos scriptores rite mendacii dumtaxat coargueremus; cum cæteroquin superfluum arbitremur ostendere, Scotiæ reginam, nullo modo cædis hujus esse potuisse participem; quo etiam posito, nulla ei criminis nota innrenda esset; cum eo facto justissime animadvertisset in improbum ac sceleratum fidei desertorem, propriæ principis, ac sanguinis toties proditorem ac rebellem; ac demum in hominem innumeris prope criminibus obnoxium, a Deo et hominibus, ob immensa scelera minime ulterius ferendum.

¹ Camden. Hist. p. 2, 1570. p. 184. — ² Ibid. ut sup. p. 185.

310. *Nothi scelera.* — Nihilominus virum hunc. mortalium omnium tèrrium monstrum, hæretici, inquit Conæus,¹ tanquam Abramum aliquem luxere, famæque ipsius tanta pertinacia sunt patrocinati apud vulgus, ut ad hodiernum usque diem, bonus regens dicatur. Inter hos autem ridicula prope sunt, quæ Buchananus refert, qui qua pollet scribendi peritia; fictione, inquit Brietus², quæ neque poetam sapit, neque Christianum, tales describit Moravium, ut tantum vix reperire sit inter probatissimos Ecclesiæ ac sæculi heroes. Sed merito destitutus ab omnibus a causa cognoscitur, et amicus quidem deprehenditur ejus, quem laudare vult; sed dum nimis in cunctis laudat, aliquid non potuisse reperire, quod merito laudaret, ostendit. Nos non aliunde, quam ex ipsius operibus, quæ de illo jure proferri possunt, comparanda esse censemus; et ex his salis agnosei posse arbitramur, Jacobum Moravium Nothum, facem diuturni belli extitisse; quod Scotorum regnum tot annis vastaverit; regiæ ac sacerdotalis dignitatis eversorem; fidei ac religionis turpissimum desertorem; adeoque superbiæ cornibus se evehentem Cacodemonem, ut inexplebilis ambitionis alis, etiam supra omne id, quod dicitur Deus aut creditur, extollere tentaverit. Iniquissimus siquidem prædo in peccato conceptus, religionem in tegumento sumpsit, ut Ecclesiæ spoliis se sibi similes improbos expleret; atque in sororem reginam optime meritam injuriosissime ingratius, muliebri illius imbecillitati, innumeris fraudibus inhumane insultans, ut vaferime demum sua dominandi libidini inserviret, divina humanaque omnia miscuit.

311. *Hamiltonius ex Calvinista Catholicus.* — Næc prætereundum Jacobo Hamiltonio, qui maximo reipublicæ beneficio, impium hominem de medio abstulit, quemque in Galliam elapsum esse audivimus; ex eo facinore utilitatis plurimum accessisse: nam, ex malis nostris Deo bona faciente, cum Calvini assecula prius esset, Brietio³ teste, Catholicus effectus est; et de malo sicario, bonus Christi miles evasit.

312. *Elizabetha Nothi cædem ægre fert et Scotos fileles vexat.* — Nothi cædem Elizabetha, utpote quæ omnia fere cum eo inita contra puerulum regem ejusque matrem consilia antevertisset, ægerrime tulit; ex more tamen simulans, ad alias artes aliaque struenda facinora sese convertit. Nocte eadem, quæ proregis mortem subsecuta est, Thomam Carram Fernihurstium, et Walterum Scotum Buchlujum viros inter limitaneos Scotos fortissimos, Scotorumque reginæ devotissimos, qui ab illa, usque ad exilium et fortunarum eversionem steterant, ultionem contra reginam Angliæ spirasse, quod pro-

¹ Ut supra. — ² Briet. Ann. hoc ann. — ³ Ibid. ut supra.

rex in ejus gratiam limitaneos afflixisset, in Angliam cum Scottis et quibusdam Anglis rebellibus irrupisse, ac, pace violata, finitimum agrum ferro flammaque quasi solitudinem facturos devasasse, Camdenus et Buchananus scribunt. Verum, si Nothi mortem, non coniuratione aliqua ab Hamiltone, sed privata tantum vindicta patratam fuisse Camdenus vult, et insuper ipso Januarii hujus anni mense, quo ejusdem Nothi mors accidit, limitaneas Nothi ipse versus Angliam Scotiae provincias ingressus, eorumdem limitaneorum potentiam ac vires depressoerat: qua, quæso, ratione statim Fernihursius et Scottus, tanto validiores insurgere potuerunt, ut finitimam etiam Angliæ regionem vastaturi aggredierentur?

313. Verum haec, et his similia plura alia, ab iisdem scriptoribus commenta, necessario proponenda erant, ut Elizabethæ facinus honestarent; atque ut illam, non vim aliquam Scottis illaturam, sed ad sui tantum justam defensionem, in regnum illud exercitum mox misisse ostenderent. Notho siquidem sublatu, qui com-molitionum ejus præcipuus factio extiterat, rite sibi a Scottis illis metuit, qui tamæ tyran-nidis jugum, ac proprie ignominiam diutius non esse ferendam existimabant: priusquam igi-tur vires colligerent sumerentque, quibus eam injuriam vindicarent, eos opprimendos duxit, ac scelus, ut diximus, justæ defensionis specie contexit.

314. Innumera itaque prope dama fuere, quæ Svetius, qui cum exercitu Anglo Scotiam paulo post ingressus est, intulit. Per Trividiam siquidem, villas et vicos Buchluy, et Car-rorum, ut ipse Camdenus¹, Sotus, Philopatrus, aliique narrant, incendit, agros depopulatur, Pernihursium et Cralingum, Thomæ Carri pro-pugnacula, subvertit: cum ex parte altera Hen-ricus Baro Scropus eodem tempore occiduum Scotiæ limitem ingressus, Iostoni, et aliorum agros per Anandiam late devastat, vicos tre-centos incendit, propugnacula quinquaginta plus minus dejicit. Agitur demum, ut in prodi-tores, ac læsæ majestatis reos, in omnes illos, qui pro patriæ libertate, ac proprie reginæ re-stitutione esse tolerant; non modo, ut viribus destituti eam armis asserere non valerent; sed insuper, ut tanquam rebelles habiti in comitiis, in quibus novus prorex eligendus erat, nullum suffragii locum haberent.

315. Hoc injustitiae ac iniquitatis horrendum prope commentum, incaule postmodum idem Camdenus² detegit, dum relato, quod sevissime actum est, ab exercitu Anglo in Hamiltonios et alios, statim subjungit: « Jam Scotiæ pro-creces, qui a rege, submotis Hamiltoniis, et re-

liquis, qui a regina abdicata steterant, de eli-gendo novo prorege conventuri, Elizabethæ consilium exquirunt. Illa in prorege creando, se nolle interponere respondit, ne Scotorum regine, cuius causa nondum judicata, præjudicium afferre videretur». Poterat secure siqui-dem vaferima femina simulare modestiam, et se alieno illi juri detrahere nolte fingere, cui vi ac armis, iis sublati qui a regina Scotie stare poterant, jam turpissime detraxerat: « Proceres autem Scotti, subjungit, Mattheum Lenoxiæ comitem, regis avum, primum interregem, et mox proregem crearunt, Elizabetha non refragante. Causam vero, ob quam refragata non fuerit, incante etiam patefacit, ac mulieris his verbis calliditatem ostendit: « Hunc enim, nempe Lenoxiæ Comitem, etenelli nepotis ex na-tura amantissimum, Anglorumque ex beneficio studiosissimum fore cognovit». Sed haec parum ei profuissent, nec suspicax ac ambitiosus Eliza-bethæ animus his acquievisset, nisi quod addit, adjectum esset: « et ad nutum futurum non dubitavit, cum ejus uxorem in potestate habe-ret». Et haec quidem summa negotii.

316. *Apud Philippum Hispaniarum regem agi-tur de liberanda Maria Scotiæ regina.* — Dum haec, inaudita sævitie, ac diabolica lere versutia aguntur; de Scotiæ regina, quam innumeris artibus, ut audisti, perdere Elizabetha salagebat, tum Pius Pontifex, tum Catholicus rex Dispaniarum Philippus, summam sollicitudinem gere-bant, æruminarum ejus miseratione ac reli-gionis Catholice zelo commoti. Et Philippus quidem ipsam Pii sollicitudinem superasse vi-sus est; nam cum Pontifex ipse, de his agere cum eodem Philippo, Joanni Baptista archiepi-scopo Rossanensi, Apostolicae Sedis apud illum nuntio præcepisset; jam regem pro sua pietate, propria officia prævenisse reperit; ut apparel ex sequenti ab ipse Pontifice ad eum scripta Epistola³:

« Charissimo in Christo filio nostro, Philippo Hispaniarum regi Catholicó.

P I U S PP. V.

« Charissime in Christo fili nostre, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Ven. fratri Joanni Baptista archiepiscopo Rossanensi, nostro et Sedis Apostolicae apud majestatem tuam nuntio mandavimus, ut quæ-dam ei nostro nomine exponat, quæ ad charis-simæ in Christo filiæ nostræ Scotiæ reginæ ca-lamitatem sublevandam, Catholicorumque in Anglia, pro religione conatum, copiasque adju-vandas, vehementer perflinent. Ejus orationi ut fidem habeat majestas tua, rogamus: quam qui-dem valde letati sumus in hac ipsa re eo fun-ctam officio fuisse, quod ex ejusdem nuntii

¹ Camden. ut sup. Sot. Histor. Engl. Philop. in resp. ad Edict. Elisabet. sect. 2, p. 468. n. 432. — ² Camden. ut sup.

³ Ex Cod. MSS. Archiv. Vatic. Epist. Pii V. ann. 5. n. 2917.

bitteris cognovimus, et ad quod fungendum, eam pro nostra pastorali sollicitudine hortaturi fui-
mus, nisi hortationem nostram, eximia sua in
Deum Omnipotentem pietas, divinique honoris
cultus ac zelus preuenisset: cujus rei nomine
majestatem tuam in Domino laudibus commen-
damus, pro comperto habentes illam in his re-
bus, quae ad Omnipotentis Dei causam pertinent,
neque nostris, neque ejusquam alterius hor-
tationibus ullum esse locum relicturam. Datum
Rome apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris,
die xxi Februarii m.dlxv. Pontificatus nostri
anno quinto ».

317. Lenioribus mediis egit igitur in primis per oratorem suum Philippus apud Elizabetham, ut Scotorum regina pristine libertati restituere-
tur; quo etiam officio functus est regis sui nomine,
Galliae legatus Montlucius, qui sedulo rem hanc
eum Angla ipsa curarunt: utrumque ad id etiam
sollicitante, si Camdeno¹ credatur, episcopo
Rossensi, quem pauci ante diximus, quod Sco-
torum regina favisset, Londinensi episcopo in
custodiam tradito, e qua deinde liberatus fue-
rat. At frustra apud vaferriam feminam omnia
haec officia intercessere: nam licet serio de hoc
agitari in aula cerebra consilia velle simularet, ac
si vellementer appeteret id a quo toto animo ab-
horrebat; tamen re in dies rationabilium specie
rationum quarundam protracta, ac causata,
inter cetera, quod Scotiae regina Angliae sibi
coronam arripere contendisset; astutia hac sua
et pessimis artibus, Catholicorum omnium prin-
cipum conatus elusit.

318. His igitur jampridem ultro cognitis, ad
aeriora remedia confugiendum fuit; ideoque
mandatum Albano, qui, ut toties diximus, Phi-
lli nomine Belgio praeerat, ut Catholicis, et
Scotis, et Anglis contra Elizabethae tyrannidem
auxilio esset. Nec Scotti Anglorum saevitie hoc
ipso tempore exagitati, domibusque suis pulsi,
hanc sibi opem deprecari pretermisere; id ha-
bes ex ipso Camdeno² his verbis: « Hispanus
captivæ reginæ non defuit, sed curante Hamiltonio
Dumbarensis Ecclesiæ rectore, e Belgio
magnum armorum apparatus, pulveris nitrati
copiam, vi tormenta majora, et aliquantum pe-
cunia ad Huntleium, reginæ in Borealibus Sco-
tie partibus præfectum submisit. Interim ille
dux Castri-Heratdi et Argathelius locumtenen-
tes reginæ communi consilio, et reginæ con-
sensu Georgium Baronem Setonum ad Albanum
legarunt, qui haec eoram persecutus est: se mis-
sum e regno, pace publica et principe optima,
infidelium subditorum perfidia orbato: legatio-
naris summam in his constare: Ut suppetiæ fer-
rentur ad redimendam reginam, ex misera in
aliena terra captivitate, et regnum ab aliena op-
pressione. Ut Scotti rebelles a commercio in His-

paniæ ditionibus exercendis prohiberentur; et
decem milia aureorum, Scotorum reginæ assi-
gnata dependerentur. Reginam ad Hispani si-
num confugisse, cui nihil aliud, quam honor,
justitia et pietas (objecta principe Catholico di-
gnissima) animo obversantur; Albanum vero
intercessorem adhibere, qui totus in hoc excu-
bat, ut salutaria illa Catholici regis cogitata per-
ficiantur. Utilitatem hinc Hispano se proponere
nullam, hoc enim esset tanta majestate indi-
gnum: sed perpetuam screnissimæ reginæ fort-
issimæque gentis amicitiam, et certum obse-
quium animis gratissimis deferre, Caroli V pa-
tris gloriam, duce Florentino et Maumettano
rege in pristinam dignitatem restitutis, longe la-
teque inclaruisse. At si ille restitutus reginam
Christianam, Christianæ religionis cultricem
constantissimam, principem absolutam, maxi-
mis orbis Christiani principibus sanguine et
fœdere conjunctam, duorumque florentissimo-
rum regnorum hæredem certissimam; quam
gloriosum fuerit, et quam incomparabile pie-
tatis argumentum! Posse hinc non solum de
Gallia, Dania, Lotharingia, Guisiis, Sanctissimo
Patre, et universa Ecclesia Catholica optimè
mereri: sed etiam vestigiis paternis insistendo,
principes injuste solio deturbatos sublevando
et restituendo, paternam celebritatem æquare;
imo longe superare. Ut perniciosum autem hoc
abdicandi hæreditarios reges exemplum vindicetur,
illius in primis interesse, quandoquidem
maximus sit Europæ monachus, ejusque di-
tiones tam longe dissitæ, ut ejusmodi insolenti
arrogantia facillimas præbeant occasiones. Nec
aliud præclarius aut fructuosius justitiæ exem-
plar posse extare. Eam enim restituendo, arctissimo
amicitiæ et fœderis vinculo devincit, regi-
nam, Franciæ dotariam, Scotiæ absolutam, Ang-
liae hæredem indubitatam, et nationem Scoti-
cam, cujus inconcussa fides in fœdere Gallico
observando, jam inde a Caroli Magni temporib-
us universo orbi est testatissima. Hinc præ-
terea, modo animum se dignum gerat, patere
viam ad ulciscendas ab Angla injurias, quæ re-
belibus in Belgio favet, pecuniam intercepit,
legatum male tractavit, et subditorum bonis
manum injecit. Torpere ultra, donec Scotia se
Anglae submiserit, ignava et supina esse concor-
dia. Feminam illam tanto imperii incremento,
et securitate domestica parla, vicinis formida-
bilem futuram; animumque masculum, et se-
xum imperandi avidum, Hispaniam diurno
bello involvendi rationes facile excogitaturam.
In quo si prævertatur, illam sui ipsius formi-
dine facile coereri posse, quandoquidem pauci
in Scotia captivæ reginæ adversentur. Nobiles
plerique, et universi utriusque regni Catholici
faveant, omnes Scotiæ portus in ipsius sint po-
testate; inque hoc tam sacrum bellum Pontifi-
cem Romanum Ecclesiasticis bonis laudis parci-

¹ Camden. ut sup. — ² Camden. ut sup.

turum. Nihil igitur reliquum quam ut rex Catholicus in causa tam justa, pia et salutari vires suas exerat. Ab illo uno universos Britanniae Catholicos, solatum vel exitium jam expectare.»

319. Ut probati ac fidelis scriptoris minuere funderetur, debuisse sane docere ut cætera studio prætermittamus), unde accepit hinc legationi, Scotiae reginæ consensum accessisse, (quod tamen non diffitemur); nam cum eodem hoc tempore, ut ipsem refert,¹ illa auctiori custodia, sub Huntingdonia comite adversario acerrimo et ænuo, quod non minus ac ipsa jus in regnum Angliae non obscure præ se ferret), detineretur, difficile intellectu est, quo pacto horum particeps esse potuerit. Forte per litteras, cum non aliter licet, egisse credendum videtur.

Verum, si hoc indicio negotii conscientia deprehensa fuisset, nullatenus id silentio præteriisse Camdenum existimandum cognoscitur; nam cum ille totus in eo sit, ut Elizabetham probe ac justè egisse ostendat; adeo ut immane omne, quod in Scotia hoc anno egisse retulimus, juris regis pueri vindicandi prætextu, honestare contendat; rem hujusmodi, sic evidentissime testataam, quomodo tacere debuisse? Probabilius igitur censendum est, infidelem ac venalem scriptorem ista confinxisse, ut ex more Elizabethæ tyramnidem conegeret. Et revera paulo post, cum de reginæ Mariae liberatione ageretur, ab illa vaferrum illud responsum factum refert:² «Inconsideratae, et in primis periculosa esse imprudentiae, illam dimittere, quæ adeo aperte, malis artibus, ad regnum Angliae aspirat: ut necessario adacta fuerit auctiori illam custodia mandari: e famulis, quos plures attraxerat, non nullos amovere, et Huntingdonia comitem (in quo jus in regnum agnovit nullum, cognitionem vero cum ipsa aliquam). Inconsideratae et hic quoque ab Elizabetha dictum profert, quod contra ipse asseruit; «amulum nempe comitem fuisse reginæ Scotiæ, cum non minus ac illa jus in regnum Angliae non obscure præ se ferret. Salopiæ Comiti, quem custodem constituerat, adjungere, qui jampridem, de suorum fide suspicari cœperat, et plures in dies in Scotorum reginæ favorem pellectos senserat etc.» Antequam Huntingdonia comitem reginæ Scotiæ custodiæ præficeret, amoveretque ejus famulos; poterat forsitan Elizabetha ejus artes ac molimina detexisse? Verum, quis non cognoseit, ad id ream feminam, non ratione aliqua, sed tantum suspicionibus, quibus perpetuo infelix animus cruciabatur, adductam? At hæc obiter.

320. Albanus igitur, ea legatione accepta, se eis quoquo modo profuturum pollicitus est. At commercia Scotorum rebellium, (cum id contra libertatem Belgicam esset), se interdicere

non posse dixit. Cum animi præteritis annis, ut vidimus, dissidium cum Elizabetha habuisset, ob naves Hispanas ingenti pecuniarum summa onustas ab ipsa interceptas, ipsum novo. Hoc ausu paene compostum denno suscitandum non duxit; cum præterea aperta haec interdictione apertum eliam cum Angla se suscipere bellum intelligeret; clam tamen, quantum effici poterat, et simulate cum simulata femina decertandum censuit. Verum hanc humanam prudentiam, negotium id funditus evertisse, suis locis dicendum erit.

321. Interim Pontifici, qui excommunicationis Bullam in Elizabetham anno præterito exaratam, per Nicolam Morthonum presbyterum in Angliam, ut diximus, deferri curaverat, ut quovis soluti fidelitatis Angli juramento, in ipsam aerius insurgerent, visum est eamdem foto eo regno, ino toto Christiano orbe esse vulgandam. At prinsquam publice illam Ecclesiæ toti proponeret, licet vel Catholicorum, vel haereticorum neminem impiissima notissimaque ejus facinora latere non posse certo sciret; tamen nonnisi juris ordine servato, et probata ac cognita causa, desuperque eam, ut innuimus, coram statu judice Alexandro, nimirum, Riavio curie causarum Apostolicæ Cameræ generali auditore, juridico instructo processu, illam vulgi voluit. Ipsummet vero processum originalem, totidemque verbis, quibus illum exaratu reperimus, hie dandum censuimus; ut ex eo appareat, et haereticos scriptores omnes, et Catholicorum eliam non paucos, rumores vulgi potius, quam veritatem auecupantes, turpiter fuisse hallucinatos; cum videlicet in tanti momenti re, Pium justitiae studiosissimum, inconsulte inordinateque se gessisse scripserunt: ac ut ea ipsa occasione, turpissima, fædissima que illa Anglicanae Pseudo-Ecclesia facies detegatur; cuius labes pro virili, excogitatis falsitatibus obducere, schismatis successores, et haeresum assertores student. In eo igitur ista habentur¹:

322. «Articuli infrascripti probabuntur per duodecim testes, et plures.

«1. Utrum regina Angliae usurpaverit auctoritatem capitilis Ecclesiæ Anglicane.

«2. Utrum sua commissione episcopi et alii Ecclesiastici sint privati episcopatibus et beneficiis suis.

«3. Utrum Ecclesiastici fuerint visitati auctoritate ejus.

«4. Utrum dederit juramentum aliquod, contra auctoritatem Sedis Apostolicæ.

«5. Utrum alias leges, contra eamdem auctoritatem fecerit.

«6. Utrum episcopi et alii Ecclesiastici fuerint careerati auctoritate ejus.

¹ Camden. ibid., p. 191. — ² Ibid. ut sup.

¹ Elisabeth. Angliæ reginam sign. n. 3.

« 7. Utrum auctoritate ejus aliqui schismati ci non sacerdotes fuerint constituti episcopi, et rectores.

« 8. Utrum auctoritate ejus aliqui manifestas et dannatas haereses praedicent.

« 9. Utrum illa faciat Cœnam Domini, more haeticorum.

« 10. An regina vivat more hereticorum, non audiendo Missas, et alia divina Officia more Catholicorum; sed e converso faciat celebrari divina officia, more haeticorum illa audiendo.

« 11. An confiteatur et suscipiat Eucharistiam more Catholicico, seu polius faciat Cœnam more haeticorum.

« 12. Au servet delectum ciborum.

« 13. Et in specie, quam haeresim profiteatur; Calvinisticam, seu Lutheranam, aut aliam.

« 14. An audiat prædicationes haeticas, et illas frequenter.

« 15. An hujusmodi prædicationes fiant in toto regno, et specialiter in civitate Londini, ubi ipsa degit.

« 16. Item, an si ipsa vellet, posset prohibere hujusmodi prædicationes, et usum aliarum haeresium, illasque extirpare, prout fecit quondam Maria regina ejus soror.

« 17. An super his posset prohiberi a senatu, vel Parlamento, vel concilio.

« Item, an ejus senatus, seu concilium constet ex haereticis in toto vel in parte; et senatores, seu conciliarii eligantur ab ea, et sint amovibiles ad ejus nolum, et pendeat ab ipsa, et ejus voluntate ».

323. In eodem Processu :

Subjicitur alia schedula undecim solummodo accusationum capita continens; ex quibus novem prima eadem, ac recensita sunt hujusmodi.

« x. Utrum auctoritate ejus, aliqui, qui Missæ interfuerint, pena pecuniaria et incarceratione puniti fuerint.

« xi. Utrum aliqua ex septem Sacramentis Ecclesiæ negaverit. »

324. In eodem Processu :

Sub ipsa Articulorum scheda hec nomina recensentur :

« Reverendus dominus episcopus Astaphen.

« Illustris dominus Riccardus prior Angliæ.

« R. D. Mauritius nominatus episcopus Bangoriensis.

« R. D. Nicolaus pœnitentiarius Sanctissimi D. N.

« R. D. Edmundus, decanus Ecclesiæ cathedralis Erefordiensis.

« R. D. Riccardus professor Saer. Theologiae.

« D. Thomas Kyton.

« D. Henricus Henthian.

« D. Gulielmus Gyhet.

« D. Eduardus Brombrouge.

« D. Gulielmus Allot.

« D. Henricus Kirton.

« Omnes viri docti et promoti in faciliatibus suis.

325. Sequitur Processus¹ idem p. 3.

« Sub die v Februarii M.DLXX, Constitutus Roma in palatio judiciali curiae, et solita residenzia illustrissimi D. Alexandri Riarii J. U. D. curiae causarum camerae Apostolicæ generalis auditoris, coram eo, meque etc.

« Illustrissimus, et R. Fr. Riccardus Scellejus prior Angliae.

« Interrogatus

« An noverit vel cognoscet reginam Angliae, et a quanto tempore citra, et ex qua causa.

« Respond. Maxime, et agnosco, et ipsam reginam Angliae optime novi, et priusquam, et postquam regina fuit; vocaturque Elizabetha, quæ filia putatur Henrici VIII et Annae Bolenæ reginæ. Plures eam vidi, quia diu in Anglia mansi, et eo tempore, quo ipsa regnat, in Anglia fui, eamdemque allocutus sum. Ex Anglia tamen discessi (si bene memini) sub anno M.DLIX, ut executionem eujusdam legis contra Apostolicæ Sedis auctoritatem in me antevertem, effugeremque blasphemiam juramenti in eadem lege contentam. Quæ lex, nimurum, contra Sedis Apostolicæ auctoritatem tota versatur. Quia vero lex ipsa longo erat exarata dictamine, pluraque capita continebat, ex ipsa, ac authentico libro, ejusdemque reginae privilegio edito, ac Anglicana lingua conscripto, formulam tantum juramenti exscripsi, quam fidelissime in Italianam linguam transluli, translatamque apud me retineo, et modo a dominatione vestra requisitos exhibeo, ac hujusmodi tenoris est ».

326. In eodem Processu ponitur præfata formula juramenti, quæ cum plane cum ea consentiat, quam Camdenus in Annalibus Elisabethæ refert; ideo hie eam inserere superfluum judicavimus. Pergit deinde idem testis :

327. « Et ad afferendam ulterius præfalam legem, acjuramenti formulam, ab hac regina Elizabetha, modo Angliæ regina editam; a D. V. requisitus, et cuncta proferam, quæ de his certe scio, compartaque habeo; exemplum exhibeo Epistolæ domini Didaci de Guzman regis Catholici oratoris, sub die quinta Novembris anni M.DLXIV, apud ipsam Angliæ reginam. Quam quidem Epistolam, de verbo ad verbum exscribere ipsem feci. Verum quidem est, quod non memini, ad quem Epistola ipsa scripta fuerit; illud tamen certo scio ipsam scriptam, ac subscriptam fuisse ab illustrissimo ipsomet domino, tunc in Anglia oratore, quia optime illius scribendi rationem noveram; unde licet ipsum Epistolam hanc scribentem non viderim; plures

¹ In eod. Process. p. 3.

nihilominus alias ejusdem Epistolas, sic conscriptas inspexi, et scio D. oratorem hunc, huic Epistolæ conformem scribendi rationem habuisse : Epistolamque ipsam, ab ipso exarata pro certo habitum fuisse. ubi vero ejusdem originale manserit, nescio ».

328. Exhibitetur in prefato Processu ipsa Epistola¹, Hispanico idiomate conscripta, quæ in Latinum conversa hujusmodi est :

329. « Religionis res nulla in melius mutatione succedunt : quin et paucis abhinc diebus quidam ex iis qui pro illa careeribus sunt detenti, strictius angustiantur. Ego apud regnum, Catholici regis nomine nihil officii prætermisi, quod profuturum Deo auspice reor : quamvis regni leges in hac materia acerbæ sint, quas inter ea est, ut juramento homines firment, se principem et gubernatricem rerum. tam Ecclesiasticarum quam profanarum, reginam agniliros. Renuentibus, ut proditoribus pœna capitis imminet, legis vigore. Hinc episcopum affligunt Londinensem, qui huic Ecclesia prærat sub rege nostro Philippo, neenon et doctorem quemdam Padmes, homines nimirum litteris æque ac virtutibus conspicuos. Hinc dominatio Iua facile intelliget rerum consecutiones, ni Deus adjuvet, ut quidquam operari possimus. »

« Interrogatus

« An seiat aliquid contra auctoritatem Sedis Apostolice juramentum fuerit delatum, vel aliquas leges contra eamdem auctoritatem factas, de ordine dictæ reginæ ?

« Respond. Cerle scio, ut supra dixi, tum ex juramento, de quo supra locutus sum, tum etiam ex ea Epistolæ parte præfati domini oratoris ; tum demum ex duabus Epistolis, sub anno DCLXIX, ad me missis : quarum altera a meo nepote D. Thoma Coppleo, altera vero a fratre meo Thoma Scelleio ad me scripta est ; et quaruin exemplar dominacioni vestræ, si jusserit mihi, exhibebo ; imo, si opus fuerit, ad veritatem magis confirmandam, ipsamet originalia producam, eaque recognoscere faciam, licet in eis alia legantur, quæ ad rem hanc non sunt. Ipsi autem recognitis, acceptum mihi erit, si ex illis desumpto exemplari, quod originali concordet, originalia eadem mihi restituantur ».

330. Tenor autem Capitulorum dietarum Epistolarum est hujusmodi. Et prima quidem, quæ fratris fuit, nempe Thome Scellei :

« Cum res eo statu essent, ex commissione quadam reginæ recens ad omnes hujus regni provincias missa, ut vel quibusdam falsæ religionis articulis subseribere, eosque, ut bonos, ac Verbo Dei conformati publice approbare compulsus essem ; vel ut me subjectioni legis,

que dicitur : la cicurta di buon portamento adstringerem. Quod idem est, ac si quis intime servituti arbitrioque horum pseudoepiscoporum sese substernat : qui nempe pseudoepiscopi, prout eis libuerit, careeribus mancipare, punire, vel pecuniam exprimere possunt ; decrevi, quia transire ad eos (del Noire) non poteram, potius patriam, uxorem, et filios derelinquere, quam tanta impietati assentiri, vel adeo saviam tyrannidem ferre ; ideoque, licet summo periculo, calamitatibusque circumdatu, tamen, Deo favente, Lovanium appuli, summa expectatione de his sollicitus, quæ nepoti nostro eventura sunt : quem tamen, potius quam tantas blasphemie subseribat absque dubio relictum universam ditionem suam credo, quæ fisco adjicitur. Quare omnes familie nostræ, cum reliquis, tam diram persecutionem patientibus, bonisque omnibus exitis, misericordie Dei, pietatique eorum relinquimur, qui adeo iniquam impietatem execrantes, contra Atheismum hujusmodi, Dei et Christianæ tranquillitatis hostium, commovebantur ».

331. Caput alterius Epistole¹, quod a nepte prælati testis, Thoma Coppleo, scriptum perhibetur, est ut sequitur :

« Visum est reginæ ac dominis consiliariis ejus, rursus commissionem ad D. vicecomitem, et ad nos gubernatores mittere, tam provincie Surriae, quam ego incole, quam ad alios, ad hunc finem : ut, videlicet, quisque nostrum manu propria subseribere teneatur, declarationi eidam, pro libitu eorum exarata in favorem et pro defensione Parlamenti, et abusus Sacramentorum, juxta ipsorum heresim ; cui subscriptioni addendum erat promissum et obligatio illorum conciones ae communionem frequentandi ; ut hoc, nimirum, signo et testimonio, conscientiam nostram panderemus, omnibusque in præfata commissione contentis assensos fuisse ostenderemus. Quod præstare renuissent, legi (del buon portamento) subderetur. Ubi primum declarationem hanc vidi, quæ ad me ante omnes, utpote eum, quem unum impetrare contendebat (cæteri siquidem hujus provinciæ domini, jam præterito tempore, et antea his assensum præbuerant delata est, concidi certe animo ; nihilominus, ficer durum mihi visum fuerit patriam, uxorem, sex filios, ac ditionem meam derelinquere, cum ceteris terrenis facultatibus ac voluntatibus, quibus (ut Dominatio tua scilicet) copiose affluebam ; nihilominus tandem, re serio cogitata, cognovi me, uti Christianum, præponere debere aeterna cæduis ». Et statim addit : « Dominus avunculus meus mecum (Eterno Deo gratias), inter arumnas has, majorem conscientiæ quietem animique voluptatem experiri sumus, quam domi

¹ Ut supra pag. 4 et seq.

¹ Ibid. ut sup.

nostræ preteritis annis unquam degustaverimus xix. Decembris MDLXIX.

« Ego Fr. Riccardus Seelleius prior Angliæ ».

332. « Constitutus¹ Roma in palatio judiciali curiae, et solitæ residentie illustrissimi ac reverendissimi Alexandri Riarii A. U. D. curia causarum camera Apostolieæ generalis auditoris, sub die sexta Februarii MDLXX, R. P. D. Thomas Godvelliū episcopus Asaphensis in Anglia, testis pro informatione.

« Interrogatus, ex qua causa ipse Rimus dominus episcopus Asaphensis recessit ab illis partibus, et accessit ad Urbeni?

« Respond. Ex Anglia ego discessi, quia fungi episcopi officio amplius non poteram, quod Angliæ regina episcopos omnes, quotquot tunc erant, expoliasset. Ipsa eadem est, qua modo regnat, filia naturalis Henrici VIII. Ideoque cum essem episcopus Asaphensis, qui episcopatus in regno Angliae est, nec Missam celebrare, nec Sacraenta ministrare, nec conciones facere, nec fidejussionem dare, uti alii episcopi, me e regno non egressurum, voluissem; satius putavi me Romanum conferre.

« Interrogatus. An ipse Rimus sciat et habeat notitiam, quod regina Angliæ Elizabetha predicta usurpaverit auctoritatem capitilis Ecclesiæ Anglicanæ, et quomodo, pro veritate dicat:

« Respond. Primo præfata regina summam Ecclesiæ auctoritatem usurpavit; quia noluit Sanctitatem N. D., Pontificumque pro tempore, nullam in regno suo auctoritatem habere. Deinde Decimas et Annatas omnium Ecclesiasticorum sibi vindicavit. Demum divinum cultum immutavit, deformiisque contra S. M. Ecclesiæ præcepta intrusit. Et hæc quidem omnia scio, quia cum in episcopatu meo Asaphensi residem, a diversis amicis meis, de his statutis legibusque, ab ipsa regina facti certior redditus sum. Et id factum notorium est; ego vero hujusmodi leges statutaque non legi, videreque ac legere contra conscientiam, utpote a Catholica fide, et Ecclesiastica jurisdictione aliena, non quæsivi.

« Interrogatus: An ipse Rimus dominus constitutus sit informatus predictam reginam Elizabetham mandasse privari, seu privasse episcopos, ac alias personas Ecclesiasticas episcopatibus et beneficiis suis; et causam scientie reddat:

« Respond. Ex vera scientia scio præfatam reginam anno MDLIX, omnes Catholicos episcopos, Canonicos, Ecclesiarum rectores, aliasque Ecclesiasticas personas, ex eo tantum deposuisse, quia ipsæ Ecclesiastica Catholicae personæ, decretis suis subscribere recusarunt; ut, videlebet, eam gubernatricem summam Ecclesiæ particularis esse affirmarent: licereque ei

assererent, decimas et primicias, uti modo facit, sibi usurpare. Idque scio, quia in Angliæ provincia adfui, cum id edicto præcepit. Priusquam vero ego ex Anglia discederem, jam fere omnes Catholici episcopi, aliæque Ecclesiastice personæ turbate fuerant: Et quoad episcopos, certus sum omnes turbatos fuisse. Et quamvis omnes Ecclesiastice personæ tunc dejectæ non fuerint, tamen postea dejectæ sunt, eo, nimis anno, quo ego discessi.

« Interrogatus

« An ipse Rimus dominus constitutus sciat auctoritate ejusdem Elizabethæ reginæ episcopos, et alias Ecclesiasticas personas fuisse carceratas, ac ejusdem auctoritate schismaticos, non sacerdotes, fuisse constitutos episcopos et rectores?

« Respond. Scio ipsam Catholicos episcopos in carcerebus retinere; quod vero nescio, et alias præterea Ecclesiasticas personas, et adhuc in carcerebus plures esse, tam episcopos, quam Ecclesiasticos, quorum aliqui in vinculis, ex hac vita decesserunt. Epicopum Londinensem, decanum Vicornensem et nescio quot alios. Adhuc etiam carcerebus municipali sunt, episcopus Eliensis, episcopus Londiniensis et Cantuariensis, et archiepiscopus Armacanus. Substituit autem loco Catholicerum, tam vivorum quam mortuorum, quos expulit, auctoritate sua successores haereticos, et non sacerdotes. Et ego præcipue duos successores habui, patres uxoratos in meo episcopatu; et id quidem scio, ex amicorum litteris, et relatione eorum qui inde huic venerunt, a quibus etiam dominatio tua intelligere id poterit: quia eo tempore, quo ego discessi, turbati dumtaxat fueramus, et fidejussionem non exequendi regno fere omnes dederamus; at in carcere nondum conjecti, vel nobis fuerant successores suffici. Elapsa fere anno, hæc siquidem postmodum acta sunt.

« Interrogatus

« An auctoritate ejusdem reginæ in regno Angliæ manifestæ et damnatae prædicentur haereses?

« Respond. Maxime, et quidem multæ in concessionibus haereses prædicantur, et præcipue quoad Sacraenta; nam in eo regno, sacraenta fere negantur; et præsertim ex auctoritate ejusdem reginæ docetur: Confirmationem, Ordinem, Extremam Unctionem, et Matrimonium, Papistica esse Sacraenta, quæ vere et proprie Sacraenta dici nequeant. Et hæc omnia comperta habeo, quia hæc omnia incepserant priusquam ego discederem; et præsertim edicto, nra cum Missa Confirmatio vetita fuit, et scio præcipue illustrem dominum Valorauns nuncupatum, ob id in carcere fuisse conjectum reginæ jussu, quia Missam audiverat; quod quidem omnibus notum est, et ego hoc accepi

¹ Process. Original. p. 7.

a fratre ipso uxoris ejusdem, Georgio Nevello vocato, qui Romæ commoratur.

« Interrogatus

« An ipse Rimus dominus testis sciat prædicatam reginam Angliae fecisse facere Cœnam Dominicam, more haereticorum ?

« Respond. Profecto id scio, patensque est omnibus, qui ex eo regno hue venerunt, relatione. Et ego scio quod ipsa Cœnam quamdam facit, quam Cœnam Dominicam vocant, superligneam tabulam, absque ullo altari portatili, et illi, qui communionem percipiunt ex uno tabula latere, singuli panis buccellam recipiunt; ex altero vero latere, vinum sumunt. Et sicut intellexi, regina dicit, imo publice in concionibus prædictatur, Catholicos, quoad Cœnam hanc, pluribus erroribus obnoxios ess; in eo præsertim, quod nos dicamus, quod ibi non est substantia panis, et vini; et id est, quod scio, et nunc memini, et ita res se habuit, et veritas est.

« Ita deposui pro veritate ego episcopus Asaphensis ».

333. « Constitutus Romæ in Palatio etc. sub die vi Februarii MDLXX. R. D. Maurillus Clenoche Anglus, nominatus episcopus Bangoriensis.

« Interrogatus

« An sciat episcopos, et alios Ecclesiasticos fuisse auctoritate reginæ carceratos, et schismaticos non sacerdotes, episcopos, et rectorès constitutos ?

« Respond. Id scio ex relatione, non quia id viderim; tempore siquidem, quo hoc factum est, non aderam.

« Ita pro veritate deposui Mauritius Clenoche clericus Bangoriensis ».

334. « Constitutus Romæ¹ in palatio etc. sub die vi Feb. MDLXX. R. D. Nicolaus Morloni presbyter Eboracensis in Anglia, in Ecclesia S. Petri pœnitentiarius etc.

« Interrogatus

« An habeat notitiam et scientiam episcopos, et alios ecclesiasticos fuisse privatos episcopatibus, ac visitatores accessisse auctoritate Elizabethæ reginæ ?

« Respond. Ego id scio, plures scilicet episcopos et Ecclesiasticos beneficiis suis expoliatos fuisse, et ego ipse beneficiis meis privatus fui; et scio eos, non modo episcopatibus et beneficiis privatos fuisse, sed insuper ab ipsa regina in carcere trusos. Etego præcipue episcopum Londinensem in carcere constitutum, et doctorem quemdam Scotum, cuius modo nomen non memini, et episcopus erat, allocutus sum. Ili, et episcopatu dejecti, et in vinculis erant, quia legi et juramento præfatæ reginæ Elizabethæ, contra Ecclesiasticam auctoritatem assentire recusaverant. Et id in eo regno notorium est, et omnes presbyteri id testari possunt, quia verum

est; ego scio, et vidi insuper visitatores a regina missos, qui uti tales ab omnibus agnoscabantur Linconiae, pluribusque aliis in locis, qui cunctas Ecclesias visitabant, exigebantque, quod supra memoravi, juramentum ab omnibus presbyteris, ex quibus illi, qui ipsum præbere detrectabant, vel in carcere conjecti erant, vel illis ad deliberandum tempus, si recusabant, beneficiis privabantur, ut mihi accidit, quia fugam arripui, et hujusmodi juramentum non præstisti.

« Interrogatus

« An ipse habeat notitiam aliquos schismaticorum non sacerdotes fuisse in illis partibus consecratos episcopos et rectores, auctoritate et jussu ejusdem reginæ Angliae ?

« Respond. Ego certo scio, modo, neque episcopum, neque sacerdotem reperiri, qui schismaticus non sit: et omnes hi episcopi creati sunt, et eis ex auctoritate et jussu reginæ beneficia collata. Et scio insuper, aliquos episcopos esse, qui mere laici sunt et uxorem habent; quos inter est Linconiensis, quem scio uxorem habere, filiam nobilis ejusdem regionis, ejusdem nomen non memini: et id illis in regionibus factum notorium est; sed quia jam sex anni elapsi sunt, ex quo inde discessi, nomina singulorum, tam episcoporum, quam aliorum, tam schismaticorum, quam non sacerdotum recitare non valeo, nisi ut explicavi, et verum est.

« Interrogatus

« An dicta regina Angliae faciat Cœnam Dominicam more haereticorum, quod ipse testis sciat.

« Respond. Scio equidem, quia regina et ejus parliamentum Anglia lingua librum conferunt, qui liber de Cœna Dominicana nuncupatur. Ego eum vidi, et pluribus in locis legi, quia typis editus est; in eo nulla est Catholicæ more consecratio, neque ad ullam consecrationem tenditur, quia verba non adhibent, quibus Ecclesia Catholica Romana utitur. Et in hoc est totum id, cuius, quoad id caput, nunc memini. Quoad alia, de quibus a dominatione vestra percutentatus sum, habeo ut dicam, quod in eo regno, neque etiam Confirmationem et Confessionem secretam, neque Ordinem, neque Extremam-unctionem habent. Et ego id scio, qui ibi fui, et vidi, his sacramentis eos nullatenus uti. Idque mihi etiam ejusdem regionis nobiles retinuerunt. Idque etiam est factum notorium, et veritas est.

« Ego Nicolaus Mortonus ».

335. « Constitutus Romæ in Palatio etc. sub die vii Februarri MDLXX. R. D. Henricus Henthian presbyter Linconiensis Anglus.

« Interrogatus

« Ex qua causa ipse accessit ad Urbem ?

« Respond. Cum vidissimi Catholicæ et Christianæ dignam vitam me in Anglia regionibus agere non posse, eas reliqui, et in Belgium,

¹ Process. Orig. p. 12 et 13.

ab hinc octo anni sunt, emigravi. In Belgio autem anno integro mansi, deinde Romanam me contuli.

« Interrogatus

« An ipse constitutus¹ sciat auctoritate et commissione reginæ Elizabethæ, fuisse privatos episcopos, ac alios Ecclesiasticos suis episcopatibus ac beneficiis; ac postea ejusdem auctoritate dictos episcopos ac Ecclesiasticas personas carceratas?

« Respond. In actis et legibus, quas vidi, una lex extat, qua statuitur, ut nemo privative exercere auctoritatem aliquam possit, absque prefata reginae Elizabethæ Bolenæ auctoritate; cumque ego vidi semper, quod plures commissarii privaverant multos, quia ego eosdem privatos allocutus fueram, et ego inter privatos eram; facile mihi snasi eos quoque auctoritate reginæ privatos fuisse. Et id quidem notorum est. Et in precepto mihi prima vice facto ad comparendum, exstabat parvum reginæ sigillum, quia ad comparendum ante visitatores vocabar. Idem actum est cum tredecim aliis Collegii præsidentibus, quia ego unus ex illis eram, collegii, nempe Linconiensis. Scio insuper plures episcopos privatos fuisse; nimirum episcopum Eboracensem, Londinensem, Eliensem, Linconiensem, Badonensem, Lineaudensem, Vicorniensem, Cariolensem, Estristensem, Piterbariensem; et plures eorum, postquam dejecti sunt, allocutus sum, et ab illis audivi, quod fuerant privati, et privatos vidi, et quod amplius episcopatibus non fruebantur. Et ab omnibus dicebatur, quod a regina privati fuisse. Et vidi insuper prefatos episcopos, in carcerebus constitutos, uno excepto Pertebusensi: et eorum aliquos in iisdem carcerebus positos sum allocutus.

« Interrogatus

« An ipse constitutus habeat notitiam aliquos schismaticos non sacerdotes fuisse constitutos episcopos et rectores?

« Respond. Ego non vidi decretum reginæ, quo eos deputat. Scio tamen, ex auctoritate et assensu reginæ fuisse creatos, et eorum phares uxorem habere. Aliqui etiam sunt sacerdotes, et uxorem habent.

« *Ego Henricus Henthian presbyter Linconiensis.*

336. « Constitutus Romæ in palatio, ele., sub die vii Februarii MDLXX, R. D. Edmundus decanus Ecclesiæ Erefordiensis.

« Interrogatus

« An ipse sciat commissione reginæ episcopos, ac alios Ecclesiasticos fuisse privatos suis episcopatibus et beneficiis?

« Respond. Ego eram Londini, cum privati fuerunt, allocutusque sum eos postquam

privati sunt; quia propositum illis juramentum cum aliis Ecclesiasticis personis præstare recusaverant; et in specie episcopum Eliensem allocutus sum, et alios præsules, quorum omnium nomina modo memoria non teneo; et insuper memini me allocutum fuisse episcopum Linconiensem, et alium archiepiscopum Listiliensem, aequo privatos; et ut de his, sic de aliis quod privati fuisse, publicum et notorium erat in locis, in quibus morabar.

« Interrogatus

« An sciat nomine vel jussu ejusdem reginæ, episcopos sive alios Ecclesiasticos fuisse carceratos; ac alios successores in episcopatibus ac beneficiis ipsis a prædicta regina Angliæ datos, non sacerdotes, sed schismaticos ac uxoratos.

« Respond. Ego invisi et allocutus sum plures clericos et sacerdotes, jussu præfatæ reginæ in carcerebus detentos, quod noluissent præfatum juramentum recipere. Et insuper novi plures episcopos, ob eamdem causam in carcerebus detentos. At eos alloqui in iisdem carcerebus non potui, quia ingressum in locum, in quo ipsi erant, prohibebant. Ego quoque carceri mancipatus fui in domo eujusdam nobilis, quia præfatum juramentum præstare nolui, et decanatu Ecclesiæ cathedralis Sordensis privatus fui. Episcopi autem, qui in carcerebus detinebantur, erant hi, videlicet Eliensis, Linconiensis, Cestriensis, Wincorniensis, Vintoniensis, Cariolen., Lincosiliensis, Londonien., et alii, quorum nominum non memini. Quo vero ad successores eorum, de quibus dominatio vestra me interrogat, qui nempe illis a præfata regina sufficiunt: dico ipsis datos fuisse successores ab illa, schismaticos, et hæreticos, non sacerdotes, et eorum aliquos uxoratos; quorum nonnullos ipsem ego vidi, et allocutus sum; de aliis, ab aliis idem intellexi.

« Interrogatus.

« An sciat Ecclesiæ aut Ecclesiasticos, auctoritate ejusdem reginæ fuisse visitatos?

« Respond. Cum essem Erfordiensis Ecclesiæ decanus, delegati quatuor venerunt a regina missi, ad eam Ecclesiam, totamque diœcsem Istrandam; et ego præfatam commissionem legere audivi. Qua quidem commissione, auctoritas super Ecclesiasticos eis tribuebatur, ut eos nimirum privare, ac carcerebus mancipare possent, et eos præcipue, qui articolis quibusdam hæreticis ac schismaticis subscribere noluissent. Articuli autem hujusmodi erant: quod divino jure et humano semper pertineret ad regem seu reginam Angliæ, tractare causas Ecclesiasticas et prophanas, privative quoad alias potestates, sicut in juramento. Secundum erat, ut unnsquisque ea, ut bona et pia approbaret, quæ, quoad horarum celebrationem, et sacramentorum administrationem, Parlamen-

¹ Process., p. 25, et seq. — ² Process., p. 47.

tum sancivisset. Hi articuli, mihi quoque ante juramentum exhibiti sunt, ut ipsis subscriberem; et, me præsente, omnibus etiam Ecclesiae meae, in qua decanus eram, sacerdotibus oblatis, ut ipsis subscriberent, et universo Capitulo coram me. Et ego eos vidi, vidique pariter magnum reginæ sigillum.

« Interrogatus.

« An illam reginam, quantum ipse comparens, sciat facere Cœnam more haereticorum?

« Respond. Ego hujusmodi Cœnam celebrare non vidi, sed a pluribus sociis meis, qui in sacello ejus erant, audivi eos ordinem quemdam servare, quem in scriptis habent, et quod Catholico more non confiteantur. Qui liber, in quo descripta est ipsa Cœna, typis est editus, authenticus, ac in eo regno in usum receplus. Ego eum vidi, et quoad hoc seio insuper, et adfueram, cum regina Elizabetha in sacello esset, sub anno MDLX, ubi Missam celebrante episcopo Calceoniensi, dum cantores Gloria in Excelsis canebant, ipsa unum qui a secretis ei erat, ad eumdem episcopum misit, qui præcipiteret, ne Hostiam elevaret. At episcopus, ut accepi, respondit, se juxta Catholice Ecclesie consuetudinem. Hostiam elevare velle. Quare regina, antequam Evangelium diceretur, recessit. Et ipse a secretis mihi dixit, quod discesserat, ne videret Saeramenti elevationem. Et decanus reginæ nomine præcepit mihi, ut die S. Stephani celebrare deberem, sine tamen elevatione. Quod quidem facere recusavi. Quare illa postea sacellum suum, Minster appellatum, misit, qui absque elevatione celebravit; et videbam reginam, quæ aderat huic; quia ego quoque aderam, et præfatus presbyter non elevavit. Et hæc sunt, quorum memini eorum, quæ dominatio tua pro veritate a me scire cupit.

« *Ego Edmundus, decanus Ecclesiae Erefordiensis.*

337. « Conslitutus Romæ¹ in Palatio, etc., sub die septima Februarii MDLXX, R. D. Eduardus Brumrogh sacerdos Vincenensis.

« Interrogatus

« An regina mandaverit, quod ipse constitutus sciat, episcopos episcopatibus, ac alias Ecclesiasticas personas, beneficiis in illo regno privari?

« Respond. Notorium est, et ego optime scio, ipsam, omnes Angliæ episcopos privasse, uno dempto, qui forte voluntati ejus assensum præbuit; et alios præsules etiam ac inferiores, beneficiis, quæ oblinebant, privavit; et ego eos vidi, postquam privati fuerunt, ipsosque tum episcopos, tum inferiores sum allocutus.

« Interrogatus

« An ipse conslitutus sciat auctoritatem ejus-

dem reginæ aliquos schismaticos, non sacerdotes, fuisse consecratos episcopos?

« Respond. Postquam ipsa Catholicos privavit, eis haereticos substituit tam episcopos, quam presbyteros et rectores. An vero hi fuerint, vel non, sacerdotes, perfecte exploratum non habeo. Scio tamen hujusmodi episcopos et rectores, fuisse haereticos, quia multoties post illorum electionem eos haereses prædicantes audivi. Audivi episcopum Londinensem et Saraburiensem: et haereses, quas prædicabant erant contra auctoritatem S. Sedis Apostolicæ, sacrosanctæ Missæ Eucharisticae, contra indulgentias, purgatorium, et alias plures, quarum modo non memini. Sed omnes a singulis non audivi, sed hunc illam, alterum aliam prædicantem; nec meis auribus cunctos eos percepit, sed aliquos tantum; quod jam sex vel septem anni sint elapsi, quod inde absum, horum bene non memini.

« *Ego Eduardus Brumrogh, sacerdos Vincenensis.*

338. « Conslitutus Romæ¹ in Palatio, etc., die nona Febr. MDLXX, D. Gulielmus Molt laicus Linconiensis.

« Interrogatus

« An ipse sciat, loco episcoporum ac rectorum privatorum et carceratorum respective, auctoritate reginæ fuisse promotos schismaticos, non sacerdotes, episcopos et rectores?

« Respond. Ego agnosco eum qui Linconiensis episcopus vocatur, nomine Nicolami Bolengian, qui mihi amicitia junctus erat, et familiariter cum eo usus sum; et scio ipsum non esse sacerdotem, imo haereticissimum, et locum illum reginæ auctoritate occupavit. Qui episcopus, prompto animo, quidquid regina jubet, exequitur, quod quidem, ut apparet, contra Sedi Apostolicæ auctoritatem est. Semel ipsum allocutus sum, ex quo episcopi nomen et clationem accepit; uti tamen episcopus ab omnibus habetur; et hinc etiam haereticus agnoscitur, quod episcopi Catholici locum ex reginæ auctoritate occupat, uti est publicum et notorium omnibus illis populis.

« Interrogatus

« Si ipsa regina vellet, an posset prohibere prædicationes haereticorum et haereses, ut fecit quondam regina Maria ejus soror?

« Respond. Ego nullatenus dubito, quod si regina, non dicam, imperare, sed lantum indicare sibi placere, ut Catholice vivetur, statim id efficere liceat; nam in Anglia multo plures sunt illi, qui Catholice fidem, et Christiane vivere cupiunt, quam alii.

« Interrogatus

« Si regina hoc facere vellet, an non posset

¹ Process. p. 19.

Process. pag. 21.

a senatu, seu parlamento, vel consilio prohiberi, ne faceret?

« Respond. Absque dubio, si regina vellet, neque parlamentum, neque consilium, neque senatus se illi opponere auderet; quia domina est, et pro libitu consilium et parlem etiam parlamenti amovere potest: ex Catholicis constare, qui Christiane libenter viverent: nam nobilium pars potior Catholice vivere desiderat, prout ipse cognovi, cum familiariter cum ipsorum aliquibus conversatus sim, istudque illorum desiderium agnoverim. Ulterius dico, quod anno quodam, cum Londini essem cum aliquibus nobilibus in domo dicta domini Morlei, et domini Arcton, ibi celebrare vidi, et Missam audivi more Catholico et Christiano; interfui que ipsi non semel tantum, sed decem vel duodecim vicibus, quia quotidie eam Catholice celebrare faciebant. Intellexi etiam, alias nobiles, idem facere consueisse, et potissimum alium dietum mercatorem.

« *Guilielmus Aott Linconiensis.* »

339. « Constitutus Romae¹ in Palatio, etc. die IX Februarii MMLXX, R. D. Riccardus Hallus, sacerdos Eboracensis, etc.

« Interrogatus

« An regina vivat more haereticorum, non audiatur Missam, nec alia divina Officia more Catholicorum; sed illa, e converso faciat celebrare divina Officia more haereticorum, illaque andiat?

« Respond. In regno Angliae, ut vidi, haeretice vivitur, nec Missa publice, nec alia divina Officia, more Catholico celebrantur. Et id quidem scio, quia, praeterquam quod ipsem hanc vivendi rationem propriis oculis conspexi; vidi insuper legem, seu decretum, quod legere incepit; at videns in eo reginam, se ipsam in spiritualibus et temporalibus supremam gubernatricem vocare, ulterius legere supersedi. Qua lege et statuto, uti notum est et publicum omnibus locis et populis, Missae sacramenta prohibebantur, et Christiane vivendi ratio multis in capitibus inhibebatur; et cum fide Christiana, alius vivendi modus tradebatur. In altero libro, quem vidi, et ex parte legi, partem alteram, ex alterius a me auditae ejusdem lectione, didici. Docebatur a Catholico diversus ordo, et facienda consecrationis ordo invertebatur; sed tantum Dominicæ Cœnæ historia recitabatur, et haec Communio vocabatur. Credo, uti publica fama et vox refert, reginam hanc, haereticam vitam ducere, dum, nec Missam nec alia divina Officia Catholico more nunquam audit, et insuper his contraria sectatur. Imo (jam anni novem elapsi sunt) cum Londini in reginæ palatio concioni interessem, in qua Quadragesimale jejunium coarguebatur, dicebaturque illud

libera cæremonia, quam sectari nemo tenetur, nisi ex aliqua reginæ lege, quæ eo tempore piscium esum permitteret, ut interim agni, hædi, vituli, et hujusmodi animalia crescerent, et ad esum maturarentur; atque his similes rationes aliae afferrentur quarum modo non memini. Et hujusmodi concio Quadragesimæ tempore habita fuerit, ego vidi præfatam reginam, tali ei concioni interfuisse. Concionator autem, non modo ob hæc reprehensus non fuit, ino eum omnes tulerunt. Erat his prætensus quidam episcopus Serfordiensis, ex reginæ auctoritate, ad munus illud electus.

« Interrogatus.

« An, si ipsa regina vellet, posset prohibere hujusmodi prædicationes?

« Respond. Non dubito, quod si ipsa vellet hæreses hujusmodi prohibere, et convellere posset: sed quia ipsa episcopatus et beneficia hæreticis attribuit; hi hæreses prædicant. Quos episcopatus et beneficia si Catholicis daret, qui quidem non desunt, Catholice prædicarent et viverent. Et eo magis in hac desigor sententia, quanto aperte dignoscitur ex libro et commissione *Patris*, quod ipsa harum omnium hæresum auctrix est, easque fovet.

« Interrogatus

« An ipsa regina super hoc possit prohiberi a senatu vel parlamento vel consilio?

« Respond. Quod ad me attinet, non dubito, quod si regina hujusmodi hæreses evellere vellet, posset, quia nec parlamentum, nec senatus, nec consilium id ei prohibere possent: quia, præterquam ipsa consilium immutat, et quidquid libet, agit: neque parlamentum et senatus, qui idem sunt, aliquid potest, nisi ab ea prius approbatum fuerit et confirmatum.

« Interrogatus.

« An ipse sciat senatum, sive consilium ejusdem reginæ, constare ex hæreticis in toto vel in parte; et senatores, seu consiliarios eligat ea, et amovibiles esse ad ejus nulum et voluntatem?

« Respond. Parlamenti parlem ipsa amovere potest v. g. circa dimidiā; pars vero altera, quam illa removere non potest, prætensi episcopi sunt, qui hæretici existunt; quos quamvis de jure et consuetudine illius regni removere non possit, de facto tamen eos amovet. Et hi hæretici sunt, et ab omnibus tales censentur, et ex publica voce, et fama omnibus populis et locis notum est, eos absque Summi Pontificis auctoritate creatos fuisse. Præter istos alii quoque in hoc parlamento reperiuntur, qui episcopi non sunt. Sed hi omnes nihil agere possunt, sine reginæ approbatione. Quo autem ad consilium quod, ut supra dixi, ipsa pro libitu movere et removere potest, fero omnes in eo hæretici sunt; et hi etiam sine reginæ approbatione aliquid agere non valent. Unde, mihi

¹ Process. Orig., p. 24.

videtur, nolumque est omnibus, ex publica voce et fama, tolim a sola ipsius regime voluntate et arbitrio pendere. Quod autem consiliarii ejus hæretici sint ex publica voce et fama id scio, totique ei regno notum est, idque magis ex operibus, quæ videntur dignoscitur, quæ quidem auctoritate et jussu reginae faciunt.

« Riccardus Hallus sacerdos Eboracensis ».

340. « Constitutus Romæ in Palatio, etc., sub die x Februarii mœxx, Riccardus Schellejus Anglus, etc.

« Interrogatus

« An sciat auctoritate regine, aliquos schismaticos, non sacerdotes, fuisse constitutos episcopos et rectores?

« Respond. Scio quemdam Ginellum nomine, qui Geneva venerat, quia hæreticus existimabatur, episcopum Sarum pro Catholicis, qui jampridem ibi fuerat (uti publica vox et fama erat) ex auctoritate regine factum fuisse. Et hujusmodi hæreticum Oyonii vidi, qui ab omnibus episcopis Sarum vocabatur, et publice ulti episcopus Sarum habebatur. Alterum etiam hæreticum vidi, qui hæreticus ab omnibus censebatur, factum episcopum Vintonensem, vice alterius Catholicæ episcopi, qui episcopatu dejectus fuerat. Et id era publica vox et fama in toto eo regno, et hujusmodi ut episcopi habebantur. Alios præterea his similes vidi, quorum modo non memini.

« Interrogatus

« An, si regina vellet, posset prædications prohibere, et usum hæresum?

« Respond. Credo, quod licet Angliae hæretici murmur tumultusque excitarent; ipsa tamen hujusmodi conciones impedire et convellere posset, dummodo Catholicos apud se stare vellet, uti hæreticos tenet, et absque dubio hæresim ablegaret atque extirparet.

« Interrogatus

« An super hac re posset regina prohiberi a senatu vel consilio?

« Respond. Puto quod cum illa absoluta in Anglia regno sit, neque senatus, neque consilium eam prohibere possent.

« Interrogatus

« An senatus seu consilium conslet ex hæreticis in toto, vel in parte: et senatus sive consiliarii eligantur ab ea, et sint amovibiles ad ejus notum?

« Respond. Existimo, quod in senatu, seu parlamento, ac in consilio hæretici reperiantur; et quidem agnoscere ejusdem consilii aliquos, qui hæretici sunt; id est, qui a secretis est reginae, et vocatur Caecilius, et Magnus Cancellerius, et Comes Belfortius, quem, an consiliarius sit, nescio; scio tamen hæreticum esse. Et hoc scio a Catholicis hæreticos existimatatos et Sedis Apostolicae hostes. Et hi censentur et

habentur præcipui hæreticorum duces, suntque prædilecti reginae ministri.

« Riccardus Schellejus Anglus ».

341. « Constitutus Romæ¹ in Palatio, etc., die x Februarii mœxx. Henricus Kirton in utroque jure baccalaureus.

« Interrogatus

« An ipse constitutus sciat episcopos ac alias Ecclesiasticas personas, episcopatibus et beneficiis auctoritate regine fuisse privatos?

« Respond. Ego vidi aliquos episcopos, et aliquos etiam Ecclesiasticos doctores, episcopatibus suis ac beneficiis privatos; nec modo privatos, sed carceribus traditos in Turri, juxta id, quod erat publica vox et fama, omnibusque notum, jussu reginae præfatae. Quorum nomina sunt episcopi Eliensis et Eboracensis, alter docto Col nuncupatus, alius vero docto Absil; et id scio, quia episcopos in carcere constitutos vidi et doctores præfatos in vinculis positos allocutus sum. Vidi insuper alios (adhuc in vivis ipsis præfatis episcopis agentibus) iisdem in duobus episcopatibus et beneficiis successores subrogatos; et ut publica vox, et fama ferebat, auctoritate reginae.

« Interrogatus

« Quinam isti successores fuerint, reconsensat?

« Respond. Ego scio quemdam doctorem Jone vocatum, qui uxorem habebat, in episcopatu Eboracensi successisse; et in altero Eliensi doctorem alterum. Cox dictum, pariter successisse, qui ambo hæretici erant, et adhuc vivunt, uti accepi; et hic similiter uxorem habebat. Idque ego comperlungum habeo, quia eos hujusmodi episcopatus possidentes vidi; vidique etiam uxores illorum, et uxorati ab omnibus publice censebantur. Ego quidem non adfui, cum uxores duxerunt, scio tamen mulieres illas, uxores illorum putatas fuisse, quæ in eorum domibus morabantur, et illorum uxores censebantur.

« Interrogatus

« An ipse sciat quas particulares hæreses profileatur dicta regina, Calvinianam seu Lutheranam, aut aliam?

« Respond. Secundum publicam vocem et famam, et juxta instructiones etiam, quas typis editas vidi, polo eam Calvinianam esse.

« Interrogatus

« An si ipsa regina vellet, posset prohibere prædications et usum hæresum, prout fecit regina Maria ejus soror?

« Respond. Pro certo habeo, ob magnam, quam in regno auctoritatem habet, quod si ipsa vellet, has hæreses evellere posset, et bonam ac Christianam fidem sectari.

« Interrogatus

¹ Process., p. 31 et seq.

« An super hæc re posset prohiberi a senatu, vel parlamento, seu consilio, ne faceret ?

« Respond. Minime prohiberi posset, quia una ipsa cuncta misere potest : et leges, et statuta a parlamento sancita nullius sunt roboris, si ab illa non aperte probantur.

« Interrogatus

« An ejus senatus, seu consilium constet ex hæreticis in toto, vel in parte, et senatores, seu consiliarii elegantur ab ea, et sint amovibiles ad ejus nutum ?

« Respond. Senatum et parlamentum omne ex hæreticis compositum esse mihi facile suadeo, quia a fide dignis viris audivi, quod cum in præfatum parlamentum seu senatum admittuntur, opportet ut juramentum præstent. Quod quidem juramentum, cum contra libertatem Ecclesiasticam sit, nonnisi hæreticos illud præstare posse puto. An vero ipsa removere parlamentum possit, nescio, quia hæc de re non satis instructus sum. Quoad consilium, quod ipsa immutare pro libitu potest, notum est omnibus, quod in eo hæretici reperiuntur, et ex publica voce et fama, et ex actis illorum publicis : dum actis omnibus hærelice a regina factis, se subscribunt, ut nolum est cunctis populis illis ; nam ego ea specialiter non vidi, eorumque non memini. Nomina autem consiliariorum horum hæreticorum, uti publica ferme vox et fama, sunt Nicolaus Bacon, qui gerit officium cancellarii Angliae, et Gulielmus Setil, et alii, quorum non memini. Est autem publica vox et fama, omnes esse hæreticos, et uti tales ab illis populis habitos.

« *Henrius Kirton, Anglus* ».

342. « Constitutus Romæ¹ in palatio, etc., sub die x Februarii MDLXX, R. D. Thomas Kirton presbyter Anglus diocesis Sarisburiensis.

« Interrogatus

« An sciat aliquos schismaticos, et non sacerdotes, fuisse constitutos episcopos et rectores ?

« Respond. Ego scio Joaunem Gricellum, celeberrimum hæreticum, ad episcopatum Sarisburiensem evectum fuisse ; et id quidem scio, quia post adeptum præfatum episcopatum, ipsum allocutus sum, et optime eum novi, utpote qui una cum eo in eadem domo in Anstruica educati sumus. Estque publica vox, aliquos alios fuisse promotos, et episcopos factos ex auctoritate reginae, uti publice in illis regionibus creditur, qui sacerdotes non erant, et hæretici erant ; uti fuit etiam episcopus Lincolniensis.

343. « Interrogatus

« An si ipsa velle, posset prohibere prædicationes, et usum hæresum, illasque extirpare ?

« Respond. Ego non dubito, quod prohibe-

bere hæreticas conciones posset, et hæreses evellere : quia si non velle hæreticas haberi conciones, uti prohibuit Christianas, non haberi. existimo ex sententia rem eventuram.

« Interrogatus

« An super hoc posset prohiberi a parlamento, sive a consilio, ne faceret ?

« Respond. Cum regina auctoritatem habeat supra parlamentum et consilium, absque dubio inferior superiorum prohibere non posset. Quod autem illa auctoritatem hanc habeat supra parlamentum et consilium, mihi exploratum est : illa siquidem, absque ipsius consensu, nihil agere possunt, et sola ipsa ab obediendum populos compellere potest.

« Interrogatus

« An ejus parlamentum et consilium consent in totum, vel in parte ex hæreticis ?

« Respond. Ut mihi videtur, in parlamento non omnes hæretici sunt, quia in ipso nobiles extant, qui forsitan boni Christiani sunt. At in consilio potiorem partem hæreticam puto, ex eo quod ex hoc consilio omnes fere hæreses in eo regno oriuntur, videlicet ab eorum Decretis. Extat in eo præcipue Cœcilus quidam Bacon, et Noles, qui ab omnibus populis illis celeberrimi hæretici censentur ; et eorum nonnulli, vel Genevæ, vel Basileæ fuerunt.

« Thomas Kirton presbyter Anglus ».

344. Depositiones aliae in Originali desiderantur. In calce Processus habetur sententia a Pio lata, quam hic subnectimus :

« Christi nomine invocato, pro tribunali in throno supremæ justitiae sedentes, solum DEUM præ oculis habentes, per hanc nostram declaratoriam et condemnatoriam sententiam, quam ex parte Dei omnipotentis, Patris, et Filii, et Spiritus sancti; auctoritate quoque BB. Apostolorum Petri et Pauli, ac nostra; deque etiam venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. cardinalium consilio, fecimus in his scriptis, de et super quod cum a pluribus annis citra totum Angliae regnum ab Christi infidelibus, schismaticis et hæreticis infestaretur et turbaretur, ejusdemque regni populi maculati, contra Catholicam fidem insurrexissemus, hæreliceaque viverent; reginaque Maria hujusmodi sectas et damnatas hæreses totis viribus penitus extirpasset et eradicasset, ejusque regni populi ejus opera et industria ad fidem Catholicam conversi extitissent, debitamque obedientiam S. Sedi Apostolicæ et summis Pontificibus præstarent; dictumque Angliæ regnum pacificum et quietum permaneret: eademque regina Maria vita funera, et Elizabetha ejus sorore in diclo regno succedente, quæ licet Mariae sororis sanctis vesiliis insistere, eosdemque populos, ad Christianæ et Catholicæ vivendum persuadere, ac benigne, prout tenebatur, hortari debuisset: attamen eadem Elizabetha prætensa Angliæ

¹ Process.. p. 36.

regina, diabolica suggestione instigata, non sine maxima animi nostri molestia et perturbatione, ex notorio, inexcusabili, famaque publica accessimus, eamdem Elizabetham assertam reginam, iniquitatis filiam, contra Apostolicam jurisdictionem cornua erigentem, populos dicti regni, et præsertim venerabiles fratres episcopos, archiepiscopos, archidiaconos, et alias Ecclesiasticas personas, auctoritate propria, ad præstandum præsertim iniquum et injustum juramentum, contra libertatem Ecclesiasticam de ejus ordine factum, de non recognoscendo aliam supremam gubernatricem, tam in spiritualibus et Ecclesiasticis, quam temporalibus, præter ipsam Elizabetham assertam reginam, nullique alteri dandam esse obedientiam, sub gravibus etiam corporis afflictivis penis cogere et compellere: eosdemque episcopos, et alias personas Ecclesiasticas, per ejus prælensos commissarios ejusdem reginæ jussu visitari; ac nonnullos ex hisce episcopis, et Ecclesiasticis personis, et Ecclesiarum rectoribus, obdicti juramenti præstationis denegationem, eorum episcopatibus et beneficiis, rebus et bonis Ecclesiasticis, privare, spoliare, usurpare; ad eosdem episcopalibus, beneficia et alias dignitates, schismaticis, haereticis, uxoratis, non clericis ejusdem reginæ propria auctoritate conferre, ac de illis providere: præfatosque episcopos et rectores, ac alios Catholicos, nec non omnes alios divina officia et Missam juxta S.M.E. ordinem audientes, carceribus mancipari, marcescere, et mori permittere. Quodque detestabilis, et in non modicum populorum scandalum, et pessimum exemplum, leges et libros haereticos, super administratione Sacramentorum, divinorumque Officiorum, condere, imprimere, publicare et contenta in eis observari; haereticoque et Calvinio more in præfato regno vivere et respeclive prædicari; damnatasque et manifestas hereses tolerare, ac publicari permittere, causasque Ecclesiasticas cognoscere, sacerdotibusque, ne more Catholico et juxta ritum Catholice Ecclesiae celebrant, prohibere; hujusmodique damnatas hereses audiire, et illis interesse, carnesque diebus prohibitis comedere; Cenamque Dominicam, more haereticorum celebrari facere, aliaque enormia scelera palrare non esse veritam; cumque hujusmodi sint in loto orbe publica, inexcusabilia, notoria, ac non in medicum S. Sedis Apostolicae contemplum redundant; nos nihilominus, pro majori præmissorum verificatione et cantela, commisimus, et mandavimus dilecto filio nostro Alexandro Riario I. V. D. Causarum Curiae Apostolicae generali auditori, ut se de præmissis diligenter informaret, testesque desuper examinaret, processumque opportunum conficeret. Et qui, ex premissis et depositionibus dictorum testimoniis, per eundem Alexandrum auditorem

examinatorum, et aliarum probationum, præmissa omnia et singula vera fuisse et esse constituit et constat; idcirco pronuntiamus, sententiamus, decernimus et declaramus, præfattam Elizabetham assertam reginam Angliae haereticam, excommunicationis majoris anathematice, aliasque censuras et penas, contra similia palrantes editas, temere et damnabiliter incidisse et incurrisse; ipsamque Elizabetham assertam reginam perpetuo ac omnino regno Angliae, illiusque jurisdictione aut dominio ac potestate penitus privatam, et inhabilem fore et esse; prout excommunicamus, anathematizamus, privamus, inhabilitamus, ac ab omnibus Christitudibus arctius excitatis mandamus, litterasque insuper oportunas decernimus et concedimus. Et insuper populos prædicti regni Angliae, a juramento illiusque vinculo per eos corumque quemlibet quomodolibet præstito absolutos et liberatos fore et esse, prout absolvimus et liberamus: dictosque libros legere, et juramentum jussu, et auctoritate, et scientia dictæ assertæ regime Elizabethæ quomodolibet conditos et impressos extinguimus, et comburendos fore et esse, prout eis nullam fidem præstandam esse decernimus et declaramus, non solum isto, sed omni alio meliore modo etc. ».

343. Sequitur mandatum, quo præcipitur processum hunc sigillis obsignatum, munitione, in tabulario religiose cauleque reponi servarique; quod hujusmodi est:

« Illustrissimus dominus Alexander Riarius I. V. D. Curiae Camerae Apostolicae generalis auditor, habuit a me notario integrum copiam totius introscripti processus, de ejus ordine et mandato extractam, et mandavit claudi et signari præsentem processum, ejusque sigillo imprimi, prout fuit signatum. Et insuper decrevit et ordinavit hujusmodi processum non aperiri, nec amoveri sigilla, absque Sanctissimi N. D., seu illustrissimi ejusdem D. A. G. expresso ordine ac mandato, sub pena criminis Iesæ Majestatis, ideo etc. Datum Romæ, in ejus palatio judiciali, et Camera cubiculari, die xii Februarii m.dlx.

« Ita mandamus ex ordine Sanctissimi D. N. Alexander auditor.

« Franciseus Mirabilis notarius.

« Ita est. Franciseus Mirabilis, Archivi Romanae Curiae scriptor. ».

346. Testium, qui in hoc processu juridice de Elizabetha, quæ audisti fidelissime deposuerunt, corsim non est hic prælereunda recordatio; tum quia debilis in Annalibus Ecclesiasticis virtutis eorum honor dandus sit, tum quia eo magis probandum agnoscatur, quod gessit Pius, dum paclarissimorum exterrim auctoritali (qua major in humanis rebus vix potest excogitari), potissimum ostendatur innixum.

De fratre Riccardo Shellejo, igitur, S. Joannis filiosotymitani Angliae priore, in tibello *De justitia Britannica* pap. 32, ista habentur : « Riccardus Shellejus, Ordinis D. Ioannis in Anglia prior, cum fratre suo Iacobo, ejusdem Ordinis milite, in exilio agit ». Eisdem fere verbis in calce Libri, cui titulus ; *Concertatio Ecclesiae Catholicae in Anglia*, eadem adnotantur : « Riccardus Shellejus Ordinis D. Ioannis in Anglia prior, cum fratre suo Iacobo ejusdem Ordinis milite, eamdem cum reliquis sortem in exilio tulit ». Et Sanderus, *de Visibili Monarchia*, Lib. vii, pag. 706, (si tamen prælatorum Librorum ipse idem auctor quoque non sit) inter viros nobiles in exilio degentes, Riccardi ejusdem nomen etiam recenset.

Nec ipsius Riccardi fratrem alterum Thomam prætermittit, cuius Epistolam in processu productam retulimus. « Thomas Shellejus scribens Lib. vii *de Visibili Monarchia*, pag. 704 eum in comitatu Hantoniensi præfuisset paci publicæ, ne si in officio mansisset. (Romanum) primatum abjurare cogeretur ; sponte in exilium se contulit, quem tres ipsius filii non ita multo post comitati sunt, quorum unus etiam in Carthusianorum Ordinem se contulit ». Complexusque, haud multo post, inclytam extorrum istorum familiam totam, Lib. eod. pap. 710, hæc addit : « Nec tantum singuli homines, (inquit) verum etiam integræ familiæ domum ac patriam reliquerunt, ut Sedis Apostolice unitatem non desererent. Quo in numero facile primas tenet Shellejorum antiqua stirpes et clara cognatio : ejus enim nominis et sanguinis fratres primum tres, hoc est, quotquot supersunt ; deinde alii tres patruoles in exilio voluntario agunt ».

347. Quæ pariter referuntur in Epistola Thomæ Copplei ad præfatum Riccardum Shellejum ut vidimus, his verbis a Sandero confirmantur. Ibid., ut supra pag. 704 : « Thomas Copplejus, vir, tam generis nobilitate, quam pietatis et doctrinae laude insignis, cum in Comitatu Surrensi publicæ paci procurandæ præfectus fuisset, patriam, officium, et patrimonium satis amplum ob Romani Primatus confessionem dimisit, jamque in exilio agit ». Totidem verbis idem assurit in tibello *De justitia Britannica* pag. 32. Et in calce Libri paulo ante memorati, cui titulus *Concertatio* etc. post ea verba : « Ob fidei confessionem dimisit » etc. haec leguntur : « Et in exilio sanctissime obiit ».

Thomæ Goldvelli episcopi Asaphensis, qui proxime post Shellejum, in allato processu legitur, præter recensitos scriptores, ampliorem notitiam Joseph Silos in Historia Clericorum (hic si quidem religioso Theatinorum Ordini, nomen Goldvelli dederat) suppeditat. Nos, ex eo nonnulla dumtaxat dabimus, quæ Lib. xv pag. 637, his verbis tradit : « Non minimum ejus

(nempe Goldwelli) nominis morumque famæ momentum affert Cæsar cardinalis Baronius,¹ qui in eruditissimis ad Romanum Martyrologium vigilis, cum de S. Wenefrida agit, complures quidem auctores laudat, a quibus præclara Virginis ac Martyris Acta hanserat, sed uberiorum eorum testem fuisse Asaphensem ait, illumque honestatum hoc elogio voluit, candidissime quidem, quod jam obierat : « Majora (inquit) bis accepi, a fidelissimo teste oculato reverendissimo Thoma episcopo Asaphensi, Romani Pontificis, in obeundis Pontificalibus functionibus suffraganeo, vite sanctitate, fidei confessione atque doctrina conspicuo, nuper Romæ, dolore omnium optimorum, ex humanis sublato ». Hæc ille. Sane, quod forte memorare in loco prætermisimus, inter viros doctissimos, quos Romani Martyrologii reformationi destinaverat Gregorius Pontifex Tertius Decimus, adlectus et Asaphensis fuerat, atque adeo in ea Congregatione, in qua Baronius primarum partium actor erat, cognosci ab eo intime ipsius virtus, sanctitas, eruditio potuit. Baronio adnectimus Nicolaum Sanderum, rerum Anglicarum scriptorem, qui ubi Goldwellium, inter proscriptos ab Elizabetha episcopos numeravit, hæc statim de illo : « Thomas vero Godwellius Asaphensis, plenus pietatis et dierum, viginti sex postea annos Romæ vixit, et non ita pridem, felicissime et sanctissime in Domino obiit ». Ac in eamdem sententiam Polinus, alter Anglicanae rei, ac tragedie textor, illum virtute, ac meritis cumulatissimum obiisse memorat etc. » Hæc Silos, quibus addendum quod Transtyberinae Basilicæ S. Cœciliae, altaria quedam, sub anno MDLXXXIV, Gregorio XIII Pontif. Max. a Godwellis consecrata fuerunt, ut vetus testatur tunc posita inscriptio, quam uti usque modo in ejusdem Ecclesiæ portici legitur, in nostro Opere, cui titulus : *S. Cœcilia Acta*, et *Transtyberina Basilica*, Tom. 2, pag. 407. Jesu Christi. Sæcul. XVI. Cœcilia XIV inservimus. Ut, sub præterito anno, in Sepulerali Lapide Roberti Pechami, ejusdem Goldwelli nomen adnotavimus.

348. Post Goldwellum in præfato Processu recensetur Mauritus Clenoche, qui dicitur nominatus episcopus Bangoriensis ; quem forte indicare voluit, qui in calce pluries memorati Operis : *Concertatio Ecclesiae Catholicae*, indicem contextuimus personarum, quæ propter Catholicam fidem, in Anglia passæ essent ; nam dicit : « Mauritus Clenoche S. et episcopus designatus, obiit in exilio ». Ejusdem mentio etiam habetur in Libello *De justitia Britannica*, pag. 33.

349. De Nicolao Morlono S. T. professore, ac Vaticanae Basilicæ penitentiario, quem inter Ecclesiæ Eboracensis canonicos apud Sanderum recensitum offendimus. *De Visib. Monarch.* Lib.

¹ Baron. in Not. ad die 3 Nov.

vii. pag. 992) superillum est querere; cum ipse ille sit, quem a Pio praeterito anno in Angliam missum retolimus, ut certis illustribus et Catholicis viris, auctoritate Apostolica denuntiaret Elizabetham, quae rerum potiebatur, haereticam esse.

350. Ceterorum, qui in eodem processu ad comprobanda Elizabethae crimina testes adhibiti sunt, in praefatis indicibus, apud Sanderum, et in calee Lib. *Concertatio etc.*, uti in altero *De justitia Britannica etc.* nomina adnotata pariter reperiuntur; unde apud Sanderum ipsum praefato Libro vii de *Visibili Monarchia*, inter presbyteros beneficiis suis exulos, aut in exilio ob Romanus Primatus confessionem degentes pag. 696, n. 1781, Eduardus Brumbrogus, legitur: uti etiam in indice *Concertat.* Et pag. ead. num. 1780, Thomas Kirton, qui etiam in Lib. *De justit. Britannica.* pag. 41 adnotatur, uti pariter adnotatum, sub praeterito anno, tanquam testamenti procuratorem Roberti Peehami, in hujus sepulchrali lapide ostendimus. Inter Sac. Theolog. doctores insuper ob fidem, aut beneficiis privatos aut exules, pag. 400, apud Sanderum loc. citat. scripti reperiuntur: D. Richardus Hallus n. 184., et n. 183. D. Gulielmus Aenus seu Aloto, qui in indice pariter habentur: in quo etiam invenitur Henricus Kirton: quemadmodum Riccardus Shelleius, inter viros nobiles, ob fidem Catholicam in exilio degentes pag. 706 n. 4930, recolitur; quem Libellus *de justit. Britannic.* non praeterit, ut ex ejusdem pag. 55 videre est.

351. Edmundus decanus Ecclesiae Erefordiensis non eo, similibusque muneribus tantum, sed, ut ex Processu, pag. 10., et sacellarii piae mem. Mariae olim Angliae reginae, et Elizabethae sororis officio perfunctus est. Imo regii sacelli vicedecanus, cuneta quae ad ipsum, illius cantores, et cetera perfinebant, optime administraverat, donec, e vivis sublata Maria, atque haeresi Elizabetha corrupta, loco ipse excedere, atque se Romam conferre coactus fuerat.

Unus est Henricus Henthian Lincolniensis, enjus, uti et duorum Guill. Allot Gyblet, nomen apud praefatos scriptores desideratur; quod minus videri non debere Sandrus prudenter monuit. Ubi enim indicem protulit canoniconum Cathedralium, qui ob Catholicae fidei professionem passi fuissent: « Non sic autem res accipienda est (inquit), velut hi soli Ecclesiarum Cathedralium canonici, quos hoc in loco adscripsi, ob Sedis Romanae confessionem, patria, opibus, libertate aut vita privati fuerint. Nec enim dubito quin alii praeterea, valde multi, hanc laudem meriti sint: sed illos ego recensui, quos aut ipse moveram, aut ab aliis haec dignitate motos esse acceperam. Presbyteri vero parochiales, et alii sacerdotes, qui ob refinendae Sedis Apostolicae communionem, vel in vinculis detuncit,

vel adhuc vincit, vel in exilium ire coacti sunt, multo difficultius enumerari possunt etc. ». Haec ille: que quidem dicta velim, ne, inquam, miretur quis, praefatos duos testes in Processu Elizabethae adhibitos, Landerum adiosque, qui cuncta saltem eorum nomina quos impia saeva-que ejusdem Elizabethae persecutio vexavit, studiose adnotarunt, fugere potuisse.

352. Ex horum praeclarissimorum testimoniis confessione vero, quod inter alia notatu dignissimum constat, illud profecto est, ut alibi etiam in nostris Annalibus monuimus, Elizabetham, veram ac legitimam, ex veris episcopis, episcoporum in Anglia successionem, impio ac adulterino seedere corrupisse; ita ut, qui in eorumdem locum postea subrogati sunt, nullatenus pro episcopis sint habendi; quippe qui, non a veris episcopis, sed a solis laicis, qui cum jurisdictionem ipsi non haberent, multo minus aliis conferre poterant, et non episcopi, alias episcopos efficere non valebant, primam originem ducent. Inuit id quidem Sanderus¹, ut supra diximus), dum refert, auctoritate Elizabethae ejusdem episcopis, cum nullus eos Catholicorum episcoporum consecrare voluisse, ex parlamenti decreto jussum tuisse, ut absque consecratione episcopalia munera exercere possent; unde hoc pacto electi, *episcopi parlamentarii* nuncupati sunt. At longe clarus, ex eorum, quos retulimus testimonio, id innotescit, ita ut ambigendi nullus prope locus iis remaneat, qui usque modo aliter censuerunt; nam præterea, quæ generatim, de abolito in Anglia Ordinis sacramento, tanquam mere Papistico dicitur; speciatim de episcoporum creatione testes agentes, non modo eos non episcopos, id est, episcopali consecratione non decoratos, sed nec quidem sacerdotali initiatos Ordine, uno, vel altero demptis, uno ore fatentur. Ubi insuper, (ut explicite faciunt), meros laicos eos non extitisse, diserte non explicant; cum tamen absolute, absque alio addito, uxoratos dicunt, non nisi laicos significare voluisse, ex modo loquendi apud Catholicos, quis nesciat? Cum enim percutetur quis nostrum, de hoc, vel illo agens, an ille, vel hic sit sacerdos, vel episcopus. Quid aliud ei respondetur, nisi: Quomodo id? Si uxorem habet? Et vicissim, si quis interroget, an iste, vel ille uxorem habeat? Quo pacto respondetur ei: Si est presbyter, vel episcopus? Ita ut, ex eo, quod quis uxorem habeat, vel non habeat, semper intelligatur sacerdotem, vel episcopum, vel aliquo alio sacro Ordine insignitum esse non posse, qui uxorem habet; et dixisse aliquem absolute uxoratum, semper significasse fuerit merum laicum.

353. At in toto, contra Elizabetham collato processu, cum tres tantum testes habeantur, qui

¹ Sander, de Statu. Anglie, lib. III.

rem hanc ideo diserte non expicasse visi sunt; ut veritati sincerissimae potissimum consulere tur, eorumque verba hic rursus in medium proferre minime pignit. Igitur Processu eod. pag. xi, 2.

« Interrogatus

« An sciat episcopos, ac alios Ecclesiasticos fuisse auctoritate ejusdem reginae carceratos; ac schismaticos, *non sacerdotes*, episcopos ac rectores constitutos?

« Respond. Id scio, ex relatione, non quod viderim: tempore siquidem, quo hoc factum est, non aderam ».

« Testis alter. Processu eod. pag. xx 2 de iisdem interrogatus.

« Respond. Postquam ipsa Catholicos privavit, eis haereticos substituit, tam episcopos, quam presbyteros, et rectores. An vero hi fuerint, vel non, sacerdotes, perfecte exploratum non habeo. Scio tamen hujusmodi episcopos et rectores fuisse haereticos, quia multoties, post illorum electionem, eos haereses praedicantes audiui ».

« Tertius denum, Processu eod. pag. xvi, 2.

« Respond. Ego non vidi decretum reginæ, quo eos deputat; scio tamen, ex auctoritate et assensu reginæ fuisse creatos, et eorum plures uxorem habere. Aliqui etiam sunt sacerdotes et uxorem habent ».

254. Verum trium horum testium, prior, se quidem non vidisse, audivisse tamen episcopos et presbyteros *non sacerdotes* constitutos fuisse fatetur. Secundus, cum rem non satis exploratam habere dicit, eam proculdubio, neque affirmat, neque negat. At cum addit uuum illud se seire, omnes, nimirum ab Elizabetha promoto, haereticos extitisse: potius *non sacerdotes*, quam *sacerdotes* fuisse innuit; nam cum præcipue, quæ lunc in Anglia grassabantur haereses, Lutherana ac Calviniana extitissent; et Calvinianæ potissimum Elizabetha adhæreret, a qua Ordinis sacramentum speciatim convellebatur; ex adhæsione eidein sectæ, et odio in Ordinis sacramentum, eos in hujusmodi promotionibus ab Elizabetha ipsa aliis prælatos censendum non est, qui aliquo, forte Ordine, priusquam haeresi nomen darent, insigniti, vel inviti characterem gerezant, a quo ipsa, blasphemando, abhorrebant: ubi e contra meri taici, quique omnis prorsus ordinationis expertes fuisse, tales erant ac ipsa desiderabat, ac juxta haeresim suam esse oportebat.

255. Addit idem testis rationem aliam, ob quam exploratum sibi satis non erat, an ab Elizabetha promoti episcopi ac presbyteri, sacerdotes essent, vel non; dum in calce ejusdem depositionis pag. xxi dicit: « Quod jam sex vel septem anni elapsi sint, quod inde absunt, horum non bene memini ».

256. At ab eodem regno diuinus etiam ab-

fuerat tertius testis, qui ex episcopis ab Elizabetha creatis, nonnullos quidem uxoratos, scilicet laicos non sacerdoles, alios vero sacerdoles et uxoratos fuisse dicit: Nam interrogatus Processu eodem pag. xiv:

« Ex qua causa ipse accessit ad Urbem?

« Respond. Cum vidisset Catholico et Christiano dignam vitam iis in regionibus me agere non posse, eas reliqui, et in Belgium, abhinc octo anni sunt, emigravi. In Belgio autem anno integro mansi, deinde Romanam me contuli ».

Cum igitur a sex vel septem annis secundus testis Anglia abfuerat; mirum non est satis ei exploratum non fuisse, an sacerdotes vel non, essent illi, quibus sacerdotia et episcopatus Elizabetha contulerat. In tanta siquidem, quæ erat eo tempore, quo ipse discesserat, sectarum confusione, rerumque ad religionem spectantium commixtione, quomodo sese res certo haberent, internoscere, et testi illi, et omnibus aliis, neandum difficile, sed fere impossibile fuisse censendum est. Plures enim meros laicos uxores habentes, reclorias et sacerdotia obtinuisse perspicuum est. E contra vero, vel effreni actos libidine, vel ne rectorias et sacerdotia amitterent, fide Orthodoxa ejurata, sacerdotes plures uxorem duxisse, quis in dubium vocare potest?

257. Quapropter, quod addit tertius testis, nimirum haereticos reginæ auctoritate creatos, partim laicos fuisse, partim fuisse sacerdotes, ex iis verissimum etiam comprobatur, quæ Sanderus¹, inno Camdenus² ipse scripto amandavit. Diutius siquidem quam duo alii (toto nempe octennio) Anglia is abfuerat; fueratque ibi eodem ferme tempore, quo Catholicis episcopis ac presbyteris, sedibus suis deturbatis, in eorum locum, ab Elizabetha haerelici subrogati sunt. In hac autem subrogatione, illam se alia ratione gessisse putandum non est, quam ea, qua in abdicandis defendisque caeteris Catholicis ritibus, ac dogmatibus se gessit. Qua de re præfatus Camdenus³: « Ita religio in Anglia mutata, orbe Christiano mirante quod iam facile et sine motu. Sed illa, non subita mulatio (quaenam haud unquam facile feratur) verum lenta et gradatim ». Cum igitur paulatim Ecclesiastica quoque hierarchia dejicienda esset, ad Ecclesiasticas dignitates ac gradus, non statim omnes laicos promotos fuisse ab Elizabetha existimandum est; sed partim sacerdotes, qui Catholicam fidem abjurassent, partim laicos; et id quidem necessitate etiam quadam cogente; tot siquidem fuerunt Catholici sacerdotes e gradu dejecti; ut totidem, qui in eorum locum saerilege sufficerentur haerelicos, Elizabetha reperire non posserit; ideoque Camdeni⁴ ejusdem sunt verba:

¹ Sander. de Schismat. Anglie. Ibid. ut sup. — ² Camden. Annal. Elizabeth. Ibid. ut sup. — ³ Camden. sub ann. 1559, p. 27. — ⁴ Ibid. ut supra. p. 27.

« Multi ex officina mechanici, et non minus illiterati etc. dignitates Ecclesiasticas, præbendas et optima sacerdotia consecuti sunt ».

358. Non sic autem paulatim sublatam, cum cæteris sacris validam episcoporum consecrationem, et una cum ea, legitimam episcopatus successionem etiam putandum est. Nam cum omnes Catholici episcopi, sub anno MMLIX, vel paulo post sedibus suis pulsi sint, et qui illis sunt subrogati, pseudoepiscopi, a nullo, nec Catholico, neque heretico episcopo (ut scribit Sanderus¹) consecrationem obtinere potuerint, quis non videt de illis successoribusque eorum usque ad hanc diem impletum, quod in libro Esdrae² habemus his verbis: *Hi quærerunt scripturam genealogiarum suarum, et non invenierunt, et ejecti sunt de sacerdotio.* Et frustra idecirco eos insudare ut scripturam sua genealogie querant inveniantque, cum ipsa nunquam in rerum natura: fuerit vel quod genealogiam veram successionem a veris episcopis primi illi pseudoepiscopi obtinere non potuerint, ut diximus. Non enim ex eo quod a teste uno, unus episcopus defecisse dicatur, inferri potest hunc novis pseudoepiscopis manus imposuisse; (id siquidem nemo unquam somniavit); vel etiam, quod obtinere non contempserint, quod præ alio non minus certum agnoscitur. Quis enim rite non putabit sensibus suis Elizabetham in primis adictos selegisse, et adscitos vicissim se demonstrasse eos, qui ad episcopatum ab ea sunt promoti? Illa autem Calvinistica peste eousque quo ad hoc infecta fuit, ut non modo Ordinis sacramentum negaret (sed, ut ex allatis testibus constat) publice et palam contra Sacramentum ipsum, ex instituto concionari præcipere. Quæ cum ita sint, cui in mentem venire polerit, vel illam sollicitam fuisse de Ordine suscipiendo a promotis a se; vel eosdem promotos suscipere, vel aliis conferre studuisse, quod ab ipsa maxime nominatimque detestatum scirent; nec sine crimine, ejusdemque idecirco offensa, suscipi posse perspectum haberent; metuereque sibi jure etiam deberent, ne loco dignitateque, quam illis contulerat, merito irata femina deturaret?

359. Atsicut qui ex Anglia secesserat testis ab anno MULXII, cum ab ea discessit, nondum cuncta, quæ ad Ecclesiasticam Hierarchiam eventendam (episcopalum, scilicet ac presbyteralis, cæterosque Ordines) pertinerent, omnino abolita esse conspiciens, sincerissime, sed indistincte, partim sacerdotes uxorem habentes, partim non sacerdotes æque uxorem habentes, sacerdotia obtinere testatus est; sic aliquot annorum spatio elapso, quo penitus non minus ac fuerat episcopalum, sacerdotalis Ordo impie profligatus

quoque fuerat; testes cæteri, uno ore fassi sunt pseudoepiscopos, Anglicanas Ecclesias occupantes, non sacerdotes, videlicet, nec ut antea forte aliquando ex simplicibus presbyteris assumptos, sed meros laicos extitisse, qui nempe et ipsi seipso omni legitima ordinatione destitutos agnoscentes, sæculare brachium, ut suo loco diximus, iuvicare coacti fuerint; cujus auctoritate dicerentur, ac haberentur, qui vere non esse ipsimet tateri vel inviti cogerentur: ut revera non fuisse (etiam si cetera deessent) eo tempore, quo rite ac jure Processus, de quo loquimur, contra Elizabetham confectus est. Processus idem perspicue demonstrat: ex quo adeo clare intelligitur, de successione legitima episcopatus, inani propemodum conatu Anglos pseudoepiscopos hodiernos sibi blandiri, ut ratio nulla suppetat, qua contra veritatem, præclaris adeo sincerisque testibus assertam, vanam suam presumptionem tueri valeant.

360. Ex ipso vero etiam Processu, alias a nobis rejecta merito et objurgata, nec satis unquam explodenda dignoscitur, improbi insipientissimique scriptoris illius temeritas, qua pro temporum personarumque ratione, Janseniana arte, nunc defendens quæ impugnavit, modo impugnandum quod defendit suscipiens, modoque se Catholicum, novatorem modo se præbens; solemni improbaque impostura asserere veritus non est, in reordinandis (ut semper consuevit) Anglis, Ecclesiam Romanam non illi fundamento innixam esse, quam fabulosæ narrationi primi ordinatoris ac ordinati Matthæi Parkeri pseudoarchiepiscopi Cantuariensis, ad id munus ab Elizabetha promoti. Videat, inquam, Processum hunc juridice instructum vir insipiens et linguis et confundatur; erubescatque valde velociter Ecclesiae Romanae, cujus bonis sic se immerito ingurgitavit, hanc importasse catumiam: dum videlicet in summi momenti re, cujusmodi est Sacramentorum iteratio, non nisi re, et quidem ab initio exploratissima, ac ad evidentiam plene probata, præclarissimam ipsam fiduci magistram se semper prudentissime gessisse, diffiteri non poterit.

361. Et ex eo quidem, quod in Processu eodem, laici, et non sacerdotes, a tot fide dignissimis testibus, Anglicani pseudoepiscopi asserantur; illud quoque, quod innueramus, et alibi retulimus, de non sublata in novis prendoepiscopis creandis, trium episcoporum manuum impositione, quod Camdenus narrat, intelligitur. Si enim verorum ac legitimorum episcoporum, ex veris episcopis descendentiam, post parlamentarium decretum a Camdeno ipso relatum, sub anno MMLXVI in favorem episcoporum editum, qui vel jam creati tuerant, vel deinceps creandi essent, hi omnes manuum impositionem accepissent; iidem meri laici, non sacerdotes, a Catholicis his testibus, nequaquam, juxta

¹ Sander, de Schismat. Anglic. libr. 3 et 400. — ² Esd. lib. I. c. xx, v. 62.

Catholicas regulas, dici haberique nequivissent. At quia compertum ipsi habuerunt, tam consecratos, quam conserantes meros laicos extitisse, qui nunc atiunde quam ab Elizabetha ac Parlamento originem ac successionem haberent; idecirco juremerito, (licet forte, quam Camdenus memorat, pseudoepiscoporum manuum impositione intercessisset), non nisi laicorum vocabuto, se illos censere posse existimarent; quippe qui nullam omnino a laicali manuum impositione, consecrationem obtinere potuissent. Sieut, ob eamdem rationem, qui eis deinde successerunt, nonnisi laicos inanem tantum laicorum manuum impositionem adeptos, putando habendos que esse nemo non videt.

362. Quoad alios vero ab Elizabetha ad episcopatum promotos, qui sacerdotali caractere insigniti fuissent; forte quia testis unus, vel alius sacerdotes eos extitisse dixit, ideo tamen cum ad episcopatum illos promoto luisse asseruit, episcopali ordine decoratos simul affirmavit? Id profecto testimoni nemini, ut significare vellet, nec in mentem venit. Quapropter ad episcopatum promoti hi, sacerdotes extiterint, non tamen absque episcopali consecratione episcopi evadere potuerunt; cumque hanc, vel non accepterint, vel ab iis accepterint, qui eam prius validis ex legitima et vera successione, ut diximus, non assecuti, aliis idecirco præbere non poterant; quid idecirco de hujusmodi etiam sacerdotibus ab Elizabetha ad episcopatum promotis eorumque promotione censendum sit, nemo non videt. Uno verbo, cum testis nullus, in laudato Processu, de promotis ab Elizabetha ad episcopatum agens episcopalem memoret censemationem, sed adhuc eos, *vel non sacerdotes, vel sacerdotes quidem, sed hereticos* dicat; quis ex his non intelligit verum episcopum esse noluisse, qui nec fieri voluit sacerdos? Et episcopum fieri despexisse, qui per haeresim, quoad fieri poterat, Ordinis sacramentum a se nefarie ablegaverat?

363. Ille igitur sacrilego ab Elizabetha patrato facinore effectum, ut dicere incœperamus, ut non modo, ex non episcopis, qui eis successerunt episcopi censendi non sint; sed nec presbyteri, nec diaconi, nec alterius ejusvis Ordinis charactere prædicti putandi, qui ab ejusmodi pseudoepiscopis ordinati, vel ab iisdem non ordinatis episcopis, Ordines suscepserunt. Adeo ut Elizabethæ impietas, sub ipsum fere sui schismatis initium, ad profundum illud malorum venerit, quo nonnulla Orientalium Ecclesiarum schismata, vix vel potius nequam pervenerunt; nam licet in eis, tum episcopalis, tum alii Ordines illicite conferantur; quia tamen ab episcopis, qui veri episcopi cum essent, veros episcopos consecrare potuerunt; iisque vicissim, ut veri episcopi, successores veros episcopos consecrare, usque in hanc

diem valent, legitimam, ac nunquam interruptam successionem cum ducant, valide tum episcopalem, tum alias Ordines ab iis conferri, nemo ambigere potest. Et hinc, tum a veris episcopis, tum a veris presbyteris, id est, valide ordinatis presbyteris, et episcopis, quamvis illicite, valide tamen confecta esse sacramenta, nemo rite in dubium vocabit. E contra in Anglia, radicitus in episcoporum sacrilega illa electione ac subrogatione, evulso Ordinis sacramento, sicut in eo, nec veri episcopi, nec veri ab eis ordinati presbyteri remanserunt; sic una cum iis cuncta quoque, quæ ab episcopis et sacerdotibus Sacra menta conficiuntur, penitus abolita sunt et deleta; ita ut in infelicissimo eo regno, ut olim de Judeis prædictum est) nec sacerdotium, nec sacrificium reliquum fuerit.

364. Quia vero sciebat Pius, non esse in regia plerumque potestate, ea omnia mala ac scelera prohibere, quæ impetu quodam regiones ac regna pervadere solent; idecirco explorari voluit, priusquam in Elizabetham judiciali sententia publice animadverteret, an ea omnia religionis damna, quæ Angliæ regnum patiebatur, Elizabetha ipsa, vel Iubens vellet, vel potius coereere non valens, pateretur invita. Speciali idecirco modo super hoc examinatos testes votuit, qui licet ex aliis, quæ dixerant, satis superque eam, ac ipsius consiliarios, scelerum omnium autores innuissent; tamen facinus, id distincta inquisitione perquiri, ac comprobari jussit ut Processum eundem legentibus in aperto est.

365. Necesse fuit haec omnia ordine digerere, ut appareat, jure ac ordine, ac per allegata et probata, Pium contra Elizabetham processisse; nam licet ipsius scelera, luce clarior omniibus innotescerent, tamen, cum de judiciali sententia in eam, coram tota Ecclesia proferenda agendum fuit, illius causam, non nisi districtissimo judiciali ordine peragendam Pontifex existimavit.

At circa tempus, quo Bulla ipsa prodierit, videndum, quid in primis scriptores censuerint. Natalis ab Alexandro, Spondanus, ac alii, hoc anno datam referunt: imo in ipso Bullario, sub anno eodem recensetur. E contra vero Pollinus, Bzovius, Morerus, Natalis Comes, Campana, ab Isselt, et Camdenus sub praecedenti datam scribunt. Et quidem ipsius Bullæ exemplari seorsim tunc impresso, quod ex Archivo cardinalis Alexandrinus accepimus, sub anno MDLXIX data legitur.

Verum facile ex supra allatis sententiae conciliantr, dum luce clarior patet duas fuisse Bullæ hujus editiones, primam quidem sub anno MDLXIX, per Mortonum solis Anglis communicandam; alteram vero sub anno MDLXX, tota Ecclesia vulgandam, ac revero vulgatam: ac prioris quidem exemplar, nempe Anglicanæ,

secundum Camdebum, sub anno MDCXIX, suis Annalibus Pii Bullam inseruisse. Alios vera scriptores sub praesenti anno MDLXX, admotasse; quod revera fola Ecclesiae, praesenti duntaxat anno, proposita fuerit. Prioris autem editionis, in gratiam Anglorum facta, ea causa fuit, quod Bulla ipsa Pius (ut anno praeterito narravimus) eorumdem Anglorum contra Elizabetham contibus sollicito praesentique auxilio esse voluit, ut diserte his verbis narrat Sanderus :¹ « Multi ex nobilitate haereseos, et status praesentis pertesi, praesertim in Septentrionalibus regni partibus arma ad sui defensionem contra haereticos, et homines novos, qui Elizabetham in istam adduxerunt insaniam, sumpserunt. Quorum primi fuerunt antiqua nobilitate clarissimi proceres Thomas Northumbriae et Carolus Westmerlandiae comites, eisque se adjunxerunt, ex inferiori nobilitate equites aurati, aliqui non pauci: sed reliquis Catholicis, proplera, quod adhuc per papam non erat publice contra reginam lata excommunicationis sententia, nec ab ejus ipsi absoluti viderentur obedientia, se non adjungentibus; facile a regiis copiis in vicinam Scolianam fugati sunt ». Sic ille. Ut vero summis landibus extollenda fuit ea Catholicorum Anglorum religio, qua nihil contra Elizabetham, cui fidelitatis juramento se obstrinxerat, nisi ab eodem jurejurando, a Romano Pontifice absoluta fuisset, sibi licere fassa est: sic dignis encomiis prosequenda etiam dignoseitur Pii prudentia, quae qua majori potuit celeritate edita Bulla, ac in Angliam missa, ea impedimenta statim removere curavit, quae rei Catholicae plurimum obesse posse intellexit; ac nova deinde ejusdem adornata editione, studiosius morbo, tanquam salutarem medicinam applicauit. En illa:

« Pius episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

« Regnans in excelso, cui data est omnis in celo et in terra potestas, unam Sanctam Catholicam et Apostolicam Ecclesiam, extra quam nulla est salus, uni soli in terris, videlicet Apostolorum principi Petri, Petrique successori, Romano Pontifici, in potestatis plenitudine tradidit gubernandam. Hunc unum super omnes gentes, et omnia regna principem constituit, qui evellat, destruat, dissipet, disperdat, plantet et aedificet; fidem populum, mutuae charitatis nexu constrictum, in unitate spiritus conlineat, salvumque et incolumem suo exhibeat Salvatori.

« § 4. Quo quidem munere obeundo, nos ad prædictæ Ecclesiae gubernacula, Dei benignitate vocali, nullum laborem intermittimus, omni opera contendentes, ut ipsa iunctas, et Catholicæ religio, (quam illius auctor, ad pro-

bandam suorum fidem et correctionem nostram, tantis procelsis conflictari permisit) integra conservetur. Sed impiorum numerus tantum potentia invaluit, ut nullus jam in orbe locus sit relictus, quem illi pessimis doctrinis corrumperem non tentarint, admittente præcipue flagitiisorum serva Elizabetha, praetensa Angliae regina, ad quam, veluti ad asylum, omnium infestissimi profugum invenerunt. Itac eadem, regno occupato, supremi Ecclesiae capitis locum, in omni Anglia, ejusque præcipuum auctoritatem atque jurisdictionem monstruose sibi usurpans, regnum ipsum, jam tum ad fidem Catholicam et bonam frugem redactum, rursus in miserum exitium revocavit.

« § 2. Usu namque verie religionis, quam ab illius desertore Henrico Octavo olim eversem, clara. mem. Maria regina legitima, hujus Sedis præsidio reparaverat, potenti manu inhibito, seculisque et amplexis haereticorum erroribus, regium consilium, ex Anglicâ nobilitate confectum, diremit, illudque obscuris hominibus haereticis complevit, Catholicæ fidei cultores oppressit, improbos concionatores atque impietatum administratos reposuit, Missæ sacrificium, preeces, jejunia, ciborum delectum, cælibatum, ritusque Catholicos abolevit, libros manifestam heresim continentis, toto regno proponi, impia mysteria et instituta, ad Calvinii præscriptum a se suscepta et observata, etiam a subditis servari mandavit. Episcopos, Ecclesiæ rectores, et alios sacerdotes Catholicos, suis Ecclesiis et beneficiis ejicere; ac de illis et aliis rebus Ecclesiasticis, in haereticos homines disponere, deque Ecclesia causis decernere ausa; prælatis, clero, et populo, ne Romanam Ecclesiam agnosceret, neve ejus præceptis sanctionibusque canoniciis obtemperarent, interdixit; plerosque, in nefarias suas leges venire, et Romani Pontificis auctoritatem atque obedientiam abjurare, seque solam in temporalibus et spiritualibus dominam agnoscerere jurejurando coegit; penas et supplicia in eos qui dicto non essent audientes imposuit, easdemque ab iis, qui in unitate fidei et prædicta obedientia perseverarunt, exegit. Catholicos antistites et Ecclesiæ rectores in vincula conjecit, ubi multi diuturno languore et tristitia confecti, extremum vite diem misere finierunt. Quæ omnia, cum apud omnes nationes perspicua et notoria sint, et gravissimo quamplurimorum testimonio ita comprobata, ut nullus omnino locus excusationis, defensionis aut tergiversationis relinquatur.

« § 3. Nos multiplicantibus aliis atque aliis super alias impietatibus et facinoribus, et præterea fidem per persecutione, religionisque afflictione impulsi, et opera dictæ Elizabethæ, quotidie magis ingravescente; quoniam illius animum ita obfirmatum atque induratum intel-

¹ Sand. de Schis. Angl. Lib. III, page 416.

ligimus, ut non modo pias Catholicorum principia, de sanitate et conversione preces monitionesque contempserit; sed ne hujus quidem Sedis ad ipsam hac de causa nuntios in Angliam tracicere permiserit; ad arma justitiae contra eam de necessitate conversi, dolorem lenire non possumus, quod adducamur in unam animadvertere, cuius majores de republica Christiana tantopere meruere. Illius itaque auctoritate suffulti, qui nos in hoc supremo justitiae treno, licet tanto oneri impares, voluit collare, de Apostolica potestatis plenitudine declaramus praedictam Elizal etham haereticam et haereticorum fautorum, eique adherentes in praedictis, anathematis sententiam incurrisse, esseque a Christi corporis unitate praecisos.

« § 4. Quin etiam ipsam praetenso regni praedicti jure, neenou omni et quoemque dominio, dignitate privilegioque privatam.

« § 5. Et item proceres, subditos et populos dicti regni, ac ceteros omnes qui illi quonodo-eumque juraverunt, a juramento hujusmodi, ac omni prorsus dominii, fidelitatis et obsequii debito, perpetuo absolutos, prout nos illos, praesentium auctoritate absolvimus et privamus eamdem Elizabetham praetenso jure regni, aliisque omnibus supradictis. Præcipimusque et interdicimus universis et singulis proceribus, subditis, populis, et aliis praedictis, ne illi, ejusque monitis, mandatis et tegibus audeant obediare. Qui secus egerint, eos simili anathematis sententia inuocamus.

« § 6. Quia vero difficile nimis esset praesentes quoemque illi opus erit perferre, volumus ut earum exempla, notarii publici manu, et prælati Ecclesiastici, ejusque curiæ sigillo obsignata, eamdem illam prorsus fidem in iudicio, et extra illud, ubi pie gentium faciat, quam ipsa presentes facerent, si essent exhibita vel ostensæ.

« Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, anno Incarnationis Dominicæ MDLXX, Pontific. nostr. anno quarto ».

366. *Diluuntur objectiones circa hujus Bullæ promulgationem.* — Non praetereundum interim quod huius Pii sententiae detrahere fere scriptores cuneti, non heterodoxi modo, sed Catholicæ etiam ausi sunt; vel ex eo quod juris ordine servato prolata non fuerit; vel ex eo quod Pius Elizabetham, licet haereticam, exauktorare, nec a fidelitatis juramento illius subditos solvere potuerit; vel ex eo quod Catholicæ ipsi principes eam nihil duxerint; vel ex eo tandem, quod hinc in deteriori Catholicæ religionis res fuerit prolapsa.

367. Et primi quidem, qui de non servato juris ordine conquesti sunt, apud Thimanum ac Camdenum leguntur: qui nempe scriptores, cum undique coacervare studuerint quidquid in Pontificie potestatis opprobrium verti posse

arbitrarentur: dum illius culpam ostendere existimarent, propriam ac rudem nimis suam inscitium prodire. Quicunque enim fuerint, Catholicæ, videlicet, vel haeretici, qui Pontificiam Bullam improbarunt, quod nulla ex jure admonitio eam praecesserit, cerle turpis ingnaviae coarguendi agnoscuntur, cum obvium ac tritum etiam illud nescisse reprehenduntur; duplex, scilicet, excommunicationis genus, quorum unum ferendum dicitur, nec nisi præviis admonitionibus inferri consuevit; aliud autem latum nuncupatur, idque nulla prævia prorsus admonitione infigitur. Delictis vero, ob quæ haec lata sententiae excommunicatione incurritur, abunde fuisse obnoxiam Elizabetham, ultra dignoscitur. Nam eum in primis omnes haeretici, hanc ipso jure sententiam incurvant, ut in cap. ad abolendum in princ.: et cap. excommunicamus t.3. de haereticis, et cap. novit. 49. de sent. excom; et insuper defensores, et receptatores haereticorum, quique eos domi sua tenere, vel fovere audent. Cap. Si-cut 8. de haeret. et cap. Quicunque 2. eodem in 6.

« Qui dicunt Romanam Ecclesiam non esse caput aliarum Ecclesiarum, contra id quod habetur in C. felicis, § per hoc quoque, de pœn. in 6. Qui servari fecerint statuta, et consuetudines contra libertatem Ecclesiae: ac eo magis, qui ea statuerint, ut in C. noverint 49. de senten. excom.; et quicunque demum similibus aliis secleribus sese deturpaverit; ipso jure Ecclesiastica excommunicationis pena irretiatur, absque eo quod præviae admonitiones ex jure eam præcedere debeant. Quis Elizabetham, non modo haereticam, et que non unius, vel alterius haeretici, sed totius orbis haereticorum, in Belgio, Galliis, Germania, fautor fuit: que, contra omne jus, se caput Ecclesiae statuerat: que immumeros Ecclesiasticos viros ac Ecclesias expilaverat; que tanta ac tam dira in eas statuerat, hisque ac innumeriis aliis gravioribus secleribus ream, quibus eadem proposta pena erat: absque prævia admonitione, recte ac juris ordine servato, a Pio excommunicatam non dixerit?

368. Quod si admonitiones faciendas fuisse dixerint, ut, juris ordine servato, delictis se purgare Elizabetha posset: corruet procul dubio quod asservunt ex cap. Cum delictis de purg. Can.: nam purgatio ibi tantum permittitur, ubi crimen non est notorium; at ubi adeo publicum est, ut nullus justificationi locus penitus existat, (ut paeta eius universæ vicinæ populus testis fuit); non esse reo indicendam purgationem, sed in eum condemnationis sententiam promulgandam esse decernitur. Quale autem seclusus adeo publicum et notorium esse potuit, ut innumeræ fuere Elizabethæ facinora, quam non modo unquam eorum puduit, sed meretri-

cio insuper fastu, sicut Sodoma, peccatum sum prædicavit?

369. Et quidem, ex notoria ejus in nefandissimis sceleribus impudentia, permotum Pontificem in illam sententiam tulisse, facile deprehendes, ex supra commemoratis sententiae verbis: « Quae omnia ibi dicuntur cum apud omnes nationes perspicua et notoria sint, et gravissimo quamplurimorum testimonio ita comprobata, ut nullus omnino locus excusationis, defensionis, aut tergiversationis relinquatur etc ». Quamvis tamen ex jure non teneretur, nihilominus pius Pastor admonuisset, si per ipsam sibi licuisset; verum illius animum ita obfirmatum atque induratum intellexit ut ipse fatetur ut non modo pias Catholicorum principum de sanitate et conversione preces monitionesque contempserit; sed ne Apostolice quidem Sedis ad ipsam hae de causa nuntios, in Angliam tracieere permiserit. Cuiam igitur rationabili fundamento inniti potuere querimoniæ de Pio factæ, ob non premissas de jure admonitiones, cum illas Pontifex, nec facere teneretur, nec sibi eas fieri Elizabetha permiserrit? Verum ad quid ista? si non nisi juris ordine servato, et probata, et cognita causa, desuperque eam, (ut innuimus), eoram statu judice, juridico instructo Processu in Elizabetham Pontifex sententiam dixit. « Et quidem gravissimo (ut ipsem Pius dicit) quamplurimorum testimonio ita comprobata, ut nullus omnino locus, excusationis, defensionis, aut tergiversationis relinququeretur ». Processum ipsum, ut res in aperto esset, jam in medium produximus.

370. Quoad aliud vero, quod videlicet Pio nullum dethronizandi Elizabetham jus fuerit: « Aequitatem sententiae in Elizabetham latæ (inquit Natalis ab Alexandro)¹ natalium ejus vitium manifeste probat. Spuria enim erat Henrici Oclavi proles, ex adulterio cum Anna Bolena suscepta: quare nec jure natalium, nec regni legibus capax erat successionis in regiam dignitatem. Jus evidens erat Mariæ Scotiæ reginæ. Henrici quidem voluntate, et comitiorum edicto, sed palam iniquo, regnabat Elizabetha. Id atlendens Pius Quintus reginam intrusam, quæ potestate male parta ad Catholicæ religionis eversionem abutebatur; quæ tyrannidem in Catholicos præsules et sacerdotes, præseque fidei professores exercebat; quæ subditos suos ad ejurandam Romani Pontificis obedientiam juramento obstringebat; quæ se unam, pro Ecclesiæ Anglicanæ capite, seu gubernatrice gerebat, prætenso jure regni privatam, subditos a juramento fidelitatis absolutos denuntiare se posse existimavit, seu declarare, quod evi-

dentissimum erat, nullum jus ipsius fuisse nec esse ad regnum, nullumque esse vinculum juramenti, quo fidelitatem suam ac obsequium ipsi Angli obstrinxerant; nec teneri ad parentum impiis ejus mandatis ac legibus, contra fidem, religionem, ac fidem Romanam, et Summi Pontificis primatum. Hic sententia, a Pro Miltæ, sensus est; unde et ipsam Elizabetham, *prætensionem Anglie reginam vocat; Mariam vero, cui successerat, reginam legitinom, ipsiusque regnum overpassee*, id est, usurpasse scribit. Qua de re Sanderum audire invabit lib. II de Schismate Anglicano: Sæpe quidem inquit condita est Maria illam ab omni successione sorte, vel propter haeresim, vel propter crimen Iesu maiestatis multa enim contra sororem et rempublicam commiserat, vel, quod magis constabat, propter impurissimos natales excludere. Nun, ex Clementis VII sententia juridica, prætensem Henrici cum Anna matrimonium, et proles ex illa suscepta, expresse definitiuntur esse illegitima. Idemque Henricus postea a perturbatione factus liberior, in publicis regni comitiis decerni curavit, omnesque sibi subditos a jamento, quod Annae Bolene vel ejus soboli prius prestiterant, absolvit jussit: porro contestatus in senatu suorum, Annam illam, nec fuisse, nec esse potuisse uxorem suam, propter certam causam, quam dixit se Cantuariensi episcopo secreto insinuasse. Et licet Henricus anno trigesimo quinto regni sui, impetrata potestate ab Ordinibus nominandi successores suos, voluerit etiam Elizabetham habere in ordine regnandi locum; quod, et illorum comitiorum decreto approbari fecit, ex quo solo parlamentario edicto, et nullo nativitatis jure, ista est postea a decepta imperium, et ita in hunc diem tenet; tamen, nec ab Henrico patre, nec a se ipsa ullo statuum decreto, aut matris cum patre conjunctio, aut natales ipsius fuerunt unquam postea approbati, aut facti legitimati. Quin et Ordines primo anno reginae Mariæ, lege perpetua approbarunt conjugium Henrici cum Catharina, et prolem ex eo genitam, omni divino et humano jure, legitimam fuisse declararunt: omnia contraria Acta, Processus et sententias abrogantes, ac proinde altera cum Anna, Catharina adhuc superstite, vera nuptiæ esse non potuerint; nec ex illis suscepta soboles legitima, nec Anglicani sceptri, secundum leges municipales, quæ spuriis non admittunt, vel natura, vel ulla prerogativa capax esset: quod tamen Senatusconsultum, nec ab ipsa Elizabetha rescissum est haecenus: Quæ licet jus regnandi vendicet, regnumque sibi deberi ab omnibus in primis regni sui comitiis agnosci voluerit; tamen ausquam jus suum naturæ, sed Parlamento adseribit: hoc præterea variis postea decretis cavens, ne quispiam, sub pena capititis attirmet, non esse in potestate principis

¹ Natal. ab Alexan. Hist. Eccles. Secul. 15 et 16. part. I, pag. 231.

et statuum positum, ut quem velint regem designent. De natalibus autem suis probandis aut reformatis nullus sermo, sed altissimum ubique silentium ».

371. Ista ex Sandero Natalis, qui alia etiam ratione excusari posse censem hanc Pii in Elizabetham sententiam: quod, nempe nihil ea novi, sed jura dumtaxat a decessoribus quibusdam suis, Pontificie Sedi attributa, sibi tribuerit; nihilque per hoc derogari existimat Pii Quinti sanctitati quod cum excusare longe facilius et proclivius sit, quam Gregorium Septimum, sanctissimum pariter Pontificem; nam Gregorium Septimum nullum exemplum habuisse dicit, quo regum exauktorandorum potestatem sibi ac Sedi sua tribueret. Gregorii Septimi et aliorum quorumdam post ipsum Pontificium exempla, et inter alia Pauli III in Henricum VIII Angliae regem judicium recens. Pium Quintum prae oculis habuisse existimat: ideoque et ipsius faetum contra Elizabetham juremerito excusandum censem.

372. His ille excusare contendit Pium, quem hujusmodi excusatione minime egere censemus; neque haec ratione excusari Pium voluisse judicium et acta, quibus inconcussum Apostolicæ Sedis jus tuebatur, manifeste perhibent ipsiusmet verba, quibus se unum, tamquam Petri successorem, super omnes gentes, et omnia regna, principem constitutum asserit, ut evelat, destruat, dissipet et disperdat. Hoc jure purgandum erat (si tamen purgatione opus fuisset) Pii factum: ex quo tamen præfatus, jureque, ob haec et alia damnatus scriptor, nolle (dicit) argumentum trahi contra supremam, et a Deo solo dependentem in temporalibus dumtaxat regum et principum supremorum auctoritatem; neque ex eo colligi, Ecclesiæ, aut Romano Pontificie potestatem indirectam in eorum temporalia convenire, qua ob haeresim saltem exauktorari possint. Additque, hanc opinionem in aula scholische Romanis tunc vigentem; et quorumdam, e superioribus Pontificibus exempla secutum Pium V reges haereticos exauktorare se posse existimasse. Quam quidem opinionem Parisiensem Facultatem ac Gallicanam Ecclesiam verbo Dei, cum scripto, tum tradito, respuere ac improbare affirmat.

373. Atmelius procul dubio dixisset, si illam, quam tunc viguisse dixit in aula scholische Romanis opinionem; vel adhuc vigere assernisset, et ipsi quoque olim fidelissime adhæsisse Parisiensem Facultatem et Gallicanam Ecclesiam fassus esset; priusquam videlicet assentatorio aulæ et novatorum ingenio in oppositam se abripi sisisset. Hoc verbo Dei, tum scripto, tum tradito, æquius explicato, fideliusque posteris demandato, magis congruere ingentia volumina ostendunt, pro Apostolicæ Sedis juribus edita; magis quam ea, quæ ad tuendam futilem

ad inventionem Gallici nonnulli scriptores nuper tumentibus verbis congesta ediderunt. Utriusque partis libros consulat, qui utriusque rationum pondus, ac jura, quanti sint habenda, cognoscere cupit. Nobis in libro librum conserbere non vacat, illudque tantum testatum volumus, inconcussæ opinioni, quam Gallicana Ecclesia respuere ac improbare modo dicitur, olim firmiter adhæsisse; adeoque turpius ab ea defecisse, testimonio allato Gallicani Catholici anonymi scriptoris, qui, ex superiorum Gallicorum Catholicorum precepto, in libro¹ *de justa abdicatione Henrici III Gallorum regis*, de qua inferioris, inter alia haec seripsit:

« Jus in Ecclesia reges abdicandi esse cum dicimus, non id volumus quod calumniæ loco nos dicere objiciunt haereticæ, penes Romanum Pontificem, aut qui infra illum sunt, esse, ut principes, arbitratu suo, seu, ut loquuntur, pro animi libidine, dejicere, regni jura immutare, leges abrogare; in eos denique, ut in episcopos et reliquos Ecclesiastici Ordinis homines, plenam et directam jurisdictionem exercere possint. Id volumus, cum ille Christi Vicarius sit, ut videat, ne quid Christo, ne quid ejus Ecclesiae, ac religione injuria fiat; ne quid, vel populi, ac regni, vel regum ipsorum salutem impedit, cuiusmodi sunt haeresis, schisma, perjurium, apostasia, et similia, quæ sine gravi Ecclesiæ detimento in regibus esse nequeunt; id ei licere, ut cum nihil leniter admonuisse profuerit, cum censuras contemni audierit, cum periculum grave Ecclesiæ e tali regimine imminere, deponi denique, et utile, et commodum esse agnoverit, tum populos obedientiae vinculo eximat, detque operam, ut alteri commodiori, gressu a Christo redemptus committatur. Quod jus ei in solos Christianos reges proplea concessum est, quod, ut Gentiles nullo se jure Ecclesiæ subjecerunt: ita et reges Christiani se snaque, hoc est, imperium suum totum submiserunt. Quippe cum non aliter Christianis imperandi jus cuiquam esse possit, quam si regum Regi Christo, ejusque sponsæ Ecclesiæ obedientiam promiserit. Neque vero justius quicquam esse potest, quam ut in quos jus Ecclesia Christi habet, ab iis illa provideat, ne reliquo gregi suo noceatur. Quod ne quis divinitus datum Ecclesiæ esse inficias ire possit, Scripturæ utriusque Testimenti auctoritas, exemplaque, et perpetuus in Ecclesia usus efficiet.

« Ac primum occurrit illa², quæ e veteri Testamento deprompta, jus illud Ecclesiæ in reges, jam ab illo tempore extitis docuerunt. Sic Samuel Saulem³ regem a se institutum prius, quia spiritualem functionem usurpasset,

¹ De just. Henric. III abd. cat. e Francorum regn. lib. IV. Lugduni apud Jo. Pilleotte S. Unionis Gallicane Bibliopolam 1590. Ex precepto superiorum. Lib. I. cap. L. — ² Ibid. cap. vi. — ³ I Regum 13.

quia mandata Dei transgressus esset, quasi excommunicatum, regni jure privavit¹, et in Davidem illud transtulit. Prorsus, ut ab eo tempore quidquid Saul gessit, ut quod sacerdotes Nobe numero octoginta per Doeg Idumaeum interfecit, quod Samuel ac Davidi vitam adimere conatus est, tyramum, non regem se praebuerit; manifestaque ademptae regalis gratiae signa ostenderit. Sic Jeroboam², cum vitulos aureos posuisset, contra eum et dominum ejus tolam. Prophetæ divinum judicium proununtiavit: et ne minigentem quidem ad partem de ea reliquum futurum esse predixit. Sic monente Azaria Propheta³, Asa rex Iuda idola comminuit, et Nachaam matrem, eo quod libidinosum Priapi simulacrum coleret, de angusto imperio deposituit. Sic Oziam Azarias sacerdos, de templo primum, mox etiam de regno ejecit. Sic Athaliam Joiada sacerdos, regno simul et vita privavit. Elias Achabo et Jezebeli in os restitit; Ochosiae duos quinquagenarios, eorumque milites numero centum igne cœlitus immisso perdidit; quadringentos et quinquaginta pseudoprophetas, invitis rege reginaque, interfecit. Hazaelem regem Syriae⁴, Iehu regem Israelis, Eliseum vice sua prophetam instituit, cum ea potestatis significatione, ut qui fugeret gladium Iehu, interficeret eum Eliseus; unde de Elia Sapiens⁵: *Qui dejecisti reges ad pernicem, et confregisti facile potentiam ipsorum, et gloriosos de lecto suo.*

« Apertiora sunt, quæ de nova lege prænuntiata primum, mox in eadem instituta repertioruntur. Priora sunt illa, de futura Ecclesiæ in reges potestate valicinia⁶: *Et erunt reges nutriti tui, et reginæ nutrices tuæ; vultu in terra demissi adorabunt te, pulvorem pedum tuorum lingent; et scies quia ego Dominus.* Et rursum⁷: *Gens et regnum, quod non servierit tibi, peribit.* Et illud ad Hieremiam⁸ insigne: *Eece constitui te super gentes, et super regna, ut erellas et destruas, et dissipes, et ædifices, et plantes.* Et in Psalmis⁹: *Adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes servient ei;* et alibi¹⁰: *Reges eos in virga ferrea, et tamquam vas figuli confringes eos.* Reliqua sunt hæc: Quod Christus¹¹ Petro oves suas (et reges igitur) pascendas commisit; quod claves, ligandique ac solvendi potestatem dedit. Quod D. Paulus,¹² *omnes præpositis subjacere* jussit. Quod idem consuetudinem¹³ eum hereticis interdixerit. Quod iisdem D. Joannes¹⁴, nec Ave quidem dici permisit. Quomodo enim id facere, nisi ab obedientia regis, qui talis quidem esset, absolvere posset? Quam ne spiritualem tantum

postestatem esse quis pule, prodibit mortuus, interepante Petro¹⁵, cum uxore Saphyra Ananias; traditus Corinthius¹⁶ in infernum carnis. Encogniti item, jubente Paulo, Hymenæus et Alexander. Et quod ait idem Paulus¹⁷: *Nescitis quia Angelos judicabimus? Quanto magis sacerdalia?*

« Eodem illa potestatis Ecclesiastice exempla spectant. Ut quod Babylas Antiochenus episcopus, unicum eo tempore Christianum imperatorem, Numerianum Philippum alii¹⁸, alii Decium dicunt, ob perecsum regis ejusdem filium, obsidis loco in federe sibi datum, excommunicavit. Et propter id a Numeriano interfactus, ut Martyr a D. Chrysostomo celebratur, et ab Ecclesia colitur. Sanctus Ambrosius Theodosium, ob eadem Tessalonicae factam excommunicavit, et ad penitentiam inter laicos publice agendam, Mediolani compulit. Innocentius Primus Arcadium imperatorem, ejusque conjugem Endoxiam¹⁹, eo quod episcopo suo S. Joanni Chrysostomo resistenter, eunique persequerentur, imo in exilium misissent, excommunicationis sententia perecessit. Gregorius II Leonem Terrium imperatorem hereticum excommunicavit, et omni, quod in Italia habebat imperio, privavit. Et Zaccharias²⁰, abdicato Childerico, et Gallos a fidelitatis juramento absolvit, et Pipinum in ejus locum substituit. Leo III Pontifex, imperium ab Grecis, ob religionis contemptum, ad Germanos transtulit. Sed et Germani imperatores, ob schismata, hereses et sacrilegia a Pontificibus dejecti saepe numerantur. Cujusmodi sunt Fridericus Primus, Fridericus Secundus, Otto Quintus, Ludovicus Quartus, et famosus ille Henricus Quartus, quem Gregorius Septimus²¹, ob simoniam, homicidia, adulteria et Sodomiticam turpititudinem excommunicavit, et imperio privavit, idem Gregorius Septimus²² Boleslaum II Poloniae regem, ob eadem S. Stanislai episcopi ad Altare sacrum, excommunicavit regisque jure destituit. Qui, et a suis derelictus, imo oppugnatus, in fugam se conjecit, et ad extremum, mortem sibi consecivit. Sic propter haeresim Georgius Boemus rex primum excommunicatus, deinde a rege Hungariae, regno expulsus est. Notandaque omnino Gregorii Magni sententia est, qui in eo privilegio, quod Sancti Medardi monasterio in Galliis concessit, ita decrevit²³: *Si quis regum, antisitum, judicium, vel quarumcumque personarum sæcularium, hujus Apostolicae auctoritatis, et nostræ præceptionis decreta violaverit, cujuscumque dignitatis vel sublimitatis sit,*

¹ Act. 5. — ² 1 Corint. 4. — ³ 1 Tim. 1. — ⁴ 1 Corint. 6, 7.

— ⁵ Videtur fuisse Philippus: Chrysost. in Vit. Babyl. Sozom. lib. VII, c. xxii. Theod. lib. V, c. xvii. — ⁶ Niceph. lib. XIII, c. xxxiv. — ⁷ Zenar. to. 3. Paul. Emil. lib. II, xv, 96, aliud. — ⁸ Tritheor. in Chronic. — ⁹ Cromer. lib. III. — ¹⁰ To. 3 Concil.

¹ Ibid. 15. — ² Ibid. 22. III Reg. 21. II Paralip. 15. II Paralip. 26. — ³ IV Reg. 2. III Reg. 18. IV Reg. 1. — ⁴ III Reg. 18. III Reg. 19. — ⁵ Eccles. 48, cap. vii. — ⁶ Isai. 49. — ⁷ Isai. 62. — ⁸ Hier. 1. — ⁹ Psalm. 71. — ¹⁰ Psalm. 2. — ¹¹ Matth. 6. Matt. 13. — ¹² Hebr. 47. — ¹³ Tit. 3 — ¹⁴ Epist. Joan. 2.

honore suo privetur. Accedit his Concilii Tole-
tani Quarti¹, nobile et merito litteris aureis
consignandum decretum: Sane de futuris re-
gibus haec sententiam promulgamus, ut si quis
ex eis contra reverentiam legum, superba dam-
natione, et fastu regio, in flagitiis et facinore,
sive cupiditate, crudelissimam potestate in
populis exerceret; anathematis sententia a
Christo Domino condemnatur, et habeat a Deo
separationem atque judicium: propterea quod
præsumpsit prava agere, et in perniciem
regnum convertere. De Simithitana vero, qui
propria sceleram metuens seipsum regno privavit,
et potestatis fascibus exuit; id cum gentis con-
sullu decernimus, ut neque cum, vel uxorem
ejus, propter mala quæ commiserunt, neque
filios eorum unitati nostræ inquam consocie-
mus, neque eos ad honores, a quibus ob ini-
quitatem dejecti sunt, aliquando promoveamus.
Quique etiam sicut fastigio regni habentur ex-
tranei, ita a possessione rerum, quas de miser-
orum sumptibus auxerant, maneant alieni.
Quæ profecto sententia tanto ad severitalis
exemplum magis notanda est, quod vel in ejus,
qui se sponte regno abdicasse (quod pœnae
omnis instar videri poterat), tum caput, tum
posteros ac cognatos ita deseruit, ut ne socie-
tate quidem hominum dignos haberi vellent.
Quid enim de perseverante in peccato Patres
illi statuerunt, qui vel pœnitentem, ac se sub-
mittentem, tam anslere punierunt²?

374. Sic ille, verum ac germanum Gallicanæ
Ecclesiæ sensum, quem olim fidelissime secuta
est, perspicue ostendit, eumque, præ altero,
verbo Dei cum tradito, tum scripto, firmatum
demonstrat. Illud quoque adversariorum everlit
vanissimum commentum, Gregorium nempe
Septimum primum fuisse, qui exuctorandi
reges sibi jus usurpaverit: quod et Gregorius
Secundus, et Zæcharias, et Leo, aliisque, qui
Gregorium Septimum longe ante præcesserunt,
idem sanctissime justissimeque jus officii di-
gnitatisque pastoralis proprium exercuerint.

375. Catholicos autem principes commer-
cium cum Elizabetha ideo non abrupisse, ex
præfata Pii excommunicatione, dicendum est;
vel quod licet anathemate ab omnium fidelium
communione disjuncta censenda esset, specia-
lis tamen in Bulla, ut fieri consuevit, de ipsis
mentio facta haud fuerit; vel quod Bulla ipsa
ad præfusos Elizabethæ subditos directa dum-
taxat videretur; colligique posse cognoscitur
ex toto ipsis contextu, in quo, præter illos, qui
ei obsequabantur, nemo commemoratur.

376. Demum, quod nullus ex hac excom-
municatione effectus; imo, quod illa gravissi-
mum Catholicæ religioni damnum attulerit,
licet fateri necesse esset; non tamen hinc rite

Pio detrahendum. « Curam (seripserat olim ad
Eugenium Bernardus¹) exigeris, non curatio-
nem. Denique audisti: Curam illius habe; et
non: Cura, vel sana illum. Verum dixit quidam²:

Non est in medico semper relevetur ut ager.

« At melius propono de tuis tibi; Paulus
loquitur: *Plus omnibus laboravi*. Non ait plus
omnibus profui, aut plus omnibus fructificavi,
verbum insolens religiosissime vitans; alias
autem noverat homo, quem docuit Deus, quia
unusquisque secundum suum laborem acci-
piet, non secundum proventum. Et ob hoc in
laboribus potius, quam in profectibus glorian-
dum putavit. Sicut alibi quoque hahes ipsum
dicentem: *In laboribus plurimis*. Sic ille.
Sicut autem ex eo, quod magis induratum
fuerit cor Pharaonis cum Moyses et Aaron, Do-
mino præcipiente, ab illo obtinere connixi
sunt, ut ad sacrificandum populum Dei dimit-
tere vellent; ac præfeciis operum et ejusdem
populi exactoribus dixerit ac præcepit³: *Nequaquam ultra dabitis paleas populo ad con-
ficiendos lateres sicut prius; sed ipsi vadant, et
colligant stipulas. Et mensuram laterum, quam
prius faciebant, imponetis super eos, nec minuetis
quidquam: vacant enim, et idecirco vociferantur,
dicentes: Eamus, et sacrificemus Deo nostro.
Opprimantur operibus, et expleant ea, ut non
acquiescent verbis mendaciis*. Ha plane, quod
vaferima mulier, Catholicos magis opprimere
contenderit, ac eorū ejus, eo amplius fuerit
obduralum in eos, ut minime acquiescerent
verbis Romani Pontificis; non huic, qui juxta
canonicas sanctiones, quodammodo Domino
præcipiente, in illam invectus fuerit; sed illius
polius pervicacie crimen id tribuendum; uti
non Moysi ac Aaron, sed Pharaoni dandum,
quod tidelem populum tot oneribus ac ærumnis
depresserit. Nec a rei exitu, sed a re ipsa res
pensanda cognoscitur. Quidni, si cum Ambro-
sius, ob Thessalonicensium cædem, magnum
illum Theodosium anathemate pereussit, hic
rem ægre ferens in Ambrosium ipsum ac
pastores cæteros sæviisset; criminis forsitan ex
rile lato anathemate coarguendus esset Ambro-
sius? vel e contra Ambrosius tantum ex hoc lau-
dandus perhiberetur, quod Theodosius jusle contra
se latæ excommunicationis sententiæ, sese
animò piissimo subjicerit? Non incerto igitur
rerum exitu, qui ut plurimum, incertam etiam
providentiam nostram latet, res judicandæ, sed
in iis ipsis polius earum meritum, aut vitium
explorandum, unde vel vituperari, vel dignis
commendationibus exolli mereantur.

377. Alia insuper ratione Pii factum purgare
contendit, qui⁴ *Libellum de Justitia Britannica*

¹ De Consid., lib. 4, cap. 5. — ² Ovid. p. de Ponto Eleg. 40.

— ³ Exod. c. 5. — ⁴ Lib. de Justit. Britannic. impress. Ingol-
stad. ex officina Typograph. David. Sartonii anno MDLXXXIV.

Iuculenter conscripsit. Cum enim de illis agit, que post Bullam in Angliam a Mortonio, ut diximus, delatam, de qua mox verba facit, acciderunt, ejusque infelici exitum refert; inter alia haec habet:

« Qua denuntiatione multi nobiles viri adduci sunt, ut non solum sibi ipsis consulere, verum etiam de fratribus ab hereticorum tyrannide liberandis cogitare auderent. At sperabant illi quidem Catholicos omnes, tam pio instituto, summis viribus affuturos esse; verum etsi aliter quam illi expectabant res evenit, vel quia Catholicie omnes nondum prole cognoverant Elizabetham jure publico haereticam declaratam esse, vel quia Deus tam gravem ejus regni defectionem, gravius punire decreverat; tamen illorum nobilium laudanda consilia erant, quae certo suo eoque felici successu minime caruerunt. Quanquam enim omnium fratrum suorum animas, ex schismatis puto educere non potuerunt, tamen et ipsi fidem Catholicam egregie confessi sunt, et multi eorum animas pro fratribus qui summus est charitatis gradus posuerunt, et reliqui scipso, tum ex peccati servitute in liberatem vindicarunt eam, qua Christus nos liberavit. Exhortatus fuerat olim D. Bernardus Christianos ad iter Hierosolymitanum, nec tamen ex illa profectione Orientalis Ecclesia liberata est, sed ii potius qui fratres suos a Saracenorū jugo eripere conabantur, gloriosam ipsi mortem oppeterunt. Accidit autem (ut refert Godfridus monachus Clarevallensis in lib. 3. Vitæ S. Bernardi, cap. 4., ubi primum, de Christiani exercitus dissipatione lamentabilis intra Galliam insonuerat rumor, ut illuminandum Dei famulo filium cœcum offerens pater, multis precibus vineceret excusantem. Et imponens sanctus puer manum, orabat ad Dominum, quatenus si ab eo verbum prædicationis illius exieret, si prædicanti spiritus ejus affuerat, in illius illuminatione ostendere dignaretur. Dum vero post orationem, orationis præstolaretur effectum: Quid facturus sum? ait puer; video enim. Attollitur illico clamor astantium. Plures enim, non modo ex fratribus, verum etiam ex saecularibus aderant, qui ut puerum videre videntem, multipliciter consolati, Deo gratias referebant. Paulo ante vero idem Godfridus, de eadem re præclare scriptum reliquit in hæc verba: Quod placuit Deo tali occasione plurimorum eripere, si non Orientalium corpora a Paganis, at Occidentalium animas a peccatis, quis audeat dicere illi: Quid fecisti sic?

« Quæ verba in eum finem retuli, ne quis ex solo eventu externo rem totam metiatetur, cum multa sepe divinitus, ob occultas quidem, sed tamen gravissimas causas fiant, de quibus homines judicium ferre non possunt.

« Nam si Deus illam Hierosolymitanam

expeditionem, que infeliciter successit, tamen per miraculum a se protectam esse declaravit; quis nunc, nisi consiliorum divinorum ignarus, dicere audeat, illam fidei confessionem, quam nobiles quidam Angli armati ediderunt, a Deo protectam non esse? Sic ille.

Verum, cum ad rem religionis maxime pertinuerit, ut Bulla haec, quam antea Mortonus, ut ostendimus, per paucis Anglis proposuerat, omnibus innotesceret; idecirco Pontifex provinciam hanc præ aliis Albano duci, Belgii gubernatori committendam ratu, una cum ejusdem exemplari, ad ipsum sequentes litteras¹ misit:

« Dilecto filio, nobili viro, Ferdinando Duci Albae,

PIUS PP. V.

« Dilecte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Pro commisso nobis, quamvis indignis, ob Omnipotenti Deo Apostolicae gubernationis officio, Anglorum regnum, quantum in nobis est, ex impudenti heretice feminæ dominatu eripere, atque ad nostram hujusque S. Sedis obedientiam revocare, in eodemque regno Catholicorum animos confirmare, haereticos deterrere cupientes: Litteras Apostolicas, sub plumbo, adversus eam, quæ se pro Anglia regina gerit, super edidimus, quas una cum his litteris ad te mittimus, nobilitatem tuam fortantes, et in Domino vehementer obsecrantes, ut eas in ista provincia, quæ fidei tuae regenda est commissa, præcipue autem in locis maritimis, quorum cum Anglicis hominibus, illue mercatura causa commendantibus, major solet esse communio; adhibita per idoneos homines, ea quam speramus diligentia, publicandas promulgandasque curet; ut ex ejusmodi locis, Angliae vicinis, carumdem litterarum facilius ac celerius fama, eo, quo cupimus pervenire possit. Quia in re, etsi te tua sponte facturum esse id quod et rei magnitudo postulat, et tuo Catholicæ religionis ardentissimo perspectissimoque nobis studio dignum est, comperimus habebamus; tamen devotorum Ecclesie filiorum affectum, paternis vocibus augeri scientes, speravimus nobilitatem tuam, nostra paterna hortatione excitatam, idem alacriori promptiorique animo facturam. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xxx Martii mcccxx, Pontificat. nostri anno quinto».

378. *Feltonii invictum animi robur, tum in Bullæ affirzione, tum in diræ mortis perpassione.* — Pii desiderio iniuste Albanum detuisse, quæ subsecuta sunt manifeste declarant, narratque his verbis Sanderus², cum de Pii Bulla, ac Joani-

¹ Ex Archiv. Vatic. ut supra. — ² Sander., lib. 7. de Visib. Monarch., et in libro concer. Eccles. Cathol. in Angl., p. 2, p. 42.

nis Feltonii, ob ejusdem publicationem, gloriose martyrio agit: « Hanc sententiam cum Pius V Romæ typis mandari jussisset, voluisseque ut eorum litterarum exempla, notarii publici manu et prælati Ecclesiastici, ejusque curiae sigillo obsignata, indubitate fidem in judicio, et extra illud, ubique gentium facerent; ita divinitus comparatum est, ut exemplum quoddam hujus declaratoriae sententiae in Angliam ad Joannem Feltonum deferretur, virum, et generis nobilitate satisclarum, et animi fortitudine multo clariorem. Is enim Catholicae fidei studio zeloque adductus, cum paene desperatam patriæ suæ valetudinem, non nisi acerbissima aliqua medicina restitui posse animadverteret, noluit committere, ut haec sententia Summi Pastoris cives ac proximos suos lateret. Itaque anno Domini M.D.XX, in ipso Corporis Christi Festo, dictam Pii V sententiam in civitate Londinensi, ad tores episcopi, juxta summum templum publice affixit. Steterunt Litteræ in loco publico, sub clara luce paene usque ad horam octavam sequentis diei, et a plurimis visæ, a nonnullis etiam transcriptæ esse dicuntur. Et alius quidem, qui Feltonio eas litteras affigenti adstabat, cum ex insula profugeret, admonuit Feltonium, ut sibi quoque per fugam consuleret. Feltonius recusavit id facere, contestatus se in omnem eventum, per Dei gratiam, paratum fore. Cum vero de hac re diligentissime quareretur, Joannes Feltonius tandem apprehensus, dignum se Jesu Christi et primatus ab eo instituti testem exhibuit. Interrogatus enim, quid sibi videretur, de his litteris, paululum cunctatos, tandem respoudit: *Si vere Pii Quinti Pontificis Maximi Litteræ essent, merito sibi eas venerandas cideri. Se enim agnoscere illum esse Jesu Christi Vicarium in Terris. Quia confessione facta, primum in vincula ductus, ac deinde in judicium Duodecimvirale productus est, ubi de Litterarum ejusmodi affixe palam interrogatus: Ego, inquit, libero vos omni ulteriori sollicitudine et labore, meque fateor hisce Litteris affigendis operam dedisse. Mox ubi acclamatum esset Feltonium esse insignem proditorem, omnium judicium sententiis condemnatur.*

« Die igitur octavo mensis Augusti, ad supplicium trahendus in ipso carceris vestibulo, vestem holosericam, qua induebatur exuens, ad populum adstantem dixit: *Se ob fidem Catholicam mori, eo quod Summi Pontificis primatum confiteretur, negaret vero prætensem reginam, sumnum Ecclesie caput esse. Moxque in cratem injectus, conjectis oculos in Cœlum, et Psalmos Penitentiales intentissimo studio recitavit. Ubi ad locum supplicii ventum erat, ex crate levatur; cumque pavorem mortis aliquem sibi obrepere sentiret, seipsum allocutus: Quis hoc est, inquit, Feltoni? An mortem times?*

Moxque scalam jussus descendere, illam jamam in conspectu habuit, in qua sententiam Pii V attixerat, et manu ad illam extenta: *Vere, inquit, ibi Litteræ Pontificis Maximi, contra prætensem reginam propositæ fuerint; et nunc pro fide Catholica mori paratus sum. Interpellasson eum, qui aderant, et admonuerunt, ut veniam a regina peteret; quibus ille ait: Non læsi eum; sed si quem læsi, ab illo, inquit, atque ideo ab omnimundo veniam peto. Ita cum oculos ad Cœlum levaret, ac in Dei manus animam fidem commendaret, torque in collum injecta, de scala dejectus est. Ubi eum aliquantulum pependisset, funis præscindi jubetur, ut vivus adhuc reliqua tormenta subiret. Cui vero id officii commissum erat nonnulli moratus dicitur, ut pœna hominis pareceret. Verum, urgente magistratu, vivus in terram demittitur. Ibi amputantur virilia, et in ignem propositum conjiciuntur. Tum autem venter aperitur, viscera eruuntur, ipsum cor effunditur, ac neque adhuc finis; nam, et caput præscinditur, et membra in partes quatuor dissecantrur. Quo spectaculo, ac præsertim tanta nobilis viri constantia, sic animi hominum commoti sunt, ut nulla res æque, aut fidem Catholicam promovere, aut prætensæ reginæ causam lædere potuerit ». Sic Sanderus.*

379. Et certe haereticos ipsos Joannis Feltonii invictum animi robur miratos esse, ex his, quæ Camdenus¹ dicit a estimare est: « *Deprehensus (inquit), cum fugere nollet, in judicium vocatus, intrepido animo factum confessus, etc.* » Quisnam vero fuerit, qui Pontificiam Bullam affigenti Feltonio astilit, ac deinde sibi fuga consuluit, Sanderus ipse in Epistola hoc ipso anno ad cardinalem Hispum Lovanio scripta² his verbis innuit: « *Qui erat a sacello Hispaniarum regis in Anglia oratoris, cum sententiam Suæ Sanctitatis contra Elizabetham paulo ante editam in loco publico affigere in animo haberet; in consilium adhibuit nobilem quemdam virum ac præstantem Catholicum, cui nomen erat Feltonius.* » At nomen prodit Polinus³, qui seribit sacellarium hunc fuisse Petrum Bergam, natione Laletanum, ac Ecclesia Tarraconensis alumnum, qui Pontificie sententiæ exemplaria, ab Albano, jussu Pii, ad dominum suum Hispanum oratorem forte missa, haec ratione obtinere, ac egregium cum Feltonio facinus meditari potuit.

380. *Gravi terrore percutitur Elizabetha ob sententiam a Pio latam.* — Cæterum haeretici palam, ut ipse Polinus⁴ ac Sanderus⁵ tradunt, ut puerorum terriculamenta, Pii sententiam, se

¹ Camden., ut sup., p. 197. — ² Apud Rese. in Chalaris, p. 497. — ³ Polin. histor. Eccles. Angl., lib. 3, p. 467. — ⁴ Polin. ibid., p. 467. — ⁵ Sander. de Schism. Anglie, lib. 3, p. 428.

prorsus contemnere simularunt; ideoque eam, tanquam vanum verborum fragorem contemptam fuisse Camdenus¹ scribit. Verum paulo post sibi ipsi contrarius², variis ex ea ac Norfolciis conjuratione suspicionibus, Elizabetham excommunicatam fuisse, ac legationem ideo ad captivam Scotorum reginam, ut infra videbimus, decrevisse, affirmat. Et revera, ut Sanderus refert³ confirmatque Polinus: « Fortissima illa perpessione sua Feltonius omnium Calvinistarum animos ita percussit et fregit, ut non fuerit dubium, quin ab ulla spectaculo victi discesserint. Imo celeberrima hujus nobilis viri morte, tam aperte sententiam Pontificis promulgatam fuisse dicit, ut nemo exinde, quod juste obtenderet, habiturus videretur. Confirmansque⁴ quae de Elizabetha Camdenus innuit, de illa ac una sectariis aliis haec profert: « Si- eut enim de Saule legitur, quod post auditam Samuelis sententiam, spiritus timoris ac vexationis, furor etiam et incredibile odium in sacerdotes Dei perturbatum ejus animum invasit; ita etiam in istis contigit, ut ex illo die nunquam animo quiescere potuerint, quod Ecclesiae Catholice semper exinde crescentis augmentum non minori eos molestia affecit, quam Saulis animum Davidis prosperitas affligebat. Illud autem in primis eos male habuit, quod hoc judicium, non ab alio Pontifice profectum sit, quam ab eo, qui omnium bonorum calculis sanctissimus, et ipsorum Protestantium opinione in optimis multorum sæculorum Pontificibus, habebatur ». Addit Polinus⁵, immenso propemodium dolore præ aliis a Pii sententia Elizabetham pereculsam, quod tantam Sanctissimi Pontificis in animo existimationem haberet, ut, et electionem illius in summum Ecclesiæ Pastorem divinitus factam censeret, et supra humanas vires se illius vitam exercere existimaret.

381. *Pii studium pro confirmatione et executione Bullæ.* — Verum præ cunctis, quæ tum conceptam ex Pii anathemate immensam ab Elizabetha formidinem manifestant; tum veritatem eorum, quæ Sanderus⁶ monumentis mandavit, astruit; detegitque demum hereticorum scriptorum inane commentum, quod, nempe sectarii idem: « Licet ista se prorsus contemnere simularent, revera tamen, de rei eventu, quæ ex omni antiquitatis memoria luctuosum fore esse cernebant, vehementer dubitantes, dicebent secreto Romæ, per quosdam magnos viros, de sententia revocatione plurimum, sed frustra laborasse ». Horum, inquam, veritatem præ aliis illud perspicuum reddit, quod revera, Elizabetha, ad imperatoris Maximiliani opem

¹ Camden, ut sup. p. 197. — ² Ibid. p. 199. — ³ Sander, ap. Resc. ut sup. Polin, ut supra. — ⁴ Sander, de Schism. Anglie, ut supra, lib. 3, p. 428. — ⁵ Polin, ut supra. — ⁶ Sander, de Schism. Anglie, lib. 3, p. 428.

confugerit, ut eo videlicet agente, Pontifex sententiam revocaret. Tantum enim periculi, ex illa ut dicebamus sibi metuit superba mulier, adeoque animo dejecta est; ut nolens licet et invita, illius tamen, quem aspernari ostentabat, misericordiam deprecari coacta fuerit. Castigata tamen, sed non mortificata, precibus minas miscent; que omnia mediatoris officio funetus Maximilianus, ad Pium detulit. Verum hic, nec minis territus, nec ficta ac coacta humiliatione commotus, sequens Maximiliano responsum reddidit, quod quanvis anno dumtaxat sequenti fecerit, quod serius Maximiliani preces ad Pium delatae fuerint: ad ea tamen, quæ hoc acciderunt, jure optimo referendum videtur. Scribit igitur⁷:

— Charissimo in Christo filio nostro, Maximiliano, Hungarie et Boemie regi illustri, in Romanorum imperatorem electo.

P. V. ANNUS 5.

« Charissime in Christo fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Majestatem tuam ea quæ agit, bono animo prudentique consilio agere non dubitamus; nec aliter de quovis Christiano Catholicoque principe, nedum de majestate tua judicare debemus. Verumtamen, quod litteris tuis xxviii die Septembbris datis, qua sero admodum, nec prius quam hieri accepimus, majestas tua a nobis postulavit, ut sententiam et excommunicationem adversus Elizabetham, prætensam Angliæ reginam, superiore anno a nobis promulgatam, revocemus. Id ejusmodi est, ut quanquam in ea re majestati tuae, de nobis rerumque Christianarum statu sollicitæ, gratias agere debeamus et agamus: tamen quamdiu prædicta prætensa regina, ab Ecclesiæ Catholice corpore, atque ab hujus Sanctæ Sedis communione, a qua ipsa se abscedit, separata permanserit; sententiam et excommunicationem contra ipsam latam revocare nullo modo posse videamur, quam, multis bonis Catholicisque viris a nobis poscentibus, adversus eam publicavimus. De qua quidem sententia, cur tantopere labore, satis intelligere non possumus. Nam si sententiam excommunicationemque nostram magni aestimat; cur ad sanctæ Matris Ecclesiæ gremium, a quo discessit, non revertitur? Si vero eam nullius momenti esse existimat; cur de ea tantopere laborat? Nam quod ad ejus minas, et in nos odium pertinet, tantum abest, ut id vel pertimescamus, vel vitare velimus, ut si illud profundendo nostro sanguine explere posset, multo id nobis gratius acceptiusque futurum esset, quam Pontificatus ipse, quem ab Omnipotenti Deo, quanvis meritis imparibus, acceptum gerimus. Temporum autem conditio, quæ a majestate tua, non

⁷ Ex Regist. Epist. P. V. Archiv. Vat. To. 2912, p. 283.

minus amanter quam prudenter consideratur, et si apud prudentes quosque suam vim habere debet, tamen apud nos non debet esse tanli ponderis, ut quidquam admittamus, quod divine Majestatis oculos offendere, hujusque Sanetæ Sedis majeslatem imminuere possit. De ipsa autem sententia, adversus eamdem prælensam reginam publicata, præterea non imprimenda, quod hucusque factum est, id revocari infectumque fieri non posse, majestas tua intelligit; ne autem posthaec imprimatur, id omnino non est in nostra manu. Cæleris rebus, si quid majestati tuae cum Domino gratificare poterimus, nulla unquam, quantum in nobis erit, paternæ nostræ voluntatis indicia ab ea desiderari patiemur. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die quinta Januarii, millesimo quingentesimo septuagesimo primo, Pontificatus nostri ann. quinto ».

382. Optime norat Pius iniquum feminæ ingenium; nec ab aerioribus remediis cum ea abstinendum, quod aliqua ex hoc spes effulget, a flagitiis se deinceps temperaturam: ideoque in sententia perslitit, ex qua commoto populo, si a Catholicorum procerum aliquo in Elizabetham tune arma mola sumptaque essent, nulli dubium (inquit Polinus¹) quod in summum ipsa discrimen fuisset adducta. Quod quidem ipsa perspicue agnoscens, adeo laboravit, ut audisti, ut Pontifex prolatum in se anathema, vel revocaret, vel typis edi non sineret, vel edita ejus exemplaria vulgari minime permitteret.

383. *Omnem operam impendit Pontifex in succurrentis Catholicis.* — Quo tempore autem Pius apud Albanum egerat, ut Bullæ in Anglia publicatione, Elizabethæ contra fidem Catholicam ausus coerceretur; nullatenus curare prætermiseral, ut ipsemel opportuna Catholicis contra illius tyrannidem auxilia præberet: nec iis contentus, quæ ad Philippum Hispaniarum regem scripsisse paulo ante retulimus, ad eumdem Albanum hæc seripsit¹:

« Dilecto filio, nobili viro Ferdinando Duei Albæ.

PIUS PP. V.

« Dilecte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

« De motu rerum Anglicarum, a Catholicis ejusdem regni contra hereticos, atque adeo contra illam, quæ se pro Angliæ regina gerit, excitato, certiora et majora in dies cognoscentes; pro susceplo Apostolicæ servitutis officio, anxiò et sollicito animo esse cogimur de illorum salute, qui pro restituenda in eo regno Catholica religione, non minus piis quam justis armis susceptis, periculum fortunarum et ca-

pitis sui, pro Dei omnipotentis causa, neglexerunt. Quia vero, propter istius cui præes regionis cum eo regno vicinitalem, te unum maximè omnium Anglorum copias multis modis juvare posse intelligimus, idecirco nobilitatem tuam hortamur, et quo majore animi nostri studio possumus, rogamus, ut si hoc charissimi in Christo filii nostri studio possumus, rogamus, ut si hoc charissimi in Christo filii nostri Hispaniarum regis Catholici voluntate et communodo facere potest; quidquid ad eas ipsas copias, vel tuendas, vel augendas, vel adjuvandas conferre valet, id ne prætermittere velit. Ut enim, si eorum, qui ferre auxilium possunt, subsidio destitulæ fuerint; periculum est, ne vel ab adversariis opprimantur, vel per se ipsæ dissipentur: sic eliam, si adulæ fuerint, sperrandum est per eas in regno illo religionem Catholicam restitui posse. Quæ res, si, Deo in primis adjuvante, leque omnibus quibus potes rebus adnitente, acciderit; vides ipse, quantam ex ea re, quanque solidam veramque gloriam sis consequentur. Quod nisi res ipsa, per se salis loqueretur, pluribus verbis tecum ageremus: sed quia, et hæc ipsa quæ diximus, et cætera quæ in eamdem sententiam dici possent, nobilitati tuae, pro sua prudentia et maximo rerum usu, perspectissima esse scimus, ipsamque ad bene de religione Catholica merendum, satis sua sponte incitalam esse intelligimus: idecirco non dubitamus, eam libenter et promple, quidquid poterit, pro fidei Catholicæ causa facturam; in eaque re nullum, neque nostris, neque cujusquam hortationis locum reliqueram. Quod ut facial, pro nostro tamen officio, vehementer in Domino rogamus. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die iv Febru. MDLXX, Pontificatus nostri ann. quinto».

384. Videtur autem hæc a Pio scripta Epistola (que apud Goubau, ut vidisti, die iv Februarii, in Regesto vero Archivi Valicani, sub die in ejusdem mensis data legitur), ad Albanum, ut suppetias præcipue ministraret Thomæ Comiti Northumbriæ, et Carolo Westmerlandiæ, qui anno præterito, ut vidimus, pro Catholica religione asserenda, in Elizabetham insurrexerant. Hi enim de susceplo egregio facinore statim Pontificem certiores reddere, præcipue per Robertum Rodulphum Patrilium Florentinum, jam e carcere liberalum, curarunt; ut, pro assuela benignitate Pius eis auxilio non decesset. Omnem opem pro viribus se eis Pontifex allaturum respondit; verum ejus litteras in Regeslo Valicano, nec alibi reperire potuimus. Idecirco illas tantum dabimus, quas haud multo post scripsit ad eosdem, in quibus, quæ antea ad ipsos miserat, memorat, et sic se habent¹:

¹ Polin, ut supra. — ² Epist. apud Goub., lib. 4. Epist. 36, p. 363.

¹ In Reg. Valie. et apud Goubeau Lib. IV, Epist. 10. p. 290.

« Dilectis filiis, nobilibus viris Thomæ Nor-
thumbriae et Carolo Comiti Westmerlandiae.

PIUS PP. V.

« Dilecti filii, nobiles viri, salutem et Aposto-
licam benedictionem.

« Ex litteris vestris vii Novembbris die ad nos
datis, quibus xvi Februarii ad nos allatis subito
rescripsimus, istius florentissimi regni miseras
et calamitates, ne antea quidem nobis incogni-
tas, certius subtiliusque cognoscentes, eo animi
dolore affecti sumus, quem, et eorum malorum
quæ in vobis patimur indignitas, et paternus
nosler erga vos, caelerosque Catholicos in isto
regno viros animus noster afferre debuit. Nam
præter illud commune pastoralis charitatis offi-
cium, quo in omnium Christifidelium, singula-
rumque provinciarum, in quibus nomen colitur
Christianum, salute vel calamitate, lætari aut
dolere debemus, præcipua quadam amoris be-
nevolentiaque prærogativa, erga istud regnum
afficimur, quod beatissimi Gregorii, Romanj
Pontificis prædecessoris noslri, post Deum Om-
nipotentem, opera alque industria, a cultu ligno-
rum ac lapidum, aliquando ad Christianam
fidem conversum, moribus doctrinaque Catho-
lica, per idoneos viros isthuc ab eo missos ins-
titulum esse meminimus; quodque egregiam
fidem, devotionisque sinceritatem, Apostolicæ
Sedi præstare consueverat. Itaque, quantopere
vestris regnique istius malis his, quæ eisdem
litteris, non minus vere quam miserabiliter
deploravistis, doleamus ac conturbemur. non
facile verbis consequi possemus. Dolemus tot
tantaque nefariarum hæresum venena, tamque
mortifera Reipublicæ Christianæ vulnera, in
nostri Pontificatus tempora potissimum inci-
disse. Conturbamur, quia de vestro cæterorum
que Catholicorum periculo solliciti esse cogi-
mur: sed tamen cum ejus orationis efficaciam
recordamur, qui pro B. Petro, ne ejus desiceret
fides, rogavit; quique Ecclesiam suam in tri-
bulatione dilatans, eo admirabilius occulti sui
consilii providentia gubernat, quo magis eam
perurbationum fluctibus cernit agitari; non
desperamus quin, quod aliis temporibus factum
esse accepimus, idem nostris quoque, adjuvante
Domino, fieri possit: ut quæ hæreticorum in-
valescente persecutione saepè visa fuerit con-
culcari; hæc eadem, Domino cum ea signum
in bonum faciente, in antiquæ felicitatis statum
redeat; et in eo incrementum accipiat, in quo
visa sit detrimentum pertulisse. Eece enim
nunc, qui, ex veteribus nova, et ex novis vetera
facit Dominus noster Jesus Christus, per vos
clarissimos viros, non minus generis nobilitate
quam Catholicæ pietatis studio insignes, vele-
rem Ecclesiæ Romanæ regnique istius conjunc-
tionem renovare et confirmare fortasse consti-
tuit; ac propterea mentem istam vestræ fidei

Catholicae zelo dignissimam vobis injecti, ut
vos regnumque istud, ex turpissima muliebris
libidinis servitute creptum, ad pristinam hujus
sanctæ Romanae Sedis obedientiam revocare
tentaretis. Quem quidem pius ac religiosum
animi vestri conatum, sicut æquum est, debitum
in Domino laudibus commendantes, et ea, quam
petitis, benedictione nostra prosequentes, no-
bilates vestras, ad nostram hujusque sacro-
sanctæ Sedis cuius se auctoritati subjiciunt
potestalem tutelamque confluentes, ea qua
decet benignitate recipimus atque excipimus:
horantes vos in Domino, et quo majore possu-
mus, animi nostri studio rogantes, ut in hac
lam egregia voluntate laudabilem instituto
vestro signanter perseveretis, pro comperto
habentes; Omnipotentem Deum, cuius perfecta
sunt opera, quique vos ad bene de religione
Catholica in isto regno merendum excitavit,
vobis auxilio suo affuturum. Quod si etiam in
asserenda Catholicæ fidei, hujusque Sanctæ Sedis
auctoritate, mors esset vobis appetenda, pro-
fundendusque sanguis, multo præstat, pro
Dei confessione, gloriosæ mortis compendio ad
eternam vitam convolare, quam turpiter et
ignominiose viventes, impotentis feminæ eu-
pidilati, cum animæ vestræ detrimento servire.
Nolite enim putare, dilecti filii in Christo, male
cum illis, vel episcopis, vel principibus istius
regni Catholicis, quos nominatis, actum esse,
qui, quoniam a fidei Catholicæ confessione de-
ficere noluerunt, aut in carceres conjecti, aut
aliis suppliciis immerentes effecti sunt: horum
enim constantiam, etiam nunc recenti, ut arbit-
ramur, beati Thomæ archiepiscopi Cantuariensis
exemplo confirmatam, nemo satis pro digni-
tate laudare potest. Hanc eamdem vos quoque
imitati, forli constantique animo estote, nec
ullorum periculorum denuntiatione aut minis
ab incepto desistite: polens est enim Deus, in
quo spem vestram repositam habere debetis,
qui Pharaonis currum et exercitum ejus pro-
ject in mare, adversiorum suorum vires po-
tentiamque frangere: sie, ut per vos pristina
religio, et antiqua dignitas isti regno restituatur.
Quod quidem ut fiat, nos non solum his,
quæ postulastis, apud eos, quos vultis Chris-
tianos principes fungendis officiis adjuvabimus;
sed etiam ea pecuniae summa, in præsentia
conferenda, quam, pro nostris viribus, petenti-
bus vobis suppeditare poterimus, quemadmodum
a dilecto filio Roberto Rodulpho, clarius
et copiosus intelligentis; daturi quoque operam,
ut aliquanto etiam majorem, quam quantum
virium nostrarum imbecillitas ferre potest,
conferamus; pliisque conatnm vestrum, om-
nibus, quibus cum Domino poterimus, rebus
facultatibusque nostris, prompto atque alaci
animo adjuvemus. Datum Romæ apud S. Pe-
trum sub annulo Piscatoris, die xxii Februa-

rii M^{OL}XX, Pontificatus nostri anno quinto ».

383. At, cum anno præterito dictum sit, Pontificem anterorum nummum centum quinquaginta milia Rodulpho curasse, ut Catholicorum conatibus, contra Elizabetham adesset; eoque subsidio Rodulphum primum carcere præpeditum, Catholicis subvenire non potuisse; deinde tamen certam ejusdem pecuniae partem illis dinumerasse, qua munitis in locis, et propugnaculis sustentare se ipsos possent; aliam inde partem Norfolcio duei, altam vero aliis, ut in sententia persisterent, impendisse; dicendum videtur, ea summa minime illam comprehensam, quam in præsentia se præstissette Rodulpho Pontifex diebat. Sed audiendum, quod de ejusdem Rodulphi legatione ad Pontificem, Gabutius¹ narrat:

« Ceterum, ut optimis quibusque fundamentis ea niteretur conjuratio, Rodulphum conjurati cum mandatis legarunt ad Pontificem, cui omnia, quod in ipsis erat, comparata esse remunariet; ut, et vindicande religionis negotium, et suam in sedem restituendae Scotorum reginae causa susceptum conficeretur; eaque ipsi Norfolcio Duci, in matrimonium collebaretur. Ac Pto suggereret, incitandum esse regem Catholicum, ad ea quæ poscebant conferenda subsidia ». M Pius, rerum serie optime perspecta, eademque probata, Rodulphum per causam offerendæ de fœdere pactionis, ad Hispanie regem cum litteris misse, anno sequenti dicendum erit, quo etiam Epistolas dabitimus hac de re, tum ad Scotie reginam, tum ad ipsum Hispaniarum regem ab illo scriptas.

386. Perspicue autem apparet, ex allata Pii Epistola ad comites Northumbriae ac Westmerlandiae, cum eam scripsit Pontifex, nondum sibi innotuisse, fraude Nothi Moraviae Comitis, ut dictum est, Northumbrium captum, ceterorumque Catholicorum conatus ejusdem insidiis fuisse compressos. Quibus tamen cognitis, certum est, minime Pium animo concidisse; imo quo majori in dies expositam in Anglia et Scotia discrimini fidem Catholicam agnovit; majori etiam eam conatu ipse relevare contendit; ut, tum quæ innuimus, tum quæ infadicentur, manifeste monstrabunt.

387. *Elizabethæ in Scotos crudelitas.* — Eo tamen processerat in Elizabethæ tyrannidem odium, ut licet toties tantisque modis prostrati subditi, tamen, utdurissimum jugum excuterent, nova rursus moliri nullatenus prætermitterent. Ideoque nobiles etiam quosdam Norfolcianos, de duce suo, quem in carcerem præterito anno Elizabethæ jussu conjectum narravimus, liberando, consilia agitasse, narrat Camdenus: ut, cum populus, nimirum, ad nundinas Harlstonie confluueret, clangente tuba mul-

titudinem cogereut, colore quæsito expellendi ex Anglia Belgas, qui magno numero¹, propter Albani severitatem, in illam oram sese receperant. At ex his aliquot in judicium tractos, et læse majestatis damnavatos, de tribus tantum supplicium fuisse sumptum, auctor idem scribit. Quod, nempe, magnæ ac insigni Elizabethæ clementia tribuit, utpote quæ paucorum supplicio, multorum potius emendationem quam vindictam exquisierit. Verom, quæ mox egit, oppositum potius docere videntur; quod ipsa, videlicet, potius quam nocentes dimiserit, in tribus illis extrema pœna affectis, injuste innocentes oppresserit, ad id, non seeleris probatione, sed suspicionibus dumtaxat adducta. Quo enim pacto, si tam atrocem propter Norfolcum conjurationem in se constructam vere detexisset, codem ferme tempore Norfolcum ipsum, Iberiori custodiæ, ex aree Londinensi, ut idem scriptor refert, in proprias sese ædes recipere, Elizabetha eadem permisisset, ac libera maximam conjuratorum partem abire passa esset? Inconsultam hanc agendi rationem, sanæ mentis neminem Elizabethæ rite tribuere posse, in comperto est. Ad quod adstruendum, illud pariter facere videtur, quod inconsiderate paulo post scriptor idem² tradit: « Non defuisse, nempe qui Norfolcum, composite jam liberatum existimarent, ut in maius discribent impelleretur. Nam plura certe quam ille suspicabatur, postea in dies diluxerunt tide eorum, qui illi ab intimis consiliis erant, spe aut corruptela labefactata ». Quo ostendatur, suspicionibus magis quam evidentissimis probationibus, uti oportebat, res tunc ad Norfolcum pertinentes, ab Elizabetha gestas. Norfolcius tamen, liberiorem hanc custodiæ promeruisse ab ipso Camdeno dicitur, quod per imprudentiam se lapsum confessus esset, pœnitentiâque tantam præ se tulisset, ut non solum animus a nupsiis, sed aures ab earum commémoratione abhorrerent, fidemque scripto obligasse, de matrimonio cum Scotorum regina, Elizabetha inconsulta, nihil jam sibi futurum. Subindeque subjungit Camdenus idem, Caecilium, de quo pluribus infra, ducis studiosum sategisse, ut ille aliquam aliam matrimonio sibi conjungeret, quo minus ab eo jam inde timeretur, et publicæ tranquillitatì consulteretur. At cum horum veritati, Camdeno fideliiores alii scriptores, minime adstipulentur, merito penes auctorem ipsarum fidem relinquisimus.

388. Comprobat autem, quæ paulo ante diximus, videlicet, omnia tunc non jure, sed suspicionibus, quæ ab Angla a malo spiritu exagitata gerebantur inniti, Camdenus³ ipse,

¹ Gabut, Vita Pii, lib. 3, c. 9, p. 105.

² Camden, ut sup. p. 196. — ³ Ibid. ut supra. — ⁴ Ibid. ut supra.

dum statim subjungit: « Tempora jam erant, inquit, suspicionibus et coniurationibus plenissima. Conspirarunt enim ad Scotorum regnum e custodia liberandam Thomas et Eduardus Stanlai, filii junioris Comitis Berbiae ex filia Thome Ducis Norfolciae; Thomas Gerardus, Rolstonus, Hallus et alii in comitatu Berbiensi. Sed Rolsthoni fatus, qui ex cohorte erat nobilium stipatorum, coniurationem aperuit; et illi in carcere conjecti, praeter Hallum, qui in Manniam insulam evasit, et inde episcopi Roffensis commendatione transmissus ad Duxbritonium, ubi castro postea expugnato, deprehensus, Londini tandem extremo supplicio affectus. Ipseque etiam Roffensis episcopus, nuper custodia emissus, iterum Londinensi episcopo in custodiam traditur, quod clandestina colloquia, cum Southamptonio, Romanae religioni devotissimo, conseruisset ». Verum horum clandestinorum colloquiorum specie, cur Roffensem episcopum denuo custodie tradere, si aliunde, ob commendatum, nimurum Hallum (in quem, tanquam in laesae majestatis reum, ultimo supplicio animadversum deinde est) causa abunde suspetebat, unde in eum invehieretur? Ethae quidem, quoad Roffensem: nam, quoad cæteros, quis sanæ mentis unquam satis detestari poterit monstrum horrendum illud saevitiæ, quod uno eodemque tempore, tam sibi, specie saltem opposita crudelitatis facinora patrare potuit, cum æque, tanquam in regalis juris detractores invecta Elizabetha sit; tam in eos, qui illud abripere, quam in alios qui tueri contenderent? In Scotos siquidem, qui regale ac legitimum suæ reginæ jus relevare connitebantur, tanquam sæva leena debacchata est; et itidem in Anglos, qui illegitimum idem jus sibi detrahere suspicax femina existimavit, omni crudelitatis genere inhumane desæviit. Sane non ignoramus, inauditam Elizabethæ in Scotos barbariem, tuendi juris pueruli regis praetextu, a scriptoribus haereticis pro viribus honestari. Verum facile ejusmodi commentum diluitur, si serio animadvertisatur, vel jus nullum modo in Scotia puerulum regem oblinere potuisse, ad quod tuendum, vel ipsi, vel ejus nomine aliis, insurgere licet in matrem: quod regina Maria superstite, regni ejusdem sola legitima domina ac herede, regnandi jus in filium derivabatur: vel frustra, contra reginam illiusque sectatores objectum, ejusdem pueruli regis tuendi jus, ac si illa jus idem præcidiere filio vellat: cum, ex scriptorum omnium sententia, eundem unice dilexisse constet; nec modo diadema ei adimere, sed magis firmare ex animo vellat.

389. Praeter recensita, alia nihilominus sceleræ in Scotia Elizabetha hoc anno admisit; ut habemus, tum ex Camdeno¹, tum ex Anna-

¹ Camde., ut supra. Joan. Ster. Annal. Anglie.

libus Anglicis Joannis Stoi, his verbis: « Post quinque deinde menses, afiam profectionem suscepit Comes Suffexius in Scotiam, cum magno exercitu, qui ex civitate Cadiensi egreditus, die xxii Augusti, venit ad domum valde munitam nomine Annam Baronis Harisi, qui reginae Marie partes sequebatur, eamque penitus everterunt. Idem fecerunt arcibus Hudbim, Kenel, Domfries, et sumptuosissimo euidam palatio reginæ Scotiae, cuius custos erat Baro Harisi. Idem etiam fecerunt oppidi Corohils, Pontrach, Car lavorak, et aliis, ferro et flammis, et pulvere tormentario omnia consumentes ». Haecenus Stous.

390. *Ab Elizabetha decernitur legatio Cæcilius ad Mariam Scotiæ reginam: qualis fuerit iste Cæcilius.* — Dum immania hæc vero Elizabetha in Scotia per duces suos facere prævaleret, interim tamen, ut dicebamus, animo premebatur, ut Camdenus refert, ex illa, quam contemnere ostentabat, Pii Bulla, et coniurationis quoque Norfolciensis suspicione; ideoque variis interque se pugnantibus curis, sollicitudinibus anxietatibusque, infelix mulier misere distenta; dum ex parte una², ad internacionem omnia perducere meditatur, ex altera pacem inire cum Scotia regina contendit vel potius simulat. Ad id igitur perficiendum, Cæcilius et Wallerum ad ipsam misit, quæ Charlesvourthi in agro Dublinensi tunc agebat, ut cum ea consultarent, inquit Camdenus, qua ratione commodissime dissidium in Scotia compomereatur, atque Elizabethæ securitati filiolique incombitali consuleretur.

391. At priusquam hujus legationis Acta prosequamur, opera pretium duximus, quisnam fuerit Cæcilius (de quo non semel, sed tamen obiter supra egimus) præcipiens ex oratoribus ad Mariam missis, ostendere; tum quod eo cognito, ejusdem legationis cætera facilius intelligentur; tum quod de illo frequens in nostris Annalibus habenda erit mentio; tum demum, quod his, uti primus prodiit in scenam, ita postremus persistit, auctor et actor universæ fabulae, imo poeta, et histrio, et minus ejusdem: ac verissimus totius calamitatis Anglicanæ architectus: ex eo profecto nequior, quam cæteri astimandus, quo fieta illius moderatio, detestanda magis, quam furor manifestus deprehenditur. De illo igitur Andreas Philopatrus, scriptor fide dignissimus², ac presbyter Anglicanus, hæc narrat:

« Fuit Cæcilio, inquit, humile valde et obscurum initium. Pater enim ejus, cui nomen fuit David Cæcilius, loco piene infimo, inserviit regio vestiario. Avus vero ex militibus fuit præsidiariis, qui ad regii corporis custodiam de-

¹ Ibid. ut supra. p. 157. — ² In Resp. ad Edict. Reg. Angl. sect. 4, p. 37.

signantur, et diversorum insuper et tabernam publicam habuit in oppido Stamfordiano. Ille vero noster, post aliquot annos in litterarum studio in Universitate Cantabrigensi positos, Eduardi regis initis, socii sui adjutus auctoritate, contulit se in famulatum Edovardi Semeri, Duci Somersetani, regis avunculi, qui protectoris appellatione, universo regno, auctoritate regia per id tempus praeerat. Huic cum aliquandiu a secretis inserviisset, et per eum in consilium etiam regium inductus fuisset, et permutationi religionis Catholicae, quae eodem tempore Somersetani ducis maxime auctoritate fiebat, non parum cooperatus, animadvertisit homo callidus, non satis esse, vel prudentiae, vel opis in Somersetano, ut se suosque contra Joannem Dudlaem Comitem Waricensem tueretur, qui manifestis indiciis ad locum et dignitatem Somersetani aspirabat. Itaque mutandum sibi ratus velificationis cursum Cæcilius, summa perfidia Somersetano prodito atque deserito, contulit se ad Dudlæi partes, cui accusacionis materiam ac testimonium præbuisse dicitur, quo Somersetanum Dudlaeus facilius opprimeret; in ejus rei mercedem Dudlaeus postea, Somersetano extineto, eum ipse solus rerum omnium potitus, et Dux Northumbriæ creatus fuisset; curavit, ut Cæcilius eum rege Edovardo rediret in gratiam, et in consilium dignitatem recuperaret.

Deinceps vero Maria regnum post Edvardum adepta, et Norlhumbrio ob seelera capitis condemnato, Cæcilius, ut haec etiam rerum tempeslate suum ad commodum uteretur, summum primo religionis Catholicae zelum simulat, Ecclesiæ frequentat, Missarum solemniis quotidie interest, Rosarium, quod vocant B. V. de manibus nunquam, aut raro deponit, precandi globulos diligenter versat, Litanias suppliciter cum sacerdote in Ecclesiis recitat; ex suggesto etiam Ecclesiæ suæ parochialis Stamfordianæ, ut nonnulli referunt, devote aliquando concionatus, dixit ad contribules suos: se Edovardi regis tempore, errore quidem juventutis lapsum, sed modo veritate perspecta, resipuisse, et pœnitentia ductum, rediisse ultro ad Ecclesiæ Catholicae ac Romanæ gremium: hortari se omnes serio, ut id ipsum faciant, et si qui forte illum secuti fuissent errantem, sequantur modo pœnitentiam agentem.

« His rebus, eum satis se probasse Catholiceis Cæcilius existimasset, vel saltem satis dissimulationi suæ fecisse fucum, cœpit tum per se, tum etiam per amicos sollicite agere, ut pristina ei dignitas senatoris ac secretarii redderetur: a qua sententia, non longe sane aberant nonnulli viri præcipui partis Catholicae, et in primis cardinalis Polus, qui plurimum eo tempore auctoritate valebat; et vir optimus eum esset, aliorum animos e suo metiens, existima-

bat, tam istum, quam Elizabetham principem, ex animo vere locutos, cum verbis tantopere religionem Catholicam profiterentur. Itaque in eam partem inclinabat, ut Cæcilio, tamen senatoria dignitas, quam secretarii officium restitueretur. Idem perurgebat Guilielmus Petrus Eques auratus, qui haec ipsa tempestate Mariæ reginæ a secretis erat, et officium suum in hunc ipsum Cæcilium transferre (quod ipse serio laboraret) enpiebat: quod certe si factum fuisset, etiamsi quamplurimum sine dubio in homine errassent, quem putabant Catholicum, minime tamen fortasse abs re fuisset. Est enim omnium constans opinio, quod Anglicana Respublica, nunquam in has calamitates venisset, si eo tempore Cæciliæ ambitioni satisfactum fuisset: neque enim ille alia de causa sequentis regni initia turbavit, nisi ut opes et honores assequeretur, quos, stante priori reipublicæ forma, consequi nulla ratione potuisset.

« Sed quanquam, ut dixi, non deerant viri Catholicæ, qui hoc ipsum tunc sentirent, Mariæ tamen reginæ, quæ hominis hypocrisim optime omnium noverat, nunquam persuaderi potuit, ut ei fidaret, aut suorum consiliorum participem illum faceret. Quod eum ille tandem penitus perspexisset, ne nihil ageret, alias statim cogitationes inicit, seque ad spem quandam orituri solis convertit; contulit enim se ad principis Elizabethæ observantiam et famulatum, in eujus exitium paulo ante, eum Duce Northumberlan, ipse etiam nominatim, et scripto chirographo conspiraverat. Cum tamen Elizabethæ paulo post regnandi vices ex insperato fere obvenisset; non fuit Cæcilio perdifficile intime ei se insinuare ad persuadendum quæ vellet; habuit tamen primis illis diebus non exiguum difficultatem, ut eam induceret ad religionis formam publice permittandam; non quod illa religionem ullam magnopere curaret, sed quod res ipsa magnas in se difficultates ac nonnihil etiam periculi habitura videbatur; eo quod omnium regni ordinum præcipua pars, religionis Catholicae magno studio teneretur. Sed contra Cæcilius atque Baconus affirmare, expedire penitus reginæ, ut religionis forma, ad tempus saltem, permutteret, ne illa Pontificis Romani approbare videatur auctoritatem; eujus deereto matris suæ cum Henrico nuptiæ improbatæ fuerant, et consequenter ipsam Elizabetham, ab omni regni hereditate, tanquam illegitima excluderetur: non defuturas imposterum redeundi cum Pontifice in gratiam, rebus suis bene compositis, si ita videretur, occasiones, nec timendam aliquam regni perlurbationem aut procerum haec de causa defectionem; se enim in capita sua recipere id omne pacifice ac tranquille perfecturos: nec viam dissimulant, qua id sint aggressuri; quæ via cum reginæ etiam non displicuisset, res omnis eorum arbitri-

trio ac potestati permissa est; illi autem hac impostura, quam dicam, negotium omne confeuerunt.

« Erat eo tempore clarissimus inter omnes regni Anglicani proceres Comes Arundelius, non tam familiae nobilitate, qua primum locum in comitiis tenebat, sed aliorum etiam procerum affinitate, et observantia. Dux enim Norfolciæ, qui omnium erat potentissimus, Arundelii filiam in uxorem duxerat. Hunc Comitem delegerat Cæcilius, licet opinione Catholicum, ut sibi esset instrumentum ad religionem Catholicam evertendam; nec deerat ad hoc facinus peropportuna quædam occasio. Nam Arundelius per hæc ipsa tempora uxore viduatus, nescio quid inanis spei de reginæ nuptiis conceperat. Dux etiam Norfolcianus, amissa conjugæ Arundelii filia, aliam quamdam deperibat sanguine sibi conjunctam, quam per leges Ecclesiasticas ducere non poterat, nisi Pontifex ea in re dispensaret; nonnulla autem erant, quæ Pontificem in eo negotio difficiliorum, quam dux ipse animo conceperat, reddidere.

« Utramque igitur occasionem arripuit Cæcilius, tum ut ira magis ducem accenderet in Pontificem, tum etiam ut cupiditate comitem inflammaret incundi cum regiu[m] matrimonium; ejus rei certissimam ei spem faciebat, si ad regiam se voluntatem in religione, ad tempus saltem commutanda, conformaret. Quod ille avidissime arripiens lethalis istius cupiditatis facibus adeo incensus ac inflammatus fuit, ut omnia statim miscere ac profundere cœperit, imo prorsus insanire; cum enim maturæ jam ætatis vir esset, ad juvenilia omnia et puerilia descendere, quo regiu[m] adolescentulæ placeret, conviviis, jocis, tripudiis, aliisque ineptiis, dies noelesque terere; quoad tandem, exhaustis rebus omnibus, et ad summam fere paupertatem redactus, delusus a Cæcilio, deritus a regina, derelictus ac contemptus ab omnibus, miserrimo dolore confectus periit.

« Interim tamen Cæcilio ac reginæ contra Deum deservierat, in religione, comitorum auctoritate, mulanda. Regina enim sua id auctoritate efficere nunquam potuisset. In comitiis aulem, quæ universam rem publicam repræsentant, eum duo præcipua hominum genera sint, qui suffragia ferunt, aliud episcoporum ac præsulum Ecclesiasticorum, aliud procerum ac principum laicorum; de primis desperantes hæretici, laborarunt tantum de secundis pervertendis, quos Arundelii ac Dueis Norfolciani generi sui opera sic perverlerunt, ut eum maxima eorum pars Catholicæ essent, alii tamen cœperint eorum precibus pernoti dissimulare, alii abesse comitiis eo die quo de religione tractabatur, alii tacere, alii proceribus hæreticis suffragiorum suorum potestatem facere, alii penitus defieere, ac sententiam pro hæreti-

cis terre: denique eo usque vatum Cæciliæ frus et astutia, ut tandem, ex omni nobilitate laica, quæ præsens aderat, trium suffragiorum numero Catholicæ superarentur: quibus elati hæretici, tanquam legitima comitorum sententia pro se lata, Ecclesiasticos (quorum vota tecum principem ac pondus præcipuum in comitiis habere debuissent), præter omne jus ac fas prætereunt, locisque eos deinde per vim moverent, dignitatibus ac honoribus spoliant, carcerebus, quod eis consentire nollent, includunt; nec his contenti, ministris etiam suis, id est, partis hæreticæ buccinaloribus, episcopatus aliasque dignitates Ecclesiasticas iniquissime attribuunt; atque haec ratione Evangelium suum legitime in Anglia introductum ac stabilitum proclamant, et proditorem patriæ decernunt, quicumque rem postea in controversiam vocare præsumpserit.

« Ut autem criminis hujus (prodilionis nimirum, et læsæ majestatis regiæ) justam aliquam speciem haberet, atque toti huic negolio major fucus præpararetur in posterum, contra Catholicos (solent enim ab antiquo hæretici humanæ magis, quam divinæ majestatis rationem habere, magisque offensas, quæ in mortales princeps committuntur, quam quæ in Deum exaggerare), lege sanciendum his primis comitiis curaverunt, ut omnes, verbis conceplis jurarent: reginam esse supremam in causis Ecclesiasticis gubernatrixem ac judicem, et omnia jura, et potestalem Pontificis Romani in regno Angliæ, in ipsam comitorum horum auctoritate translatam esse. Quæ perjurandi ac blasphemandi formula, cum ipsis etiam legis conditoribus impia et ridicule videretur, subdole per Cæciliæ, et sui similes suggestum fuit, ut se ipsi lege eximerent, quam aliis ferebant; quod et factum est. Nam eisdem cavitur comitiis, ne legis istius pena ad magnates parliamentares (ut ipsi loquuntur) extendi possit; sed alios tantum inferiores involvat. Exemplum sane illustre hæreticæ fraudis, impietatis atque nequitiae, quæ se ad tempora et homines accomodat, nec conscientiae, sed utilitatis suæ negotium agit.

« Ex hoc fonte manavit omnis illa multitudine prodilionum ac eriminum læsæ majestatis, quibus Catholicæ Anglicani deinceps implicati sunt, et hodie opprimuntur; ita ut nihil fere de religione sua proferre, aut affirmare, aut exercere possint, quod ad aliquod læsæ majestatis caput ac erminationem non pertineat. Cum enim totius negotii ad religionem pertinentis jus, ad civilem magistratum translatum sit (hujus autem deeretis non obedire, rebellio quædam ac perduellio vulgo videatur), facile effeatum est, ut omnia fere religionis Catholicæ capita, quæ in Anglia per hæreticos non admittuntur, læsæ majestatis criminia censeantur;

atque hoc Cæciliæ, præ ceteris, subdola, mali-
tiosa, ac plene Julianica astutia factum est¹, ne
Catholici propter fidem afflicti, propter fidem
videantur pati, quod honorificum est; sed ob
flagitia ac proditio[n]es, nomine nimirum, odio-
sissimo.

« Atque cum hoc rerum cursu intererentur
Cæcilius et Baconus, et omnia suo arbitratu[m]
soli gererent, reginamque penitus sua haberent
in potestate, ita ut nullo fere numero apud illos
vel illam totius regni nobilitas antiqua habere-
tur: tunc sane (licet sero) penituit tandem
magnates illos, de summa illa levitate atque
inconstantia, qua Dei causam, proli dedecus! in
comitiis tam infeliciter atque abjecte paulo
ante prodidissent; et homines sordidos atque
insolentissimos sua extulissent et armassent
auctoritate, in sui seilicet contemptum, ac
reipublicæ ruinam. Inierunt itaque, quale tunc
poterant, consilium, quamam ratione, aut via
huic tanto malo remedium aliquod adhiberi
posset; quod hac occasione aggressi sunt.

« Turbatis jam omnibus fere vicinis regnis
per Cæciliæ molitiones, præcipue vero Gallia
Scotiaque, venerat recentissime in Angliam,
Elizabethae invitatu[m], Maria Stuarda, regina Scotie,
auxili recipiendi causa, contra hæreticos
suos Cæciliæ maxime instigatione rebellantes.
Cum autem Mariæ in custodiā, contra fidem
datam traditam, Cæcilius nobilitatem Anglicanam
bene cupere intellexisset; veritus, ne si
Elizabetha sine liberis moreretur, Maria ei suc-
cederet, cepit miscere ac turbare omnia, ne
hoc accideret; et inter cætera librum quemdam
idiomate Anglicano conscriptum clam emitti ac
vulgari curavit, quo seditiosissime assereretur,
non ad Scotiae reginam, quæ ex prima Henrici
regis sorore descenderat, sed ad comitis Here-
fordiensis filios, qui ex secunda ejusdem Hen-
rici sorore (illegitimo licet connubio) prognati
erant; et quibuscum ipse Cæcilius ac Baconus,
nescio quam affinitatem jam contraxerant, regi
successionem jure pertinere.

« Hæ tam insigni nequitia atque insolentia
lacessiti proceres (erat enim hæc eadem plane
fraus, quam Northumbrius paulo ante, Edovardi
regis tempore, pro Jana ducis Suffolciensis filia
molitus erat), convenerunt frequentes Londini
ad annum Domini MDLXVIII, qui fuit Elizabethæ
regnidecimus, in domo Marchionis Vintoniensis,
viri longe prudentissimi ac regni thesaurarii,
ubi præsentes erant, præter ipsum Marchionem,
dux etiam Norfolcius, comes Arundelius, comes
Pembrochius, et alii primores viri, quos modo
nominare non est necesse. Pembrochius vero
filium etiam natu majorem, qui modo superest,
et hæreticorum partibus totus obsequitur (a pa-
terna maxime magnanimitate degenerans) in

eum secum conventum adduxit, quo puer etiam
addisceret: (Sic enim erant patris ad eum verba)
Rempublicam, contra perditissimorum homi-
num nequitiam defendere. Intererat etiam eidem
consilio Robertus Dudleus comes Lecestrensis,
partim quia nondum penitus a religionis Catho-
licæ amore, quam pater ejus moriebus plurimum
ei commendaverat, nec ab antiquorum proce-
rum observantia desceiverat; partim etiam, quod
magna eo tempore simulatione et odio cum
Cæcilio certaret (ut inter rivales fieri solet) uter
utro magis apud reginam autoritate valeret.

« In hoc consessu principum totius regni
potentissimorum, post multas querelas de
præsenti rerum gubernatione propositas, quarum
omnis culpa in Cæciliū et Baconum me-
rito videbatur conjicienda, sententiis tandem
omnium decretum fuit, ut proximo frequenti
senatu, dux Norfolciæ, cæteris comitatus proce-
ribus, utrumque reipublicæ nomine puniret,
idque ea ratione, ut a senatu regiaque abreptos,
ad curiæ januas in crucem agi præcipere;
et re perfecta, omnes illico ad forum progressi,
explicarent populo, tum hujus facti rationem,
tum successionis etiam regnandi legitimam
seriem. Si quid forte reginæ humanitas accide-
ret, cui tamen cæteris in rebus omnibus, quæ
ad officia sua et fidelitatem pertinerent, se fore
obsequentes ac promptissimos semper; novo
etiam juramenti sacramento eo ipso loco con-
firmarent.

« Sed hoc consilium non successit; eo
quod perfidia Lecestrii, tota res statim patefacta
reginæ fuit, quæ tanto procerum suorum con-
sensu perterrita, vocatum ad se Cæciliū doc-
cuit de universo periculo; cumque nulla alia
elabendi via relicta sibi videretur, hortatur, ut
statim ducem Norfolciensem supplex adeat,
oret, obsecrat et obtestetur, officiis, lachrymis
et promissis flectat; quod ille cum diligentissi-
me, tum multo etiam sibi felicius, quam vel
duci, vel reipublicæ perfecit: duce enim adito,
cum in genua provolutus, vim lacrymarum
profudisset, deprecatus præterita, et omnia in
posterum otileia pollicitus; injecta etiam ejus
rei spe, quam tunc sciebat ducem expelere,
eique fore exitiosam (matrimonii nimirum cum
regina Scotie ineundi), ad eamque rem reginæ
consensum se procuraturum promittens; obli-
gnuit facile a duce, homine non valde neque
prudente neque constante, et suæ future cala-
mitatis inscio, et nonnulla etiam cupiditate
obeccato (et quod caput est, quia Deus religio-
nem ab illo proditam, hac ratione nleisci vo-
luit), ut procerum designationem in præsentia
remoraretur; quod illi tamen cum intellexis-
sent, iniquissime tulerunt, et renuntiandum
duci jusserunt, eo se die parasse sibi a Cæcilio
laqueos ac pernicies; quod eventus paulo post
declaravit. Cæcilius enim in hujus beneficij

¹ Div. Græc. Nanianz. Grat., p. in Julian.

mercedem, præcidendum duci caput, intra biennium curavit; cæteri vero magnates in provincias suas regressi, parlim ejus vi, qui pro libidine res jam omnes administrabat, partim indignatione, quod tam insolentem potentiam ferre non possent, exigui temporis intervallo, fere omnes confecti sunt.

« Solum Northumbriae ac Westmerlandia comites, sumptis armis ad partes Angliae Boreales, rem prosequendam judicabant; sed hyberni temporis incommoditate, rerumque necessariarum inopia afflicti, dum sustinere bellum nequiverunt. Haque Westmerlanus in Belgum, Northumberlanus vero in Scotiam se recepit, ubi ab hæreticis brevi proditus, contra jus gentium ac regnum, pecunia venditus, reginæ paulo post ad supplicium traditus fuit. Exinde Cæcilius nobilitatem Anglicanam, sic affligendam, sic opprimendam, et inter se committendam, sic etiam exauriendam, et ære alieno onerandam, hæresique inficiendam curavit; ut istiusmodi periculi metu nunquam postea laboraverit ».

392. Isla Philopatrus, quæ licet a nobis alibi suis locis, vel commemorata, vel commemoranda, tamen hic necessario recitanda, ut evidentius præ oculis poneremus, quisnam fuerit Cæcilius ille, quem ad componendas eum Scotiæ regina res Elizabetha de industria misit; hominem, videlicet, qui bene composita Angliæ et Scotiæ regnum cuncta, sua dominandi libidine turbaverat ac diripuerat; pessimorum omnium consiliorum auctorem, et hominem demum, ab initio semper exitiosissimum, et omnium fere malorum in Catholicos machinatorem; ita ut hand dubitari queat, hoc etiam nomine Scotorum reginæ fuisse infensissimum hostem, cum verum Catholicorum Aman, Philopatrus ipse eum nuncupare non dubitaverit.

393. Nec cursim prætereundum, quod vix verbo innuere videtur, allato loco auctor ipse, de prætenso nimirum Cæcili ad regnum Scotiæ jure; qua ridicula ambitione actus, haud dubio, quod legitimæ reginæ infensor extiterit. Rem eodem opere, sed alibi Philopatrus¹ idem fusius his verbis prosequitur:

« Paucissimis, nimirum, abhinc diebus, dum hæc scriberem, Epistolam quamdam Cæcili manu diligentissime exaratam vidi, qua exploratori cuidam suo Antuerpiæ latitanti, generis sui nobilitatem eo usque dilatat, ut non solum a Tyris nobilibus, verum etiam ab antiquissimis quoque Cambrobritanniæ seu Walliæ principibus, qui Angliæ regno olim potiebantur. ortum se glorietur; quod, an quisquam Anglorum legere possit sine stomacho, nescio, sine risu nemo certe, opinor. Si enim hoc, aut verum, aut ferendum sit, quid aliud expectandum,

quam ut stirpi quoque regie aliquando se ingrat Cæcilius, et sordes suas abjectissimas in principum etiam antiquissimorum Genealogias transfundat, quo regnum tandem sibi aut suis affectet; quod jam nunc agitare animo, a non paucis existimatur, per Arbellæ scilicet cum nepote suo ex filio connubium; que puella ex reginæ Scotiæ stirpe prognata, nonnihil juris ad regni quoque successionem prætendit »? Hæc ille; verum vanissima ambitione nepotis connubio innixa, non hoc tempore, sed postea, cum videlicet connubium ipsum curavit, Cæcilius jactatum fuisse dicendum est; licet modo et ipsum hoc vir callidus commoliri potuerit, et aliunde sibi jura præcipue in Scotiæ regnum suppeterem existimaverit. At prosequamur impiissimi nebulonis legationem.

394. *Iniquæ pacis conditiones per Cæciliū propositæ rejiciuntur.* — Mense Octobri pervenit ille cum socio Chatterorthum ad Scotorum reginam, cum qua præ aliis illud agere studuit, quod innumeris artibus ac insidiis jam cum prædefuncto Nothro Moraviae comite, ut supra vidimus, conventum fuerat; ut nimirum parvulus rex, in Angliam perduceretur, ac in Elizabethæ manus traderetur. Hæc siquidem ineunda pacis, si tamen Camdeno credatur, proposita capita fuere:

« Tractatus Edemburgensis confirmaretur; illa titulo et juri in Angliam, dum Elizabetha et ex ea liberi legitime nati superessent, renuntiaret.

« Cum nullo principe, contra Angliam fœdus renovaret aut observaret.

« Exteros milites in Scotiam non admitteret.

« Cum Anglicis aut Bibernicis nulla, inconsulta regina, consiliorum haberet commercia.

« Profugos Anglos et rebelles redderet.

« Damna Anglis limitaneis illata resarciret.

« In cædem tam Darlæ mariti quam Moraviæ, ex lege inquireret.

« Filium in Angliam obsidem traderet.

« Cum nullo Anglo, nisi regina Angliæ consulta, nec cum quovis alio, Ordinibus Scotiæ invitis, matrimonium contraheret.

« Scotti in Hiberniam, nisi impetrata ex Anglia licentia, non transmitterent.

« Ad hæc firmando, regina et delegati constituent syngraphas et sigilla apponenter.

« Sex obsides, quos regina Anglorum nominaret, in Angliam mitterentur.

« Si regina Scotiæ aliquid contra Elizabetham, per se aut alium moliretur, ipso facto omni jure, quod in Angliam vendicat, excideret.

« Castra Humium et Fastastell in tres annos ab Anglis tenerentur.

« Monumentum itidem aliquod in Gallovia, vel Cantita Anglis in manus traderetur, ne Scoto-Hiberni inde Hiberniam infestarent.

« Postremo, Ordines Scotiæ hæc singula,

¹ Philopatr. ut sup. Sect. 3, p. 239.

parlamentaria auctoritate confirmarent. » Ista concordiae firmandae capita.

395. Ad hæc Scotorum regina (subdit Camdenus) primum pro sua prudentia provide sane exemplo respondit: verum pleniorum responsione retulisse scribit ad episcopum Roffensem, suum in Anglia legatum, Alexandrum Gordonum episcopum Gallovidiensem comitis Hunllæi palrum, et Gulielmum baronem Lestingtonum, a suis in Scotia locumtenentibus delegatum: qui deinde, ex his articulis alios admiserunt, rejecerunt alios. Responderunt siquidem, si pariter eidem scriptori silfides:

« Tractatum Edemburgensem confirmandum. Titulum, Elizabetha superstite, renuntiandum. De antiquo illo cum Gallo fœdere considerandum. Quod si non observarel regina, dotem amitteret. Gens Scotica, e qua centum cataphracti Equites, centum viginti qualuor sagittarii satellites aluntur, mercatores, studiosi plures qui haereditates in Gallia adierant, et sacerdotia tenent, pensionibus et immunibilitibus, quibus gaudent maximis, exonerentur, et ejicerentur; Scotiaque potentissimæ gentis amicitia et subsidio nudaretur. Quæ nisi Angli enmulate resarcirent, nullo modo se fœderi Gallico posse renuntiare. Milites autem exteris nolle admittere, nisi ejusmodi rebellio proruperit, quæ domestico milite comprimi non poterit.

« Reginam Scotorum, nulla cum subditis Anglis consiliorum commercia in Angliæ damnum habituram; si modo regina Angliæ vicissim cum Scotis subditis nulla in damnum Scotiarum habuerit.

« Si qui sint profugi Angli et rebelles in Scotia, illos penes Scotos rebelles esse, et ab iisdem repetendos.

« Damna illata a delegatis examinanda; in Darkæ et Moravii cædem, ex legibus Scotorum inquirendum.

« Regem obsidem in manus tradere non posse; cum ille sit penes illos, qui regis nomen rebellioni contra reginam obtundunt.

« Novum et inauditum esse, ut liberæ principi, in matrimonio contrahendo, a principe exlero et suis subditis præscriberetur.

« Scotos in Hiberniam in damnum reginæ Angliæ, sine licentia non transmittendos; si reciproce Hibernici eadem lege teneantur, ne in Scotiam transmittant.

« Ad securitatem firmam consenserunt obsides dare, quoscumque regina Angliæ nominaret, praeter ducem Castri Heraldi, Nonnlejum, Argalelium et Atlojum.

« Præterea Scotorum reginam omni successioni jure in Anglia excludendam adsenserunt, si aliquid contra reginæ Angliæ jus molliatur; modo regina Angliæ pari aliqua poena viceissim

teneatur, si illa quid contra Scotiæ reginam molliatur.

« De Castro Ilumio et Fust-Castello rogant, ut baroni Ilumio proprietario domino restituenterentur, nec diutius ab Anglis tenerentur.

» Munimenta in Gallovidia aut Cantira exteris tradere, nihil aliud esse, quam novam bello materiam suppeditare ».

396. His relatis, subdit Camdenus, quod cum inter se convenire parles minime possent, et interea auxilia ad Scotorum reginam liberandam, a Pontifice Romano, Gallo et Albano efflagitari, sparsis rumoribus divulgaretur, Anglique rebelles Westmerlandius, Northumbriæ comitissa et reliqui e Scotia subducerentur, (quibus Pontifex, per episcopum Roffensem duodecim millia aureorum suppeditarat), plane nihil ex hoc tractatu provenit, nisi quod Elizabetha, (quæ tanquam honoraria arbitra, ad clavum totius Britanniæ sedet), conventum ordinum Scotiarum prorogari et inducias sæpius agilari, pro sua auctoritate jusserit. Deinde ex more inconsideratæ hujusmodi protelationis conventuum Scotiarum rationem asserens, subdit:

« Partium enim duces, Scotiam gravissime ubique afflixerunt ». Ex quo rile educitur, id ab Elizabetha factum, quod Scotorum ordines, ad comprobandas iniquissimas firmandæ pacis conditions ab se propositas, nullatenus descensuros callida mulier cognoverit.

397. Illud pariter ridiculum, quod addit: tractatum, nempe hujusmodi, infectum reddisse, quod Scotiarum proregis delegati minime venissent. Cum enim comes Lenoxius prorex, omnino e nutu Elizabethæ penderet, ut ipse superius asseruit; quis sane mentis censere poterit, delegatos suos Lenoxium ipsum debito tempore mittere prætermissee, si id ex animo Elizabetha voluisse? Quo vero ad auxilia externa, quæ ad liberandam Scotorum reginam instrui dicebantur, id, non ad infringendum pacis tractatum, sed ad celerius firmandum potius impellere debuisset, priusquam exteri ipsi Angliam vel Scotiam ingressi, Scotiarum reginæ vires addidissent: his autem parum, aut nihil fides reginam Mariam, ex mox apponenda ipsius ad Pontificem Epistola, evidentissime patebit.

398. Præterea, ut infelæ concordiae culpam in eamdem reginam ejusque adhaerentes venalis scriptor rejiceret, vel saltem ostenderet, per Elizabetham non sletisse, quin ea simaretur; rudiora quam fuerint cerle eorumdem responsa, propositis ab Angla capitibus, refert; quod pariter perspicue agnoscendum erit; ex ea, quam innuimus Mariæ ad Pium Epistola, in qua, licet (ut præ omnibus durissimum) illud referat, quod unicum filium Angli sibi in manus tradi deposcerent: minime tamen ab eo consilia aliena cognocitur; ut celeram prælereamus, quæ

ad rem comprobandum afferri possent, sed plusquam nostri instituti ratio patitur, profixa existerent.

399. Ex paucis his tamen, absque alieujus injuria dicendum cognoscitur, hanc ab Elizabetha decretum fuisse ad Scotorum reginam legationem, non eo fine, ut res compendi ratio aliqua iniuretur; sed ad sedandos duntaxat tumultus, quos, ex Pontificis Bulla, et recenti Norfoleensis conjurationis suspicione, tunc exorituros existimavit, ob id praeципue, quod Scotiæ reginam inhumane adeo injusteque haberet. Ejus siquidem miserrimam sortem, populi undique indignissime ferebant. Ut aliquod idecreo, in speciem saltem, erga illam lenitatis officium exercere ostentaret, eam legationem decrevit.

400. Quod autem rem, quam maxime averrabatur, sibi summopere cordi esse, callida femina subtilius simularet; non quemlibet, sed quem præ omnibus sibi adhaerentibus dilectissimum existimari. omniumque regni negotiorum duecum primarium esse, et haberi pro comperto habuit, intimorumque suorum consiliorum participem, quem paulo ante descripsimus, Cæcilius misit; qui, nempe, indignissimis ineundæ pacis conditionibus propositis, illud tandem efficeret ut Elizabetha, quæ sui muneris essent partes implevisse monstraret; totamque invidiam non firmatae concordiae, in Mariam ei que adhaerentes rejiceret, quod ejusdem conditiones abnuissent.

401. Cæterum, quoad regem puerulum, certum est illud semper Elizabethæ animo insedisse, ut illum in suam potestatem, in Angliam translatum, redigeret, quo tutius Scoticarum rerum dominaretur. Ob id impia ea cum Notho, Moraviae comite, quæ supra diximus, consilia inierat, ut ipse, nimirum, Elizabethæ eumdem traduceret; illaque vicissim Mariam reginam Notho concederet; enjus sacrilega manu haud dubio, quod ipsam deinde interficiendam eurasset. Ubi hæc impia commolitio evanuit, debitas sceleris insignis præditionis pœnas luente Notho, ad alias protinus artes impia femina convolavit, ea ipsa conditione, quod sibi puerulum filium daret, calidissime finxit. At manifesto Dei consilio factum eredimus, ut conditionem hujusmodi Scotti omnes, regina prudentiores ac sagaciores, semper constantissime recusaverint; nam illud certi eventurum est, quod in libro Machabæorum¹ legitur, cum videlicet, proditor ille Tryphon dolo Jonatham cœpisset. Cum enim cognovisset Triphon ipse, quia surrexerat Simon loco fratris sui Jonathæ, et quia commissurus esset cum eo prælium: *Misit ad eum legatos* (saceræ paginæ ipsa sunt² verba) *dicens: Pro argento, quod debebat frater*

tuis Jonathas in ratione rryis, propter negotia, quæ habuit, detinamus. Et nunc milte argenti talenta rentum, et duos filios ejus obsides, ut non dimissus fugiat a nobis, et remitteremus eum. Et cognovit Simon, quia cum dolo loqueretur secundum jussit tomen dari argentum et pueros, ne iniuriam magnam sumeret ad populum Israel, dicentem: Quia non misit ei argentum, et pueros, propterea perit. Et misit pueros et centum talenta, et mentitus est, et non dimisit Jonatham; quem paulo post, una cum filiis occidit. Quod pariter facturam Elizabetham, si ex sententia puerum regem obtinere potuisset, quæ cum matre ejus egit, facile suadere posse cognoscitur.

402. *Fii litteræ consolatoria ad Scotiæ reginam, et Mariæ responsum ad Pontificem.* — Immerito ac perperam nihilominus Spondanus¹, Conæus², aliqui ex nostris scriptoribus, illud Elizabethæ crimen impenxere, ut inter cæteras nimirum conditiones reginæ Mariæ propositas, illa quoque fuerit, quod Catholicam fidem abdicaret. Hoc scriptores hæretici, qui id, tanquam insigne aliquod pietatis Elizabethæ facinus, in cœlum usque extulissent, nec quidem commemorarunt. Sed, quod majus est, ipsa regina, hæc de re, nec verbum quidem injecit. Cum enim mense Octobri hujus anni, Elizabethæ oratores ad eam pervenissent, atque de conditionibus pacis cum ipsa egissent, illa tamen, in pluries memorata ad Pontificem Epistola, ultima ejusdem mensis Octobris die scripta, in qua de iisdem conditionibus durissimis sibi propositis agit, hanc nullatenus memorat; immo omnibus se assentiri velle demonstrat, eo usque, ut proprium filium obsidem daret, ut diximus, salva duntaxat conscientia et honore; et licet in re religionis, nunquam a Catholicæ Ecclesiæ communione, vel cruciatibus, vel præmiorum pollicitationibus se distrahi passuram profiteatur; tamen hæc in re, minime constantiam suam haetenus tentatam fuisse, dicit: sed potius iis verbis nobilem animi sui præparationem, si forte accidisset ab hostibus hac etiam ratione urgeri, innuere voluisse, manifestum est; nec, salva conscientia, assentiri conditionibus velle, dicere potuisset, si interillas præcipua ea fuisset, ut Catholicam fidem abjiceret; quam præ cæteris duriorem, præsertim ad Pontificem scribens, ducere absque dubio demonstrasset. Quibus addas, in religionis negotio Elizabetham multum laborasse, minime existimandum; non modo, quod ipsa, nulli propemodum religioni addicta, nullius etiam religionis causa sollicita esset; tum quod etiamsi fides Catholicæ a Maria abdicata, multorum animos ab illa

¹ Machab. lib. I, cap. xii. — ² Ibid. ut supra pag. 43.

¹ Spondan. Annal. sub. hoc anno. — ² Con. Vit. Mar. Stuar. Remund et alii, etc.

ab alienasset; tamen multo plurium tum ex electorum sibi gratiam conciliasset, qui ejusdem causam defendendam, contra illius tyrannidem suscepissent. Sed jam quas reperire potinimus, et Mariae ad Pontificem, et Pontificis ad Mariam, hoc anno scriptas Epistolas in medium proferamus. Pius enim ejusdem litteris, ultima die Aprilis hujus anni scriptis, ac per nuntium quemdam missis, in hunc modum respondit¹:

« Charissimæ in Christo filia nostra, Mariæ, Scotorum reginæ.

PLU S PP. V.

« Charissima in Christo filia nostra, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Non solum majestatis tuæ litteras, ultimadie Aprilis ad nos datas, libenter legimus, quibus ad nostras nono die Januarii scriptas rescribit; sed etiam nuntium ipsum qui eas attulit, de tuo rerumque tuarum statu nobiscum copiosius loquentem, et benignè, quemadmodum debuimus, exceperimus, et attente audivimus. In ipsis autem Litteris majestatis tuae, duo nos præcipue vehementer in Domino deelecaverunt. Primum, quod quanvis multis magnisque calamitatibus afflita, consolationem tamen nostram majestas tua sic suscepit, ut ea ipsa non modo levatum esse dolorem suum, sed sanatum esse significet. Alterum, quod Omnipotentis Dei benignitati ac misericordiae sic confidere videtur, ut firmiter speret, se nullis, neque periculis ac tormentorum denuntiationibus, neque præmiorum pollicitationibus, ab Ecclesia Catholicae communione atque obedientia avelli posse. In altero animi tui patientiam divinæ voluntati acquiescentem; in altero perseverandi voluntatem spei desiderio incensam, debitum in Domino laudibus commendantes, majestatem tuam horlamur, ut eam ipsam in Redemptore nostro spem, omni studio retinere studeat; nam si in miseriis posita, per patientiam et spem Dominum expectabit, viasque ejus perseveranter custodierit; potens est Dominus, non solum majestatem tuam exallare, ut post brevem hanc vitam hereditate capiat regnum cœlestis; sed etiam, ut in hac vita constituta, ex tot tantisque calamitatibus aliquando erecta, in pristinam regni temporaliis possessionem restituatur. Quam quidem ad rem, quaecunque potuimus adjumenta, et antea majestati tuae attulimus, et que deinceps poterimus, semper afferemus. Ut enim nihil est, quod suæ isti singulari erga nos sanctamque hanc Sedem Apostolicam devotioni, et religiosis Catholicae studio, deberi non existimemus: sic nulla umquam paternæ nostra erga se voluntatis officia, patiemur ab ea desiderari. Reliquis autem de rebus, de quibus prædictus nuntius suus, nobiscum majestatis tuae nomine

egit, quid respondendum quidve statuendum duxerimus, ex ipsomel majestas tua subtilius cognoscere poterit, cuius nos orationi referimus. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Pisatoris, die xiiii Julii MDLXX, Pontificatus nostri anno v ».

403. His Pontificis Maximi litteris, Scotiæ regina¹ sequens responsum reddidit:

« Beatissime pater,

« Post sanctissimorum pedum oscula. Sub Octobris initium, Sanctitatis luæ litteras tert. id. Julii datas accepi, quibus intellexi, non solum quod ad me beatitudine tua misit Apostolicæ benedictionis munus, quod mihi fuit eritque perpetuo quam gratissimum; sed etiam quam aperite illa testatur, se mihi fore consolationi, et quam libenti animo sua me benevolentia dignatur. Ego vero mirifice recrereabar antea, cum singulari pietate, quam mihi beatitudine tua, gravissimis alioqui rebus occupato, datus ad me litteris peclarabat; tum etiam quod ei placuisset et me, et res meas potentissimis quibusque principibus, ac præsertim serenissimis Galliarum, Hispaniarumque regibus commendare. Verum enim vero altera ex parte reliquum esse video, Christianos impellere, ut arctissima inter se conflata societale, nullis aut vigiliis aut laboribus aut sumptibus parcendum putent; quo aliquando possint crudelissimum illum Turcarum tyrannum, nihil aliud assidue molientem, quam ut nobis universis bellum inferat, prorsus debellare. Atque utinam cætera omnia, mea responderent voluntati! Nam quid subinde fieret a me, Sanctitati tue plane indicaret eventus; foretque, ut non solum ego, sed etiam qui in mea sunt auctoritate, omnes, animis viribusque conjunctis, una cum cæteris Christianis universis, extrema quæque experirentur. Sed quid miserabilius spectari potest, quam me ex eo, in quo florebam ante slatu felicitatis, in tot tantisque miseras dejectam intueri? Quid majore dignum commiseratione, quam, ex liberalia, quæ eram, servam faciam esse? Ad has autem miseras, illud accedit etiam incommodi, quod tot tantisque calamitatibus oppressa et dissipata, totque Anglorum incursionibus afficta reperitur patria mea, ut pagi quamplurimi incendio conflagrarent, multaque castella et sacrate ædes funditus eversæ conspiciantur. Sed quod pejus est, ditionum mearum incolæ, subiectaque mihi populi, ab hostibus nulla vel minimæ lasseditis injuria, sunt crudelissime contricidati. Sed quid? An mihi de me nihil est descendunt? An vero quispiam ignorat, quam certis variisque in periculis assidue verset? Testem invoco Deum, qui novit optime, quam magnis miseriariis fluctibus, ad hanc usque diem sim perpetuo conflictata. Atque interim hac ipsa sæ-

¹ Apud Goub. Epist. lib. IV. Epist. 37, p. 363.

¹ Apud eundem. Goub. ibid. ut sup. Epist. 38, p. 367.

va tempestate furente, quotidie magis, qui rebus providendis auxilio se mihi futuros esse pollicebantur, ii mox promissis minime stantes, nullam pro-sus mihi opem attulere, neque spes est deinceps eos allatu-ros: nisi forte hæc hominum ingenia in tutandam rem meam pro tempore propeusiora fiant, et ad ejusmodi pro me suscipienda negotia aliquando communoveantur. Verum, ut quod sentio libere dicam, tametsi ex transmarinis gentibus copiae exercitusque fortissimi cogerentur; tamen non sine gravi periculo brumalibus diebus in Scotiam trajici possent per Oceanum, qui per id tempus turbulenta-ssimus ac fluctuantissimus esse solet. At vero altera ex parte Angli, qui nullo interfluente amne dirimuntur a Scotis, ipsis bellum queunt inferre: qui quidem, vel minima inter se orta contentione, in armis confestim esse consueverunt. His ergo gravissimis adacta consiliis, nisi velim et vite et patriæ meæ rationibus summa conflare pericula, facere nullo modo possum, quin conditionibus mihi, vel incommodissimis, cum Anglis pacem conficiam: *Sabris tamen semper, ut dici solet, honoris et conscientie legibus.* Honor enim in administratione civili necessarius, ad rem publicam recte moderandam; conscientia vero, tamquam vis et regula divina mortali-bus indita, solet eos ad optimum quemque si-nem dirigere. Quæ licet aliquid calamitatibus prematur, nullis tamen unquam, vel crue-ati-bus, vel præmiorum pollicitationibus, ab Ecclesiæ Catholice communione, et obedientia, distrahi mihi potest, vel exturbari. Sed inter cæ-téra, illud unum sane acerbissimum Sanctitati tuæ referendum putavi: nempe rem eousque processisse, ut cupiant adversarii unicum filium meum regnique hæredem, Anglorum in manus, tamquam obsidem ad tempus dari: sic tamen ut mibi interim sit integrum, quos velim ei mo-deratores et consiliarios adjungere, ac proinde libere pateat aditus, non modo mihi, sed etiam iis omnibus, quos ad eum visendum in Angliam mittendos, ipsa decrevero. Neque vero Sanctitati tuæ dubium esse debet, quin ipse bonis sanctis que moribus præditus sit futurus, quamvis in medio nationis pravæ esset ei vivendum, perfec-tum Catholice Apostolicæque membrum Ecclesiæ, ad ejus opem semper paratissimum. Verum ne longior fiat Epistola, clausula sit, omnino velle me Beatitudini tuæ identidem nuntiare de stu et successu rerum omnium, quæ inter hoc genus hominum et me fiunt hoc tempore, et item earum, quæ paulo graviores gerantur in dies. Et vero quoniam omnia litteris tradere difficultatum est; idcirco de rebus meis omnibus edocui Dublinensem antisitem, quippe qui mihi semper fidelissimus fuit internuntius, idemque Sanctitatis tuæ et sacrosancte Sedis Apo-stolicæ studiosissimus; cui sane in rebus uni-versis, quas ille meo nomine tecum aget, Bea-

tudo tua fidem habere poterit. Interea vero Deum Dominum nostrum supplex orouit pro sua infinita clementia, a perniciosis hostiis suorum cogitationibus Ecclesiam Catholicam protectam velit: in qua nos omnes in Sanctitatem tuam, tanquam in lumen clarissimum oculos men-tisque defixam habemus; abs te, in nomine divinae majestatis sanctissimam benedictionem tuam continenter expectantes; atque ita cuncti simul animis conjuncti, Sanctitati tuæ precamur longissimam vitam, ad Omnipotentis Dei gloriam, priorumque omnium consolationem. Catisvorthi in Anglia prid. kalend. Novemb. MDLXX ».

404. *Quædam explanantur in litteris Mariæ Scoticæ.* — Præter ea, que adnotavimus, ex hac ipsa Epistola patet, tantum abfuisse, ut Angli Mariam reginam ad alijeiendam fidem Catholicam compellere voluerint; quod potius ad alli-ciendam ipsam, ut filium traderet, id ea condi-tione effecturam polliciti sunt, ut ipsa eidem filio in Anglia constituto, quos vellet orthodo-xos moderatores ac consiliarios tribuere posset; cui promissioni innixa, filium ipsum perfectum Catholicæ et Apostolicæ Ecclesiæ membrum fu-turum, nimis credula, Pontifici sponpondit.

405. Quinam vero fuerint, de quibus ipsa conqueritur, quique rebus providendis auxilio se illi futuros polliciti erant, deinde promissis minime stantes, nullam prorsus ei opem attulerant; haud facile est aestimare, ex iis quæ mox subjungit, de exterorum auxiliis et aliis, quæ deinde acciderunt, nos autem non incongrue id tribuendum præsertim Albano existi-mamus¹; qui licet plurima verba faceret, ac se ad suppeditias Mariæ suppeditandas semper paratissimum exhiberet, tamen cum ad rem ven-tum esset, maximo religionis incommmodo, re verbis in dies protelata, extremam tandem, ut suo loco dicitur, tum reginæ, tum fidei in Anglia et Scotia perniciem attulit.

406. Causa autem, ob quam de fœdere contra Turcas ineundo Pontifex ad Mariam scrip-se-rit, non eam fuisse credimus, ut eidem illa se quoque conjungeret; cum optime Pontifex com-pertum haberet, a captiva principe nil tale exigi posse: sed eo animo torte fecit, ut una cum Ca-tholicis aliis principibus, nomine eo fœderi dato, iisdem viribus conjunctis, quibus primum Turcarum tyranni ausus comprimerentur; postea etiam regina ipsa in libertatem, ac regnum re-stitueretur. Fidei siquidem ardore succensus Pius, pro religione, vel tuenda, vel dilatanda ma-xima semper animo volvebat.

407. *Troemortonus veneno sublatu.s.* — De-bilas tandem hoc anno in Anglia iniquitatum poenas luit Nicolaus Troemortonus, præcipuus (ut multoties vidimus) impiorum Elizabethie in

¹ Gabut. Vit. Ph lib. 3 c. 9. p. 105.

Scotia consiliorum administer, veneno, Camdeno teste (ut creditur) sublatus. Et ipsa Anglia terra in operibus ejusdem Elizabethae maledicta, novum proculit hereticorum tribulorum germen, quod *Unctorum*, nuncupatum est; de quo ista Rescius²: « *Uncti* (Sandro teste) orti sunt anno MCLXX in Suria Comitatu Angliae, apud Banstedium, ex Calvinistarum secta, Unto quodam duce; docent autem:

« Peccare neminem, nisi qui veritatem ab ipsis praedicatam non recipit.

» Totum Novum Testamentum dicunt rerum tuturarum prædictionem esse.

» Christum, quem semel venisse non negant, iterum ante diem judicii redditum expectant.

« Docent etiam, cui semel remissa sunt peccata, eum iterum non peccare.

« Doctis autem viris omnem prorsus fidem abrogant ». Ista Rescius ex Sandero, quæ etiam confirmat Genebrardus³ in Chronicō.

408. *Elizabethæ jugum prægrave excutere tentant et ipsi Hiberni.* — Quod demum audisti, inter capita ineunda pacis cum Scotorum regina, illud pariter fuisse, ut cum Hibernis hæc nulla consiliorum habere posset commercia; id factum scias, quod hoc ferme tempore, tyrannis Elizabethæ jngum Hiberni nonnulli excutere contendissent. Verum incaute commolitione detecta, nullum ex ea, vel religioni, vel reipublicæ beneficium accessit. Hac de causa Thomas Stuclejus Anglus, qui strenue Elizabethæ restiterat, ex Hibernia in Italiam transmisit; ubi cum Pio consiliis pluribus agitatis, de restituenda religione, tandem ex sententia facinus, quod suo loco narrandum erit, generoso animo aggrediendum suscepit.

409. *Sigismundus Poloniæ rex, pacis sequester inter imperatorem et principem Transylvanum; unde Pontificis litteræ gratulatoriae.* — Dum vero in Anglia religionis ac regni res potissimum armis aguntur; ea quæ diu in Maximilianum Cæsarem, et Joannem Sigismundum Transylvanicum principem dissidia intercesserant, tandem Spiræ (occasione comitiorum, quæ, ut dictum est, ibi habita sunt) terminantur; sive quod hic a Turcica societate, quæ, ut plurimum noxia atque infida esse consuevit, plus damni quam utilitatis in se derivasse cognoverit; sive quod rerum suarum securitati, aliter prospiciendum quam antea fecerat, existimaverit. Per utriusque igitur principis legatos, inter cælera in hoc præcipue conventum est, ut Transylvanus regio nomini et titulis, pro quibus et pater ejus et ipse per annos ferme quinquaginta funestis bellis acerrime dimicassent, impostorum cederet, et quodecumque aliud, præter re-

gium, sumeret: e contra vero Maximilianus enim, uti a regibus progenitum, serenissimi principis titulo decoraret. Ad concordiam hanc vero magis firmandam, illud animo meditabatur Transylvanus, ut ex propinquis Cæsaris aliquam sibi uxorem duceret, verum priusquam res ad effectum perduceretur, e vivis sublatus est, non tamen hoc anno, ut Neugebavars¹, et Adrianus² contendunt, sed sequenti, ut dicetur; in quem perperam e contra Spondanus pacificationem hanc rejicit.

410. Pacis hujus vero præcipius auctor fuit Sigismundus Augustus Poloniæ rex, Transylvani ejusdem principis avunculus, qui per Adamum Posnaniensem episcopum, eam curavit. Qui quidem Adamus, re ex voto feliciter confecta, de ea certiore reddidit Summum Pontificem; itlud etiam adjiciens, se minime diffidere Transylvananum ad Ecclesie Catholice gremium revocari posse. Id totum elicitor ex Epistolis, tum ad prefatum episcopum, tum ad eundem Poloniæ regem scriptis a Pio, cui nihil jucundius innotescere potuit, quam quod hac concordia, viribus Turcarum detractum fuerit; sive, quod perditam ovem, ad Christi ovile redire posse, spes aliqua illucesceret. Ad episcopum scripsit igitur³:

« Venerabili fratri Adamo episcopo Posnaniensi.

PIUS PP. V.

« Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Gavisi vehementer sumus in Domino fraternitatis tuæ litteras, decima nona die mensis Augusti Spiræ datas legentes, quibus de pacificatione, inter charissimum nobis in Christo filium Maximilianum in imperatorem electum, et serenissimum Transylvanicum principem, opera tua inita, nos certiores fecisti: qua ex re speramus eas omnes, ad rempublicam Christianam, adjuvante Domino, perventuras esse utilitates, quas, et tu prudenter adscribis, et nos una cum iis, quos ex ea ipsa pacificatione magnam lætitiam percepturos esse significas, Christianis principibus agnoscis. In ea re, non solum charissimi nobis in Christo filii Poloniæ regis constantiam ac prudentiam laudavimus, qui salutaris populo Christiano reconcilationis, quamvis antea frustra tentatæ consilium nunquam abjecit: sed etiam tuum juvandæ reipublicæ Christianæ studium, charitatem, solertiam ac dexteritatem, debitum, ut par est, in Domino laudibus commendamus; qui rem adeo impeditam, et per tot annos sine ullo successu agitatam, ex tua omniumque bonorum sententia confecisti. Quia vero, ut hujus pacis et cæterorum omnium

¹ Camden. ut sup. — ² Resc. Evangelic. sect. p. 412. — ³ Genebrard. in Chronic.

¹ Neugebar. lib. VIII, p. 628. — ² Hadrian. lib. XXI, p. 1558.

³ Ex Registr. Vatic. Vol. 2912. Epist. Pii V. ann. 1570, p. 214.

bonorum auctor est Deus, qui quod, et majestas sua in actione tam praelata suscipienda plantavit, ut fraternitas tua in ea ad optatum exitum perdirendam rigavit, et incrementum dare dignatus est? idecirco et nos, hujus pacis nomine, eas quas debuimus Omnipotenti Deo gratias egimus, et te idem pro tua spectatissima nobis erga Redemptorem nostrum pietate fecisse non dubitamus. Quod nisi propter eximiam bonitatem tuam, et singulare Catholicae religionis studium, egregiamque de republica Christiana hemerendi voluntatem, omnem exhortationem nostram supervacaneam esse intelligeremus: hortaremur fraternitatem tuam et ejusdem Transilvaniae principis, qui se ob eas, quas prudenter commemorat, causas spem percepisse scribit; ad Catholicam fidem reversionem, quibuscumque rebus posset, adjuvare. De cuius quidem principis in re militari virtute, nos eam opinionem habemus, ut existimemus eum Christianis partibus adjunctum, magni ad bene res contra Turcas gerendas momenti futurum. Sed quia pro certo habemus te, et hanc ipsam rem, et reliquas omnes quas reipublicae Christianae utiles esse perspexeris, diligentissime curaturum; neque ulli, de religione Catholica Christianaque populo bemerendi, tempori aut loco defuturum; idecirco hoc minime necessario hortationis officio praetermissso, fraternitati tuae significamus, gratissimum nobis accidisse, quod de toto istius pacificationis negotio, quid ab ea actum, confectumque sit, quidque imposterum, de eo ipso principe sperandum esse judicet, ad nos subtiliter diligenterque perscripscerit. Quod idem posthac, reliquis de rebus fidenter facere poterit, et ut oblata idonea occasione faciat, fraternitatem tuam in Domino vehemens hortamur ac requirimus. Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die decima quinta Septembris MDLXX, Pontificatus nostr. anno quinto ».

411. Altera Pii Epistola¹ ad regem Poloniae, sic se habet:

« Charissimo in Christo filio nostro, Sigismondo Augusto, Poloniae regi illustri.

PIUS PP. V.

« Charissime in Christo fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Certiores facti de concordia inter charissimum nobis in Christo filium Maximilianum in imperatorem electum, et serenissimum Transilvaniæ principem, majestatis tuae nepotem, inita, gratias egimus omnipotenti Deo, qui nos et rem publicam totam Christianam tali tantoque misericordia sua dono prosecutus est, simulque majestatis tuae virtutem ac constantiam laudavimus, quæ reconciliationis diu antea frustra agitatae consilium nunquam intermisit, donec ad-

juvante illo, a quo omnia bona sunt, Redemptore nostro, eam ipsam reconciliationem ad optatum exitum perduxit; in quo venerabilis fratris nostri Adamie episcopi Posnaniensis, qui majestatis tuae nomine ejusmodi negotium tractavit, singularem erga Deum Omnipotentem pietatem, eximumque de religione Catholica benemerendi studium, satis commendare non possumus: quippe qui rem omnium difficultissimam atque impeditissimam, sic prudentia ac ingenii dexteritate explicaverit, ut nos et omnes Christianos Catholicosque principes, ingenti tam felicis successus laetitia in Domino afficerit. Restat nunc, ut quoniam, adjuvante Deo, tam praelata tamque utilis reipublicæ Christianæ reconciliationis optatum exitum habuit, majestas tua reliqua, quæ expectamus, persequatur; et cum ipsum serenissimum Transilvaniæ principem, ut religionem Catholicam profiteatur, nosque, et sanctam Romanam Ecclesiam communem omnium Christi fidelium matrem agnoscat, hortetur: tum praeterea viros Catholicos, et idoneos in Transilvaniam mittat, per quos populi illi, ad veterem fidei Catholicæ professionem atque cultum, quoad ejus fieri potest, revocentur; quod eo quoque studiosius facere debet majestas tua, quo gloriosius futurum est, eum principem ac populos illi subjectos, omnipotenti Deo et ejus sanctissimæ Ecclesiæ, quam Cesari reconciliavisse. Quam quidem ad rem, et si majestatem tuam ita hortamur, ut majore animi nostri studio hortari non possimus; speramus tamen eam, pro suo divini honoris eximio zelo, etiam sine nostra hortatione id ipsum facturam esse: ut quam apud Deum omnipotentem gratiam, et apud homines laudem, tam salutaris reconciliationis actione suscipienda atque ad effectum adducenda sibi comparavit; hanc eandem tu vetere ac pristina apud eam gentem religione Catholica restituenda, magis augeat; sicut et in terris diu ac feliciter regnare, et in celo aeternæ beatitudinis premium accipere mereatur. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die xxii Septembris MDLXX, Pontificatus nostri anno quinto ».

412. *Pontificis zelus in purgando hereticis Transsylvania.* — Verum ex his, que, ut audi-
li, sibi significaverat Posnaniensis episcopus, de Transilvani principis conversione, tanto ejusdem desiderio cor Pontificis exarsit, ut sibi videretur nec hac Epistola ad Poloniae regem scripta, satis suo pastorali muneri satisfecisse; sequentem alteram idecirco, haud paulo post addidit, ¹ in qua vehemens Catholicae religionis in ea provincia propagandæ suum studium, his verbis aperit:

« Charissimo in Christo filio nostro Sigismondo Augusto regi Poloniae illustri.

¹ Ex Archiv. Vatican. ut supra, et apud Gaub. Epist. lib. IV, Epist. 42, p. 377.

¹ Ex Archiv. Vatican. ut supra, p. 221.

PLVS PP. V.

« Charissime in Christo fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Quamvis superioribus diebus pacificationis inter charissimum in Christo filium nostrum Maximilianum in imperatorem electum, et serenissimum Transilvaniæ principem nepolem tuum nuntio accepto, majestati tuæ, totique reipublicæ Christianæ eam pacificationem, per litteras gratulati fuerimus; et quædam etiam de ipso principe ad religionis Catholice professionem per majestatem tuam inducendo, adjecerimus; tamen pro nostro erga eam paternæ benevolentia affectu, cupientes, ipsam omnipotentis Dei, cuius perfecta sunt opera, virtutem, eo ipso adjuvante, quoad ejus fieri potest, imitari, majestatem tuam vehementer in Domino hortamur, eidem sernissimo principi nepoti suo omni, quam apud illum habet auctoritate interposita, persuadere conetur, ut in locis ditioni sua subjectis veræ Catholiceæque religionis cultum, quamprimum recipere, receptum constanter tenere, atque inde hæreticos advenas expellere velit. Quod si fecerit, pro certo habeat, nullum se, quam hoc, in rebus adversis, contra infideles firmius tutiusque præsidium esse habitum. Vanum est enim existimare, quemquam, vel potentissimum principem imperii sui fines civitatesque tueri posse, nisi eas Dominus custodiverit. Quomodo autem eas Dominus custodiet, nisi ei princeps per veræ religionis professionem adhæreat? Quo quidem officio, eo studiosius fungi debet majestas tua, quo, ut alii ad eam litteris seripsimus, aliquanto ipsi gloriösus futurum est, nepotem tuum, omnipotenti Deo, atque huic Sanctæ Sedi Apostolicæ, quam Cesari reconciliavisse. Etenim Cæsare reconciliato, videri potest illius imperio consuluisse. Si vero eundem Redemptori nostro sanctissimæque illius Ecclesiæ communioni restituerit, non solum de imperio illius conservando, sed de animæ ipsius salute sollicita fuisse videbitur; eujus quidem animæ, si ille in sua ditione religionem Catholiceam non admittens, detrimentum paliatur; quid ei, non modo Cæsaris reconciliatio, sed etiamsi universum mundum luetur, prodesse poterit? Decet autem præcioue majestatem tuam, serenissimo illi principi nepoti suo, ita consulere; ut quæ in eo pretiosior est, animam scilicet, ante omnia salvam atque incolunem esse studeat. Nam, quemadmodum est apud Apostolum: *Qui suis non providet, et maxime domesticis, fidem abnegat, et est infidelis deterior.* Quæ omnia, non ideo pluribus ad majestatem tuam verbis seripsimus, quod ejus erga serenissimum nepotem suum charitati pietatique diffidamus; sed ut nostro ipsi officio fungentes, paternæ nostræ erga utrumque vestrum voluntatis affectum, majestati tuæ declaremus. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo

Piscatoris, die vii Octobris MDLXX, Pontificatus nostri anno quinto ».

413. Secundum has Pii preces et monita, hoc erga nepotem pietatis officio Sigismundum perfunctum fuisse ignoramus. Unum id scimus, nec hæreticos advenas Transilvania ejectos; nec hæresi Ariana, in quam lapsus fuerat, ejurata, infeliciissimum principem, tam salutaribus monitis acquiesisse; sed potius, quod horrendum prope est, inter hæreticorum manus, inter quos præcipiūs Blandrata, miseram ac blasphemam animam, immatura morte præreptum, paulo post evomuisse, ut sequenti anno dicetur. Quo Pii dietum satis superque ac summo suo damno impletum est: nam, animæ eura neglecta, ex reconciliato Cæsare parum aut nihil utilitatis degustare potuit.

414. Infixus ipse fuerat magis quam antea hoc anno in limo profundi et in luto fæcis præfatae nefariæ Ariana hæresis, ab ipsis hæreticorum ministris, occasione disputationum, quas illi ad populum Transilvanum magis obcecanendum, Albæ Juliae instituerunt; de quibus ista Rescius¹: « Sumptis alis, erexitque ad omnem audaciam animis, Ariomanitæ post Varadinensem disputationem, studio ac voluntate sui principis longe quam ante liberius uti abutique ceperunt: et promulgata in omnes partes Evangelii profitendi libertate, tanquam signum quadam erexerunt, ad quod omnes Christi inimici, armis et animis armati concurrerent; Alciatus, Socinus, Stancharus, Paleologus etc. Tum demum vero, omni mente, metuque projecto, omnia, et auribus Christianis intolerabilia, in Christum Dei Filium, et in nomen Sanctissimæ Trinitatis evomere, sine chamo et fræno cæperunt, tum libris editis, tum institutis publicis colloquiis et disputationibus. Extant Albanæ disputationes octo, ni fallor, a Blandrata editæ; extant aliæ et theses et disputationes editæ ab ejus discipulo Franciseo Davidis; in quibus nil aliud agebatur, quam loca Scripturæ sacrae, tam a Catholicis, quam a Calvinistis, pro Christi divinitate collecta, scriptisque comprehensa, malitiosissime insidiosissimeque refutabantur; quæ nec hujus temporis, nec nostri instituti est isto loco, vel producere, vel refutare; plerosque enim in Capite iv de SSma Trinitate attigimus; et omnia copiosissime, solidissimeque, et comprehensa et refutata sunt a viro doctissimo, et nobis amicissimo patre Bellarmino, insigni Societatis Jesu Theologo, lib. primo de Christo ». Sic ille, qui addit Calvinistas nihilominus sibi causæque suæ nunquam defuisse; quia, ait, facilius est unum sanum ferre duos ægrotos, quam duos ægrotos se invicem, ut hæreticus Calvinista, Trideistam. Ideoque multos et acerbos libros Antitrinitarios in Blandratam et Davidem

¹ Resc. in Evang. Conventic. p. 154.

edidisse refert, eos accusantes, quod Mahometismo, et Iudaismo viam sternenter, nec alia in re a Turcarum perfidia dissentirent, nisi quod Christi nomine, et Christianorum Scripturis ute-
rentur. Meminit autem prefatae Albæ-Juliensis
conventicula præter alios, etiam Remundus¹.

415. *Pius statuit evellere abusus e quibus-
dam Hispaniarum Ecclesiis.* — In Hispania tandem
hoc anno, ut superiori innuimus, Granatensi
bello finis impositus, id præcipue curante Pio;
qui Constitutione quarto Nonas Januarii edita,
quamvis perperam Bzovius² sub anno MDCXVII
ponit, ex Hispaniarum quibusdam Ecclesiis,
qui irrepserant quosdam abusus evellere stu-
duit. Quinam vero ii fuerint, accipe, ex Constitu-
tione ipsa³, quam hic damus:

«Pius episcopus, servus servorum Dei, ad
perpetuam rei memoriam.

«Quam plenum sit periculi, noxia populis in-
gerere, nimium his temporibus afflita religio
testatur: quod malum, cum in cæteris ministris,
tum præcipue in Ecclesiarum prælatis animad-
vertendum est, quod ab his temere profecta,
longe maxima Ecclesiae Dei conferant detrimen-
ta. Rem sane indignam audivimus, quod non
solum quondam Gomesius Tello Giron, tempo-
rarius administrator Ecclesiae Toletanae, sed
etiam quidam Hispaniae Ecclesiarum præsules,
officii paterni prætexu, facultates sibi a sacris
canonibus concessas excedentes, litteras suas in
ipsorum civitatibus ac diæcesibus ausi sunt pu-
blicare, quibus inter cætera periculosa depres-
henditor, quod cuiuscumque illas accipienti, certa
soluta pecunia, licitum sit, quem voluerit, sibi
sumere sacerdotem, qui Confessione auditâ ip-
sum absolvere valeat, non in eis tantum casibus.
in quibus simplex sacerdos absolvere potest,
sed etiam in eis, qui solis episcopis reservata
reperiuntur; aliquo præterea easu admixto, ve-
luti Simoniœ reatu, qui ad examen hujus Sanctæ
Sedis esset referendus. Non animadvertisentes
ipsi præsules et administratores, quam periculoso
sit ea passim ineeris personis committere,
quæ ad episcoporum judicium arbitriumque
idecirco deferuntur, ut qui melius lepram a le-
pra discernere norint, causis et circumstantiis,
subtili indagine exploratis, salutaria cuique
morbo remedia valeant adhibere. Ad hæc ipsi,
in dispensandis cælestis gratiae donis nimium
prodigi, iis sic litteras prædictas accipientibus,
Indulgentias et paenitentiarum injunctarum re-
missiones, nulla cum re temporali conferendas,
profusus et indiscrete largiuntur. Quibus et
aliis licentiis prædictis, non pauci fluctuantes
et infirmi, veniae facilitate indueti, ad peccan-
dum procliviores fiunt, quando tot et tan-
torum delictorum remissionem, certo et uti-

lissimo prelio acquirere posse confidunt. In-
dicem præterea casum et Indulgentiarum
ædibus sacris appendi jussérunt, quo palam si-
gnificatur solventibus suprascripta concedi; et
inter alia, absolvendi tacitatem ab esu prohibi-
tarum tribui, itemque indulgeri Missæ Sacrifi-
cium, et sepulturam tempore Interdicti: as-
sumptionem duorum plurimi compatrium
ad sacrum baptisma, præter eos, qui Synodali-
bus, ut dicunt, Constitutionibus asciscuntur;
reparationem Ecclesiarum, erectionem Contrac-
trum, et alias pias causas prætexendo.

«Cum igitur, inter cetera scandala, etiam Si-
moniae pravitas redoleat ex prædictis sacri Con-
ciliï Tridentini decretis et aliis sanctionibus
canonicis: nostræ præterea Constitutioni¹, de
Indulgentiis ad quæstum non emittendis averse-
tur, clavum auctoritas vilescat, et paenitentialis
satisfactio enervetur. Nos his malis celeri re-
medio occurrentum, eademque opera futuri
præcavendum fore censentes: de Apostolicæ
potestatis plenitudine, supradicti omnia, que
ipsa Toletana et quibuscumque aliis civitatibus,
diæcesibus, et locis, tam Hispanie quam alia-
rum quarumque provinceiarum et regionum,
quoquinque prætextu hueusque emanarunt:
perpetuo abolemus, ac nulla et irrita nuntia-
mus; jubemusque litteras, et indices, ne non
scripturas, et monumenta quæcumque publica
et privata, per ipsos locorum ordinarios, et alios
Ecclesiarum rectores, ubicumque reperiuntur,
dilacerari penitusque deleri. Et ne talia de cæ-
tero a quoquam fiant publicentur vel concedan-
tur, districtius prohibemus.

«Quicumque secus egerint sive attentave-
rint antistites, etiam si cardinalatus honore præ-
fulgeant, ab ingressu et perceptione fructuum
suarum Ecclesiarum, tamdiu suspensi jaceant:
donec satisfactione prævia, illis per Sedem præ-
dictum suspensio relaxetur. Inferiores vero ab
episcopis sententiam Excommunicationis incur-
rant, a qua nisi in mortis articulo constituti, ab
alio, quam Romano Pontifice absolutio beni-
ficium nequeant obtinere. Recurrentes etiam
irritum et inane, quidquid secus, per quem-
cumque, quavis auctoritate, scienter vel igno-
ranter contigerit attentari.

«Volumus autem etc. Datum Romæ apud
S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MDCXX.
quarto nonas Januarii, Ponflicat. nostr. anno
quinto». Ejus autem publicatio hoc anno, quem
prædiximus die, facta fuit.

416. *Mira fidei Catholicæ propagatio inter
Mexicanas regiones.* — Ex nova autem Hispania,
in qua Dominus, gentibus ejectis, et abolito ido-
lorum cultu, Catholicæ fidei vineam fecundissimam
plantaverat; tot tamque uberes fructus
hoe anno ad Pium allati sunt, ut merito aliud

¹ Remund. Hist. heres. lib. V, cap. x, p. 52. — ² Bzov. ad
ann. 1568. — ³ Extat in Bullar. estque Const. 30.

¹ Extat in Bullar. Constit. 99, p. 302.

sibi semen dedit Deum fateri posset, pro eo, quod haeresis in Anglia, Transilvania, aliisque regionibus immanissime occiderat. Romani si quidem pervenit Stephanus quidam Faruffinus, natione quidem Italus, quippe qui Alexandriæ in Mediolanensi ditione ortus fuerat, sed tunc incola Mexicanus, qua in civitate domicilium fixerat: vir summae probitatis, detulitque ad Pontificem plura, quæ ad Ecclesiæ earum regionum regimen pertinebant. Quibus Pius libentissime auditis, pro pastorati universalis Ecclesiæ suæ munere, singulis quibuslibet rebus consilere sagedit, atque in primis, ad Mexicani archiepiscopi litteras¹, in tunc modum respondit:

« Venerabili fratri Alphonso archiepiscopo Mexicano.

PIUS PP. V.

« Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Lectis litteris tuis, quas xxx Martii die, superioris anni datas, per dilectum filium Stephanum Farruffinum, fraternitas tua ad nos misit, magnas omnipotenti Deo egimus gratias, quod de populorum istorum pio devotionis affectu, et Catholieæ religionis studio, atque ad Christianam doctrinam percipiendam propensione, ea ad nos scripsit, quæ vehementer nos cupiebamus: quæque cognita, magnam in Domino lætitiam merito nobis attulerunt. Quod enim in istis regionibus ita augetur sanctæ Ecclesiæ populus, ut quandoque (sicut scribis) quinque milia hominum una die a fraternitate tua baptizati sint; hoc divinæ misericordiæ præclarum munus esse dignoscitur, quæ, quod in variis orbis Christiani partibus, hisce calamitosissimis temporibus, sugerente diabolo, Christiani nominis hoste, Ecclesiæ Dei subtrahitur; hoc tot tantisque isthie animarum lueris, sarcire ac compensare dignatur. Qua in re fraternitatem tuam id solum monemus, diligenter operam det, ut qui baptizandi sunt, antequam Baptismum suscipiant, ea, quæ fidei Christianæ sunt edoceantur, et quantum satis est chatechizentur; ne si illotis, ut ainut, manibus, ad tale tantumque sacramentum accedant, ad infidelitatem rursus revertantur. Quanquam vero, ubi plurimæ segetes sunt, ibi manifesta sit fortitudo bovum, ob eamque causam supervacaneum esse videatur, te ad pastorale officium Ecclesiæ tuæ præstandum incitare: tamen pro officio nobis, quamvis indignis, ab omnipotenti Deo commisso, fraternitatem tuam in Domino hortamur, ut presbyterorum inopiae, qua laborare istam Ecclesiam scribis, quibus potest remediis, mederi conetur; quod fieri potest, tum hi qui ad religionem Christianam propensiores videntur, ad suscipiendum sacerdotium excitentur, tum eorum ipso-

rum qui adsunt sacerdotum industria aeuatur. Quod autem a nobis postulas, ut quarundam isthie mulierum, quæ habitum S. Claræ suscepserunt, clausuram confirmare, eisque professionis faciende potestatem permittere velimus; id libenter fraternitati tuæ concessimus, confirmationisque litteras nostras Apostolicas scribi, atque ad te mitti mandavimus. De Indulgentia quoque, qua tibi, ad majorem istius Ecclesiæ frequentationem, a nobis concedi vis, morem gessumus voluntati tuæ: tibique decem annorum Indulgentiam concessimus. Stephanum vero ipsum Farruffinum, quem nobis commendas, probitate sua testimonioque tuo adducti libenter vidimus, et ea, qua decuit benignitate audivimus; paternam erga eum benevolentiam voluntatemque nostram, quibuscumque cum Domino poterimus indiciis, semper declaratur: quem nos viceissim fraternitati tuæ multum et ex animo commendamus; quidquid in eum beneficii, nostra inducetus commendatione, contuleris, grato animo accepturi: cuius eliam orationi, in his, quæ tibi exponet, fidem habebis. Omnipotens Deus te, venerabilis in Christo frater, pro nobis orantem semper custodiat. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die n April. ann. millesimo quingentesimo septuagesimo, Pontificatus nostr. anno quinto ».

417. Sub eodem etiam die, alteram quoque ad ipsum Mexicanum archiepiscopum scriptam a Pio Epistolam reperimus, qua illi mandavit, ut *Gloria Patri* etc. in tribus Canticis, non organi sono modulari, sed in tota Mexicana provincia, chori vocibus in Ecclesiis cantari præcipere. Illud siquidem moleste ferentes aliqui, sed præcipue quidam Petrus Lopez medieus, ea de re apud Pontificem conquestus erat; et insuper enixe pelierat, ut in omnibus religiosorum Ecclesiis Symbolum caneretur. Epistola Pii igitur ad archiepiscopum Mexicanum¹, sic se habuit:

« Venerabili fratri Alphonso archiepiscopo Mexicano.

PIUS PP. V.

« Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Quorundam istius provinciæ piorum hominum divini honoris zelo devotionique, quantum in nobis est et ratio postulat, satisfacere volentes, qui hunc versiculum *Gloria Patri*, et *Filio* etc. in fine trium Canticorum; hoc est: *Nunc dimittis*, etc. *Magnificat* et *Benedictus*, cantari solitum, cum in diebus præcipue festis, submissa voce a choro recitari, ob eamque causam, illo devotionis affectu, quem ex ejus auditu aliqui percepturi fuerant, se privari moleste admonuerant; fraternitati tuæ mandamus, ut post hac, in omnibus Ecclesiis istius provinciæ, in

¹ Ex Cod. 2912. Archiv. Vat. Epist. Pii V. ap. 5, p. 63.

¹ Ibid. ut supra. p. 72.

quibus divina officia celebrantur : cundem versiculum, non quemadmodum huc usque factum esse audivimus, submissa, sed alta voce cani jubeas atque constitutas. Quod ita denum com mode fieri continget : si primus quisque eorumdem Cantorum versus, chori vocibus cantu que inchoabitur, non autem cum organi sono modulabitur ; quemadmodum te ipsa fraternalis tua experiri poterit. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die 11 April. ann. millesimo quingentesimo septuagesimo, Pontificatus nostr. anno quinto ».

418. Ad Lopez autem rescripsit :

« Dilecto filio Petro Lopez medico. »¹

PIUS PP. V.

« Dilecte fili, salutem etc.

« Litteras tuas superiore ann. xxii die Martii ad nos datas, libenter legimus, et postulatum luum de hoc Versiculo *Gloria Patri* etc. in tribus, quæ scribis Canicis, ipsius chori vocibus humaniis canendo, non autem organi sono modulando, libentissime cognovimus. In ea re pietatis tuae studium amavimus, plurimque istum erga Omnipotentem Deum tuæ devotionis affectum, vehementer in Domino commendavimus, et commendamus. Scribimus autem super ea re ven. fratri nostro archiepiscopo Mexicano, eique mandamus, ut posthaec in omnibusc Ecclesiis, sive monasteriis, in quibus divinorum Officiorum laudes canuntur celebrantur ; cum, quem scribis, morem servari jebeat. Symbolum quoque in omnibus Ecclesiis Religiosorum vocibus cani volumus etc. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die 11 Aprilis MDLXX, Pontificatus nostri anno quinto ».

419. Ita, dum diabolica fraude decepti, ac deceplores putidissimi haeretici in Transilvania, ut nuper dicebamus, sanctam ac individuam Trinitatem nefarie blasphemant : eodem ipso tempore fidelium se canentium ora Deus aperit, ut non deficiat laus ejus de ore hominum ; et Pius, ut de magno illo Gregorio referat Joannes Diaconus, ² more sapientissimi Salomonis, inter innumeratas Pontificalis oneris curas, modulatio nis ac cantus rationem scile distinxit ac temperavit. In Ecclesia autem Mexicana, inter caelera officia illud recenseri quoque consuevit ejus, ad quem organum pulsare pertinebat ; illa ostendunt, quæ in Concilio Provinciali Mexicano haud multo post celebrato, anno nempe Domini MDLXXXV, habentur his verbis : « Officium organistæ, qui organa in diebus festivis, et aliis temporibus, ad votum prælati, vel capituli pulsare teneatur. » De Alphonso vero hoc archiepiscopo Mexicano, ista leguntur in Catalogo præsumum ejusdem Ecclesiæ, ab amplissimo cardi-

nali de Aguirre ³, in maxima sua Collectione Conciliorum Hispaniae edito :

« Secundus archiepiscopus numeratur D. Fr. Alphonsus de Montuphar, natus Logie in Hispania, professus in Religionem S. Dominicæ, in Caenobio S. Crucis Granatensis : ob pietatem et doctrinam electus ad eam Ecclesiam regendam, anno MDLXVII, in qua magno cum animarum fructu, et admiranda erga egenos misericordia præfuit ac profuit, usque ad annum MDLXIX, vitæ octogesimum, in quo, post longam infirmitatem, spiritum Deo reddidit ». Sic ibi ; ex quo facite cognosces, cum ipsius litteræ ad Pium delatae fuerint, vel Pius ad illum rescripsit, jam e præsenti vita migrasse.

420. Nihilominus Summi Pontificis monita, Alphonso etiam e vivis sublato, nil minus eidem Ecclesiæ proluisse, facile colligere est ex his, quæ in praefato Mexicano provinciali Concilio ², deinde de baptizandis statuta sunt ; vel quod Pii præceptis Patres ii prospexerint, vel quod experientia tandem didierint, quam prudenter, quam probe et caute ambulantum cum iis, qui sacris Christianorum initiantur, Pontifex præcepisset ; nam inter cetera ista decrevisse repemus :

« Cum plerique fidei documenta, ac vim et rationem sacramentorum ignorent ; quaque debant animi dispositione ad sacramenta accedere non intelligentes, eadem infructuose suscipiant, quo sit, ut Christiano charactere insigniti, Christianum institutum minime teneant ; ne hoc malum latius manaret, statuit hæc Syndodus, ut nullus curatus, sive sacerdotalis, sive regularis, sacramentum Baptismi adultis tribuat, si prius fide Catholica instruendi non fuerint, aut saltem lingua sua familiari non didicerint Orationem Dominicam, Symbolumque Apostolorum, decem præcepta Legis, ac de peccatis suis aliquod doloris signum præbeant. Quod ut melius fiat ³, parochi antequam adultos, temporibus statutis, sancto Baptismate intingant ; qui, et quam sint idonei Baptismum suscepit, episcopo, seu ejus vicario, ubi com mode fieri poterit, notum faciant, etc. » Et praefato Titulo ¹ de Baptismo : « Quoniam adulti prius baptizari non debent, quam in rebus fidei Catholicae sufficienter instruantur, ut titulo de Summa Trinitate et fide Catholica præmissum est ; ideo, ubi adulorum numerus reperiatur, ut accuratius ii eruditiri procurent, deque eorum sufficientia melius constare possit ; duo solemnnes Baptismi, juxta consuetudinem primitivæ Ecclesiæ celebrentur ; alter in Resurrectione Domini, alter vero in Pentecoste. Ante Baptismum autem Cathecumeni examinenetur,

¹ Ex Archiv. Vatic. ut supra p. 73. — ² Jo. Diacon. Vit. S. Greg. Magn. lib. II, cap. vii, p. 23.

³ Aguirr. Collect. Max. Concil. Hisp. p. 485. Conc. Mexic. §. 14. Ibid. ut sup. p. 413. — ² Concil. Mex. ut supr. lib. I, tit. I, §. 1, de Sacram. doctr. Christ. p. 298. — ³ Titulo de Baptism. et ejus effectu. — ⁴ Ibid., ut supr., lib. 3, tit. 46, p. 358.

adhibita diligentia, ut eo intervallo temporis, quod est inter unum et alium Baptismum, mysteria fidei ediscant. Heri vero servorum qui baptizandi sunt, eos mittere compellantur ad locum, ab episcopo deputatum, ut ibi documentis Christianae fidei imbuantur ».

421. *S. Claræ coronobium in Mexicanæ civitate Pius confirmat.* — Super clausura etiam mulierum, quæ habitum S. Claræ in civitate Mexicanæ suscepserant; eadem, quæ ad archiepiscopum, ad cives Mexicanos scripsit ¹ hoc modo :

« Dilectis filiis civitatis Mexicanæ.

PIUS PP. V.

« Dilecti filii, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Quod a nobis litteris vestris trigesima Martii die superioris anni datis postulavistis, ut quarundam in ista civitate seminarum, quæ habitum S. Claræ suscepserunt, clausuram confirmare litteris nostris Apostolicis velimus, eisque faciendæ professionis potestate permittere; id libenter, tum vestro, tum venerabilis fratris nostri archiepiscopi vestri testimonio adducti fecimus; confirmationisque litteras dilecto huic filio Stephano Faruffino ad vos perferendas dedimus; quem quia virum bonum ac pius cognovimus, idcirco dilectionibus vestris commendamus; cuius orationi in his, quæ vobis exponet, fidem habere poteritis. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die secunda Aprilis millesimo quingentesimo septuagesimo, Pontificatus nostri anno quinto ».

422. *De pluribus ad Ecclesiam Ilascensem pertinentibus agit Pontifex apud legatum Faruffinum.* — De aliis pluribus autem, ad earum regionum Ecclesias pertinentibus, quæ nos latent, egisse cum Pio præfatum Stephanum Faruffinum; et ex his, quæ proposuimus vel mox addenda erunt, tum præsertim, ex Epistola, quam ad episcopum et capitulum Ecclesiae Ilascensis dedit, manifestum appareat. Dicit enim :

« Venerabili fratri episcopo, et dilectis filiis capitulo Ecclesiae Ilascensis.

PIUS PP. V.

« Venerabilis frater, et dilecti filii, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Quæ dilectus filius Stephanus Faruffinus, ad istam Ecclesiam pertinentia, fraternitatis tuæ capitulique tui nomine, nobis exposuit, attente, et ea qua decuit benignitate audivimus; eumque ipsum Stephanum a vobis commendatum, virum bonum, et Catholicæ religionis admodum studiosum cognovimus; cui etiam

nostram, quibuscumque rebus cum Domino possumus, tum sua tum vestra quoque causa gratificandi voluntatem significavimus. Ei autem ad vos revertenti mandavimus, at super eisdem rebus, de quibus vestro nomine nobiscum egit, animi nostri sensum, uberioris ad vos deferat. Itaque ejus orationi in his, quæ vobis nostro nomine (adjuvante Domino) expositurus est, fidem, sine ulla hæsitatione præstabitis; pro certo habentes, nos in his, quæ ad obsequium Omnipotentis Dei, vestræque Ecclesiæ utilitatem pertinebunt, quemadmodum debemus, nullo vobis inquam loco defutatos. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die secunda Aprilis MDCXX, Pontificatus nostri anno quinto ».

423. *Antequarense Ecclesiæ inopia laboranti subvenire Pius hortatur Hispaniæ regem.* — At inter cætera ad Pium ex nova Hispania delata, ex quibus gaudium ac latitiam accepit, unum tamen fuit, quod animo ipsius non levem molestiam attulit. Audivit siquidem Antequarensem Ecclesiam adeo inopia laborare, ut quod juxta Tridentini Concilii decreta, ejusdem Ecclesiæ episcopus seminarium instituerat, infectum deserere cogeretur. Eo vero redacta illa Ecclesia fuerat, quod regii ministri ipsius ei redditus detraxissent: nam quod populi, decimarum nomine, Ecclesiae eidem solvere consueverant, id isti in regium conferre tributum ecegebantur. Hoc autem, plusquam excogitari queat, gentium illarum conversioni incommodeum afferebat; nam cum in ea regione, messis quidem esset multa, operarii vero pauci, sublato seminario, ex quo ministri ac sacerdotes idonei, qui animarum lucris ac saluti incumbent, prodire possent: præ ipsorum sacerdotum inopia, gentiles illi, e tenebris infidelitatis emergere nequivant, unde futurum erat, ul juncta illud : *Parvuli peterent Verbi Dei panem, et non esset, qui frangeret eis.*

424. *Huic malo occurrere volens igitur, pro pastoralis officii munere Pius, ubi de his certior esseclus est, isla statim ad Catholicum regem Philippum ¹ scripsit:*

« Charissimo in Christo filio nostro Philippo, Hispaniarum regi Catholicæ.

PIUS PP. V.

« Charissime in Christo fili nostro, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Quo magis majestatis tuæ eximia in Deum omnipotentem pietatis, et singulare Catholicæ religionis studium nobis perspectum; eo libentius ad ejus opem confugimus in his rebus, quas ad divini cultus observantiam pertinentes, auxilio favoreque suo indigere cognoscimus. Quia vero nuper ad nos allatum est,

¹ In Registr. Vatic., ut supra, p. 67.

¹ Ex Archiv. Vatic., ut supra, p. 61.

Ecclesiam Antequerensem, quae est in partibus Indianorum in nova Hispania, ad majestatis tuae ditionem spectante, ob exiguos illius redditus, magna inopia laborare; sic ut, ob eam causam, neque institutum ab ejus episcopo, ex Concilio Tridentini decreto, seminarium hucusque absolvi potuerit, et divinus illie cultus, non parum detrimentum accipere cogatur; idcirco visum est nobis majestatem tuam, quemadmodum his litteris facimus, vehementer in Domino hortari, ut qua commodiori poterit ratione, ejus inopiam Ecclesiae subtevare, animarumque illarum saluti consulere velit. Ut enim nos, pro officio nobis, quamvis indignis, ab Omnipotenti Deo commisso, omnibus Ecclesiis spiritualia quaecumque cum Domino possumus officia libenter praestamus; sic majestatem tuam decet, pium hoc nostrae voluntatis studium, pro sua parte adjuvantem, temporatio bona, sine quibus Ecclesiarum status consistere non potest, indigentibus Ecclesiis, his praesertim, quae in regnis suis constituta sunt, suppeditare; ut hac maxime ratione, et majestatis tuae erga omnipotentem Deum merita augantur, et sacerdotes ipsi tuae benignitatis auxilio adjuti, pro majestatis tuae salute, regnorumque tuorum incolumitate, pias ad Deum preces fundere possint. Datum Romae apud S. Petrum sub anno Piscatoris, die secunda Aprilis, anno millesimo quingentesimo septuagesimo, Pontificatus nostri anno quinto ».

425. Optime (ut innuimus) noverat Pontifex causam, ob quam Ecclesia ista egestate premebatur; nihilominus ad regem scribens, ut illi opem deprecaretur, prudenti ac vere Christiano consilio negotium aperuit, criminis vero auctores reticuit, ut cum remedium malo praestotatur, alicui damnum non inferret; abs re enim non erat censere regem justa indignatione commotum, severissime animadversurum in eos, qui regii sui juris specie, Ecclesiae decimas subtraxissent. Hæc enim, rege ipso in seio, perpetrata fuisse, absque dubio existimandum est.

426. Eadem vero moderatione ac prudentia, de his eum Philippo coram agere mandavit Pontifex archiepiscopo Rossanensi, suo ac Apostolice Sedis apud illum nuntio; ad quem tamen de hoc negotio paulo liberius hoc modo scripsit:

« Venerabili fratri archiepiscopo Rossanensi¹, nostro et Sedis Apostolice apud regem Hispaniarum nuntio.

PIUS PP. V.

« Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Magno cum animi nostri dolore, nuper eognovimus venerabilem fratrem nostrum epis-

copum Antequerensem, cuius Ecclesia est in partibus Indianorum in Nova Hispania, magna ab illius Ecclesia, canonicorumque suorum redditus inopia laborare; sic ut neque institutum a se, ex Concilio Tridentini decreto, seminarium hucusque perficere potuerit, et alia multa ad animarum fidei sua commissarum salutem necessaria, prætermittere cogatur; quo fit, ut divinus illie cultus, religiosis ob eamdem causam deficientibus, non parvum quotidie detrimentum accipiat. Hoc autem idcirco fieri intelligimus, quoniam quod populi illi decimorum nomine solvere solebant, id in tributum regium conferre coguntur. Quarum rerum calamitate atque indignitate, non secus ac æquum est commoti, his tot tantisque ejusdem Ecclesie incommodis, qua ratione possumus, mederi volumus. Sed quia, si haec a te, uti ad nos delata sunt, serenissimo regi Catholicæ exparentur, majestati sue odiosa, et nimis molesta fore videbamus; ideo quanquam te haec ipsa scire volnerimus, tamen eadem majestati tuae ita dicere notumus: sed adhibita quadam, quæ adhiberi potest, dexteritate, cum majestate sua diligenter agere jubemus, ut qua commodiori potest ratione, ejus Ecclesiae inopiam velit sublevare. Cujus quidem officii fungendi, nullam ipsi fraternitati tuae rationem prescribimus, sed totam ipsam rem solertiae ac prudentia tuae gubernandam relinquimus. Hoc tamen majestatem tuam intelligere cupimus, ejusmodi negotium, perinde ac æquum est, nobis cordi esse. Datum Romæ apud S. Petrum sub anno Piscatoris, die secunda Aprilis, anno millesimo quingentesimo septuagesimo, Pontificatus nostri anno v ».

427. De his vero, quae apud Catholicum regem egerat, certiore reddidit Pontifex ipsum episcopum Antequerensem, ejusdem litteris his verbis respondens¹:

« Venerabili fratri episcopo Antequerensi in partibus Indianorum in nova Hispania.

PIUS PP. V.

« Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Dilectum filium Stephanum Farullinum, qui fraternitatis tuae litteras xii die Martii superioris anni datas, nobis reddidit, libenter admodum vidimus, et nobiscum loquentem, qua decuit, benignitate audivimus; virumque bonum ac pium, quemadmodum fraternitas tua eisdem litteris testator, judicavimus, cui etiam et testimonio tuarum litterarum adducti, et commendationis tuae eam, quam debemus, rationem habere volentes, quibuscumque rebus cum Domino poterimus, libenter gratificabimur. Te autem in regenda ista, cui Omnipo-

¹ Ex Archiv. Vatic., ut supra, p. 68.

¹ Ibid. ut supra, p. 65.

tentis Dei providentia praepositus es, Ecclesia, nihil earum, quas polles, rerum omittere, gregemque fidei tuæ ereditum, salutari doctrinæ patibulo diligenter pascere, adeo libenter acceperimus; ut et ipsi, magna ex ea re lætitia in Domino affecti fuerimus, et ob eam causam Redemptori nostro gratias egerimus, qui sicut te ad animarum curæ tuae commissarum salutem sedulo providendam excitavit, sic etiam laboris tui meritum non deseret. Quæ vero ad nos scripsisti, de religiosorum inopia: de his, qui vel propter locorum longinquitatem sine Extreme laetationis sacramento e vita discedunt; vel propter fidei imbecillitatem sanctissimam Eucharistiam sumere et sacros Ordines suscipere prætermittunt; ea nobis, ut par est, molesta fuerunt; fraternitatemque tuam hortamus, et quo majore animi nostri studio possumus, rogamus, ut quantum fieri potest, his incommodis mederi conetur. Confessorum inopiae, vel excitandis ad sacerdotium his, qui ad pietatem Christianam propensiores videbuntur, sublevare; vel eorum ipsorum, qui adsunt sacerdotum accuratori diligentia sarciri potest. Imbecillitati autem fidei succoremendum est, populis istis frequenter monendis, hortandis, et ad Catholicæ religionis studium, verbo et exemplo, quoad ejus fieri potest, excitandis atque inflammans; nam quia, ut scribis, doctrinam Christianam et libenter percipiunt et perceptam memoria retinunt; desperandum non est eos, adhibita quæ adhiberi debet diligentia, ad perfectiorem pietatem, adjuvante Domino proficere posse. Gratissimum quoque nobis fuit, et seminarium, quod scribis, triginta virorum, ex sacri Tridentini Concilii decreto instituisse, in eaque re studium tuum, divinique honoris zelum vehementer in Domino commendamus. Quod vero ob exiguos istius Ecclesiæ tuorumque canoniconorum redditus, vereri te seribis, ne hoc opus a te institutum deserere cogaris, ob eamque causam, nostrum auxitum favoremque imploras; nos ea de re ad charissimum in Christo filium nostrum Hispaniarum regem Catholicum scripsimus, cumque ad sublevandam Ecclesiæ inopiam, religionisque Catholicæ cultum, apud istos populos, quibus potest facultatibus adjuvandum, diligenter hortati sumus. Scripsimus etiam eodem tempore ven. fratri Joanni Baptista archiepiscopo Rossanensi, nostro et Sedis Apostolicæ apud eum nuntio, ut eadem de re apud majestatem suam Catholicam, nostro nomine diligenter ageret, speramusque eam, ob eximiam suam in Deum omnipotentem pietatem, tuis Ecclesiæque tuæ incommodis, aliquam opem esse allaturam. Reliquis de rebus, ad Ecclesiarum istarum statum pertinentibus, prædicto Stephano mandavimus, ut tibi cæterisque fratribus coepiscopis animi nostri sensum copiosius significaret,

cujs orationi fraternitas tua fidem habebit. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die secunda April., ann. millesimo quingentesimo septuagesimo. Pontificatus nostri anno quinto ».

428. Repellit Pontifex instantias episcopi Mecuanensis contra regulares. — At cum communis omnium novarum Hispaniarum episcoporum, nt audisti, ea esset querela ad Pium delata, de paucitate videlicet operariorum in magna messe: hinc haud parum miratus est Pontifex, eum ex Epistolis Mecuanensis accepit, et ipsum pariter conqueri, quod ad propagandum in ea regione Christi Evangelium ministri ac sacerdotes decessent: deinde vero querinoniam apud se moveret, de Eremitanis Ordinis S. Augustini Fratribus, aliisque religiosis hominibus, qui primi omnium fidem in barbaras eas nationes invexerant; quod ii, privilegiorum suorum auctorati innixi, episcopalem maiestatem parvipendere viderentur. Qui quidem excessus, etiamsi adiuisset, pro tempore saltem, tum tolerandus vel dissimulandus cognoscebatur; ne earum gentium conversioni inopportune mota quæstio, ac excitatum dissidium, impedimento esset. Ad præfatum episcopum igitur, justa indignatione commotus Pontifex¹, ista respondit:

«Venerabili fratri episcopo Mecuanensi.

PIUS PP. V.

«Ex litteris tuis xxi Martii die superioris anni ad nos datis, magna cum animi nostri lætitia cognovimus id, de quo venerabilis quoque frater noster archiepiscopus Mexicanus, suis litteris eodem ferme tempore scriptis, nos certiores fecit: populos istos, scilicet, quæcumque fides nostra Catholicæ eredenda proponeat, ea omnia fideliter ac firmiter credere, doctrinamque Christianam memoriter tenere; aliquos vero ex his, etiam fidem nostram, materna æ vernacula illorum lingua, cæteris prædicare. Cujus rei nomine, omnipotenti Deo eas, quas debuimus, gratias egimus, qui homines ad imaginem similitudinemque suam creatos, non passus est in errorum tenebris infidelitatisque cæcitate permanere. Quamvis autem pro certo habeamus te gregi fidei tuæ eredito pastorale officium diligenter præstare, tamen memores omnium Ecclesiarum sollicitudinem nobis, quamvis indignis esse a Deo impositam, prætermittere pro officio nostro non possumus, quin te ad idem fraternalis quoque nostris hortationibus excitemus; quam quidem ad rem plurimum conferre videtur divinæ charitatis cogitatio; nam si qua Christus universam Ecclesiam charitate dilexerit, tecum reputabis: admirabilem quamdam exardescere in te sen-

¹ Ex Archiv. Vatican., ut sup., p. 71.

ties erga tuam Ecclesiam benevolentia magnitudinem. Si vero, quæ bonis fidelibusque pastori bus reposita sit in celo merees, cogitabis: omnia tibi in terris vilescent, de coelestibus præmiis cogitant. De Fratribus autem Augustinianis, ceterisque, quos animarum curam, Ordinariisque officium sibi vindicare scribis, nos, et si eos episcopis, eam quam decent reverentiam praestare volumus, eis tamen privilegiorum suorum jus adimere nolumus. Non enim de religione Catholica, quam in istis locis primi omnium, ante constitutos omnino episcopos, longe lateque propagaverunt, sic meriti sunt, ut illis favere non debeamus; qui potius miramur fraternitatem tuam, sacerdotum paucitatem, Ecclesiasticorum ministrorum inopiam in suis ad nos litteris deplorantem. Fratrum ipsorum præsentium operam aspernari, quæ tibi, ceterisque fratribus coepiscopis nostris, in Ecclesiasticarum rerum ministerio utilis esse potest, absentium requirere, qui non sine summa difficultate haberi possunt. Cæteris in rebus, quæcumque cum Domino poterimus, fraternæ nostræ voluntatis indicia libenter tibi tribuemus. Stephanum autem Farutlinum, qui nobis tuas litteras attulit, fraternitati tuae commendamus; ejus orationi, in his quæ tibi exponet, fidem habebis. Omnipotens Deus, te, venerabilis in Christo frater, pro nobis orantem custodiat. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die secunda Apr. ann. millesimo quingentesimo septuagesimo, Pontificatus nostri anno v ».

429. *Confirmat Pius Acta Concilii Goani, et laudat Cochinensis episcopi pietatem et zelum.* — Habuit pariter ex Orientalibus Indiis hoc anno Pontifex, unde lætaretur, maximis videlicet incrementis, in illis regionibus Catholica religione sese protendente, strenua opera, tum episcoporum, tum religiosorum Ordinum S. Dominici, Franciscanorum ac Jesuitarum, cordi animarum zelo collaborantium, uti habemus ex ejusdem Pii Epistola, ad fratrem Gasparum Goanum archiepiscopum scripta, qua Goani provincialis Concilii librum ab eo missum, accepisse fatetur, ejusdemque decreta examinanda, et quatenus opus fuisset, corrigenda tradidisse scribil. Et ipsum insuper archiepiscopum¹, ut pastorali officio suo strenue fungi perget, hortatur: ac demum Dominicanos, ac alios, quos memoravimus, religiosorum Ordinum alumnos, infidelium conversioni addictos, hac ratione confirmat:

« Venerabili fratri Gasparo archiepiscopo Goano.

PIUS PP. V.

« Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

¹ Apud Gomb. Epist., lib. 3, epist. 52, p. 356.

« Provinciale Concilium, in ista civitate a fraternitate tua celebratum, ejusque librum ad nos missum, libenter accepimus; neque hoc tam pio Ecclesiastice discipline vel corrigende vel conservanda, tamque necessario tunetum esse officio, vehementer in Domino gavisi sumus: studium hunc, operam, diligentiam, religionisque Catholicae zelum, tum in convertendis ad verum omnipotentis Dei cultum infidelibus, tum in his qui conversi sunt sana infideлиque doctrina instituendis, debitiss in Domino laudibus commendamus. Fraternitatem tuam, ad hæc et similia pastoralis sollicitudinis munera constanter exercenda, et in custodia sibi credita perseverandum, vehementerhortamur. Nihil enim nobis gratius accidere potest, quam cum intelligimus tuo, ceterorumque Istrorum coepiscoporum nostrorum labore vigilantiaque, novos quotdie animarum fructus in aeterna horrea affirri, novosque Ecclesiae Catholicae palmites crescere. Quorum quidem tuorum laborum, quamvis amplissimum aeterna beatitudinis praemium in celo tibi repositum sit illud, quod etiam omnibus bonis fidelibusque omnipotentis Dei Ministris paratum est, tamen nos ipsis quoque tuis benestis desideris satisfacere, tibique, quæcumque cum Domino poterimus, fraternæ nostræ benevolentie atque amoris officia praestare parati sumus. Quia vero ex charissimi nobis in Christo filii Portugalliae regis litteris intelligimus, fratres quoque S. Dominici et S. Francisci, similiterque Jesuitas, in eadem infidelium conversione, pro sua parte sedulo laborare; idecirco fraternitatem tuam illis benedictionem nostram impertiri, simulque eis significare volumus, hos, quos pro animarum salute divinaque gloria labores suscipiunt; praeterquamquod copiosam in celo mercedem sunt habituri, nobis quoque gratisimos esse. Quod autem ad ipsum Concilii tui provincialis librum ad nos missum pertinet, nos cum congregationi fratrum nostrorum S. Romanae Ecclesiae cardinalium, quos ejusmodi Conciliorum examini proposuimus, legendum dedimus; ut si quid in eo corrigendum sit diligenter considerent. Quod cum illi fecerint, tum fraternitatem tuam de omnibus rebus certiore fieri curabimus. Omnipotens Deus, te, venerabilis in Christo frater, pro nobis orantem custodiat. Datum Roma apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die prima Januarii, ann. millesimo quingentesimo septuagesimo. Pontificatus nostri quinto ».

430. Quia vero inter episcopos, qui eidem Goano provinciali Concilio interfuerant, maxime præfulgere Pius accepil in convertendis infidelibus, conversisque instruendis, Cochinensis episcopi¹ pietatem et zelum; idecirco

¹ Ex Archiv. Natic., ut supra.

peculiaribus his cum litteris est prosecutus :
« Venerabili fratri episcopo Cochinensi.

PIUS PP. V.

Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Certiores facti, provinciale Concilium, a venerabili fratre nostro Gaspare archiepiscopo Goano, nuper celebratum esse, magnopere in Domino gavisi sumus, tam salubri Ecclesiasticeae disciplinae corrigendae conservandaque adhibito remedio, islius provinciae statui consultum fuisse. Quia vero compertum habemus, te, in converlendis ad verum omnipotentis Dei cultum infidelibus, et in his, qui conversi sunt, salutari Catholicæ doctrinæ pabulo pascendis, egregiam Redemptori nostro operam navare : idecirco eximum hunc tuum animarum salutis zelum singularemque pietatem, debitum in Domino laudibus commendantes, fraternitatem tuam, quam præsentes non possumus, absentes fraternalè charitatis affectu completemur : teque ad pastoralium virtutum perseverantiam, et ad commissi sibi gregis curam simul hortamur : ut ab eo pro tuis laboribus aeternum beatitudinis præmium accipere merearis, qui misericordia tuae dono, nomen te voluit habere pastoris. Quod quanquam ita sit, tamen pro isto tuo singulari divini honoris zelo, omnia nostra erga te fraternalè voluntatis officia, te a nobis quoque expectare volumus. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die vii Januarii anno MDLXX. Pontificat. nostr. anno quinto ».

431. *Gloriosum martyrium Jesuitarum a Calvinianis piratis occisorum.* — Quam merito autem multo magis Religiosorum Ordinum hominibus grati animi sui affectum, ob ea, quæ pro infideilibus conversione gerebant, in Epistola, ut vidi-mus, ad archiepiscopum Goanum testatum Pontifex voluerit; illud ostendit, quod ipsi, non modo (ut paulo ante innomimus, cum Occidentalibus Indiis loqueremur) primi laboraverunt, et episcopi deinde in labores eorum introierunt; sed insuper, quod (de nullo certe episcopo in Indiarum partibus hoc tempore constituto id legitur), veram fidem, non semel effuso pro Christi nomine sanguine, asseruerint. Quod quidem hoc anno accidisse Thuanus¹, Brietius², Tarcagnota³, Sacchinus⁴, aliique referunt. Navigantibus enim Ulyssipone in Brasiliam sexaginta novem Jesuitis, cum Aloysio Azebedo illius provinciae præfecto, una ex classis navibus, quæ præcesserat alias, in qua triginta novem ex ejusdem sociis vehebantur, ad Fortunatas insulas incidit in classem predatoriam insignis piratae Calvinistæ Galli Iacobi Soræ: qui ejus-

dem potitus, quotquot invenit Catholicæ in ea fidei ministros, immanissime occidit. At de eorum felicissimo martyrio audiendus, præ aliis est Petrus Diaz, quem hoc ipso anno ista ad Leonem Henricum provincie Lusitanæ ipsius Societatis Jesu præpositum¹, seripsisse reperimus :

« Exponam his litteris felicem exitum Ignatii Azebedi Brasiliæ præpositi provincialis, et comitum. Nonis Junii, cum Aloysio, ejusdem provinciae Brasiliæ pro Lusitanæ rege præfectoro, classe navium septem Ulyssipone profecti, octavo die, Maderam hanc insulam, prospera navigatione tenuimus. Novem circiter et sexaginta in universum, e societate nostra con-scenderamus, in tres onerarias distributi. Quæ Sancti Jacobi dicebalur, ea cum Didaco Andradio, multisque aliis e nostrorum numero vehebatur Ignatius. Francisco autem Castrio cum fratribus duobus et pueris orphanis, Joannis Ferdinandi obtigerat navis. Me, sociis cum amplius viginti, eadem, quæ Aloysium præfectum, navis exceperat. Et quoniam certis de causis in hoc Maderæ portu aliquandiu subsistere decreverat Aloysius, vectores et nautæ S. Jacobi, quod multa negotia haberent in Palma, ex Canariis seu Fortunatis insulis una, magnopere efflagrunt, uti sibi licet præire: se expeditis mature negotiis, advenienti reliquæ classi præsto futuros. Atque initio quidem recusabat Ignatius, in tanto maris et piratarum disserimine, a cæteris digredi periculosum ratus: verum deinde victus precibus, abeundi veniam ab Aloysio petiit; quæ impetrata, quasi divinaret ea, quæ postea consecuta sunt, Pridie ejus diei, qui Apostolum principi sacer est, sacramento Confessionis et Communionis præmuniendos curavit omnes: et simul divisit iis Agni Cœlestis cereas imagines aliquot, a Summo Pontifice consecratas, et alia quædam religiosa munuscula, quæ ex urbe Roma secum attulerat.

« Hisce peractis, solvere prid. kal. Julii, vento secundo, qui tamen eos in medio cursu defecit. Porro Dominico die proximo, quinto nonas Julias, allatum hue est Jacobum Sorianum maritimæ rei, pro Navarræ regina præpositum; (is, Calvini sectator egregius, capitales inimici-tias eum Papistis, sic enim Catholicos, perludibrium haeretici appellant, exercere sese palam profitetur ac prædicat) stare cum navibus cir-citer septem in portu, ad quinque leueas hinc sito, cui a S. Cruce nomen est. Perturbavit is nuntius vehementer omnium animos, statimque Aloysius, oppidique præfectus, cum populo universo ad pugnam comparavere sese. Itaque Sabbati luce, quæ consecuta est, cum se Jacobus Soria in conspectum nostrum dedisset, oecurrentibus sibi Catholicis, qui probe instruela militibus tormentisque navigia decem eduxer-

¹ Thuan. Histor. lib. LXVII, p. 559. — ² Briet. sub hoc anno.

— ³ Tarcagnot. p. 3, lib. XIII, p. 212. — ⁴ Sacchin. lib. VI, p. 38, et seq.

¹ In calc. ad Hist. Indiar. Maff. p. 469.

rant, perterritus cessit fugaque sibi consuluit. Hostem fugasse contenti nostri, postridie revertuntur: ille vero hoc perlunetus periculo, Canarias petiit, a die Jovis insequenti, ad aspectum usque Palmae insulae, et onerariae nostrae, qua portum capere nunquam potuerat, vento destituta, sane feliciter est proiectus. Eo autem ipso die Ignatius mane cum ceteris fratribus ad Tertiae Cohortis (id loco nomen), vicum a portu leneas quinque circiter, scapha contenderat, eo consilio, ut si daretur faenitas, ad portum terrestri itinere perveniret. Sed cum res exitum non haberet, in navim se denuo recipere sunt coacti; ut, vel ex hoc satis appareat, expetendum id genus mortis, paratum illi fuisse divinitus: eoque magis, quod iter illud leucarum octoginta, vix diebus quindecim ab ipsis emensum, addo, navi minime impedita, vento etiam initio (ut diximus) valde secundo; id iter totum, navibus quinque (et quidem earum nonnullis admodum omnis, non plus triduo a Jacobo Soria decursum est. Postridie nostri eadem Malacia novem fere millia passuum a littore detenti, ubi adventantes Calvinianos aspiciunt, paucis dispositis tormentis ad defensionem extemplo parare sese. Ignatius autem, sumpta Mariæ Virginis imagine, quam Roma secum extulerat, prout res et tempus postulabat, ad officium alque pietatem cunctos hortari. Interea unum e navigiis hostes ad nostram onerariam applicant, in eamque tres primo in iis nauelerus, magna apud eos existimatione transiliunt; atque ii quidem, statim a Lusitanis interfecti; sed majore deinde hostium irrumpente numero, diutius absisti non potuit.

« Tum Jacobus Soria, ubi cognovit nostrae Societatis homines ibi versari, omnes ad unum occidi imperavil, vociferatus: « Interfice, interfice, quoniam ad prava dogmata disseminanda Brasiliam petunt ». In eorum numero, qui onerariam occupaverant, erat Jacobi cognatus quidam, qui cum vitam aliquot Catholicis promisisset, id jussit Jacobo renuntiari. Quæsivit ille, cunctine presbyteri (sic enim nostros vocabant) essent interempti: cum interemptos esse respondum fuisse, tum ab aliis manus abstineri non vetuit: quo facto sane præclare suum in nos odium exprompsit, præsertim, quod paucis ante diebus, intercepto navigio, quo Franciscani concessionatores duo totidemque sacerdotes, ut appellant, sacerdotes in Lusitaniam volebantur, eorum nulli necem intulit. Naetus deinde nostros, magna ex parte adolescentulos tyronesque, nulli pepercit omnino. Mactatus est autem, omnium primus Ignatius, quem obviam hostibus prodeuntem, elata manibus ea, quam dicebamus Imagine, magnoque animo profitementem sese cum suis esse Catholicum, lanceæ tribus ictibus confoderunt, et sacram imaginem extorquere frustra conati sunt. Tum Didacus Andra-

dius, in amplexum ruit Ignatii, atque ita conjuncti simul, ambo conlecti vulneribus præcipitabantur in mare, una cum ipsa Imagine, que de Ignati manibus nunquam exciderat. Inde tabulata onerariae subeunt; quo Ignatius in eo tumultu, fratres octo et triginti tot enim erant, cum ex hoc portu proscendi considerat, binosque ac ternos ordine deinceps eductos ad navis marginem, ac talaribus tunics, quinquam exigui admodum pretii, exutos, adactos bis tervè singulis in viscera puizione, semianimes e navis deturbant: quorundam etiam præcidunt brachia, ut omnem prorsus evadendi spem iis admant. Atque hunc exitum felix ille comitatus sortitus est. Postea quæsitum de trium illorum cæde, qui ex hostium classe, in onerariam priui trascenderant. Ejus auctores cædis, onerarie gubernatorem, cum administris duobus ad se perduci, furore percitus jubet Soria: ibi ipso, non solum imperante, sed etiam inspectante, viventium pectora dissecantur, et extracta crudeliter intestina dejiciuntur in pelagus.

Jam vero hanc immanitatem Calviniai illo etiam scelere cumulant; in onerariam revertuntur, saerosanctum caput unius ex S. Ursulae sodalibus, quod solarium neophytorum Ignatius in Brasiliam afferebat, e earchesii fune contumeliose nefarieque suspendunt: deinde arreptam aliam Virginis Delparæ effigiem, egregio perfectam opere, quam item Roma Ignatius avexerat, cum saeris aliis Imagineibus permultis, in angulo navis per ludibrium collocant, in easque, ut in scopum sicas ejaculari, lascivientes incipiunt. Rosaria vero benedicta ac Sanctorum reliquias, librosque de religione, et alia scripta quedam ad Brasiliæ provincie rem magnopere pertinentia, ut sibi minus utilia, vel supervacanea potius, alto mandarunt. Hujus rei gestæ seriem totius a Lusitanis duobus accepimus, qui spectatores affuerunt, cum per eos dies a Calvinianis captivi detinerentur. Qui a nostris occisi sunt, æque novitii ac veterani, preclaris erant adjumentis rerum gerendarum instructi: itaque ad rem Christianam promovendam valde habebantur idonei.

« Obstupesco sane mecum ipse considerans mutationes, migrationesque nostrorum, e navis in navem Olyssipone primum, deinde in hac insula Madera: ut felix ille manipulus, sicuti Gedeonis quondam milites, pene viritim a Domino lecti fuisse videantur. Me in S. Jacobi navem imponere, ipse apud Aloysium præfectum remanere Ignatius jam probe decreverat: sed mutavit deinde consilium, partim, ut equidem existimo, ne laborem atque periculum subterfugere voluisse videretur; partim etiam, quod ego tanto indignus bono, videlicet fui. Reliqui sumus nunc Societate ad triginta. Coptum iter, numinis fiducia persequi certum est: utrum eodem eventu, nescimus; illud quidem intelligi-

mus, Iacobum Sorianum id vehementer expetere, nobisque tendere insidias. Sed jam instat hora profectionis, itaque finem scribendi facio, meque, et comites, tuis cæterorumque sacrificiis ac deprecationi commendo. Ex insula Madera decim. quint. kal. Septembbris ^{MDLXX} ». Sic Epistola.

432. *Longe lateque in extremum Orientem diffunditur fides per operarios Evangelicos.* — Verum piis Petri Diazii votis haud defuit misericors Deus, ipsaque illius animi demissio, qua mortem pro Christo oppetere se indignum censuit, ideoque præceptam sibi ab Azebedo feliçem sortem quodammodo doluit¹, martyrii munere sequenti anno, ut videbimus, decorari meruit; patebitque ex Epistola Francisci Henrici, quam suo loco dabimus, et ex qua manifestissime error etiam reprehenditur Henrici Spondani², qui alteram hanc Jesitarum cædem hoc anno ponit. Perperam etiam Spondanus ipse Natalem Comitem³, scriptoresque alios tide dignos redarguit, quod de rege Sinarum dixerint, superioribus annis illum per Jesuitas ad fidem conversum; et hoc anno a subditis pulsum, per Lusitanos fuisse restitutum, centumque hominum millia, post ejus redditum baptismum suscepisse. Perperam (inquit) reprehendit, dicens hoc de Sinarum rege nequaquam intelligi posse; cum ex Jesitarum Historia Sinensi, Trigault, lib. II, cap. iii constet, S. Franciscum Xaverium eam quidem expeditionem designasse, sed morte interveniente, non perfecisse; nec ullum alium ex ea Societate, aut alia, pedem in regnum Sinarum intulisse, ante annum ^{MDLXXXII}, nec nisi post non parvum temporis, quemquam ex Sinensibus Baptismum suscepisse, nedium regem, ut ex eodem Trigault cap. v. sed hoc intelligendum de aliquo rege Japoniæ, ubi a multo tempore, ejusdem Xaverii opera Evangelium fuit receptum, atque ut patet speciatim, de Bartholomæo Omuræ principe, de quo inferius anno ^{MDLXXXV} n. 8.

433. At unde necessitas Spondano incubuerit, dissertationem hanc de Sinarum regno, quod serius hoc tempore Evangelicis ministris patuerit, instituendi, ex Natali Comite, profecto ignoramus, cum nunquam hic, nec verbo quidem Sinarum regem memoraverit; hæc enim ipsius sunt verba: «In novis Indiis multi populi Christianam fidem, per Jesuitas completabantur, inter quos fuit rex Sionis; post eam etc.» Numquid unus, ac idem est rex Sinarum ac Sionis?

434. Verum nec Natalem Comitem, nec alios in Sionicarum rerum relatione inoffenso etiam pede processisse; ex eo patet, quod una simul cuneta hoc ferme tempore fere accidisse referant, que aliis et quidem præteritis annis

¹ Apud Maff. ut sup. p. 471. — ² Spondan. Annal. sub hoc ann. — ³ Natal. Com. Hist. lib. XXI, p. 446, et alii. Spondan, ibid. ut supra.

evenisse certissimum est; illud enim præ cæteris, quod per Lusitanos, regno Sionis rex restitus fuerit, anno præterito jam accidisse narravimus.

435. Nihilominus, ex hoc anno Catholicam fidem in his Occidentalium Indiarum regionibus mirifice propagalam fuisse, opera potissimum eorumdem Societatis Iesu Patrum, narrat Sacchinus¹. Nam refert in Salsettis additum novum templum Deo, in S. Andreæ honorem, in eoque sacerdotem cum socio constitutum, ac non. Aprilis, magnitieo apparatu saerosanctam Hostiam primum immolatam.

436. Coecini etiam ad septingentos baptizati; duæ novæ conditæ Ecclesiæ; altera in pago Palurti, in regno Porecaensi altera. Verum Christianis progressibus haud parum obfuit, regi Ternatino Cacili Aero intempestive illata mors. Hic per plures annos Lusitanorum opes et rem Christianam profunda diraque simulatione attriverat; ideoque à Lusitano homine, manu prompto, qui Martinus Alphonsus nuncupabatur, interfectus est. Spondebat inde sibi Europæ gentes potentissimo proditore sublato, rerum suarum cursum secundiorem: at facinus id semen bellorum fuit; nam Ternatini comperta sui regis nece, incitante etiam prodiit ejusdem regis filio Babu, ad arma statim confugientes, Lusitanorum areem gravi obsidione cinxerunt, eamque tam pertuaci conatu presserunt, ut licet Consalus Pereira ex Amboino, et Joannes regulus ex Baviano auxilium tulissent, nunquam tamen hostes obsidionem solvere coegerint; adeo ut propugnatores, ad deditioñem tandem compulsi fuerint, ut sequenti anno dicetur.

437. Meaccensis quoque Ecclesia in Japonia persecutionum fluctibus jaetata est a Nichioxine Bonzio, viro in primis diserto, et propter egregiam rei militaris peritiam, (ut scribit Ludovicus Trojus in Epistola² ad Antonium Quadrium), magna apud regem auctoritate, qui, cum e longa disputatione super immortalitate animorum cum eodem Trojo habita, turpiter victus abiisset; in eam exarsit rabiem, ut nunquam, ex eo die, Societatis Iesu Patribus perniciem moliri destiterit. Cujus furori et amentiae cum locis omnibus aperte sese Vatandonus quidam, non modo consilio, sed etiam armis opponeret; nec illum usquam consistere pateretur: superatus ille viri constantia, ubi se viribus imparem sensit, omni deinceps dolo et insidiis grassari constituit. Dissimulata igitur in tempus iracundia, falsis criminationibus circumventum Vatandonum, eo tempore ægrotantem, adeo artificiose et callide apud Nabunangam accusavit, ut rex mendaciis oneratus adeuntem ad se valetudine recuperata Vatandonum, non modo aditu con-

¹ Sacchin. Histor. Societ. Iesu par 3, lib. VI, n. 191. — ² Apud Maff. Epist. Indic. lib. IV, p. 45.

gressuque per summam ignominiam arcuerit, sed etiam aureorum viginti millium annue redditu, et nobili in primis arce muletari. Quo ille tam insigni accepto incommodo, tantum abest, ut quicquam idecirco de suscepta in Iesuitas benevolentia studioque remitteret; ut etiam palam dictaret venientibus ad se consolandi gratia principibus, praecclare vero secum aetum esse, Jesuitarum causa, in tantam calamitatem incidere contigisset; atque adeo quo Illustrior esset amor ipsius erga eos, quamquam tanta facta, et rei familiaris, at dignitatis immunitio: tamen diligentius etiam, quam antea, ubicumque opus foret, illis omni ope curaque assuturum. Ex ejus nihilominus infortunio, padam non diu retulit Bonzius: nam justo Dei iudicio compluribus ejusdem flagitiis ac facinoribus patefactis, haud ita multo post a Nubunanga multis verbis male acceptus, et omni dignitate spoliatus est: et anno vertente nempe (ut videtur) praesenti, Vatandonus cum Nubunangam, qui tunc forte Meacum redierat, sordidatus venisset, divino prorsus beneficio, amicorum depreciationibus, ad causam dicendam admissus, tantam suæ cladis misericordiam excivit ut illum rex, meritis et probitate perspecta, in prislinum gratiae locum restituerit¹, et insuper dema anreorum millia ad viginti quibus antea fruebatur addiderit. Caetera ad eundem Vatandonum spectantia, in sequentem annum sunt rejicienda.

438. Cosmus vero Torres, quem alibi memoravimus, sub hujus anni initium, Ludovicum Almeidam alterum Societatis Jesu sodalem ad Bungi regem destinavit, ut multa e religionis usu commendaret, quæ a Sacchino recensentur. Exceptus est igitur summa humanitate ab eo rege Almeida, litterasque quas petiit ad alios reges statim obtinuit. Ludovicum ipsum abeuntem rex Bungi Aquizunquensi toparchie in Chieuengo regno, ad quem proficisebatur, commendavit, ideoque cupidissime ibi exceptus est. Eo in loco Almeida diebus decem moratus est, ubi assidue disputans adversus Ienxuanorum impietatem, quæ Aquinzuqui heresis dominatur, totum interire hominem, docentium; tandem civium triginta, (ex quibus viginti ex doctioribus ac nobilioribus extitere) revicit, edocuit, baptizavit.

439. De Bartholomaeo demum Omuræ principe, de quo speciatim intelligenda esse, quæ de Sionis rege narrat Natalis Comes, Spondanus, ut audisti, opinatur, ista sub hoc anno refert Sacchinus: «Capralis Almeidam secum ducens Omuram venit, ubi solemne Iusticium jam splendide paratum erat, distulerat ad hanc diem Bartholomæus conjugis, matrisque, et filiorum baptismata, ne festinans popularium animos su-

pra modum offendiceret; quod tametsi consilio faciebat optimo, tamen plurimos ab religionis amplexo retardabat, anciipi cura suspensos: cum hinc Bartholomæum quidem ipsum Christianum scirent; inde nequaquam communicare cum intimis eadem sacra viderent. Quæ Bartholomæus intelligens, et usu Cosmi (Torres) vehementer ad capescendam vere pietatem incensus et provinciae rebus jam tranquillioribus, convocato procerum cœtu in haec verba eos fertur allocutus: Quo spatiū haberellis plane ac penitus de veritate legis cognoscendi, ad hanc diem domus meæ conversionem distuli. Nunc autem quoniam vobis satis existimo nota atque perspecta omnia; decrevi operam dare, ut mei omnes Christiano baptismo expientur, tum, ut eorum, quantum in me est, saluti prespiciam; tum ut vobis, cæterisque omnibus palam faciam, debere apud me majoris momenti esse Dei metum, eique gratificandi studium, ut id exequar, quam cuiusque rei respectum, ut negligam. Quod si forte enipiam vestrum ingratum est; ego et mea domus hac sumus contenti sorte, ut enim Deo maneamus. Vos aliam domum deligatis licet. Haec bonus princeps tanla ingenuitate constantiaque dixit; ut procerum una vox fuerit quod videretur de se suaque domo consuleret; sibi nihil esse eur Dominum mutent. Ergo rite omnibus comparatis, conjux, cui Maria; filius, cui Saneius inditum nomen; filie et mater, cæterique sanguine juneti, ac fere centum e populo, saero fonte magna cæremonia et gratulatio ne lustrati». Sic Sacchimus, qui addit paulo post, nempe sext. non. Octobris pluries memoratum Cosmum Torres, fælum, quod fidelium triginta circiter superstitione nullia, præter ingentem numerum jam vita functorum in Japonia relinqueret: quo nulla ante ejus cum S. Francisco Xaverio adventum aura Christianæ lucis aspiraverat, in cœlum migrasse.

440. *Terræ motu concutimuntur insula Tertia et complures Italæ urbes.* — Etiam hoc anno, eodem Sacchino² teste, Tertia insula molibus, post hominum memoriam inmanissimis et cerebrimis contremuit, nam fuit cum uno die decies et octies movit. Nec vero labaceens dumtaxat, solum mortales examinabat; sed vereban tor insuper, ne quod in S. Michaelis, aliaque insula factum; ruptis nempe cavernis alicunde flammiarum sese torrentes ejicenter, quibus omnes involverentur.

441. Nec solum in longinqua ea orbis parte omnipotens Deus hoc anno respexit terram, et fecit eam tremere; sed in Italia quoque, Ferraria, mense Novembri gravissime terra molibus concussa est, quorum violentia multæ dominus corruerunt. Ante terræ motum vero factus est triatus terræ, aer obscuratus, maxima vis tur

¹ Ibid. ut supra. — ² Sacchin. ut sup. n. 199.

¹ Sacchin. ut sup. p. 305.

binis. Post horam rediit cælo serenitas, apparuit juxta lunam stella crinita; iterum cœlum obscuratum, et alii terraemotus subsecuti; quibus multæ aedes, et sacra, et magnifica ædificia corruerunt; unde necesse fuerit Ferrariensi duce cum uxore, tentoria sibi sub dio erigere in portiis ad vita conservationem; cum feminae passim discurrentes ac ejulantes inquit Natalis Comes¹ extreum mundi diem adventasse crederent; nam intra quadraginta horarum spatium, centum et quinquaginta terraemotus facti sunt.

442. Ubi ista ad Pium delata fuerunt, summo dolore percitus, consolatorias statim litteras ad eundem Ferrariae ducem misit; eique Apostolicam benedictionem dedit,² sic ad eum scribens:

« Dilecto filio, nobili viro, Alphonso Estensi, Ferrariae Duci.

PIUS PP. V.

« Dilecte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Magno dolore affecti fuimus, ex his, quae de istius urbis calamitate ob vehementes in ea terræ motus excitatos, ad nos allata sunt: quibus multas ejusdem civitatis partes, magna cum ædificiorum publicorum et privatorum ruina, hominumque etiam ipsorum strage afflietas esse cognovimus. Quibus tuis incommodis commoti, totque hominum miserabilem casum dolentes, nobilitatem tuam, quam paterno charitatis affectu vehementer in Domino diligimus, in eodem his litteris consolari voluimus. Quamvis autem ejusmodi terrarum motus naturalibus ex causis oriuntur; tamen diligenter attendendum est, ne illis peccata nostra causam fortasse attulerint. Solet enim Deus his quoque rebus iram suos in populos, atque adeo in ipsos principes, non obseure quandoque significare: quam pro sua misericordia, ut ab ista civitate populoque avertere velit, humiliiter in puritate cordis est obsecrandus: quod, nec ipsi pro nostro officio prætermittimus, et ut idem nobilitas tua et ipsa faciat, et a piis hominibus faciendum curret, magnopere illam in Domino hortamur. Dilecto autem filio Turoni Bertano, internuntio apud nos, tuo nomine a nobis benedictionem petenti, libenter admodum dedimus; omnipotentemque Deum precamur, ut actiones tuas, ad sui nominis gloriam, subjectorumque tibi populorum utilitatem dirigere misericorditer dignetur. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die prima Decembris MDLXX, Pontificatus nostr. anno quinto. »

443. Venetiae pariter, Mantua, Mutina, Re-

¹ Natal. Com. Hist. lib. XXI, p. 4463, et 464. Genebrar. in Chronic. lib. IV, p. 764. Isseit. o. 220. Adrian. lib. XXI, p. 1552.

² In registr. Vatican. et Apud Goob. Epist. lib. IV, Epist. 45, p. 384.

gium, Corregium, ac Finalis in Liguria terræmotu concussæ sunt; tamen nullam iis urbibus is cladem importavit. Hæc vero iræ divinæ fuisse testimonia, quam hominum impietis in se provocaverat, ejus temporis scriptores existimarent, inter quos Michael ab Isseit¹ hæc habet: « Eo enim exereverant tunc hominum vitia, ut alius libidine insaniret, alius abdomini serviret, alius invidia laboraret, alius cœca et in gladios ruente ambitione: nemo alteri cedere velle opulentia atque hinc avaritia, omnium fraudum, fallaciarum, persicidarumque mater: nemo honoribus, hinc contentiones, odia, inimicitiae bella. Homo, saera res homini, per lusum et jocum occidebatur. Voluptas ab omni parte quærebatur, et hinc luxuria, fornicatio, stuprum et adulterium, ne quid dicam pejus. Nam adhuc in processuuerant vitia: inveniebat luxuria quotidie aliiquid novi in quod insaniret; inveniebat impudicitia novam contumeliam sibi deliciarum; non erat terminus epulorum; vestium, suppellectilium nullus erat modus; honesti oblivio invaserat; nihil erat turpe, cuius aut pretium placebat, aut voluptas delectabat. Humana dico, nam divinarum, aut nulla, aut perexigua, idque apud paucos erat observantia ». Sic ille, post relata in totius Europæ pene partes immissa flagella.

444. — *Balduni et Brentii obitus.* Obiit hoc anno Franciscus Balduinus jurisconsultus clarissimus, qui aliquo ab hinc tempore e Calviniano veneno convalescens, sui doctoris et ministri. Catholicus factus, pudenda detexit.

445. Ioannes Brentius pariter e medio sublatus est, pestis nimirum illa, quæ Ubiquitiorum sectam peperit, ac Eutychis improbatos errores suscitavit, quibus asseruit, tam humanitatem, quam divinitatem Christi ubique esse, tam in Baptismo, quam in Cœna Domini, imoin ipso quoque inferno. Lutherum et Osian drum is conciliare connixus est: ejusque doctrinæ sectatores esse theologos Tubingenses, testatur Stapylus in defensione, apud præfatum ab Isseit, unde, et Lutherosiandrani a quibusdam appellantur. De falsa hujus doctrina Remundum Florimundum², Sanderum aliasque consule; de qua tandem illud dixisse sufficiat, quod in Pseudosynodo Dresdensi sequenti anno unanimi Superintendentium Saxonum et Witembergensium ac Lipsiensium consensu coacta. « Ubi quitas hæc condemnata fuit, tamquam Satanæ commentum », ac multo atrocius a Zuvinglianis et Calvinistis. Brentius una cum aliis nonnullis Protestantibus anno MDL, a principibus Germaniæ ad Concilium Tridentinum missus, mense Januario anni sequentis, libellum Confessionis obtulit, qui a Patribus lectus, ob insignes blasphemias improbatus fuit.

¹ Michael ab Isseit, sub hoc anno, p. 221. — ² Remond, de multis. sect. in Lutheranism. lib. II, cap. xiv, p. 170.

446. *Laudibus exornat Pius opus a Surio concinnum.* — Meruit e contra approbari, dignissime laudibus a Pio hoc anno commendari præclarum Opus Vitarum SS. a Fratre Laurentio Surio concinnum, eidemque oblatum Pontifici, qui ad ipsum scriptorem honorificas idecirco has litteras dedit :

« Dilecto filio Fr. Laurentio Surio Carthuniano.

P I U S PP. V.

« Dilecte fili etc.

« Librum Sanctorum Patrum Vitas continentem, a te nuper editum, atque ad nos missum, libentissime accepimus; qui quidem eo gratior nobis fuit, quod opus in se continet, a nobis semper desideratum, et ad refellenda haereticorum in easdem SS. Patrum Historias maledictas, apertissimum. Laudamus vehementer hunc pium laborem tuum, alique, quod coram Domino vacuus apparere nolueris, sed in ejus domum, pro facultate tibi ab eo concessa, quidquid potueris ultro obtuleris, debitum in Domino laudibus commendamus; cuius tamen laudabilis laboris tui gloriam, in primis ei tribuendam esse memento, a quo accepisti et velle et perficere, quod et a nobis, et ab omnibus piis et Catholicæ religionis studiosis merito laudaretur. Hortamur autem te, ut hujusmodi operi prosequendo, et de Ecclesia Dei benemereri, et tibi apud Omnipotentem Deum merita augere ne desistas: securus te a Redemptore nostro laborum tuorum centuplum esse fructum percepturum. Dat. Romæ apud Sanctum-Petrum etc. die 11 Junii MDLXX, Pontific. nostr. anno v ».

447. *Pius Ortonensem Ecclesiam in cathedram erigit, et Dublinensem episcopum exulem Ecclesiæ Vasionensi pastorem sufficit.* — Sub finem hujus anni, nempe, ut adnotatur in toties memorato cardinalis S. Severinæ Dia-
rio, sub die octava Novembris, Pius Ecclesiam Ortonensem in Aprutio citeriore, in cathedralem erexit, vel potius eidem episcopalem honorem restituit. En Diarii verba : « Die etc. cardinalis Maffejus optime proposuit erectionem Ecclesiæ Ortonen. et præfectionem D. Joannis Dominicæ Rebibæ, erexit in civitatem, et cathedralem, et præfecit gratis, pro nepote cardinalis, omnibus collaudantibus et cetera. » De ipsam Ortonensi Ecclesia hæc seribit Ughellius¹: « Episcopatum hunc antiquum fuisse suspicari facit Concilium Romanum, sub Martino I Pontifice, in quo legitur subscriptio Victoris episcopi Ortonensis. Nec vero objici ibi pro Ortonensi legendum esse Ortonensem; nam ibidem paulo superius legitur subscriptio Victoris episcopi Ortanensis. Sed clare hoc ipsum affirmare facit

Gregorii Magni Epistol. 39. lib. III. Indict. xii. ad clerum et plebem Ortonae, de obitu eorum episcopi, et visitatione ejusdem Ecclesiæ Barbano episcopo commissa. Quo tempore episcopalis sedes haec sublata fuerit, incompertum; id certum est, episcopatum hunc a Pio Quinto recente erectum, vel potius restitutum fuisse anno MDLXX, et Theatino archipræsuli suffraganeum constitutum. » Sic ille.

448. Ex prefato Diario sub eodem, quem memoravimus die, ista pariter habentur : « Sanctissimus D. N. proposuit Ecclesiam Vationensem in Avenionensi provincia vacantem mensibus præteritis, per obitum N. patriarchæ Alexandrini, pro episcopo Dublinensi, exule cum familia a regno Scotie, nunc vicario S. Mariæ Majoris et suffraganeo Urbis vicarii. » Fuisse autem Dublinensem hunc episcopum Scotie reginae apud Pontificem oratorem, ex supra relatibus satis superque appetet.

449. *Beatae Clarae de Montefaleo sanguis mirum in modum ebullit.* — Hoc etiam anno sanguis præclaræ Virginis beatae Clarae de Montefaleo Ordinis S. Augustini², qui in vitro vase servatur, mirum in modum colliquetieri, et ebullire visus est; præsagium (inquit Vitæ ejus scriptor) mox futurae regni Cypri amissionis, quod sequenti anno summa Christiani nominis pernicie Turcarum tyraannus Venetæ reipublicæ eripuit, ut dicetur.

450. *Nicosiæ casum Gambara carmine deplorat et describit.* — Ejusdem vero Cypri regni calamitatem, ac captam hoc anno, ut vidimus, a Barbaris Nicosiam, Laurentius Gambara² ad Ormanellum Patavinum episcopum scribens, sequenti carmine una deploravit, et descripsit :

Nunc quoniam Ismaria Turcarum Rector ab arece Extulit, et belli signum, et crudeha bella
Movit in insontes Venetos : quos fodere rupto Impius invasit ; dehinc Cypri vexit ad horas Bellantum turmas, urbemque obsedit, et illam stirpuit : tu casum urbis plagamque recentem Mecum una detle, cladem miseratus acerbam,
Ormanette ; suas cui tradidit aetheris auctor
Pascendas pecudes, que mollia gramina tondent Teque bibunt liquidos fontes pastore, levesque Medoaci carpunt secura ad flumina somnos.
Turca ferox, animisque furens, infensus et hostis
Nomini illi tui, nunc clementissime Christe,
Florentem Cypri iuvasit furibus armis,
Everitque tuam gentem, fusoque tuorum
Sanguine inondarunt fossæ ; ceu flumina multis
Imbris aucta solent ripis spinare, virosque
Faemineumque genus, predamque abduxit ad oras
(Bellisque bellæ) qua Bosphorus insonat undis
Helleponiacis, jacere inhumata per agros
Corpora pugnantum, nec erat, qui rostra ferarum.
Aut volucrum arceret, nec qui tellure jacentes
Obrueret terra injecta : tua tempia tuorum
Sanguine fædavit miles pharetratus, et ense

¹ Ex Archiv. Vatic. ut supra. — ² Tom VI, in Epid. Ortonens., p. 966.

Vit. B. Clar. p. 3, cap. xxviii, p. 266. — ² Laurent. Gambar. lib. ver. sacr.

Horrudus et nostri sitiens, avidusque crux.
Tu vero Pater omnipotens, miserere gementium
(Qui summo tristes fundunt suspiria Cœlo,)
Quos vincis tenet ille (sua Iudicibria genti)
Et (sint multa licet) tamen obliviscere nostra
Crimina, nostrorumque patrum, procedere nec tu
Longius hanc iram pernitas; quæ velut ignis
Est accusa, tuas (in eos sed mitis) habenas
Eflusum irarum in Turcam, qui teque, tuosque
Despicit, atque alium, non te vocat in sua vota.
Nec fundatorem cœli terraque fatetur;

Nomen adumbratum sed adorat, et insuper illi
Tempa dicat, precibusque idem tua tempa nefandis
Polluit, atque tuas secleratis ritibus aras.
Affer openi, dicat ne forsitan hostis: ubi nam est
Hocum Deus? et dictis insultet amaris.
Nunc tu sterne solo, gentique obsiste feroci,
Nostraque conspiciant vindictam Iunna, qua tu
Disperdes meritissimos cladibus hostes.
Tunc tua dicimus sacro facta inclyta templo,
Ante tuam positi multis cum laudibus aram.

1. Cæcilius ab Elisabetha baronis titulo insitum. — Christi anno millesimo quingentesimo septuagesimo primo, indictione XIV, Elisabetha Anglorum pseudoregina¹, honoribus honestavit Guilelmum Cæcilium a secretis, Baronis Burgilæti titulo eidem collato; quod optime delegati sui munere functus apud Scotiæ reginam, versutia sua ac dolosis artibus sic cum ea de concordia egisset, ut uno eodemque tempore, et Elizabetham pacem ardentissime expetere simulasset, et eidem paci quæque subdole potuisse impedimenta objecisset: si tamen in obscurissimo eo nebulae, illustrissimam ac nominatissimam Cæciliorum² Romanorum gentem, ex qua ortum ducere vir vanissimus se jactabat, revelare contendisse, sagax mulier existimanda non sit.

2. De abdicatione reginæ Scotiæ agitur. — Ut popolorum ac exterorum principum summae de reginæ Mariae liberatione sollicitudini ac desiderio illudetur, anno præterito cœptum de hoc negotium nihilominus prosecutum est. Pueruli regis Scotorum nomine, ex Scotia in Angliam ab Elizabetha accitis Mortonio Comite, Percarnio abate Dunfermilini, et Jacobo Mac. Gillio, ut causas abdicandi reginam clarius exponerent, earumque justitiam comprobarent. Illi, plus etiam, quam Elizabetha exoptasset, illius jussibus obtemperantes, non modo horrenda temeritate de regina Maria obloenti; sed insuper communis regum juri petulantissime detrahere ausi sunt; nam ut Camdenus³ narrat, Commentarium satis prolixum exhibuere, quo populum Scotiæ regibus esse superiorem, ex veteri regni Scotorum jure, exemplis obsoletis ac novis, undeque ab impio, (quem

alibi memoramus) Buchanano conquisitus; imo et ex nefaria Calvini auctoritate, populares ubique magistratus, ad regum libidinem moderandam constitutos esse; iisque licere malos reges carceribus coercere et regno exuere, probare conati sunt. Quod iniquissime Elizabetha audivit; cum enim tota in eo esset, ut nutans usurpatum a se regnum firmaret, ideoque Scottos in legitimam suam principem concitasset: ex effreni licentia ab eis hac occasione arrepla, et generali contra regalem dignitatem ipsorum definitione, in idem se periculum conjectam animadvertisit, in quod ænnam reginam conjecterat; ac in laqueum propemodum se incidisse doluit quem alteri paraverat.

3. Conceptum tamen ex insolentissimo scripto dolorem animo silentio pressit, ac delegatis illud respondere sat habuit. Ex his quæ attulerant, reginam abdicandi justam causam, eos habuisse sibi satis comprobatum noniri: ideoque rationes alias exquirerent, quibus res Scotiæ componi possent. De hoc igitur actum est apud ædes Baconi magni sigilli custodis, de quo plura suo loco dicenda erunt, inter utriusque partis delegatos. Verum, tum ex inquis conditionibus propositis, tum ex his quæ Baconus ipse edixit, reginæ Scotiæ delegati jam tandem intellexerunt, certum deliberatumque Anglis fuisse, ut nunquam eam regno suo restituerint, atque in Anglia perpetuo retinerent. Post plures igitur hinc inde habitas concertationes, ex quibus nullum effectum consequi posse perspicere Scotiæ regina agnovit; tandem Londino suos delegatos abire jussit, ibidem tantum, ejus mandato, apud Angliæ reginam oratore suo Roffensi episcopo remanente. Elizabetha vero, ad Ordines Scotiæ proxime conventuros, inter Scotorum factiones componendam in primis concordiam, rejecit.

¹ Camden. hoc ann. p. 205. — ² Andr. Philopater in Respons. ad Edict. Reg. Angl. Sect. 3, p. 249. — ³ Ibid. ut supra.

4. *Proceres qui pro regina stabant verantur: archiepiscopus S. Andreæ suspenditur patibulo.* — At cum inter caeteras incundie pacis conditiones ab Anglis, et rebellibus Scotiae delegatis propositas, illa præcipuum paene locum oblinueret, ut sumini nempe Scotiae proceres, qui a reginae Mariae partibus erant, in Anglorum manus, tanquam obsides traderentur, eo consilio, ut infelix princeps, omnium fidelissimorum amicorum præsidio orbata, adversariis ac rebellibus in prædam exponeretur, illique radicitus exterminarentur: ipso tempore, quo Elizabetha, concordia simulata specie, hoc ntitur obtinere, idque Mariae munimentum hac ratione detrahere satagit: illos etiam aperta vi penitus opprimere tentat; ad facinus id patrandum (uti præterito anno pariter vidimus) a præfatis quoque comitiis in Scotia quainprimum habendis compulsa: in quibus, ut nullum suffragii ferendi locum, qui reginae Mariae favabant, habere possent, tamquam seditiosi ac rebelles insectali sunt. Gravibus igitur dannis (ut Camdenus refert, ii affecti fuere; plures eorum cæsi, Dumbritionum ad Glottæ, sive Chuidæ, estuarium munitissimum Scotiae propugnaculum captum; et quod omni seelere deterius fuit, Jacobus Hamiltonius archiepiscopus S. Andreæ, Duxis Castri Heraldi frater, infami patibulo, ut regicidii conscius, suspensus. Tantum seclusus contegere, vel aliqualiter saltem honestare Camdenus ipse contendit, referens, tam indigne habitum nobilissimum euum præsulem fuisse, ex indicio sacrifici, qui quondam Santandream præfati criminis fuisse reum, ex regicidis inter confitendum audivisse affirmarat: verum emendicata a sacrilegio ejusmodi excusatio, nimisque a longe quæsita, perspicue ab omnibus cognoscitur; ideoque illam silentio præterire scriptor idem debuisset; nam posito etiam, quod res, ut astruit, sese ita habuisset, non ex hoc tamen nefandorum illorum hominum sævitia justa haberis posset, ex eo saltem, quod ipsem addit: innocentissimum, nempe, archiepiscopum, ne in judicium quidem more patrio vocatum, ad patibulum fuisse pertractum.

5. *Fingit Elizabetha se nuptias exoptare cum Andrian comite.* — Ipsa regina Scotiae, interruptis simulatae concordia tractatibus, sævius quam antea habetur; dum famuli omnes, præter decem, et sacerdotem, qui sacra faceret, ab ejus famulatu amoventur. Elizabethæ vero aliis simulationibus aditus aperitur, dum misso hoc anno in Galliam Thoma Sachuillo barone Buckhurstio, ut Carolo Gallorum regi, de nuptiis nuper cum Elizabetha Austriaca Maximiliani imperatoris filia celebratis gratularetur: Catharina ejusdem Caroli regina mater, de nuptiis cum eadem Elizabetha, ac Henrico duce Andio filio suo natu minori, hac occasione

agere corpit. Licet enim animo a maritali jugo Elizabetha abhorreret; tamen, ut cognovit hac spe Gallorum animos sibi devictos obtinere posse, nil prætermisit, quo rem ex corde exoptare ostenderet, vanamque eorum hauc expectationem aleret. Missi idcirco hinc inde, ex ultraque parte articuli fuere, quibus haec nuptiae concluderentur; verum cum toto fere anno, de iis actum frustra fuisset, et ex hoc licto negotio, ut infra dicetur, Elizabetha fructum plurimum retulisset; tandem Galli spe sua frustrati, et justo Dei judicio, ex malis artibus, quibus rem consequi, maximo religionis Catholicae damno, tentarunt, utilitatem nullam reportantes, a femina illusi sunt, resque infecta remansit.

6. *Pius de sorte Mariæ et Orthodoxorum anxius.* — Interea Rodulphus, quem anno præterito a Catholicis Anglis ad Pontificem missum vidimus; quique ab eo, ad Catholicum Hispaniarum regem pariter missus fuit, ut pro captiva Scotiae regina, et Catholicis ipsis auxilia imploraret, egregie legatione sua functus est: nam eidem regi Pontificis litteras reddens, ejusdem illi refulit consilium, ad tam illustre facinus aggrediendum, dandaque illico postulata subsidia eum cohortantis. Quam ad rem Pontifex, se non modo quidquid posset collaturum auxili, sed etiam, si opus fuisset, ut optime de Christiana Republica mereretur, præsentem se affuturum, cunctaque Sedis Apostolicæ vestigalia, et item sacros calices, cruces, atque adeo vestimenta sua ob id oppignoraturum pollicebatur. Cumque haec verissima esse constaret, illud satis esse videbatur, si rex Catholicus, ex Gallia Belgica in Angliam armatas cohortes trajiceret, ductore Chiappino Vitellio, ubi Albanus esset impeditus. Litteras, ut vocant, credentiales, a Pontifice Rodulpho traditas reperimus in Regesto Vaticani Archivi, quas hic apponendas duximus:

« Charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum regi Catholicico.

PIUS PP. V.

« Charissime in Christo fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Has litteras nostras majestati tuae reddet dilectus filius Robertus Rodulphus, qui, adjuvante Deo, nonnulla ei præsens præsenti exponet, ad honorem ejusdem Omnipotentis Dei, ac reipublicæ Christianæ utilitatem non parum pertinientia; super quibus, ut ipsi, sine ulla hæsitatione, majestas tua fidem habeat, vehementer eam in Domino requirimus ac rogamus; a qua pro eximia sua in Deum pietate illud majorem in modum petimus, ut rem ipsam, de qua cum majestate tua acturus est, animo ac voluntate suscipiens, quidquid ad eam conficiendam opis, atque auxiliū afferre se posse judicaverit, id sibi faciendum esse existimet.

Quod tamen a maiestate tua sic postulamus, ut eam intelligere velimus, nos eam ipsam rem judicio ac prudentiae maiestatis tue totam permettere. Redemptorem nostrum toto interea corde rogatnri, ut quae ad ejus gloriam diriguntur, his pro sua misericordia, prosperos successus largiri dignetur. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die quinta Maii, mensesimo quingentesimo septuagesimo primo. Pontificatus nostri anni sexto ».

7. In eodem Codice adnotatur, ejusdem exempli litteras, sub die decima tercia ejusdem mensis et anni, ad Lusitanæ quoque regem scriptas fuisse. Verum Rodulphus, licet ex mandato Pontificis præfatum regem adire etiam cogitasset, ab ea tamen legatione postea, aliquibus intercedentibus causis, se abstinuisse arbitramur; inter quas eam præcipuam fuisse censemus, quod controversiae, ut anno præterito innuimus, que inter Lusitanos et Anglos mercatores intercesserant, dum hi lucrosam pro puro auro mercaturam in illa Africæ ora, quam Guineam vocant cum Nigris, ab anno MDLII exercerissem; illi vero, qui primi ea littora aperuerant, vi et armis, quantum potuerant, prohibuissent; adeo ut nonnunquam navali bello depugnassent, et naves utrinque detinuissent. Hæ, inquam, controversiae hoc ferme tempore compositæ sunt; nam rex Lusitanæ Sebastianus, si Camdeno¹ et Thuano² credatur, ut paci consuleretur, Franciscum Gerardum in Angliam misit, qui cum Elizabetha fœdus his conditionibus firmavit: Et perfecta amicitia esset, et liberum utrinque commercium. Neuter quicquam in alterius præjudicium attentaret, nec hostibus rebellibus aut proditoribus alterius auxilium præslaret. Mercedes, pecunia, naves sub aresto detentæ, restituuerentur. Et ad gratificandum regi Lusitanæ, Elizabetha Anglis prohiberet, ne quis navigationem in maria et terras subditas Portugalliae institueret. Quod si aliter fecissent, istorum periculum esset, si bonis, aut vita, a Lusitanis privarentur. Exciebantur tamen Portugalliae regna, et Algarbiæ, Insulæ, Azores, Madera, et littus Barbariæ, in quibus libera negotialis promissa fuit.

8. Ex compositis igitur hoc tempore et hac ratione Lusitanos inter et Anglos rebus, sperandum Pio non fuit, ut contra Elizabetham Lusitani ipsi arma sumere vellent; et ideo Rodulpho mandasse credimus, ubi ista rescivit, ut a Lusitanica legatione abstineret, ut diximus.

9. Non solum autem (ut Gabutius³ scribit), Pius præfatum Rodulphum, per causam offrendie de feedere pactionis contra Anglam, ad Hispaniæ regem cum litteris misit: sed ad

Norefolcum dueem insuper præscripsit, ut bono animo esset ac certo sciret, se nulla in re illi unquam defulsum; quin etiam ejusdem exempli litteras (ut legitur in Regesto Vaticano) ad captivam Scotiæ reginam dedit, quæ ejusmodi fuerunt:

« Charissimæ in Christo filiæ nostræ Marie Scotiæ reginæ illustri,

PIUS PP. V.

« Charissima in Christo filia nostra, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Dilectum filium Robertum Rodulphum, qui majestatis tue litteras et nobilis viri ducis de Norefolech, die vigesima Maii anni superioris datas, nobis reddidit, cum ipsum per se libenter vidimus, tum etiam libentius illa cognovimus, quæ ultriusque nomine nobiscum communicavit. Quia vero causam, ob quam huc ad nos profectus est, satis ipsa per se nobis hominem negotiumque totum commendat; idecirco nihil necesse est pluribus verbis cum majestate tua agere; cui illud solum dixisse sufficiat, nos cum serenissimo rege Catholico, et officio functos esse quo fungi voluisti, remque ipsam majestati suæ, utpote melius quam nos, de rebus istis edocet, prudentiæ permisisse; nihilque posthaec prætermissores earum rerum, quibus hujusmodi negotium omnibus modis juvare possimus. Quod si fortasse hac æstate res geri non poterit, non idecirco majestas tua animo deficere debet, sed donec opportunitas ejus gerendæ adfuerit, temporis moram patienter sustinere. Nos enim eodem semper animo erimus. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die quinta Maii MDLXXI, Pontificatus nostri anno sexto ».

10. Nec prætereundum, quod suo munere minime Pius defuerat apud Catharinam quoque Gallorum regis matrem, pro eadem Scotiæ regina, Anglisque orthodoxis. Cum enim persensisset a præfato forte Rodulpho, vanis ac fallacibus Protestantium pollicitationibus (ut vidimus), seductam, protectionis suæ ipsam subsidium illis subtrahere cogitasse; ac contra datam fidem, promissis cum ipsis minime stare; sacerdotali liberitate, ab eo consilio, et per nuntium suum, et per Epistolæ revocare contendit, officiique commonuit, quo rerum Catholicarum defensionem suscipere tenebatur. Epistola hujus anni initio ad illam scripta, sic se habet²:

« Charissimæ in Christo filiæ Catharinæ reginæ, matri Christianissimi Gallorum regis.

¹ M. S. Archiv. Vat. Signat., n. 2913.

² Apud. Goub. Epist., lib. 5. Epist. 10, pag. 427. Et apud Bzovi, sub hoc an., pag. 990.

¹ Camden., sub hoc an., p. 226. — ² Thuano., lib. 51. — ³ Gabut. Vit. Pii, cap. 9, lib. 3, pag. 105.

PIUS PP. V.

« Charissima nostra in Christo filia, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Beneficiorum, praeſertim afflictis in rebus atque in periculis acceptorum, memorem sese prehēre, non ſolum principes decet, ſed illis eſt id quoque valde neceſſarium. Sic enim, et aliis in ejusmodi difficultatibus animus additur in posterum, et ii, qui male ſe gesserint, non ſine ſuo dedecore meritis pœnis afficiuntur. Nullam porro nos virtutem, hae ipsa grati animi, majorem aestimamus, qua efficitur, ut non modo terrena regna ſtabilitantur, ſed efferae ac barbaræ quoque gentes arctiori amoris vinculo conſocientur. Debet igitur maſteſtas tua in hac cogitatione ſibi conſtare, neque pati, ut in anibꝫ Protestantium haereticorum pollicitationibus, ea bona de mente deducariſ, quam antea prætolisti Anglicis optimatibus, atque iis omnibus, qui Seotorum reginae partes ſuſtinent, protegendiſ. Ex quibus, ut perſpicuum eſt, pendebit tranquillitas Gallicarum rerum, quæ abſque illorum ope, proximis temporibus in magnis plane periculis verbaſtuntur. Etenim, quando admiraliſ Colignius, acie instructus, multis quæ illi ſubmittebat Anglia fulcerebatur auxiliis, eodem tempore, ſi peggia illa regina, ſe Colignio favere aperle declarasset (quod inhibitum fuit, ne Protestantium artibus accideret); proculdubio Galliarum regnum, in maximum ruinae diſcribenetur incurriſſet. Quamobrem, ex Anglia nobiles complures, ſolum ut Christianiſſimam maſteſtatem, cæterosque Catholicos, Moltæ anliſtite ejus in Anglia oratore ſuadente, Robertoque Rodulpho intercedente, ſuſtentarent, perversis improbab illius feminae consiliis obſtiterunt; atque tum aperle, tum clanculo perfecerunt, ne tam duro Gallia conflagraret incendio. Atque hujus quidem rei optimus testis eſſe potest ipſe Moltensis anliſtes; cui, nomine nonnullorum principum, ex iſis optimatibus Rodulphus enunclavit, maſteſtatem Christianiſſimam posſe in eorum ſtudiis conqüescere. Nam ſe curaturos, quod deinde curarunt, ne Anglorum, quam vocant regina, illi ſe hoſtem aperle proſifteretur. Quod ſi facere illa voluifet, ſe illi oppofituros eſſe, ejusque conaliſbus ſummiſ viribus adverſaturos: ea tamen lege, ut Galliarum rex, ſe illis auxilio fore, Scotiaeque reginæ, legitime iſis imperantis, causam omnino defenſurum polliceretur. Quod quidem deponſum eſt, atque illis, Christianiſſimæ maſteſtatis nomine, ab anliſtite Moltensi renuntiatum: ſcilicet illis, per omnem occaſionem ſuppetias latum iri, iſis nobilibus ad moliendum novas res excitandis, atque interim duobus hominum millibus mittendis in Scotiam. Quod etiam fieri coeptum eſt, exercitu per ſpeciem in Anglia

mature comparato. Sed poſtequam rex voti ſui factus eſt compos, alque cum admiraliſ rediit in gratiam, illi ipsi deſerti ſunt, ac lieet ſaſe fuerit poſtulatum, tamen illis promiſſa minime ſervata ſunt. Quia etiam ſpe quadam duebantur fore, ut certo tempore nonnulla fierent ac dicerentur, neque futurum cogitaabant, ut ſi ob reſ inde geſtas nobiles iſpi perderentur, regnum iſtud in eadem incideret difficultates: cum praeſertim nemo nesciat Elizabetham, regie iſti maſteſtati promiſſa non eſſe perfecturam, vigente peggio quo utilur conſilio, ſuadentium non poſſe eam tuto regnare, niſi quantum in ſe eſt, Galliæ Belgique Protestantium cauſam tueatur. Itaque levissima quaque ſumpta occaſione, non habens illa, qui ejus prava temperare conſilia queat; facile ſe Galliarum hoſtem eſſe palam demonſtrabit. Quo quidem tempore maſteſtas tua plane cognosceret, quam ingens in ſe detrimentum incideret, ex tot nobiliuſ Anglorum facta jactura: qui ſi protegantur, magno erunt Galliæ præſidio. Ad hæc autem deſeri nullo pacto debet cauſa Seotorum reginae, cui maſteſtas tua, et alſinalis et antiqui federis iure plurimum debet. Quod ſi, volente Deo, Anglicum illa regnum obtineret, Gallicos tumultus nunquam ſane palerelur: neque fieri poſſet, ut ea iuſta veniret in diſionem principis aliejuſ ex Protestantibus, qui proculdubio Galliam ac reliquam omnem rem Christianam vexare non deſiſteret. Galliæ vero Protestantes, quamvis eos maſteſtas tua in pace conſineat, perpetua tamen habent in Anglia commercea, eamque reginam admonent earum rerum, quæ non modo in Gallia, ſed etiam in toto orbe Christiano geruntur. Atque hiſce artibus magis ac magis conſirmantur in dies, ut exitiosa conſilia ſua aliquando poſſint obtegere nefariasque cupiditates explere. Quod utinam cito non videamus! Etenim nobis exploratum eſt illos, eo quod habent in Anglia ſubſidio munitos, coacervandis pecuniis continent operam dare, quas preter ſtata ac publica veſtigalia, quæ ex Anglicis cogunt Ecclesiis, ex Iatrociniis quoque et Catholicorum bonis ad mare direptis, colligere conſueverunt. Quod ſane dannum incredibile, redarguitque vehementer omnium principum conſcienciam, id mali non avertentium. Siquidem liquido conſlat, Protestantes illos, propriis Catholicorum bonis armatos, bellum renovaturos, idque primo quoque tempore haud dubie facturos: cum non ſatis tutos ſe fore arbitrentur, niſi quatenus Christianiſſimam maſteſtatem implicitam tenerint: eamdemque ſui iſorum auxilio neceſſario indigere, ac per ſpecimen Gallici regni fines amplificandi, in Hispaniam bellum inferre curaverint; idque ad iſorum factionem magis conſtabiliendam, adiungendumque regem, ut cum iſis moderatius ſe

migrante, cum hæretici, quos publica lege ante cohibuerat, summa rerum potiti essent, in primis Joanni Storæo mala omnia intentabant, ac in primis nimiam hominis crudelitatem calumniabantur. De crudelitate vero sua id in publicis comitiis Joannes ipse, regnante jam Elizabetha, respondit, se nulla in re alia peccasse, nisi quod omissa radice, nescio quos ranunculos præcidisset, cum potius debuisse robustissima quæque zizania radicibus ebellere; quod factum si fuisset, jam (inquit) non tot ac tanta videremus impietatis genera ubique stare atque adeo florere. Sectarii hoc totum de ipsa regina Elizabetha, quæ radix peccati fuisse videbatur, dictum interpretantes, ab illo die novam criminacionis materiam, tum arripere, tum colligere non destiterunt, donec invicta constantie virum, ob fidei Catholice liberam confessionem, in vineula conjectissent. Cum vero aliquot annis in carcere mansisset, quædam die oblatam sibi sese liberandi occasionem videns, arripuit, erupit, ac tamdiu in privatis amicorum ædibus latitavit, donec in Belgium trahiceret. Lovanii autem cum esset, diu multumque ea cogitatione torquebatur, quod insignem martyrii locum, ad quem Deus eum vocasse videretur, culpa sua amisisset. De hac saepius cum uxore, cum amicis aliquando, mecum semel serio locutus, quærebat, utrum liceret ei sese ilerum in potestatem hæreticorum tradere, an non? Ego ei non audebam auctor esse, ut in custodiam reverteretur; Dei enim consilio videri eum esse liberalatum, nec satis tulum fore, ut periculum sibimet crearet, quem Deus in tuto collocasset. Ille vero pœnitentiam se aclarum professus, locum ei rei aptum apud Chartusianos Lovani delegit, nec recusavit, quominus in religionem aliquam ingredieretur, si uxor ejus idem etiam propositum se suscepturam sponderet. Illa conditionem recusante, Storæus tamen in proposito pœnitentiæ agendæ ita permansit, ut frequentius apud Carthusianos quam domi ageret: cum ecce, inopia rei familiaris oppressus, præser-tim nepote suo ac nepte ad eum ex Anglia transmissis, cæpit de vietu querendo sollicitus esse.

24. « Erigebatur eo tempore novus magistratus apud Belgas, qui videret, ne quid mercatores exportarent in Angliam, aut etiam inde invehherent, contra leges a Catholicæ rege latae. Hic magistratus cum Parkero cuidam deferretur, is Joannem Storæum juris consultissimum virum rogavit, ut sibi adesset, consilioque suo et auxilio hominem juvaret. Admonebant Storæum amici, ne quid istiusmodi tentaret: esse enim rem, et in se odiosam, et ipsius persona indignam, ut mercium nescio quarum explorator haberetur. Ille tamen nonnullis responderet, se ab eo munere alienum fore, tamen

lucrari (ut videbatur) spe illectus, temperare sibi non potuit, quominus Parckerum, quibus posset modis juvaret. Audivit ergo navim quædam in Zelandia esse plenam prohibitarum mercium, quam si deprehendisset, magno ea res tuero, et Parcker et sibi futura esset. Ille esca illectus, primo Belgas, inde in Zelandiam se conferens, ad eam navim delatus est, quæ certorum hominum consilio ad hoc ipsum in insidiis collocata erat, ut simul ac Storæus in eam ingressus esset, vela ventis committeret, hominemque carceri, quam sponte reliquerat, non invitum redderet. Qanquam enim eo tempore nihil minus cogitavit, potiusque alios capturum se sperabat, quam ne ipse caperetur; tamen postquam, Anglia ob oculos proposita, quid actum esset intellectus, Deo gratias egit, qui se iterum martyrii loco restituisset, rogans etiam, ut martyrii locum sibi palmamque concederet. Quid quæris? Hæretici mercatores ingenti gaudio perfunduntur, sibique de suo consilio ac stratagemate supra modum gratulantur; Catholicos vero, majorne stupor an dolor teneret, difficile dictu est. Storæus Londonum perductus, primo in Lombardorum, deinde in Londonensem Turrim includitur. Quæstio in illum habetur; quid ab initio responderit, ignoramus, id tantum ad nos perlatum est, nunquam ullum subditum in Anglia tam libere et confidenter locutum. Negabat enim se jure in principis Angliæ, sed potius in Catholicæ regis potestate esse.

25. Anno aulem Domini MDLXXI, vigesimo quinto die mensis Maii, productus in judicium, perduellionis reus peragitur, velut qui coniurationem cum certis viris apud Belgas in civitate Antuerpiensi, contra Elizabetham inivisset, religionemque schismaticam, quæ jam in Anglia regnat, in Catholicam commulare tentasset. Facta vero pro se dicendi potestate, fori tantum exceptionem proposuit, negans judices ipsos ullam in se potestatem habere, qui jam, non Anglicane principi, sed potius regi Catholicæ subjectus esset. Interrogatus vero, utrum in Anglia natus non fuisset? Fatebatur, sed addebat se justissima de causa solum verlissee. Nam et Abrahamum patriarcham, Dei jussu de terra sua et cognatione olim exiisse, ne peccato idolatriæ, quo tunc Chaldaea tenebatur, involveatur: cuius exemplum se imitatum esse, eo quod videret patriam suam schismatis ac hæresis peccato implicatam teneri; atque ideo membrum alterius reipublicæ factum esse. Reges enim defendendi ac protegendi populi causa primum constitutos fuisse; itaque, cum vidisset reginam Angliæ, adeo ipsos non protexisse, ut pro derelicto potius haberet, atque adeo, ob id solum quod Catholicus esset, inuste illum persecueretur; eo se animo in regis Catholicæ provincias commigrasse, ut sub

ipsius protectione, tam sibi quam fidei sua considereret. Inde se primum dolo malo, deinde aperta vi, contra jus omne abreplum esse, nec legibus jam ulla apud illud tribunal reum sisli. Judex vero interlocutus est Storæum, nisi quid aliud pro se afferret, statim experturum esse, non deesse leges, quibus in regno illo condemnaretur. Cum autem Storæus dixisset, se quod bonum et æquum videretur prolocutum, nec ullo modo posse illius judicij auctoritatem agnoscere: mox, absque ulla criminis, vel confessione, vel probatione, non tantum morti, velut contumax addicitur, sed etiam perduellionis nominatim condemnatur. Storæus autem biduo post, cum ad uxorem Lovanii agentem scriberet, deque hujus sententiae injustitia quereretur, significavit perfacile sibi fuisse, si apud alios judices actum esset, id quod de conjuratione contra Elizabetham facta objiciebatur, confutare. Cujus rei testes citabat illos ipsos, quibuscum Anluerpiæ hac de re egisse dicebatur. Verum quia hoc, quod probe sciret, nescire non posset: integrum sibi non fuisse, aliter causam dicere, quam dixisset: Intellexit vero se probe scire, prætensam Angliae reginam, per declaratoriam Summi Pontificis sententiam, ob heresim manifestam, omni jure regni dominioque privatam esse; ac propterea magistratum nullum ab illa creatum, eique adhaerentem, a se agnosci posse, ne forte ipse etiam codem anathemate innodaretur. Ut igitur conscientiæ suæ considereret, ac Summi Pontificis communionem retineret; sanguinem suum profundere non curavit. Ac nimirum in iisdem litteris ad uxorem suam, non solum gratias agebat Deo, quod in ea causa moriendi sibi esset; verum etiam uxorem et amicos onines congratulaturos ei dicebat, si vere nossent. quanta cum alacritate ad morlem illam properaret, cuius brevi compendio, septuaginta fere annorum delicta per Dei gratiam expiaturus esset.

26. « Pridie autem kalendas Junii, cum præfectus carceris a Storæo quæreret, utrum ante obitum suum consilio ejuspiam ex Dei ministris indigeret; ille postulavit, ne quis profanus et schismaticus introduceretur, se enim cum nullo tali communicaturum esse, cum Catholicó autem presbytero libenter se colloqui velle. Imperatum igitur est, ut reverendus archimandrita dominus Fecnamus, qui codem in carcere, ob fidem Catholicam tenebatur, ad illum accederet, qui per totam prope noctem collocuti esse dicuntur de iis rebus, quæ ad æternam salutem pertinebant. In ipsis ergo kalend. Junii, tantus Dei martyr injectus crati, ad locum supplicii trahitur.

27. « Inde in currum translatus, fune prius in collum imposito, dicebat se ut moreretur adesse, ac fatebatur quidem gloriosa Dei voluntate factum esse, ut in Angliam, subeundi sup-

plicii causa, quod multo gravius peccata sua merita fuissent, perduceretur; nam alioqui se admonitum, non semel, quantum ipsi perieutum immineret; nunquam tamen illud prospicere potuisse: nunc autem Deo gratias agere, inimicis ignoscere, cum omnibus hominibus pacem habere, corpusque suum fibentissime carnificie traditum, ut per brevem pœnam, ad æternam gloriam, merito sanguinis Jesu Christi aspiraret. Porro, de iniunctitate judicij, quod in ullum exercerentur, deque crudelitatis calumnia, ejus ei notam inuississent, pauca locutus: tandem se mori contestabatur in ea Catholica fide, in qua baptizatus fuisse, quæque illi, cum rege suo Philippo, cæterisque Catholicis principibus et populis communis esset. Adstantes vero, ac præsertim adolescentes admonebat, ut unam Ecclesiam crederent, unum ovile, pastoremque unum, et illum D. Petri successorem; extra cujus Ecclesiae unitatem servari nemo posset. Interrogatus autem a comite Bedfordiæ, utrum esset subditus reginae? Non sum, inquit. Tum Baro de Hundeno intulit: At natus es Anglus. Cui Storæus: Nascitur quisque liber, eique tota superficies terræ patet, ut si uno certo in loco habitare non permittatur, alibi tamen possit degere. Tunc quidam ex ministris Anglicanæ Synagogæ quæsivit, utrum non crederet reginam immediate sub Deo supremum caput esse Ecclesiarum Angliæ et Hiberniæ? Non disputandi causa, inquit Storæus, huc veni, nec mea negatio vobis fidem fecerit, aliter se rem habere. Vix hoc dixerat, quin illi, qui aderat veriti, ne gravius aliquid in profanum illum et sæcularem reginæ primatum dicturus, aut manifestius verum Primum Romanæ Ecclesiæ confirmaturus esset, abduci currum jusserunt: atque ita, cum ad breve tempus fuisse suspensus, vivus adhuc in terram demittitur, præcinduntur genitalia, aperitur venter, viscera eruntur, caput amputatur, membra dissecantur, ac ne sic quidem excarnificatus immanni ac barbaræ spectatorum crudelitati satisfecit.

« Aderat inter eos spectator Cæcilius, qui Elizabethæ a secretis est, et præterea comites duo, ac unus baro. Iis ergo cum talis mors parum acerba visa esset, statim duos libellos ediderunt, in quibus venerandi senis ac sancti martyris reliquias, infamæ notis aspergere co[n]ati sunt, ut omnes intelligerent, tantas Joannis Storei virtutes fuisse atque esse, ut neque post funera ejus ipsorum livor et invidia conqueseat ». Hucusque Sanderus, ex cuius narratione, quanti facienda sint ridicula prope Camdeni de Storæo commenta, facile aestimandum est.

At inter alia a nostris scriptoribus relata quæ hoc tempore, dum Catholicæ innocentes passim ad supplicia rapiebantur, acciderunt; istud in civitate ac universitate Oxoniensi evenisse memorabile narrant. Roulandus quidam

vel (ut innuimus) Elizabethæ favorem sibi captere cupientes, illiusque nuptiarum cum duce Audio spe vana illecti; contra omne fas et jus, promissis, et fidei Anglis Catholicis datæ, ac Dei et Religionis negotio, insanias has falsas præposuere. Et Albanus demum, qui sicut immanni sua savit Belgarum gentem, Hispaniarum regi, et fidei Catholicee sese fere subtrahere coegit; ita intoleranda ambitione, privatæ suæ rei, et publicum bonum, et optimam regis sui mentem, mandatumque, et Orthodoxorum tandem Anglorum exterminium, insigni infamia anteponere non pertimuit.

16. *Rodulphus hujus expeditionis præcipuus ordinator, in Gallia subsidere cogitur.* — Infeliciissimæ expeditionis exitus, quanto mærore, tum Pontificem, tum Philippum Hispaniarum regem affecerit, haud facile verbis referre, ut præfatus Gabutius¹ pariter his verbis narrat: « Id autem quam ingentem dolorem attulerit Pontifici, verbis explicari vix potest. Rex deinde Catholicus coram cardinali Alexandrino in Hispaniam, uti dicetur, ad eum legato, collacrymans aiebat, nullum unquam hoc ipso, vel præclararius vel sanctius compositum stratagemma fuisse; neque vero majorem unquam visam esse conjuratorum sive concordiam, sive constantiam. Siquidem per tot dies, nihil unquam ab ipsis temere enuntiatum erat, magna que rei bene gerendæ, atque opportuna sese offerebat occasio. Sed enim summus ille mundi opifex, cuius nutu omnia gubernantur, seu mortalium peccatis id emerentibus, seu ut ex Anglia, vigente persecutione, plures interim Christi martyres, uti deinceps factum est, in Cœlum evolarent; hos alioqui pios conatus irritos esse permisit ». Hactenus ille.

17. Rodulphus interea, qui huic expeditioni tam egregie operam suam navaverat, ideoque bonorum omnium præconio dignissimum sese præbuerat, postquam regis Catholici, ulteriora quæ memoravimus mandata ad Albanum in Belgio detulit, in Gallias concessit, ut inde in Angliam trajiceret. Sed inter hæc triste nuntium accepit; negotium omne detectum, ac inter alios, se quoque ad necem ab Elizabetha quæsitum. Mutato idecirco consilio pergere supersedit, ut ipsem fatetur in sua quadam Lutetia Parisiorum, sub die trigesima Septembbris hujus anni, ad Scotorum reginam scripta Epistola: quam inter alia antiquitatis monumenta, cum anno **MDCCVII** Florentiae commoraremur, reperimus apud præclarissimum virum, nobisque amicitia conjunctissimum Comitem Laurentium Magalotum, a consiliis secretioribus regiæ Celsitudinis Cosmi III Magni Duci Etruriæ, et doctrina ac multipli eruditione toto orbe clarissimum: unde, ex his rite Thuanus erroris coarguitur.

qui Rodulphum in Angliam hoc anno rediisse scribit.

18. *Roffensis episcopus in arcem Londinensem detruditur.* — Præter ea vero, quæ diximus, ex Gabutio, acta ab Elizabetha post eam quam narravimus delectionem in Norefoleum ducem et alios, peculiare aliud addendum non videtur, nisi quod inter illos, qui hæc de causa in custodiā traditi fuere, Roffensis quoque episcopus fuit, Scotorum reginæ, ut toties memoravimus, apud Elizabetham orator; qui nempe ejus jussu (postquam pronuntiatum est contra illum, quod legatorum privilegiis excidisset) in arcem Londonensem deductus est. Præterire tamen non valemus, quod Camdenus scripsil, inter cæteras videlicet scripluras, ab Elizabetha hac occasione interceptas, commentarium quoque fuisse satis prolixum, de consiliis suis, a Scotiæ regina exaratum; et quasdam ejusdem amatorias litteras ad ducem Norefoleum, privato inter ipsos charactere latenter missas. Nam quidquid de commentario fuerit, quoad amatorias litteras a regina Maria ad Norefoleum missas, certum est, id a nostris scriploribus, tamquam injuriosum hæreticorum figmentum semper fuisse rejectum; vel quod illa nunquam coram Norefoleum viderit, in cuius amorem adeo perdite exardescere potuerit, ut aliqui adnotarunt; vel quod nimis inverisimile videatur eam, in summis calamitatibus undequaque demersam, a vanissimi amoris illeebbris sic potuisse abstractam esse et illectam.

19. *Diversa decreta sancta contra Catholicos.* — Spe vero frustrata Elizabetha, quod Pontifex prolatam contra seipsam anathematis sententiam revocare vellet, hoc anno ab Ordinibus Angliæ², qui Wesmonasterii convenerant, ista contra fideles sanciri curavit:

« 1. Ne quis Elizabetham, hæreticam, schismaticam, infidelem usurpatricemque, sub pena capitis vocet.

« 2. Item, ne quis aliam quamcumque certam personam nominet, cui regnum, vel in vita, vel post mortem ipsius deberi dicatur, excepta Elizabethæ naturali prole ». In eam enim (inquit Sanderus), vel adulacionem, vel necessitatem ista perduxit hæresis, ut quod illud nobilissimum regnum illegitimæ ullius regis sui proli ægre unquam concessit; nunc naturali, idest, spuriæ soboli reginæ, in cuius sexu fornicationis peccatum est fœdus, non denegarint: pariler, et Reipublicæ, ex proximi successoris ignoratione, extremum periculum, et Elizabethæ incontinentiam prodentes. Sic ille; in inconsulta ea verba Decreti; quæ pariter haud dissimili animadversione, alii etiam scriptores adnotarunt. Quare ipse Camdenus.

¹ De Schism. Anglic., lib. 3, pag. 429. — ² Pollin. et alii. —

³ Camden., ut supra.

« Incredibile est scribit quos jocos improbi verborum aucupes sibi fecerunt, ex clausula illa, *præter naturalem ex ipsius corpore sobolem*. Cum juris periti liberos extra nuptias quasitos, quos sola natura, non conjugii honestas genuit, naturales dicant, legitimos vero ex formula juris Anglie, vocent: *liberos, ex corpore legitime procreatos*. Adeo ut tunc juvenis audierim dictantes, verbum illud a Leycestro in legem ingestum, eo consilio, ut aliquem ipsius ex pellice spurium, pro reginae sobole naturali, Anglis tandem aliquando obtruderet ».

20. Horum Decretorum alteri ea poena imposta fuit, ut qui in illud peccasset, tanquam læsæ Majestatis reus haberetur: alteri vero, ut qui ipsum violasset, prima vice carecre, ac dimidia bonorum parte privaretur: sed, si iterum idem crimen perpetrasset, omnium bonorum amissione, et perpetuo carecere plectetur. Quod quidem, iisdem hæreticis ut præfatus Camdenus scribit, grave visum est, quod et ipsi, certo designato hærede, regni tranquillitatem constabiliendam censuerint.

21. Contra Catholicos insuper sancitum est, ut qui Bullas aut alia Pontificis Romani rescripta reciperet, aut aliquem Romanæ Ecclesie reconciliasset; tum ipse, tum ii, qui reconciliati fuissent, læsæ Majestatis poenam subirent.

Qui reconciliantes (nempe sacerdotes), sustentassent: Agnus Dei, Grana, Crucifixos, aut alia a Romano Pontifice consecrata in Angliam importassent; omnium bonorum amissionis, et perpetui careeris poena afficerentur.

Qui reconciliantes non detexissent, proditio[n]is cælatae crimine tenerentur.

Qui Pontifici Romano devoti, spreta legum auctoritate, se in exteris regiones, sine reginæ venia magno numero in dies subduxerant: cautum, poena amissionis bonorum (ne extra regnum haberent, unde se alerent), ut intra statum tempus redirent, et se submitterent. In quas quidem leges (inquit Sanderus), cum multi devoti Catholicæ, vel vere offenderent, vel saltem calumnia legum irretiti tenerentur; alii careeribus, alii bonorum proscriptione, alii etiam morte, tam sacerdotes, quam utriusque sexus omnium ordinum laici muletabantur.

22. Temerario ausu, illud quoque in eo Westmonasterensi conventu propositum fuit, ut si Scotorum regina, rursus contra Anglicanas leges peccasset; in ipsam ex lege, tanquam in uxorem Paris regni Angliæ ageretur. At Elizabetham sua auctoritate intercessisse, quo minus id sanciretur, scribit Camdenus. Nos autem, ipsa nesciente, de hoc actum fuisse, minime existimamus; rei vero postea, ne ad effectum perduceretur, sese specie objecisse, eredimus, ut simulatam benignitatem erga æmulam, ex more ostentaret.

23. *Storei præclarorum martyrum: multiplicia*

iræ divine signa. — Simul ac Junio incunte regni Ordines dimitterentur, de Joanne Storio sive Storæo, consultatur: cuius siquidem, et vita, et mors pretiosa, a Sandero descripta, digna est, qua Annalibus Ecclesiasticis inseratur. Joannes Storæus (inquit) ab incunte aetate in studiis litterarum tantas progressiones fecit, ut tum juris utriusque docto[r], tum regius professor in Oxoniensi Accademia fieret, ubi cum ad aliquod tempus magna cum laude officio suo functus esset, Londinum evocatus est, ut illius urbis episcopo in cancellarii munere obeundo inserviret. Erat tunc status rerum Angliae, usque adeo perturbatus (propterea quod Henricus Octavus, repudiata legitima uxore sua Catharina, in ejus adhuc viventis locum, Annam Bolenam supponeret, monasteria everteret, nobilissimos quoque et optimos viros neci daret), ut Joannes Storæus, ut melius sibi et securius arbitraretur, si viveret in ordine laicorum, quam si ad clerum accederet. Accepta igitur in matrimonium honestissima virgine Joanna Uarsa, cum ob idem, ingenium, doctrinam, eloquentiam et constantiam celebris apud omnes merito esset, non difficulter obtinuit, ut quoties publica regni comitia indicebantur, ipse velut decurio præcipui alicujus oppidi, quod jus suffragandi habebat, sententiam suam in comitiis diceret. Tibi tantam in dicendo gravitatem, lepore quodam orationis conditam adhibebat, ut inter omnes minorum gentium senatores, facile princeps haberetur. Is igitur, cum videret, Henrico jam defuneto, sub impuberi filii Eduardi Sexti aetate rem in pejus ferri, et a manifesto schismate ad manifestam hæresim devenire: huic malo summis viribus obsistendum ratus, pro fide Catholica doctissime constantissimeque peroravit. Qua in oratione audacter libereque dixit, jam tunc in regno Angliæ impletum esse verbum illud Salomonis: *Væ regno illi denuntiantis, cuius rex puer esset.* Offenderat ea oratio certorum principum animos, qui per impuberis adhuc regis Eduardi aetatem, ex bonis Ecclesiasticis crescendi non parvam spem cœperant: quos cum sibi valde infestos Joannes noster haberet, contra morem antiquum, qui summam dicendi libertatem omnibus decurionibus in publicis comitiis concessit, in custodiam conjicitur. Unde cum ægre tandem liberatus fuisse, temporis eedendum ratus, in Belgium se contulit, ubi cum usque ad mortem Eduardi Sexti permansisset, regnante demum felic. mem. regina Maria, in patriam reversus, et hæreticæ pravitatis inquisitor factus, illud munus ita administravit, ut impiissimis quibusve severus judex, bonis autem non minus gravis, quam æquus censor videretur. Maria vero ad superos

gerat. Quod si Anglia, ejus ope ipsi maxime mituntur, undeque subsidio cuncta petere perpetuo solent, ab illis aliquando fuerit abalienata, favendis optimatibus illis et populis qui ad Catholicæ veritatis lucem redire desiderant, fieret, ut Christianissima majestas tutior esset ab hostibus, qui eam assidue circumsistunt, ac fortasse contra illam conjurant. Quin ipsa regno suo toti liberius imperaret, atque universo terrarum orbi magis quam unquam antea se terribilem præberet; ac præterea Deo per gratum faceret, quodque sui muneric est egregie præstaret. Quæ cum ita sint, debet omnino iis stare promissis, quibus te ipsa jam obligasti, nobisque spopondisti, ad universæ Christianæ rei salutem. In quo si fuerit ipsis optimatibus satistaetum, poteris ipsa deinceps rationes excogitare, quibus commodius fieri possit, ut in regnum iltud regina Scotiæ succedat, ac magno Catholicæ religionis beneficio, nobiscum ineat belli societatem. Quandoquidem quæcumque a nobis dari subsidia poterunt, ea desiderari non patiemur, ac magnam eorum partem jam comparavimus: neque aliud quidquam prestolamur, nisi ut consilia sua expediatur majestas tua, quæ præter sibi a Deo in futura vita deposita præmia, gloriam apud homines inde referet immortalem. Quod reliquum est Saneti-Populi episcopus coram explicabit: qui tum de hac ipsa, tum etiam de fœdere universæ Christianæ reipublicæ tantopere necessario, aliisque de rebus ad istius regni utilitatem pertinentibus, nostro nomine cum majestate tua fusius tractabit. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, XVIII kalend. Januarii MDLXXI, Pontificatus nostri anno sexto ».

t1. Existimasse videtur Bzovius¹, hanc a Pontifice scriptam ad Catharinam Gallorum reginam fuisse Epistolam, quod missus a Gallicana aula in Scotiam Vernacius quidam, cubiculariis regis, magnificis promissis Catholicorum animos erexisset; cum et litteras non modo ad principes partiarios reginæ Mariae, sed ad multos quoque, qui neutri factioni sese addixerant, attulisset; ac nomine Christianissimi regis, ut in eadem constantia Catholicæ fidei perseverarent, orasset; pollicitus regem auxilia etiam majora quam rogarunt, cum primum commode posset, missurum. Verum cum Pontifex, nec Vernacium, nec etiam Scotos in allata Epistola commemoret; totusque tantum in eo sit, ut quæ per Rodulphum et Mottensem antisitem gesta fuerant, ac orthodoxis Anglis promissa ad effectum perducerentur: non recte idecirco a Bzovio ad res Scoticas præfatam Epistolam referri perspicuum est; uti etiam Jacobi Moraviæ Comitis mortem, aliaque plura, quæ præterito anno accidisse narravimus, in præ-

sentem perperam ab ipso rejecta cognoscimus.

12. *Hæreticis piraticam exercentibus facet Elizabetha.* — De hæreticis autem, qui piraticam exercebant, de quibus Pius in præfata Epistola amarissime (ut audisti) conquestus est, multa suis locis narravimus; sed multo plura sub hoc anno Michael ab Isselt¹ his verbis refert: « Piratica Hugonottorum factio nondum in mari conquiescebat. Jampridem enim aliquot navium classem Rupellæ, consilio reginæ Navarreæ instruxerant, cui Castellionæum præfecerunt. Is mare universum infestum habebat. Postea in Angliam ad Castellionæum cardinalem apostamat profectus est, et cum eo consilia communicavit. Videbat enim se portibus et littoribus Angliæ difficulter carere posse, et jam Conquæsto proximus, a Britonibus, ne descenderet, prohibitus fuerat. Castellionæus non difficulter ab Angliæ regina impetravit potestatem Catholicos et eorum naves ubique intercipiendi, ea lege, ut tertia pars prædæ communii Calvinianorum utilitati, quam causam nominabant, obveniret. Qui huic militiæ adscripti fuere, Causarii, et ipsa factio Causa dicebatur. Ilujus Causæ vim et injuriam, Genuenses, Veneti, Belgæ, Hispani, Galli, brevi tempore senseré. Habebant hi piratæ tutum in portibus Angliæ receptaculum. Hinc reges Hispaniarum et Lusitanæ, quibus maximi thesauri erant ab his nebulonibus adempti, apud reginam de vi conquerebantur. Illa negabat se alicui represaliorum litteras dedisse: idecirco, si capi possent, qui has prædas egerant, pœnas luerent. Interim nemo aliquid, colludentibus inter se principibus hujus factionis, recuperat. Castellionæus, cum jam diu Causam Hugonoticam graviter apud homines egerat, apud Deum causam propriam acturus, a Condæo in prælio Bassacensi vocatus, trucidatur. In ejus locum sufficitur Sora quidam, homo sceleratissimus, et archipirata celebris. Hic se admirarium seu architalassum Navarræ, auctoritate accepta a Joanna d'Albret regina ejusdem regni jactans, non Britannicum tantum, sed Atlanticum Aquitanicum, et totum Oceanum Occidentalem, suis latrociniis, furtis et rapinis infestabat ». Et paulo inferius²: « Exiles Belgæ, cum animadverterent negotiationem esse quæstuosissimam, quæ ex Geusiis, hoc est, mendicis, brevi opulentos facere posset: volentes et ipsi Causam agere, comparatis aliquot navibus, piraticam longe lateque exerceere cœperunt. Hi ad distinctionem Geusiorum Sylvestrium qui in sylvis grassabantur, Geusii Aquatæ dicebantur, et auctoritatem potestatemque suam ab Auriaco habebant. Duces eorum erant D. Checinus Hannoniensis, Joannes Brackius Amsteloda-

¹ Bzov., sub hoc ann., p. 994.

² Michael ab Isselt. Sub hoc anno, p. 248 et seq. — ² Ibid., pag. 449.

mensis, Wilelmus de Fiennes, Bartoldus Ennius, Egmundanus quidam Hollandus, Embiensis Junior, et alii. Hi naves omnes a Septentrione aut Occidente venientes et Belgium petentes intercipiebant, et nisi gravi lytro redimerentur, diripiebant. Rupella Embiae in quibusdam insulis Hollandiae et maritimis locis Anglia tuta habebant receptacula. Armarunt contra hos piratas Daniae Sueciaeque reges, et dux Albanus quædam navigia, quæ mare ab iis rapinis tutum redderent. Sed in Oceano tam lato et spatiose, deprehendi et capi difficulter potuerunt. Accedente tandem Lumnae, e eorum mitum Marekensium prosapia nobili apud Eburonnes, colluvies haec eum in modum crevit, ut Albanus apud reginam conquestus sit, quod recipere ac foveret hosles regis Hispaniarum, contra antiqua paeta et societatem inter Anglos et Burgundos initam: nec hostes tantum regis, sed publicos piratas, latrones et grassatores, qui nullo discrimine amicos et inimicos spoliarent. Haec expostulatione Albanus tandem id effecit, ut regina nefario huic hominum generi, omnibus portubus, littoribus, locisque maritimis Angliae interdixerit, ut suo loco diceatur. Interim prudentiores quique, et qui rerum Belgicarum erant expertiores, suadebant Albano, ut præsidia quædam, e mediterraneis locis evocata, in maritima loca Hollandiae ac Zelandiae indueret: majus enim ipsi a mari, quam a terra imminere periculum. At ille, ut hoc faceret, nunquam induci potuit: parum memor illius Taciti¹: *Principem sua scientia non posse cumeta complecti, nec unius mentem tantæ molis esse capacem: adsumat igitur in partem curarum alios. Qui enim (ait Livius²) nec ipse consulere, nec alteri parere seit, is extremi est ingenii.* Ita ab Isset; sed de his inferius.

13. *Zelus Pontificis et Hispaniæ regis in ornanda expeditione contra hæreticos Anglos irritus cadit per Albani invidiam.* — At non modo Pius palernis commonitionibus suis apud Catharinam quidquam non profecit, ut ex Gallia, nimirum, promissa Catholicis Anglis subsidia mitterentur: quin diabolice ejusdem Catharinæ prudentiae potius tribuendum sit, ut ipsius Pontificis ac Hispaniarum regis conatus pro ipsis Anglis irriti redderentur: iidemque ab Elizabethæ tyrannie fere opprimerentur.

14. Ubi enim Catholicus rex Philippus Pontificis litteras legit, ac de Anglicarum rerum statu a Roberto Rodulpho certior est factus: quo erat Orthodoxæ religionis studio prædictus, statim per tabellarium (uti Pius innoverat Albano mandavit³, ut Chiappinum Vitellium, in Angliam eum copiis trajicere faceret: et interim, procurante eodem Pio, aureorum dueinta

millia in eam rem in Belgio dinumerari præcepit. Haec expeditionem interea præviderat Albanus, cumque de illa in Hispania ageretur, summo conatu curaverat, ut pro Vitellio, Fredericus filius suus eidem præficeretur: sed irrito eventu, cum is, tum a rege, tum ab illius consilio rejectus fuisset. Qua ex re adeo immannem indignationem vir ambitious concepit, ut nil penitus prætermiserit, quo regis sui pri studia impeditret, ac egregii tacitoris effectum everteret. Sed audiamus, quod de hac re diserte admodum Gabutius in Vita Pii monumentis mandavit:

15. « Id vero cum rex ipse fieri mandavisset quod, nempe, ex Belgio in Angliam armatas cohortes trajiceret, ductore Vitellio intercedens Albanus variis difficultatibus negotium obstructum esse ut suspicionibus implicita sœpe sunt principum consilia renuntiavit: nam si eam expeditionem, in scio Gallorum rege, Catholicus aggredieretur, fore ut indignati Galli, sua et Anglica simul arma in Belgias converterent: verentes nimirum, ne Anglia in Hispanorum caderet potestatem. Quod si etiam Galli, cum intestinis bellis impediti, cum primum possent, Anglicanam expeditionem per se suscepissent, suspicandum esse Catholicó regi, ne eodem illi regno potirentur. Neque vero Pontifex ipse, quod satis utrisque esset, poterat tuta cuncta polliceri.

« Haec igitur momenta rerum impeditimentaque omnia consideranda regi per litteras Albanus proponebat. Cui dum rex imperat denuo, ut nulla re impeditretur, quin in juvandis in Anglia sociis cæptam navaret operam, ad eum misso Rodulpho cum pecunia in eam rem, interim divino judicio permissum est, ut de rerum serie tota, ad Elizabetham referretur a nonnullis Galliae regno, politice magis quam pie consulentibus, statusque jure, quod Pius *Diabolicum Ius* appellare solebat, atque vana suspicione implicitis, ne scilicet Anglia recepta, Galliarum regno potirentur Hispani. Quamobrem majori adhibita diligentia Norefoleiæ ducis litteras Elizabetha intercepit, cum aureorum duodecim millibus, quæ ipse in Seottiam, ut copias instruerent, ad socios submittebat. Extemplo ducem aretius illa constrinxit, aliosque præterea multos in vincula coniicit: quo in numero fuit is, qui ipsi Duei erat a secretis, qui in quæstionem datus, ubi arbitriæ litterarum note delitescerent, indicavit, etc. » Sie ille: ex ejus aliorumque narratione perspicue si agnoscuntur, qui Anglicanam pro Catholicæ religione expeditionem, opusque impie dejecerunt: Galli, nimirum, qui, vel ex ea re, ex Catholicorum sententia succedente, sibi periculum imminere inani metu suspiciati sunt;

¹ Annal. 3. — ² Liv., lib. 22. — ³ Pollin., lib. 4, cap. 15. Gabut., lib. 1, cap. 9.

¹ Pollin., ut supra, Hadrian., lib. 31, p. 3573.

Gisneus, pro Catholica religione rens habitus, causam dicturus ante judicem sistitur. Itie in illum, (quod plebeius esset) judicium de praecidendis anribus profert. At vix hanc sententiam haereticus ac injustissimus iudex in eum pronuntiavit, enim morbus repentinus et exitialis prætorium illud universum invadens, nec alia loca civitatis authomines attingens, solosipso judices et assessores omnes; imo et ipsum summum provinciae præfectum subito corripuit, duodecimque præterea juratos ad hoc viros, ut pro consuetudine, hominem, vel rem, vel innocentem denontiarent, sic ocepnavit, ut isti statim, judices vero, assessorum, et præfectus prædictus, aliqui non post horas multas, reliqui post paucos dies, ad unum omnes interierint, et cum illis eodem morbo, loco et tempore corrupti, non minus quam quingenti, variis extra urbem locis paulo post extincti fuerint.

Elizabethæ consiliarii hoc casu, vere admiratione dignissimo, attoniti, mox Londino quosdam miserunt, qui philosophis et medicis illius Academiæ sibi adjunctis, unde ista lues, ante inaudita, advenire potuerit, studiose disquirent; sed aliis alia conjicientibus, nec ulla in natura causa rei adinventa probabili, tandem magicis artibus rem omnem a Papistis procura tam fuisse pronuntiarunt.

Eodem tempore haud dissimile aliud accidisse narrat Pollinus¹ de Virito quodam legum doctore, et Oxoniensis Ecclesiæ pseudo-archidiacono. Cum enim hic, pro more in Ecclesia sacram Scripturam legeret ac exponeret, illa verba Pauli ad Ephesios offendit, quæ dieunt²: *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alias vero Evangelistas, alias autem pastores et doctores, etc.* Quibus subintulit statim homo blasphemus ut Elizabetham sibi gratificearet, ac Pontificem Romanum, qui excommunicationis sententiam in illam dixerat, irridere: *De papa hic nullum verbum auditis.* Verum haec impia verba subsecuta est e vestigio divina sententia: vix enim illa protulerat, cum gravissimo corruptus morbo, elinguisque paene factus, e cathedra sublatus in leetum, haud multo post sacrilegam Diabolo animam tradidit.

Ipsa terra innumera haereticorum seclera in Anglia ulterius ferre non posse visa est, dum inuisitatis motibus, hoc anno coneuissa, Omnipotens Dei injurias, se increpasse ac vindicasse propemodum ostendit. Id inter alios his verbis narrat ipse Camdenus³: «Prodigosus terræmotus (inquiens) in Orientali comitatus Herefordiensis parte, ad Kinaston viculum factus est. Duodecimo enim kalend. Martii vesperi, hora sexta, terra decessit, monsque cum subjecta

caute ingenti mngitu primum et stridore, ut a vicinis longe exaudiiretur, tamquam si ex diuturno somno consurrexisset, se extulit, et in superiorem locum, relicto cibili profundo, ascendiit, secum una deferens arbores infixas, caulas et ovium greges. Arborum quedam terra obrutæ jacuere, aliae monti accedendo adjunctæ ita coaluerunt ac si eo loco, primum radices egissent. Quo loco dissecesserat, hiatum quadraginta pedum latum, longum octoginta ulnas reliquit. Ager omnis, viginti jugerum plus minus erat; inter eundum sacellum obvium evertit. Taxum in cæmeterio sitam, ab Occidente in Orientem transtulit. Eadem vi publicas vias cum caulis, sieibus, et arboribus insitis protrusit. Ex culta pascuam, expascua rursus cultam effecit. Terram eminentiorem, cui obviam occurrit, provolutam, et vi majori actam, in montem celsiorem, tanquam aggere lacto, redigit. Ita cum vespere die Saturni usque ad meridiem die Lunæ obambulasset, tanquam ex itinere fessus, et mole sua laborans, substitit». Sic ille.

In Scotia hoc anno, Mattheus Comes Lenoxiæ, quem pro Moravia comite Jacobo Notho, Scotorum prorogem electum fuisse supra pluries diximus, dum Sterlini, ubi ejusdem regni pueruli regis, suique nepotis nomine, Ordinum conventum indixerat, ageret; a proceribus qui regine Mariæ nomine Edemburgi comitia habuerant, cum Davide Spensio Wersmestonio interemptus est. Ob necem Lenoxii, quem a noto pendere Elizabethæ multoties monuimus, denuo haec spe excidit, quam conceperat, ut puerulus idem rex sibi in manus traderetur. In demortui Lenoxii locum, Joannes Areskinus Marræ comes suffectus est, qui et ipse paulo post fatis concessit, nt suo loco dicendum erit.

28. In Belgio autem hoc anno in specie pax multa summaque tranquilitas visa est; nam licet Hermannus quidam Ruyterus Buscoducensis, jampridem mercator Boarinus, solo trium sociorum stipatus auxilio, Loslesleninm ditionis Chivensis sen Ravostanæ arcem prope Gorecum in insula Bomelensi sitam ad Mosæ et Wahalis confluentes, sub vesperam, eirea Christi præteriti anni Natale, Franciscano habitu ingressus, incredibili audacia occupasset, ac præfeto cæso, cum viginti qualuor, quos undique corraserat commilitonibus, locum muniisset; tamen paulo post, a supervenientibus Hispanis oppressus, edita nihilominus ingenti hostium strage, vulneribus obrutus periit; ejusque caput Buscoducum allatum, supra palibulum adfixum fuit. E sociis, decem capti, ac Antuerpiam abducti; ex iis quindecim laqueo suspensi, duo in rota excarnificati, pœnas luere. Cumque eodem fere tempore Albano duci renuntiatum esset, quod Sonoius Hæstrechtius, Wesembeccius, alii que in Cliviam profugi, pro Auriae turbas struerent, datis ad Clivensem senatum litteris,

¹ Pollin., Hist. Anglie., lib. IV, cap. xvi, p. 577. — ² Ephes. 4 — ³ Camden., ut sup., p. 212.

eorum ausus comprimere studuit; et quia naves bellicae Auriaci, ut diximus, et infesto mari ingentem saepe prædam abducebant, et mense Martio Monikendamum astu cæperant et expilarerant; itemque monasterium in Texela spoliatum, flammis adsumpserant; ne aliquem in littore locum firmum occuparent, cohortes aliquot præfati mensis fine Leidam et Alcmariam ire jussit, moxque alias postridie non. Maii evocatas, Delphis imposuit; opposuitque suas navibus quæ pacem abrumpere videbantur.

29. Belgium idcirco a se dominum, primitiæque tranquilitati opera sua ac virtute restitutum credens Albanus, incredibili animi levitate, trophyum aeternum sibi metu erigere aggressus est. Stetit illud ut narrant scriptores hoc anno perfectum in aree Antuerpiensi. Statua, nimis rurum ex tormentis aeneis perduellibus in Frisia ademptis confusa, Albanum eundem forma ac statura plane referens, nudo capite, sed cætero corpore armis induito. Pedibus haec hominem premebat, gemino capite ac manibus quatuor; in quarum prima fax accensa; in secunda malleus fractus; in tertia clava nodosa; in quarta securis: e collo ejus bulga appensa, e qua serpentes præserpebant: subter latus vero larva conspiciebatur, ad cuius aures mendicorum duæ scutellulae. Quibus omnibus Gensiorum hypocrisis, avacitia, impietas et pauperies notabatur. In basis frontispicio, majoribus characteribus, incisa, haec legebatur inscriptio:

FERDINANDO ALVAREZ
A' TOLEDO. ALBAE DUCI
PHILIPPI II Hispan. REGIS
APUD BELGAS PRAEFECTO.
QUOD EXTINCTA SEDITIONE,
REBELLIBUS PULSIS,
RELIGIONE PROCURATA,
JUSTITIA CULTA,
PACEM FIRMARUT.
REGIS OPTIMI
MINISTRO FIDELISSIMO
POSITIONE.

Ab una parte areæ legebatur inscriptum. *Deo Patrum Nos.*; atque in basi: *Pietas*. Utrumque, tanquam belli spolia, variae armorum species eingebant. In dextero trophyi latere, pastor erat, qui jam in pace ad pascua oves suas educebat, quem lupi et leones fugiebant. Aurora quoque radii orientes et omne malum fugantes, vespertilionibus bubonibusque, illius radiis percussis avolantibus, cum inscriptione: ΛΑΣΙΚΑ-
ΚΟΣΤΙΩΣ; idest, Aurora fugans mala. Sub statua scriptum erat: *Jungelingi opus, ex æro captivo*. Præter hanc, quam, ut diximus, in Antuerpiensi aree Albanus erigi voluit, alteram pariter statuam fieri curasse, ab Issele scribit, quam in

Hispaniam secum deterret. At prioris illius ingens invidia apud multos fuit, etiam Hispanos, qui regi ipsi potius trophyum istud debitum dicebant, cuius armis et stipendio omnia gesta. Eam paulo post Requensis Albani successor, sustulit ac dejecit, licet opere ac artificio mirabilis facta esset. Et unde sibi aeternitatis monumentum gloriosum comparasse Albanus idem existimaverat, non ex eo modo, quod citius sublata fuerit, sed quod erexerit, perpetuam sibi intolerandæ vanitatis ac superbiæ notam inuissit.

30. *Noris impositis rectigalibus turbas ericit Albanus, cui dux Medina Calvi subrogatur.* — Interim vero, dum vindicatae pacis adeo magnificum titulum sibi extollit, omnem propemodum lapidem movet, ut e Belgio pacem eliminet, novosque tumultus revocet. Autem biennium, ut narrat Haraeus, pro impetrata decimi et viagesimi nummi exactione, vices centena millia in annos duos Albanus ipse obtinuerat; id igitur tempus, cum nunc fere elapsum esset, ille consilia priora revocare ad animum decrevit. Edictum idem idcirco, sed in speciem moderatius, rursus proposuit. Sed eadem fere provinciarum querela, quæ per legatos singulae deprecata sunt ne propositum exequeretur: quod si faceret, se metuere brevi Rempublicam nullam habiturum; potius tributum aliud imperaret, minus publice perniciosum. Nonnulli etiam exceptione usi sunt, aperta ea protestatione, non aliter inductioni se acquiesce, quam si communis consensus foret: nunc quando Ultrajectini recusarent, causamque suam in Hispania prosequerentur, nec se teneri. Hoe responso indignatus Albanus, cum Ultrajecto præsidarii Hispani, aliquando abfuissent, Gensiorum Aquaticorum prohibendis incurribus, per diversas Hollandiæ civitates distributi, ut innuimus, illue denuo, ad illius civitatis cervicositatem comprimendam, redire jussit. Decim. quart. kal. Decembris redit itaque antiquum præsidium: et licet binis litteris Ultrajectini deprecati, questi essent, et publici aerarii, et civium suorum egestatem, et dudum exhaustos, nequaquam amplios necessaria posse suppeditare, et alia plura; tamen persistit immobilis in sua sententia Albanus; et præsidarii æque ac prius Ultrajectinos attlixerunt: imo eo insolentiæ pervenere, ut ipsi civitatis magistratui minime parcentes, et Joannis Fatii Amerongii consulis filium, graviter vulneraverint; imo ipsum consullem domi sua pæne occiderint.

31. *Hispanæ rex a Pio obtinet decimas Ecclesiasticas pro hæresum extirpatione.* — Praeter pecuniam, quam hac ratione a Belgis ex promere Albanus commitebatur, rex quoque Philippus, decimas omnium Ecclesiarum Hispaniæ, a Summo Pontifice obtinuit, eo præcipue nomine, ut in Belgio et Anglia religionis rebus

consulere posset, data ei illas exigendi potestate, sequenti Diplomate¹:

« Pius papa Quintus ad futuram rei memoriam.

« Sane alias nos cum accepissemus, charissimum in Christo filium nostrum Philippum, Hispaniarum regem Catholicum, ad provincias Flandriæ hæresis infectas veneno hujusmodi liberandas, liberatasque conservandas, de proximo ac de re decrevisse etiam validissimum exercitum equitum, et redditum versus provincias præfatas iter fecisse:

» Nos atteudentes maxime necessarium et utile esse, pro extirpatione hæresum hujusmodi, nedum in prædictis, verum etiam in aliis provinceis, quod exercitus præfati prædicti regis, et ipsi eo proficerentur: ipsumque Philippum regem in expeditione hujusmodi, ac pro tuttione religionis Christianæ, contra immanissimum Turcarum tyrannum, maximos et innumerabiles sumptus præclar. mem. Carolum Quintum Romanorum imperatorem, ipsius Philippi regis genitorem, ac ipsum Philippum regem, pro conservatione et defensione dictæ religionis Christianæ, haec tenus faetos, ejus æarium penitus consumptum esse erederemus: dignum et aequum fore censuimus, eidem Philippo regi per venerabilem fratrem Joannem Baptistam archiepiscopum Rossanensem, modernum et pro tempore existentem in regione Hispaniarum nuntium nostrum, aut aliam seu alias personas Ecclesiasticas, ab eodem nuntio deputandam seu deputandas, unam demum post duas, quæ ubiores et opulentiores decimas habuissent, quam maluisset in qualibet parochia sacerulari, quam cujusvis Ordinis Regularis, ex universis paroehiis in regni dominii Hispaniarum, et insulis eidem regno adjacentibus consistentibus, dominandi et eligendi, et ab ipsa domo illiusque domino seu dominis, ac habitatore seu habitatoribus, decimas tritici, hordei, vini, agnorum, lanæ, olei, casei, et aliorum quorumcunque fructuum et rerum, ex quibus decima, tam de jure, quam de consuetudine, quam de privilegio solvi et dari consuevissent et deberentur, petendi, et infraseripto modo exigendi, et levandi, ac reuperandi, libera et eommendam potestatem ad quinquennium concessimus, dedimus et largiti sumus etc. Datum Romæ die xi Maii, anno Domini MDLXXI, Pontificatus nostri anno sexto».

Nec ambigendum, quod Pius, copiosa adeo rerum Ecclesiasticarum elargitione Philippo facta, præter negotium religionis in Belgio, expeditionem etiam, ut innuimus. Anglicanam, quam antea vel eodem ferme tempore animo conceperat, cogitaverit: nam id non obscure significare videntur ea Diplomatici verba, quibus fa-

tetur a se ejusmodi decimaru concessionem regi prædicto factam, quod commigrationem Hispaniæ exercitus in Belgium, pro hæresum extirpatione, nedum in his, verum etiam in aliis provinciis utile duxerit ac necessariam. At cum legatur apud scriptores, hoc ipso anno a Philippo rege prid. kalendas Octobris, loco Alba, Belgii gubernatorem renuntiatum fuisse Joannem Cerdæ Medinae Cœli Dueem. censendum pariter agnoscitur, ideo a Belgarum gubernatione hoc ferme tempore Albanum eundem a Philippo tandem fuisse amolum, quod præfatam ipsam expeditionem, tam turpiter tantaque regis ejusdem injuria ac dolore, malis suis artibus evertisset. Quapropter iis minime assentimur, qui eredidere, urgente Albano, eo demum munere a rege illum levatum esse; sed aliis potius fidem adhucendam putamus, qui simulate id a Philippo petiisse Albanum existimarent, ubi, nimis, jam ex sententia senatus Hispanie, ita contra se decretum fuisse sibi innotuisset. Novus tamen gubernator, cum Laredo solvisset, adversa diu tempestate jacatus, tandem in Hispaniam eum classe reversus est, ubi ver proximum ad profactionem expectare coactus fuit.

32. *Lindani Ruremondensis episcopi soliditudo pastoralis.* — Circa mensem Februarii hujus anni, Lindanus Ruremondensis episcopus, ut Havensis¹ narrat, secundo ad oppidum Weertensem, in quo hæresis virus plura corruperat, se contulit, ut nuper inchoatam visitationem perficeret. Inquisitione in primis igitur librorum damnatorum, per suum promotorem et loci prætorem, ejusque satellites aliquos facta, magnum illorum librorum acervum congestum, iterum in foro publice in nudinaram die exuri mandavit. Deinde capitibus aliquod conceptis, ab Albano duce, et aula postea approbatis, Weertanam rempublicam, ad Catholice Ecclesie canones revocavit, reformavitque sua ordinatio et aulae auctoritate iisdem publicatis, et observari jussis, quæ etiam illuc et in aliis locis robur obtinebant, perficiebanturque, cum ista præfatus Havensis, monumentis mandaret. Sacerdotes vero, quorum tune magnus erat numerus, in ordinem redactos, in officio et disciplina continuit. Hæreticorum autem præcipios ad se evocatos paterne instruxit, monuit et exhortatus est, ut ad Ecclesie Catholice gremium tandem redire vellent; et eum eorum concionatoribus, pravis et indoctis hominibus, qui conventiculis præfuerant, frequenter de controversiis fidei nostræ articulis disceptans, illos ad meliorem mentem traducere studuit.

Inde Ruremundam reversus, Synodus tertiam diocesanam, cui decani, canonici ac pastores fere omnes interfuerere, celebravit. Visita-

¹ Ex Archiv. Vatic. ut supra.

¹ Havens. ut supra.

tionem deinde Geldriae, atque totius vicinie instituit. In Vœchdia, ubi colonos in paludibus prope Comitatum Mosensem commorantes, et Ecclesiae ibidem Wyckerke subjectos, ad S. Antonium in Aldekerk in Ammaken, ut vocabant, parochiae, que Capella dicebatur, transtulit: expulsoque haeretico Iudimastro, ac plurimis haereticis libris deprehensis, iterum Missas per annos quatuor intermissas et neglectas concelebrari imperavit. Adhibitis praeterea opportunitatis remedii, abusus multos sustulit, itaque, qui impuram duebant vitam, ad castitatem suo statui congruentem, ab eo revocati sunt; unoque in loco novem, in altero duodecim nondum conjugatis, legitimo matrimonio conjunctis, concubinarios multos graviter multavat et ad caste vivendum adegit.

33. De Concilio autem Mechliniensi et articulis quibusdam, quae ad instaurandam Catholicae religionem mense Februario exhibuerat, egit etiam Lindanus cum civitate et magistratu Ruremundensi, ac aliis quibusdam oppidis. Quid autem Ruremundenses responderint, habetur ex actis politicis hujus anni. Ceterorum oppiderum magistratus, Lindani desiderio ac petitioni difficultates nonnullas objecere. Soli Gravienses, se ad omnem episcopi obedientiam promptos protulerunt. Hoc ipso anno ejusdem Lindani opera ac diligentia, impetrata est Bulla sex præbendarum S. Servati Trajectensis capituli in Ecclesiam Ruremundensem transferendarum. Ad extruendas porro duas Ecclesias in Wegberk, et Rayers apud Mœrs, in aulam Lindanus ipse profectus, egit, ut populus regius malis pastoribus, qui extra regiam provinciam agebant, subtractus, sanioribus veri Evangelii Catholicae religionis pabulis pasceretur. Verum id frustra tunc ab eo tentatum. Feliciori exitu, igitur dominicalem scholam Ruremunda magistris aliquot auxit, magno totius Ruremundensis juventutis beneficio; et id quoque beneficium aliis locis collatum, in quibus Lindanus boni ac vigilis pastoris munere tam egregie est functus: adeo ut intra biennium, (uti præfatus Havensis asserit) a suscepto episcopatu, plane alia fuerit per Geldriam et Falekenburgum Ecclesie Dei facies, ab ea quam ipse reperebat,

34. *Aliorum episcoporum societate nō Pontifice reprehenditur.* — Hujus episcopi zelo ac pastorali sollicitudini, minime vero hoc ipso tempore responderunt ceterorum pœne Belgij episcoporum studia, si iis credatur, quae ad Pontificem Maximum delata sunt; qui idecirco eos pro officio commonere suum duxit, sequenti Epistola ad episcopum Tornacensem: cuius exemplo in Vaticano Regesto data etiam alia leguntur, ad episcopos Brugensem, Atrebensem, Gaudensem, Ypreensem, uti ad archiepiscopum Cameracensem, et episcopos Hartemensem, Dau-

latiensem, Buscoducensem et Antuerpiensem.

Ad Tornacensem¹ igitur sic scripsit:

— Venerabili fratri episcopo Tornacensi.

PLUT. PP. V.

Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

“Quo magis manifestum est, eos, quos Deus et Sancta Itæ Sedes Apostolica, Ecclesiarum rectores animarumque pastores constituit, non ad societatem atque ad quietem, sed ad laborem atque sollicitudinem esse vocatos: eo majore animi dolore sumus affecti, intelligentes fraternalitatem tuam, et ceteros istius inferioris Germaniae episcopos, in commissarum sibi ovium custodia, negligenter admodum se gerere. Quare res eo videtur indignior, quod quo tempore, Philippo Hispaniarum rege Catholico postulante, plures ac novi episcopatus in ista provincia a felice record. Paulo IV et Sancta Sede Apostolica constituti sunt: id eo consilio factum est, ut pluribus quasi speculatoribus adhibitis, et res ipsæ Ecclesiastice diligentius ac commodius gubernarentur, et animarum saluti melius consuleretur. Quod quidem consilium, non modo securus, quam existimatatur cessisse, sed etiam contrarium exitum habuisse, valde certe dolendum est. Itaque debito pastoraliis nostræ sollicitudinis officio incitati, cum venerabiles fratres coepiscopos nostros ejusdem provincie præsules, ad officium suum gregibus sibi creditis, diligenter posthac præstandum hortaremur; fraternalitatem tuam quoque ad idem hortari voluimus. Quæ meminisse debet, episcopum, si in rebus religionis fuerit negligens, ut ab episcopatu deponatur mereri. Non enim parvum aliquid, sed animarum salutem negligit, quas, ut a peccatorum servitute redimeret, Deus proprii Filii sanguini non pepereit. Haec itaque cogitans, in primis vitam tuam iis quibus præpositus es, quasi regulam quamdam, pie ac religiose vivendi, ac imitationem propone, ut ejus similitudine, qui boni sunt, confirmentur, dissimilitudine, mali a peccato deterrentur, omnes ad pietatem morumque integritatem allientur. Quia vero magni interest, ut qui populis justitiae, sanctitatisque lumen præferre debent, ipsi ovari nequitia vitiorumque macula careant, idecirco stude, ut cleris tuis, ceterique tuae diaœcis presbyteri sacerdotalem vitam vivant; ex quibus, si qui Reipublicæ criminosi fuerint, vel sanæ disciplinæ adversantes, hos canoniciœ pœnis coercerne pretermittas. Ante omnia ab haereticorum insidiis ac fallaciis gregem tuum custodi, ministerium tuum imple; opus fae episcopi in omnibus ad Ecclesie tue gubernationem pertinentibus: eam, quæ episcoporum actiones maxime commendat, vigilantiam diligentiamque adhibe,

¹ Ex Ms. Cod. Vatic. signat. nu. 2943.

ut ante aeterni iudicis tribunal constitutus, ab auditione mala non timeas, sed illius vocem te in gaudium suum vœant, audire merearis. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris. Die 11 Julii MDLXXI, Pontificatus nostri anno vi.

35. Ista ad Tornacensem ac præfatos alios episcopos, de quorum societate, plura (ut auditisti) ad eum delata fuerant. His autem deteriora, de eximio quoque episcopo Lindano, quem paulo ante memoravimus, ad ipsum Pium perlata fuisse, existimare licet ex eo, quod Lindanus idem, ad sui justam defensionem, libellum exarare coactus fuerit, quo se apud eumdem Pontificem purgaret, ut præfatus Havensis his verbis¹ narrat: « Quemadmodum ex defensieula ejus, (nempe Lindani) liquet, cui titulum fecit Galeatus, quam hoc anno septuagesimo primo Romano Pontifici, quorumdam cœmularum et falsorum fratrum ejus accusatio, postulabat, transmittendam: cui, et testimonia filii dueis Albani sunt conjuncta, quibus præclarum D. Lindani per biennium illud commendat, religionis reformandæ pietatisque miserandum in modum labefactatione, instaurandæ studium. Sed magis hoc ipsum regis litteræ ad dominum Lindanum date Matriti, tunc recens allatae, confirmabant, quibus hortabatur ipsum, ut in cœpto Ecclesiæ suæ instaurandæ cursu pergaat, nulla re ipsi defuturum pollicitus: eisdemque singulari in D. Lindanum affectum, ac propensam voluntatem testabatur ». Sic Havensis.

36. *Decernitur in Consistorio nullum jus competere capitulo Cameracensi in electione sui præsulis.* — Mortuo autem Maximiliano archiepiscopo Cameracensi, ejus Ecclesiæ capitulum, Ludovicum Berlemond pastorem postulaverant. Pontifex de ipsis probitate certior redditus, eamdem ei Ecclesiæ committere non detrectavit. Verum quod nullum jus postulandi eidem capitulo pertineret, in ejusdem electione id primum examinari voluit, ac deinde decerni. Non piguit, quæ de his fuse in cardinalis S. Severinae Diario reperimus adnotare:

« Die 11 Aprilis MDLXXI.

« Fuit Consistorium, et eo clauso Sanct. Sua dixit vacasse Ecclesiæ Cameracensem, quæ in electione Ecclesiæ illarum in Gallia Belgica, in Cathedrales, fuit erecta in Metropolitanam, per fel. record. Paulum IV, et exempla ab omni subjectione, et sub immediatam Sedi Apostolice protectionem recepta; et illius provisio reservata Sedi Apostolice, cum declaracione, quod capitulo nullum jus competeteret etc. Et quod alias vacans fuerit provisa de persona electi per capitulo, sed annullata electione; unde cum mensibus præteritis vacaverit, capitulo fecit quamdam postulationem de persona Ludovici Berlemond; et quod Sanctitas Sua vo-

luit informari, de fide, religione, moribus, vita et doctrina dieti Ludovici a multis et fide dignis personis; et sibi placuit persona, et ideo illum intendit præficere dictæ Ecclesiæ, rejecta postulatione, nolens perire jura hujus Sanctæ Sedis.

« Nonnulli hallucinabantur, volentes reservari jus capitulo, et quod ad provisionem præsentem Ecclesiæ ipsius, cum id fieri non posset, ex eo quod actus legitimi non recipiunt diem neque conditionem, juxta juris regulam: quodque episcopus semel Ecclesiæ datus, ab ea sine causa non sit separandus, propter conjugium spirituale quod invicem contrahunt; et quod in eventum contrariae sententiae, ille non debet esse sine Ecclesia: unde jus reservandum erat super petitorio juris eligendi in alium eventum, si tamen reservandum erat.

« Sciendum est, pluribus diebus esse controversum super jure capitulo Cameracensis eligendi, illud promovente, nomine Cæsar, Romani imperii oratore Cæsareo, eo quod camera ejus episcopatus est princeps imperii; et sic comprehenditur, secundum ipsos, sub compactis Germaniæ; unde capitulo competit electione, tanto magis, quia capitulo in erectione ejus in metropolitanam, non consenserat. Unde SS. D. N. instantे imperatore, commisit extra-judicialiter cognitionem cardinali ab Ecclesiæ, qui audivit oratorem et ejus agentes, et cardinali protectorem Germaniæ Augustanum, et alios faventes negotio, ut Commendoum et plures; et demum, quia reperiebatur Sedes Apostolica in possessione providendi dictam Ecclesiæ, fuerat resolutum, ut Sanctitas Sua provideat. Sed si capitulo deinde aliquod jus prætendat, præsertim super petitorio, intentet, et Sanctitas Sua ministrabit justitiam. Sed certe dominus cardinalis ab Ecclesiæ (ut credo) non viderat Bullas ac cedulas erectionis, et provisionis, declarationis, et deereti factarum, et prolati in Consistoriis, per sanct. mem. Paulum IV. Nam ex his habetur, nihil omnino juris prætendi posse a dieto capitulo, neque quoad possessionem, neque quoad ipsum jus eligendi.

« Cardinalis Augustanus, qui erat primus, dixit plurima, pro prælensis juribus imperii circa civitatem Cameracensem, et illius prælatum, ut Romani imperii principem, et de jure eligendi competenti ipsi capitulo, vigore concordatorum Germaniæ: unde suppliebat SSmo D. N., ut rationem capitulo et imperii haberet; et plura alia dixit humiliter, se tamen remittendo Sanctitati Suæ. SSmus autem E. D. respondit abunde, quod d. Ecclesia fuit exempta ac liberata ab omni superioritate et subjectione Ecclesiæ Remensis prius sua Metropolitanæ, et alia quacumque spirituali et temporali, eterecta per S. Sedem in metropolitanam; et declaratum illam spectare ad Sanctam hanc Sedem, et Ca-

¹ Ibid. ut sup.

pitulo nullum jus eligendi competere; sed illius provisionem reservatam Sedi Apostolice, quae alias providit per resignationem cojusdam cardinalis Leonis X, de ea re, absque consensu capituli. Et quod per Paulum IV, proponente bo. me, cardinali Neapolitano, fuit tamquam de tali provisum, rejecta prætensa electione facta per capitulum declaratione etc. Et quamvis archiepiscopus sit princeps imperii, non tamen comprehenditur sub concordatis, cum sit in Flandria, et quia illa intelliguntur de Ecclesiis, in quarum provisione capitula erant in possessione, et plura etc.

« Et replicante D. cardinali dixit, potuisse etiam a suis prædecessoribus, etiam sine capitulo consensu id fieri, quia omnis potestas Ecclesiastica derivatur ac dependet ab auctoritate et potestate Sedis Apostolice; et prælati ei capitula ab illa habent, et non aliunde, unde debent illius potestatem agnoscere et obedire.

« Cardinalis Farnesius dixit haec tenus dubitasse de ea re, et audiverat ab his, qui nomine imperatoris agebant, propter præjudicium imperatoris et Romani imperii; et visis scripturis, et cedulis consistorialibus, que penes ipsum, ut vice cancellarium in Actis consistorialibus conservantur, super hujusmodi erectione et provisionibus factis, nihil dubitat, quia Sanctitas Sua possit, et debeat, pro jure hujus S. Sedis tuendo, illi providere, cum aliter facere non debeat.

« Cardinalis item Perusinus, nescio quid, sed videbatur probare sententiam summi Pontificis.

« Cardinalis S. Georgii laudavit provisionem SSmi D. N.

« Cardinalis Cornelius, seu Cornarius idem.

« Cardinalis Granvellanus dixit plura quæ non intellexi.

« Cardinalis Armin. nescio quid submurmuravit.

« Cardinalis Paceus dixit, quod Sanctitas Sua optime faciebat, et jure suo: cum Ecclesia illa per Sanctam Sedem fuerit provisa haec tenus, et præsertim quadraginta anni aguntur, cum per eamdem, et vacans per rassignationem fuerit provisa de episcopo: (quod a Farnesio et a papa confirmatum est:) Et persona est proba et Catholica et docta, et quod Illitus dux Albae plura in ejus commendationem scripsit; et apud nos est educatus, et doctor factus, videlicet Bononiae; et quod ideo probabat sententiam Sanctitatis Suæ. »

Cælerorum cardinalium recensisitis deinde sententiis, quas singulas referre longum esset, concludit tandem Diarium:

» Sanctitas Sua præfecit D. Ludovicum Berlemond dictæ Ecclesie in archiepiscopum, et pastorem, in forma nullam declarandi prætensam postulationem (enjus cardinalis ab Ec-

clesia nolebat ullam haberi mentionem, quia papæ non fuerat præsentata, nec in tempore legitimo nullam et irtitam, necullo jure reservato dicto capitulo etc. »

37. *Leodienses in oppugnandis hæretici strenui.* — Inter haec autem laudanda visa est Pontifici Leodiensium civium, eorumque episcopi, pro Catholica religione tuenda studium; quod inter exitiosos nempe Belgarum tumultus, omni prope conatu hæreticorum ausibus sese opponerent, sequenti Epistola¹, quam ad Leodiensem senatum Pii nomine detulit Levinus Torrentius, ad D. Lambertum canonicos, et in Ecclesia Leodiensi Brabantiae archidiaconus, quem episcopus ac urbs Leodii ad ipsum Pontificem miserant; cum videlicet, legatione sua functus, Roma ad suos hoc eodem anno reversus est:

« Dilectis filiis senati ac civibus Leodiensibus.

PLVS PP. V.

« Dilecti filii, salutem ac Apostolicam benedictionem.

« Magna nos in Domino lætitia affectit dilectus filius Levinus Torrentius internuntius vester, vir, quemadmodum nobis quoque perspectus est et probus, et in negotiis vestris procurandis diligens, cum de vestra in nos, Sanctamque hanc Sedem devotione atque observantia, ea nobis proposuisset, quæ cum vetere istius civitatis institulo, pristinoque vestro religionis Catholicae jovandæ studio egregie consentiunt. Ex quo et illud cognovimus, quam fortè quamque egregiam operam, adversus hæreticos novissime tumultuantes, nobis, ac toti Reipublicæ Christianæ præstiteritis. In ea ipsa re, sicut fortitudinem pietatemque vestram, in eodem Domino laudamus; ita vos paternè hortamur, ut majorum vestrorum exemplo incitati, in obedientia hujus sanctæ Sedis Apostolice constanter perseveretis; cumque venerabili fratre nostro episcopo vestro in rebus istius civitatis gubernandis concordi animo consentiatis; ita et patriæ vestre quieti, tranquillitatique optimè consuletis, et ad eam pertorbandam, hæreticis omnem aditum præcludetis. Quæ quidem facto vestro, non solum (quod caput est) divinam civitati vestrae gratiam coæciliabit, sed etiam nos ipsos ad majora gratificandi propensiores reddetis. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xv Maii anni mvi xxii, Pontificalis nostri anno vi. »

38. Nee muneri suo, et a sibi insito religionis zelo commoti, et his Pontificis monitis confirmati, tum episcopus Gerardus Groesbekanus, tum cives Leodienses defuere in hæreticorum insolentia comprimenda. Cum enim inter alia, die xxv Februarii hujus anni, monasterium Ro-

¹ Ex Archiv. Valde., ut supra.

berti Montis monialium Ordinis Cisterciensis, a civitate Leodiensi quarta milliaris in sylvula situm, nocte intemperata Lutherani grassatores invasissent, ac nemine contradicente, rebus quibuscumque pretiosis spoliassent, et insuper parochialem Ecclesiam Stenbiernensem, in Marchionatu Frauchimontensi sitam, eversis aris, dissectis fractisque imaginibus, ac ornamentiæ cæleris ablatis, impiissimi iconoclastæ diripuerissen; ac demum Ecclesiam Hasselensem, eodem diabolico furore acti, evertissen, ac alibi præterea, tumultibus excitatis, prædas ingentes egissent: tot sceleribus rite commotus episcopus Gerardus, ad diem vigesimam quintam Junii comitiis habitis in civitate Leodiensi, ac oppidis suæ diecesis, Catholicos omnes ad arma excitavit, quibus tandem sectariorum intolleranda paene insolentia coerceretur.

39. *Litteræ Pii gratulatoriæ ad Surum Carthusianum Coloniensem.* — Lovaniï vero inter illius Universitatis theologos, ac alios, qui Michaelis Baii partibus adhærebant, magna concertatio hoc anno intercessit, super damnatio[n]em a Pontifice Baii ejusdem articulis: ea fusa referatur in narratione chronologica causæ ipsius Baii, nuper typis edita. Nos quænam ejusdem Chronologie scriptori fides sit adhibenda, et supra innui-mus, et suo loco ostendemus. Interim vero, quia de litteraria re (hujusmodi siquidem vocabulo, ut virus conterent, et tunc, et deinceps Janse-niani nefariam controversiam illam honestan-dam curarunt) sermo incidit, præterire non possumus paternum veræ charitatis officium, quo Pius Fr. Laurentium Surum, de sacra erudi-tione, ob exaratas Sanctorum Historias optime meritum prosecutus est; nam præter ea quæ, anno superiori, ad ipsum scripsisse retulimus, hanc pro eo, ad Coloniensis Carthusiæ priorem¹, præsenti anno Epistolam dedit:

« Dilecto filio priori Carthusiæ Coloniensis.

PIUS PP. V.

« Dilecte fili, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Officio pietatis et Apostolicæ benignitatis impellimur providere, ut qui sacrarum litterarum studio dediti, laboribus suis rempublicam Christianam juvare conantur, ad hoc præstan-dum, tanto magis excitentur, quanto se id com-modius noverint, per suorum præpositorum indulgentiam exequi posse. Quocirca, et si dilectus filius Laurentius Surius monachus Carthusianus, qui opus de Sanctorum historiis, labo-riosum illud quidem, sed utilissimum Christiano populo futurum jampridem inchoavit, et magna ex parte perfecit, nihil unquam super onerum sui Ordinis allevatione impetranda, aut ipse nobis supplicaverit, aut per alios suppli-

candum curaverit, tamen, nos illi qua prædi-cetus Fr. Laurentius est atati, magnis præsertim studiorum laboribus adjunctis, parendum esse cognoscentes, dilectioni tuæ ipsum vehementer in Domino commendamus: volentes, ut ejus val-letudiuis, et commodorum eam habeas, pro tuae circumspetionis modo, rationem, quam et illa ætas jam ingravescens exposeere, et suscepti ab eo operis ratio postulare videtur. Itoc enim, præterquam quod charitati rationique con-sentaneum est, erit præterea nobis admodum grā-tum. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die prima Julii MOLXXI, Pontificatus nostri anno sexto ».

40. *Ex mutuis hæreticorum in Germania col-lectuationibus, neenon ex zelo Alberti Bavariae ducis, spem concipit Hosius status melioris.* — Dum vero Pius sic eruditum virum, pro Christiana republica laborantem, inter innumeræ Pontificalis oneris sollicitudines, impense co-lere atque fovere non obliviscitur; hæretici, qui plus sapere quam oportebat summa temeritate præsumeant, invicem in Germania digladiab-antur. Fridericus siquidem Electus Palatinus, cum cognovisset Anabaptistarum sectam, in vicinis atque etiam in sue ditionis urbibus, in dies magis augeri, in Valle Francolina, inter Spiram, Nemetum, et Vormatiam Vangionum, quarto idus Aprilis, (uti Thuanus¹ refert) sectariorum publica fide interposita, colloquium in-dixit. In eo, contra eorumdem Anabaptistarum doctrinam, capita ad disputandum a Petro Dat-geno, et Venceslao Zulegero proposita fuere; quibus Gulielmus Xilander, et Martinus Neander, qui notariorum munere in ea actione defun-gerentur, additi sunt. A quinto igitur kalendas Junias ad tert. decim. kal. August., cum Ana-baptistis de Religione rebusque ad eam spectan-tibus hi disseruere. Verum cum adversarii, nullis Scripturæ testimoniis, nullis rationibus, (quippe qui nullam Scripturæ interpretationem admitterent, et solis Scripturæ ejusdem verbis insistentes, veterum omnium Palrum testimonia rejicerent), e sententia dimoveri possent, ac in erroribus semel animo conceptis immobiles perseverarent; irrito effectu colloquium solutum est. Fridericus vero, magistratus jure in Anabaptistas usus, gravissima proposita pœna, ne in sua ditione docerent, ac sibi subjectos populos inficerent, districte prohibuit.

41. Irritati etiam Aldemburgensi disputa-tione, et Flaccianorum clamoribus ac scriptis Molliores Lutherani, sive Eberiani; et ipsi tan-dem Pseudosynodus Dresdæ, quæ Electoris Saxonici sedes est, coegere. Ad eam omnes superintendentes, Lipsienses, Virtembergenses, ac reliqui Electorales ministri convenerunt². Acer-

¹ Exstat in Reg. Vatic. et sup.

² Thuan. Histor. lib. LVIII, p. 765. — ² Ex Resc. Evangelic Conventic. p. 155.

bissima in ea, contra Flaccianos statuta sunt, decretumque; ne ipsos, vel ad templum, vel ad consuetudinem, vel ad suas conciones admittarent; imo publice in eos anathema Maranata pronuntiarunt; ac omnes, qui cum illis sentirent, aqua etiam et igni interdixerunt, et contra aemulos, omnibus praesidiis, argumentis, rationibus, scriptis libellis, pictisque etiam tabellis armarunt. Praeterea, ex unanimi, ut aiunt, consensu Accademiuarum Lipsiensium et Virtembergensium, trium Consistoriorum, ac denique Superintendentium universorum et singulorum, qui in earum regionum Synagogis edocebant, contra doctrinam de ubiquitate Corporis Christi, quam Brentius (ut supra relulimus) et ex Rigidioribus nonnulli profitebantur: esse horribilem prophanationem omnium articulorum Symboli, ac omnium haeresum renovationem, pronuntiatum est. His enim verbis, Stanislae Rescio teste¹, usi sunt: « Commentitia illa ubiquitas, horrendum in modum corruptit omnes paene articulos fidei de Christo: ac discriben dividet ac humanae naturae in Christo in primis delet, ac evertit ». Et alio loco: « Commentitia illa commutatio physica, quae nostro primum tempore, cum ubiquitate corporis Christi introduci cæpta est; universæ Orthodoxæ Ecclesiæ, et toti orbi Christiano, usque ab initio incognita fuit, atque etiam nunc a Pontificiis ipsis rejicitur, et taxalur acerrime ». Sic illi, qui (inquit idem Rescarius) in Philippi sui doctrina et sententia permanendum decreverunt, et sic conuentum dissolverunt.

42. Ex his mutuis inter se haeticorum colloquentibus ac rixis, vix fando exprimi potest, quam magnam laetitiam amplissimus cardinalis Hosius conciperet; sprerans fore, ut hac ratione sectarii se invicem consumerent, vel saltem, ut plurimi, qui eorum tenebris tenebantur, tandem ad veritatis lucem pervenirent. Cum igitur hoc anno Areliidux Carolus, Dux Styriæ, Alberti Bavariæ Dueis filiam uxorem duxisset; occasione, qua de tam nobili tamque Christianæ Reipublicæ proficuo conjugio, eidem Alberto, qui oratores suos tunc Romani miserat, gratulatus est; de iisdem Lutheranorum perpetuis dissidiis, ista ad eum scripsit²:

« Cum venissent huc oratores celsitudinis vestræ, inter alios, quos hic habet, sibi addictissimos servitores, me quoque perbenigne verbis illius salutarunt, omniaque benevolentissimi principis officia mihi detulerunt: quæ res mihi tanto gravior aeeedit, quanto laetiores ad nos rumores adferebantur, de singulari studio celsitudinis vestræ, quo Christianam fidem propagatam, Lutheranam vero perfidiam, ex terris imperio suo subjectis, quam longissime cupit exterminatam. Cujus rei præclara quædam do-

cumenta, magno cum fructu proximis superioribus mensibus edidisse renuntiatur. Nam qui novis rebus studuerant, non aliam ullam ob causam, quam ut esse Symbolum aliquod eorum a Christo vero Deo in Bethleem natu, ad Antichristum Islebiensem detectionis, in ejus etiam sacramenti usu, quo maxime cum Christo conjungimur, et unus cum eo spiritus efficimur, a Christicorpore, quæ est Ecclesia, se disjungentes, eorum multa millia, ab erroribus suis revocanda et in viam veritatis reducenda curavit: quæ res majorem quam facile credi queat in hac Urbe multorum animis laetitiam attulit. Celebratur nomen illius ab omnibus, et in cœlum usque laudibus fertur: supplices a Deo precantor omnes, ut Ecclesie sue tantum defensorem, tamque fortem Evangelii propugnatorem in multis annos incolument servet, omnique felicitatis genere cœnulet; quod illo superstite, futurum omnino sperant, ut non solum ex Bavaria, verum et ex reliqua Germania, zizania, quæ seminavit inimicus homo, evellantur, et succrescere verbi Dei triticum incipiat. Utinam autem celsitudini tue similes principes aliquot haberet Germania: non est dubium, quin id celerius multorum opinione factum videremus. Verum proh dolor! quos olim fixos et stabiles, nimirum supra petram fundatos, videre licuit, quo nomine suspiebantur ab omnibus, et ut orbis totius imperium ad eos deferretur digni censebantur; eos nunc omni vento doctrinae tanquam arundines quasdam circumferri cernimus. Et est res certe stupenda, quod cum ipsis suis oculis perspiciant nihil esse constans in variis illis et peregrinis doctrinis, quibus adducti, et in aliud, sicut ipsi vocant, Evangelium, ex diametro cum Evangelio Christi pugnans, traducti sunt: cum aliud hodie, eras aliud a magistris suis doceri, aliud eos loqui stantes, aliud sedentes: cum et illud non ignorent, quod simplex est veritatis oratio, quoque non possit esse verum, nisi unum, falsum vero semper sit multiplex. Haec omnia, cum suis ipsis oculis videant, cum suis auribus audiant, nihilominus persistunt in erroribus suis, nec ab eis ulla ratione revocari se patiuntur. Legi superioribus hisce mensibus Altemburgense colloquium quod habitum est inter ministros quosdam duorum principum, et sanguinis et locorum in quibus degunt propinquitate sibi conjunctorum. Bone Deus! quantis inter se certant odiis, quanta pugnant animorum acerbitate, dum suam ultraque pars opinionem tueri conatur. Quæ convicia, quæ probra, quæ maledicta non ejaculantur in se mutuo ut etiam cum Christianis, quos illis Papistas vocare visum est magis infestis animis, nunquam dimicasse vide ri volunt; et quod lingua dicere, quod calamus horret scribere, eodem Antichristum Islebiensem quo Christum in Bethleem natum, Deum, Dei que Filium loco se habere non obscure ferunt.

¹ Resc. ut supra. — ² Epist. Hosii 146, p. 304.

Nam est illis, Flaccianis præsertim, usitatum ita dicere : Christus et Lutherus, Verbum Dei et Lutheri; nonnunquam etiam Paulus et Lutherus. Deum immortalem ! Quæ potest esse magis horrida, magis etiam abominanda, quam sit hæc idolatria ? Siene jam duos Deos, duos Christos quidam adorant in Germania, unum in Bethleem natum, ex Deo Patre, et Virgine Matre, alterum Islebii ex Diabolo Patre (nece enim clam est, quis ejus pater fuerit), et ex impura muliere matre ? Mirari satis hominum istorum tantam cæcitatem non possum, qui quorsum impietatis prolapsi sinternerere nequeunt, et me certe miseret eorum vehementer, nec a Deo quicquam precor ardenterius, quam ut illis oculos reddat, quibus lucem aspicere veritatis, et errorum in quibus versantur fœditatem contemplari queant. An autem et hoc stupendum non est, quod cum ex utraque parte se vocent invicem hæreticos, et e cœtu piorum ejiciant, et non eam tantum, quam a Philippo Melanctone depravatam fuisse Flacciani queruntur, verum et eam, quæ anno trigesimo pientissimo Carolo imperatori fuit oblata. Confessionem hæreseos condemnant, nec ulla sit in eo libro manifestior veritas, quam hæc : huic tamen tam apertæ veritati non creditur, et si quæ falsa dogmata per utramque partem adferuntur, in his potius eis fides adhibeat. Erat mibi quidem propositum plura scribere de colloquio hoc ad celsitudinem vestram, sed vereor, ne modum Epistolæ exceedam, et erit fortasse alius hac de re scribendi locus. Quamobrem eo, unde digressa est redeat oratio. Optandum est, ut multos haberet Germania principes celsitudini tuae similes. Quoniam vero peccatis nostris factum est, ut excepta inelyta domo Austriae, vix alium in ea videre liceat, qui Christum in Bethleem natum vere confiteatur, cum eorum pars multo maxima, partim ad Islebensem, partim ad Genevensem, vel Tigurinum Antichristum a Christo deseiverit; non possum consilium hoc celsitudinis vestre non laudare plurimum, quod quamvis antea quoque sit inelytae huic domini Austriae arctissima propinquitate conjuncta, tamen arctius etiam cum ea copulari voluerit, tradita in matrimonium filia sua serenissimo principi Carolo Archiduci Austriae, cuius virtus, integritas, singularis in Deum pietas, et in fide Catholica tuenda et propugnanda constantia, toti orbi Christiano spectata est et probata. Et hac in re minime vulgaris eluet religio celsitudinis vestre, quæ, non cum hostibus, sed cum defensoribus Evangelii novam affinitatem, qua cum eis actibus etiam colligaretur, sibi contrahendam esse putavit. Deum precor, ut matrimonium hoc fortunet, ut nati sue natos, et eos, postquam adoleverint, itidem cum principibus aliis Christianis affinitatem contrahentes videre possit, ad Christi nominis gloriam, et ejus fidei propagationem. Quod superest etc. Datum

Romæ in Januarii, anno Domini MDLXXI ».

43. Quod Albertum Bavariæ ducem in hac Epistola Hosius laudaverit, quia multa hominum millia, ab erroribus suis revocanda, et in viam veritatis reducenda curaverit; ac asseruerit novarum rerum studiosos, non alia de causa in ejus etiam sacramenti usu, quo maxime fideles Christo conjunguntur, unusque cum eo Spiritus efficiuntur, novum aliquid petuisse, quo Symbolum esset defectionis eorum a Christo vero Deo ad Islebensem Antichristum; ad illud putamus certe referendum egregium ejusdem Alberti facinus, qui a nonnullis sibi subjectis rogatus ut calicis usus sibi concederetur, nam ea ratione se in Catholica fide immobiles permansuros pollicebantur : Albertus sperans, tumultuarios homines, ea, quam enixepetebant conditione impleta, quieturos, et a Romano Pontifice Calicis ejusdem usum eis impetravit, et ipse ad hunc usum plures elaborare calices fecit. Verum cum paulo post, ex ea concessione audacieores facti, alias in re religionis ab ipso met obtinere conniterentur : iratus Albertus, inquietos ac pestilentes homines, e tota sua ditione ejecit, et elaboratos calices omnes confringi imperavit.

Acceptis igitur ab Hosio¹ hujusmodi litteris, tale ipsis Albertus responsum reddidit :

« Quod illustrissima vestra dominatio filiae nostræ dilectissimæ matrimonium, et suo studio probat, et auctoritate juvare voluerit, valde nobis gratum accidit. Et nos quidem ejuscemodi benevolentiam, cum a reverendissima vestra dilectione, tum etiam ab ipso sanctissimo domino nostro jam antea nobis pollicebainur; causa, quam ad reipublicæ Christianæ dignitatem, Deique provehendam gloriam institueramus frati. Ad quem finem quoque pertinent alia nostra omnia, de quibus reverendissima et illustrissima vestra dilectio, litteris suis amantissimis, et nobis in primis gratis, insigni suæ erga nos charitatis contestatione agit. Cui ut respondeamus, et nostram Deo et Ecclesiæ Catholicæ fidem ac pietatem comprobemus, tam enitemur sedulo, quam et possumus et certe debemus. Cæterum Altemburgenses digladiationes, et vindimus nos, et Ecclesiæ, quæ pacem inde suam sperat, gratulainur. Non sane possunt esse istorum hominum, vel consilia vel scripta alia; cum sint eorum omnia contra Dominum, qui emisso inter eos spiritu vertiginis, dum altercando veritati vim struunt, ipsam veritatem amittere illos facit. Pergant itaque hoc in genere, seseque conficiant ipsos, et redibit ad exempla priscorum temporum, de hæresum discordia, Ecclesiæ suæ tranquillitas. De qua, ob fœdam istam novorum dogmatum dissectionem, et inconstantiam, jam etiam sperarem melius, nisi

¹ Inter Epist. Hosii Epist. 147, p. 305.

humani alicujus pudoris, ac ipsius, quæ alienis bonis velum præsigit avaritia, compedes, hominum animos tam potenter in errore tuerent. Christ. Opt. Max. clementer laxit, ut isti oculos animasque aliquando resumant, suamque, quam nefariis impietatis ministris temere concedunt, salutem rectius tueantur. Reverendissima et illustrissimæ vestræ dilectioni quam et amamus et colimus, officiose, felicia omnia preciamur ex animo. Datae Monachii, xvi die Februarii, ann. etc. MDCXXI».

44. Ex eximio hujus principis zelo, ac præfatis inter se haeticorum colluctationibus, spem Hosius concepit, ab errorum in quo jacebat lethargo, tandem Saxonum Septenvirum posse expurgisci; idecirco ad egregium id facinus aggrediendum, ubi præfatas Alberti acceptit Eoistolas, ipsum impellendum duxit; inter cetera hec ad eum scribens¹, postquam pluribus de Altemburgensi colloquio egit:

« Audio, quamvis celsitudo vestra cum illustrissimo domino principe Electore Saxoniæ non conveniat in fidei doctrina, (nam quæ societas luci ad tenebras), convenire tamen in aliis rebus politicis, et in diversitate fidei, quamdam esse nihil omnis inter vos animorum conjunctionem. Ingens operæpreium ab Illustrissima dominatione vestra factum mihi videretur, si persuadere posset illi principi, qui minus longe jam a regno Dei abesse dicitur, ne gravaretur audire, de quibus rebus inter Lutheri ministros Eberianos et Flaccianos tanlae nunc sunt altercationes; et quæ fuerit semper, et est, et erit, de illis constans Ecclesiae doctrina, demonstrantes. Esset hoc nihilominus in illius arbitrio positum, vellet eam recipere necne: cognosceret illa procul dubio, quod multa, per summam audaciam atque impudentiam affinguntur Ecclesiae Dei, quæ nunquam illa docuit et docet. Paulatim aperi- rentur istorum oculi, qui nunc in tantis tenebris, tam atrociter inter se pugnant: impertiret suam gratiam Deus; ut claram Evangelii lucem aspicerent, et ad veritatis agnitionem redirent. Nam scribit, humano quodam pudore, quorumdam animos impediri, quomodo in viam revertantur; utinam adduci modo possent, ut sicut audiverunt jam tot annis Evangelium Islebiensis Antichristi, sic etiam audirent Evangelium Christi Dei nostri. Tantum de benignitate Dei pollicor, quod eam esset illis mentem daturus, ut quanta sit illius virtus agnoscerent; cum Paulo dicent: *Non erubesco Evangelium*; seque tandem aliquando de potestate tenebrarum eruptos esse gauderent».

45. Illud, præ aliis, tlosio durissimum videbatur, quod, inter tam acres pugnas, quæ religionis causa in Germania perpetuo committebantur, soli a certamine Catholicorum excluderentur;

quorum ope ad veritatis agnitionem tandem aliquando, ab ipsa aberrantes pervenire possent; idecirco in eadem Epistola tlois dicit: «Nunc in Saxonia audiuntur Flacciani, audiuntur Eberiani, seque mutuo condemnant haereses, (et est haec justissima utrorumque de sese invicem sententia, non autem audiuntur Christiani, qui media quadam via incedentes, istis in tenebris. Andabatorum more, ut est in proverbio, tam infestis animis inter se pugnantibus lucem aliquando adferre possent, qua illustratis, facilius in viam veritatis, a qua detixerunt, eis redire licet; sed inauditi condemnantur. Quare, quid, vel dici, vel cogitari potest iniuius!» Et eo magis haec de causa Hosius angebat, quod nonnulli, qui Catholicæ principes censebantur, suis in ditionibus (uti minime debuissent) haeticos versari ministros, ac venenata sua semina spargere passim ac impune permetterent: «Cur autem, (dicebat Hosius) qui discesserunt a nobis, idem in suis quoque terris, de doctrina Catholicæ fieri non permittunt, ut illa quoque vulgo prædicetur, quo sic penes quem judici im de ea esse volunt, rectius de utraque judicare possit: cum non solum Eberianos et Flaccianos, qui suo se mutuo judicie condemnant, et sibi sunt invicem haeretici, verum etiam ipsos audiunt Christianos?»

Tandem, ut Bavariae Ducem, ad dandam operam apud Saxonem, ut Catholicis aures etiam præberet, egregium eidem Duci, quod quo religione Catholicæ facinus aliud in Marchionatu Badensi jam pridem patraverat, in mentem revocat, dicens: «Praelarum fuit illud, quod renuntiatur de celsitudine vestra, quod proximis superioribus mensibus, multa milia animarum in marchionatu Badensi Christo tueri fecerit: cum in ea ditione plurimi, serpentis astutia seducti excidissent a simplicitate, quæ in Christo est, cum alias illis Christus prædicaretur, quam qui fuit ante mille annos prædicatus. Ingentem ex ea re laudem apud pios omnes, nec medicem apud Deum est mercedem consecuta. Sed multo eerte redderet nomen suum illustrius, multo gloriosem coronam in celo sibi repositam esset habitura, si rationem aliquam inventiret, quæ perfici posset, ut quæ terra in Germania primum excidit a simplicitate quæ est in Christo; unde excedit eo rediret, ut sicut multis iis quinquaginta annis fuit mater erroris, sic esset nunc iisdem dux a crassis istis errorum tenebris resipiscentia: quod qua ratione perfici posse putet, vehementer euperem, ut ad protectorem imperii, quem ego summo studio et observantia prosequor, illustrissimum dominum cardinalem Augustanum perscriberet. Datus es esset operam proculdubio, quascumque vias et rationes ostenderet celsitudini vestræ, quibus id perfici posset, ut ea, quem cupimus progressum et exitum habere possent. Ego quoque, pro

¹ Hosii Epist. 48, p. 331.

tenui mea parte, si quid ad rem adferre possem adjumenti, nihil essem curae, diligentiae, laboris prætermissurus ».

46. *Albertus Hosio exponit eur ab errorum tenebris hæretici, imprimis principes. tam difficile emergant.* — Certum est in optimo duce Alberto, ex Hosii sententia, ad rem hanc gerendam, neque studium, neque zelum defuisse: utpote qui nullo etiam suadente, jam pridem ipsam tentaverat. At ex hoc ipso, quod experimento didicerat, se oleum ac operam in ea perdidisse, visum est ei negotium innumeris ac insuperabilibus prope difficultatibus obseptum. Digna est, quæ hic inseratur Epistola, quam super eo, ad præfatum Hosium rescripsit, ut polemique vera et præcipua capita, ob quæ, ab errorum tenebris hæretici, præsertim principes, ex heresum cœno haud facile emergant, evidentissime prodat. Sic igitur se habet¹:

« Quod nuper reverendissima et illustrissima vestra dilectio, pro suscipiendo ad reducendum ad veritatis viam illustrissimum Saxoniæ electorem studio, pie et doctissime ad nos prescripsit; magni quidem facimus, nec decesset in nobis sanctæ hujus persuasione, vel animis propagandæ Catholicæ religioni devolus, vel explicandorum, qui hunc principem, cum multis aliis per Germaniam conscriptum tenent errorum occasio. Quam etiam rem, ab eo tempore, quo nobis familiarior cum illo consuetudo intercessit, non semel tenlavimus, anima certe salutem ejus siente, at fructu non ita magno. At videmus in hoc negotio, non tam ipsam seductorum vel obstinationem, vel malitiam, quam alia quædam, quæ cuiusvis potius, quam Dei sunt, Catholicorum zelo studiisque obstante. Ingens est adulterati, quod pro divino sibi obtrudi patiuntur, verbi administratorum impudentia. Nihil hi subterfugiunt laborum, quo eam per quam longe lateque dominantur impietatem tueantur et conservent. Et quamvis capitum deliramentis, propriisque somniis longissime ad invicem discedant, ac non desint fortasse sub illis cordati ac prudentes homines, qui palpare manibus incipiunt effrenem improbissimorum deformatorum audaciam. Sic ut ad principes etiam suos, et magistratum pertingere queat, non esse hanc de Deo deque Dei verbo illorum altercationem, nec finiri debere propter Deum hanc tragediam, propter quem cœpta non sit, (quæ vel una fuit, ex tot plaustris mendaciorum vera vox;) tamen iis, quæ ad decipendum valent, persuasionibus, veluti cauda quadam impurissimæ doctrinæ connexi manent. Sunt hæc infinitorum errorum, veluti duo fasciculi, Ecclesiæ Catholicæ contemptus et scelerum impunitas: dumque prius illud urgenter, et clamant per summam audaciam passim omnes dum Ec-

clesiam et summum ejus in terris Pastorem persequuntur, et carpunt omnes; evenire solet incautis suis auditoribus, ut quæ ementitæ hujus doctrinæ buccinatoribus ubique est, non animadvertant, aut videant miseri discordiam, atque ita pugnantissima haud difficulter admittant, si solam eam adferant impiam pacem, quæ Romano Pontifici opponatur. Sic Saxonia tolerat Flaccianos, Adiaphoristas, Synceristatas, et quamvis aliam adorati idoli sobolem; non quod eamdem doceant consanter fidem, sed quod papam et Catholicos eadem improbitate audacter oderint et insectentur. Hoc remanere apud illos unum ex innumeris, quæ per quinquaginta hos annos pessime edocti sunt, nemo non videt. Hæc est seductorum istorum concordia, per quam inventis suis auctoritatem aliquam addunt: hæc, quam principibus suis imponunt fascinatio. Cui oportune subjungunt alterum improbitatis suæ asylum, communem istam quidvis audiendi tentandique licentiam. Quæ proposita cupidorum animos et penetrat occupaque facilius, quo nemo est, quem graviorem videant, præsentemque magis suavis istius libertatis hostem, Pontifice Summo. His veluti elyptis duobus, et fidem aliquam faciunt suis commentis hæretici, ne discordes appareant, qui et linguis sunt et calamis disjunctissimi inimici; et superiorum etiam expugnant cupiditatem, et possessionem animant atque confirmant. Quibus in rebus donec ipsa conscientiae ad veritatis et aequitatis agnitionem et reverentiam adiligantur; donec, quam ex perverisis doctoribus male addidicerunt doctrinam ad ipsos novitatis et audacie hujus fructus sistant ipsi; atque eam, quæ in Catholicæ est salutis certitudinem, per veram pœnitentiam, sanumque diu fascinatæ mentis usum redire cogitent, parum effecerimus, tam Rmus, et Hlmus cardinalis Augustanus, dominus, amicus et compater noster charissimus, quam nos ipsi. Novit enim sua Hlma et Rma dilectio patriæ morbos, novit horribilem illam cæcitatem, novit nescimus cuius humani pudoris violentiam, novit denique, quam gratum sit, quamque radices altas egerit apud seductos privati commodi patrocinium, quod ex novo novi Evangelii Istebiensis theatro facillime desumitur. Oramus autem Dei misericordiam, ut contingent aliquando satisfaciendi animo nostro rationes commodiiores, quam eæ, quæ tentatæ hucusque fructum suum non sunt assecnæ. Temporis fortasse beneficio et effervescente niminum reprobi, in quem dati sunt, sensus improbitate, tandem fiet, ut videre oculos, intelligere menlem patiantur, qui humanarum traditionum stulto odio, in ipsum humanorum commentorum metrorum baratrum sese præcipitant. Hæc fusius tractare placuit, ut appareant Rmæ Hlmæ vestræ dilect. quæ nobis, quæ Catholicis omnibus impedimento sint, ut

¹ Extat inter Hosii Epist. epist. 149, p. 303.

non tentemus libenter privatum, aut inutiliter laboremus, ut plurimum. Quod publicæ illæ et sanctissimæ ejusdem Rmæ et Illustrissimæ vestræ dilect. aliorumque Ecclesiæ Catholicae doctorum admonitiones, non statim assequuntur. Ex quo tamen spes est minime dubia, reddituram omnem Ecclesiæ tranquillitatem, cum paleæ hæreticorum, et seminata inimici zizania, contra purum istud fidei triticum durare non possint. Cujus rei etiam videmus exemplum, quod discipulorum audacia præceptorum insanias hinc inde explodat. Sic Lutherum Philip-
pus, sic hos passim succedit Calvinus, donec sumi isti omnes evanescant, et cum priscorum hæreticorum figmentis novi illi immensi librorum et mendaciorum acervi, ad archetypum et fontem Diabolum suo quodam jure redeant. Sed gratiam quoque non habebunt ipsi, quod per Rev. et illustrissimæ vestræ dilectionis virtutem et labores, suæ supervivere cogentur stultitiae: quas, an irrisura sit magis posteritas, an deploratura, non facile dixerimus. Hoc certum est, tam vanas esse et impudentes, ut vel ad primum illarum aspectum explosas et ejectas non fuisse mirum videatur. Non immerito Badensis Marchionatus injustam habemus eum, cum, ut sœvientes ibidem hæreses arceantur, tum, ut principum juniorum, qui nostri sanguinis charissima sunt portio, tutior aliquando possessio constituatur. Nec infelicitè procedit negotium, quamvis eriperent odio et indignatione hæreses, quæ vicinam veteris Christianismi, non ita diu ante labefactati restauracionem, eo ferunt iniquius, quo occidit illis insperato magis. Sed et de Bavariæ nostræ Catholica traquillitate, de eversis hæresum et errorum aris, et restituta præsea sanctæ religionis sinceritate, ut intelligat reverendissima vestra dilectio, brevi curabimus. Quæ omnia, si quid habent laborum meritorumque nostrorum, Dei oramus bonitatem, ut id ad fidei profectum, et subditorum salutem conducat feliciter. Bene valeat reverendissima et illustrissima dilectio vestra, in ornamentum et usum Ecclesiæ Catholicae diu salva, et in columis. Date in castro nostro Staremburgis xxii die Junii MDLXXI ».

47. Hosius censet nil remittendum esse de cura quam Albertus impenderat ad conciliandos hæreticos. — Tam gravi, tam pio, tamque prudenti optimi principis responso, nihilominus Hosius minime acquievit, quod, ut quidam⁴ scripsit: « Amor non capit de impossibilitate remedium, sed dum exæstuat, se ipsum non capit, superfluit sibi, immensitatem æmulatur, dum metam nescit affectui ponere ». Sic enim Illosius, charitate ac fide exæstuans, quæ sibi ab Alberto, tam rationabilia tamque gravia objecta sunt; præ animarum salutis amore, parva ac

prope nulla existimans, eidem prolixiori Epistola⁴ respondit dicens: Quod, licet ad præclarau illius voluntatem, qua religionis rem, tam enixo studio in Marchionatu Badensi magna cum sui nominis laude gerebat ac in Bavaria egerat; quale ex Germania tota turbulentos errores cupiebat extirpatos, propter nimis obstinatos ac in perfidia obfirmatos quorundam animos, non illa, quam ipse vellet, facultas suppeteret; non tamen propterea spes omissis abjicienda, deque cura et sollicitudine, quam gerebat in his Christo lucifaciendis, qui ab illius corporis compage sese divulserant, quidquam remittendum esse censebat; ne, vel de misericordia Dei diffidere, vel de potentia ejus dubitare viderentur, qui etiam de lapidibus poterat filios Abrahæ suscitare. Quod Abraham crediderat in spem, contra spem, ut multarum gentium pater fieret. Quapropter et ipsi eamdem adferre fidem oportebat, si multarum gentium patres esse voluissent, vel saltem unius alicujus Germanie partis, nimirum ejus, ex qualibet hereses primum prodiisse atque originem sumpsisse, tamque longe lateque dispersas esse videbant et ingemisebant. Se iis, qui novas et peregrinas doctrinas hoc infelici saeculo in eamdem Germaniam invexerant, tantum fidei nullatenus tribuere posse, quin multo majorem Alberto etiam tribueret; cum ex parte altera certo persuasum id haberet nihil esse tam arduum, tamque difficile, quod ubi firma fides adesset, perfici non posset. Conatus aliquis adhibendus, manus idecirco admovendæ, faciendum tandem esse aliquid; nam facientes Deus adjuvat. Ut verissimum approbat, quod Albertus aiebat, hæreticos nempe, licet inter se capitibus disseccatos, caudis tamen esse colligatos, exemplo vulpium Samsonis, ut in Pontificiam dignitatem simul invehementur, quo ex Ecclesiæ navi gubernatore tollere valerent; quia sic eam facilibus fluctibus agitatam, et ad saxa collisam, discissam et submersam iri considerent. Verum id, (ait) non novem, aut suo tantum saeculo fieri coepit, sed etiam iis temporibus accidisse, quibus tot Pontifices, tot sancti Martyres fuerant; cum non aliunde hæreses oborta aut nata fuisse schismata legerentur, quam ex eo, quod unum in Ecclesia, vice Christi, judicem non agnoverint, cui secundum divina magisleria, universa fraternitas obtemperaret. Ideoque considerare animo non oportebat, nam si quis in eam curam incubuisset, ut illis persuadere conaretur prius ut explorarent, num vera essent, quæ de Pontificibus Romanis, tam impudenter perfidie ministri mentiebantur; rem ille magnam profecto et summa laude dignam præstaret, neque de Germania solum, verum etiam de universa Republica Christiana præclare mereretur.

⁴ Gilbert. Ab. Germ. 19 in Cant.c.

⁴ Epist. Hosii 150. p. 306.

Unde, si adduci posset Saxonius princeps, ut prius audire tantum dignaretur doctrinam, quam condamnaverat inauditam; in certam spem se venturum dicit, quod statim idolo illi suo Islebiensi nuntium remitteret, atque ad Christum in Bethleem natum, se totum converteret; et ita sublato odio, quo per suos ministros inflammatus fuisset, primo quoque tempore, ad unitatem Ecclesiarum sese aggregaret. Quod quidem negotium, a nullo magis recte confici posset, quam per ipsum Albertum dicit, qui si ad Saxonem aliquem mitteret, qui cum eo de hac re ageret; vel per occasionem id ipse faceret, si quando præsente illo potestas daretur; tantum de misericordia Dei se confidere asserit, quod tam piis illius conatibus minime esse defuturum existimaret. Initio vero nil aliud, quam exporrandum animum illius se censere dicit, an scilicet latus esset, ut aliquis ad eum Catholicus mitteretur, ex quo quænam esset Ecclesiæ doctrina de rebus controversis expiscari posset. Si facile se latum innueret, tunc, suo judicio ablegandum esse Canisium, non magis doctrina, quam pietate insignem et in controversiis istis cum primis exercitatum, ejus, et eruditione, et exemplo profectus nullus sperari posset; de qua tamen re, nisi prius Summo Pontifici communicaato consilio, statui quidquam nolle. Quod curæ futurum cardinali Augustano sacri imperii protectori non dubitat. Denique pluribus, ac enixis precibus eumdem Alberlum obsecrat, ut operi manum admoveat, et sic Epistola terminat.

Data autem legitur Sublaei sub die vigesima quarta Augusti hujus anni, quo, ad intolerandos prope Romanos calores declinandos, Hosius sese receperat: non, ut in ea solitudine voluptatibus, comedationibus, jocis, aut otio, aut desidia vir sanctissimus sese daret; sed ut, velut alter Hieronymus ex illa eremo contra haereses ad animalium salutem vehementiores rugitus emitteret. In calce autem Epistole hæc postscripta leguntur:

« Illud quoque latere celsitud. vestram nolo, quod ante menses aliquot accepi litteras ex patria, quibus certior factus sum, quod quidam nobilis adolescens non ita pridem Lipsia redierit, ubi dedit aliquando litteris operam, et quamvis inter non Christianos degeret, non tamen propterea Christianus esse desiit: cum narrasse seribitur, quod interdictum Lipsiæ fuerit, ne, vel in templis, vel in scholis, Lutheri scripta quisquam allegaret, sed Philippi Melanctonis tantum. Cui rei suspicor causam dedisse disputationem Aldenburgensem. Nam Vinariorum ministri ferre nulla ratione potuerunt, ut ex eo libro Philippi, quem inscripsit corpus doctrinæ, testimonia citarentur. Nunc in eorum odium factum fuisse, verisimile est, quod solum Philippum, non autem Lutherum Lipsienses

allegare volunt. Ex quo sperare nobis licet, quandoquidem tot jam annis Lutheri verbum, pro Dei verbo semper habitum, eo loco haberi jam desiit; quod idem non multo post eveniet etiam Philippi verbo. » Quæ quidem ad Dresensem conventum, de quo paulo ante egimus, referenda esse perspicue appetit.

48. *Albertus novas Hosio objicit difficultates.*

— At ex ista, tanta fide ac spe referata, Hosius Epistola, piissimus dux Bavariae nil aliud elicere potuit, quam immensus cordis mærorem. Adeo siquidem, juxta illud Prophetæ, haeretica perfidia Saxonice ditionis concluserat vias lapidis quadratis, ac veræ fidei subverterat seminas; atque adversus animas, quas captivas duxerat¹ circumædificaverat ut non egredierentur, eorum que compedem aggravaverat, ut nulla prorsus via, nulla ratione auxilium illis, ac lumen inter tot tenebras, in quibus versabantur, præberi posset. Hæc itaque ad Hosium² rescripsit Albertus :

« Nihil sane ad ulteriorem hanc piam valde, Christianamque dilect. vestræ cohortationem adjici nobis potuit, aliud quam non exiguis quidam mentis dolor, quod multis, imo omnibus pæne rebus ejusmodi nostra studia arceri videmus isto loco, ex quo tam illustris et utilis Ecclesiæ victoria speraretur. Scripsimus ea impedimenta superioribus nostris prolixe satis, needum etiam videmus, qua ratione tentari possit felicius quam antea negotium illud non ita leve. Ac a nobis quidem desideratur in primis, quod principem illum cognoscendi, ex contra riis suæ opinioni scriptis, veri nondum ita cupidum esse intelleximus, ut oblatos saniores libros facile admittat. Penes alterum vero, quod æque magnum est, ut videlicet dissidentem quempiam virum doctum et pium, libenter et pacate audiat; tantum omnino difficultatis apparet, quantum est huic rei periculi ex iis quibus inveteratae jam consuetudinis, quasi quodam morbo captivus propemodum addictus est, non malus alioqui princeps, pessimorum consiliorum auctoribus. Quibus quidem, non tam fortasse religionis odio, quam privati, quod illis est, ex direptis Ecclesiæ bonis, commodi gratia, diversum a nobis suadentibus, contingit facile, ut porrectas nobis principis aures (impiis, quod sciunt si semel salutaribus monitis pareant consiliis suis posthac minus parituras) penitus obtundent et avertant. Quod, vel tum maxime accideret, si doctoris Canisii, aut similis alicujus excellentis theologi fama loca illa perterreret. Quales certe, si principi et aliis cordatis viris loqui prohibeant (fibrorum etenim aditus facile prohibetur.) magnam putant in eo sitam esse rerum suarum fiduciam: nec certe falluntur etiam. Nam, vel ipsa generosæ mentis vis

¹ Thren. Cap. III. — ² Inter Epist. Hosii Epist. 151, p. 311.

atque bonitas, post auditam veritatis explicacionem, si non errores statim omnes, at ipsam profecto turpem et miserandam sub impurissimo et iniquissimo haereticae colluvici dominio servitatem et captivitatem aperiret; eamque squalidi ecclae, (quam Ecclesiam suam jactilant insani isti divini verbi deprædatores) tyrannidem nobilissimis animis invisam redderet. Ac, oh utinam! hoc solum nobis aliquando detur, ut, si non statim obsequentes, liberas saltem aures reperiamus, aut non omnino surdas. De fructu tamen non dubitaremus, quam est impetratu non difficile, ut eduetus aliquis ex tenebris, postquam lucem aspicerit, videre se jam fateatur. Ea autem in re instituenda promovendaque plus sane spei aleremus, si vel unius esset princeps Catholieus, aut saltem non prorsus ab æqui iudicii usu remotus consiliarius, cuius opera et fide, aliqua possent poni bona initia. Sed Domini exercituum, cuius est hæc causa, ingenti miseratione fieri potest, ut offusæ nebulæ concidant, solisque beneficium admittant tandem, atque ita piis multorum piorum conatibus restituatur, quod paucorum impietate est dejecatum, et eversum. Quod si effectum aspicere poterimus aliquando, (juvare et promovere malleum equidem,) tum demum, et vite nostræ gratulabimur, et posteritati de magnis illis convulsæ religionis motibus, timebimus minus. Bellissime valeat reverendissima vestra dilectio, cui ad sinceræ amicitiae studia et officia sumus omnino paratissimi. Date in civitate nostra Monachii, sexta die Octobris anno MDLXXI. »

49. *Hosius ad Carolum Austriæ archiducem se convertit.* — Eadem arrepta gratulandi Carolo Austriæ archiduci de nuptiis cum Bavariæ dueis filia nuper contractis occasione, cum eo religionis de re etiam serio egit Hosius; insigni suo exemplo docens urbanitatis officiis ita perfungi Ecclesiasticos viros debere, ut semper solidum tamen aliquid præbeant pietatis, ex quo a sæcularibus differant, ac in omnibus Deum tantum præ oculis habere ostendant. Epistola igitur ad Carolum, ab Hosio¹ scripta hujusmodi fuit:

« Quod celsitudo tua matrimonio sibi copulari voluit ejus principis filiam, qui nunc solus propemodum e Germaniæ ducibus (inelytam Austriacam domum semper excipio) Christianam fidem, quemadmodum ea nobis a Christo et Apostolis ejus, per longam episcoporum et sacerdotum successionem, quasi de manu in manum tradita est, aperte profitetur et fortiter tueretur: non possum hoc sanctum illius institutum non vehementer laudare, et summa gratulatione prosequi: nec enim aliud in hoc matrimonio contrahendo spectasse videtur, quam sanetam educationem, et in præclarâ fide

Christiana eximiam institutionem. Deum precor, ut id felix, faustum et fortunatum esse velit. Quod proverbio dici solet: *Pares cum paribus facillime congregantur*: hoc nunc, singulari quadam Æti beniguitate, non sine magna piorum omnium lætitia factum esse videmus; nam nec celsitudo tua sponsam, nec illa sponsum habere potuit sanctiorem; cum utsque vestrum ita sit supra firmam petram fundatus, ut quamlibet magna pluvia deseenderit, quantiusque fluviorum torrentes venerint, quamlibet vehementes venti flaverint et irruerint, nunquam tamen futurum sit, (Christo quod operatus est in utroque confirmante.) ut a soliditate fidei, quam semel amplexæ sunt vestræ celsit., vel minimum se dimoveri patientur. Incidimus, proh dolor! in ea tempora, quibus cum his hominibus vivitur, in ista præsertim terrarum orbis parte, qua vix tuit olim in Christiana fide constantior; ut magnum quiddam, et maxima laude dignum præstissem censeatur, si quis uni viro, cui semel in Baptismo desponsus est Christo, se Virginem castam exhibeat, nec seductus astutia serpentis excidat a simplicitate, quæ est in illo, nec doctrinis variis et peregrinis abduci se, et ab eo, quod simut ut Christo desponsus fuit, recepit Evangelio, in aliud nescio quod cujusvis potius, quam Christi Evangelium traduci patiatur. Hanc laudem, si quisquam aliorum principum, certe celsitudo tua nou mediocrem est consecuta, quæ non solum se ipsam Virginem castam exhibere Christo semper studiat; verum etiam, ut idem ab aliis quoque fieret, imperio præsertim dictationique sua subjectis; ac si qui fornicati sunt a Christo, quorum infinitus jam est numerus, ut ad sponsum revocari possent, pro virili sua modis omnibus contendit et elaboravit. Sunt autem in Germania (quod sine magno animi mei dolore commemorare non possum) tot ac tantæ fornicationes a Christo, jam exorta plures et majores, ac magis abominabiles, ut a seculo nunquam fuisse videantur. Nam quo nunc impietatis ventum non est? Initio Deus illis visus est Lutherus, et quod vel dieceret, vel scriberet, idolum hoc Islebiense, Dei verbum et purum Evangelium esse credebatur. Non multo post rejectum est idolum hoc, et impletum est quod Scriptura diecit: *Væ qui spernis, nonne et ipse sperneris?* Sprevit ille Romanum papatum, et eum evertere conatus est. Ecce nunc spretus ipse quoque jacet, et prius eversus ejus papatus: nec jam deinceps ampliusque a Luthero, sed quod a Zwinglio vel Calvinio docetur, id verbum Æti vocatur; ut in Germania paucos jam Lutheristas, ex magna vero parte videre lieet omnes Calvinistas, qui fuerunt a duce Vinariensi ad habendum colloquium Aldemburgense cum electoralibus designati, penes se solos verbum Æti, (sic enim Lutheri doctrinam

¹ Epist. Hosii 157, pag. 313.

appellant,) purum et incontaminatum asservari gloriantur: quibuscum autem in disputationem descenderant, eos graviter accusarunt, quod in præcipuis quibusdam doctrinæ Christianæ capitibus, ad Papismum, (sic enim appellare illis libet Christianismum,) in dogmate vero de Eucharistia, ad Calvinismum inclinaverint. Qui post eam disputationem, tantas Wittembergæ jam radices egisse dicitur, ut ejus Catechismi loco quem scriperat Lutherus, nunc is in scholis publice legatur quem Calvinus edidit, etiam vicinis Wittembergensibus, Lipsiensibus frustra reclamantibus. Et constat hoc ex Aldenburgensi colloquio, quod non minori, quin majori etiam odio mutuo carent inter se Vinarienses, quos Flaccianos et Edimburgenses, quos Eborianos vocant, dum se invicem hæresecos condemnant, quam quanto Pontificem Romanum prosequuntur. Cujus jugum postquam excusserunt, suum quoque mutuum papatum ferre non possunt. Nam, nec Flacciani, nec Wittembergæ, nec Eberiani, ut in reliqua Saxonia formulæ religionis aliquis cum auctoritate præscribat, sibi tolerandum esse censem: verissimum, ut illud esse jam videamus, quod non tam in prisorum Patrum scriptis legimus, quam oculis ipsi nostris cernimus. Quod non aliunde sunt hæreses obortæ, vel nata schismata, quam inde, quod sacerdoti Dei non obtemperatur; nec unus in Ecclesia sacerdos iudex, vice Christi cogitur. Cui, si secundum divina magisteria fraternitas obtemperaret universa, nemo dissidio unitatis Christi Ecclesiam scinderet; nemo sibi placens ac tumens, seorsim foris novam hæresim conderet. In diebus illis, dicit Scriptura, *non erat rex in Israël, sed unusquisque quod sibi rectum videbatur, id faciebat.* An hoc totidem verbis nunc quoque vere diei non potest? In diebus istis non est Pontifex in bona Germaniae parte; et unusquisque, quod sibi rectum videtur, id credit, id scribit, id alios quoque docet, nec judicium cuiusquam de doctrina sua ferre potest; sed ab omnibus obsequium exigit, nec alio loco, quam quo Dei verbum, quidquid a se scriptum, haberi vult. Ut non amplius Ecclesiam in bona Germaniae parte, quæ tanquam acies castrorum ordinata est, verum Babylonem quamdam videre liceat, in qua nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Ex quo factum est, ut novum quoddam Pontificum genus oriaretur, de quo maxime queruntur Lutherani ministri, Flacciani præsertim, eorum sævitiam experii, qui vocant eos politicos Antichristos, et pro uno Romano Pontifice, nunc innumeros existere lamentantur; qui a forensibus rebus ad Ecclesiasticas transcedunt, et non contenti suis metis, cum seepistro, gladiis et tulvine Jovis, novas religionum formulæ fere quotannis exhibent, quibus, aut applaudendum sit, aut in extremum discrimen

veniendum. Quale Pontificum genus, utinam in Catholicorum quorundam principum terris, videre quoque non licet.

« Verum ad rem redeo. Babylonicae confusionis hujus in Germania primus fuit auctor Martinus Lutherus, qui se nolle dixit judicium, sed obsequium requirere. Cæterum, quæ postea non sunt hæresecos portenta consecuta? Nonne videmus a Lutheranismo ad Calvinismum, a Calvinismo ad Anabaptismum, ab Anabaptismo ad Trideismum, a Trideismo ad Atheismum jam esse ventum? Et uno Confessionis Augustanae pallio, tam execrabilis hæreses istæ conteguntur omnes. Quod sibi licere voluit Lutherus, ut suum verbum, pro Dei verbo populo venditaret; hoc idem Zuvinglius, et qui eum secuti sunt alii deinceps omnes, eodem jure sibi licere voluerunt. Quod adeo ferre non potuit quidam, quamvis insignis hæreticus ipse quoque, (quam ob causam ex Italia fugere fuit coactus,) ut etiam Diatogum quendam ederet, contra sectam terrenorum Deorum quorundam, sive paparum, qui suum verbum, tamquam Dei verbum adorari vellent; quos multo sceleratores etiam et crudeliores futuros affirmavit, quam unquam fuerint papæ Romani. Scribit autem de his, quibuscum partim Genevæ, partim Tiguri complures annos fuerit versatus. Qui cum eum longius quam ipsi volebant progressum vidissent, ferendum esse non putaverrunt; inter alia, sic de illis loquitur: Non est quod spes eos unquam recantatueros, aut se Ecclesiae subjectueros. Volunt, ut Ecclesia ipsorum, non ipsi Ecclesiae arbitrio credant; id quod nihil est aliud, quam si quosdam papas terrenosque Deos esse velle, et in hominum conscientias tyrannidem exercere, ac dominos esse fidei illorum qui sunt in Ecclesia, velleque ut ipsorum arbitratu credant homines; quinimo docent (inquit), scribuntque ministri contra quam ipsi credunt, ut cum mundo consentiant, neque cum Christo infestentur. Hoc fuit hominis hæretici, de iis hæreticis judicium, quibus cum bonam vitæ sue partem traduxerat, quos præ cæteris, dum viveret Lutherus, execrari visus est. Nunc hi cathedram illius occupasse Wittembergæ, suamque foedam hæresim in ea publice profiteri feruntur. Alius autem Germaniae princeps, etiam Anabaptismum recipere dicitur, et cum alia, pleraque impia et absurdâ, tum et illud in disputationem vocari vult: Num aliquis apud Christianos esse debeat legitimus magistratus, qui gladii jus in santes habeat. Sed in his recensendis longior esse nolo, quæ non alia de causa verbis putavi commemoranda pluribus, quam, ut suis ipsa cerneret oculis celsitudo tua, quam vere dictum sit illud: Impius facit opus instabile. Fuit revera, quod fecit impius Lutherus, instabile opus; jam illius doctrina prorsus esse videtur explosa. Successit

autem alia multo detestabilior, quæ et ipsa stabilior futura non est, cum aliæ subsequuntur magis etiam hæreses execrandæ, quæ priores illas evertant. Quo major est laus celsitud. tuae, quæ cum viro sanctissimo, doctissimoque Basilio, vere gloriari potest, quod quam a puer sententiam de recta fide, a beata matre, deinde a nutrice sua recepit; illam et non aliam justis incrementis auctam, et adultam in se ipso conservaverit. Non enim alias post alias, maturescente ratione sumpsit; sed tradita ab illis principia absolvit, et ad perfectionem deduxit; quin etiam, quo facilius in proposito perseverare possit, cum interdixisse Dominum sciret, ne cum habitatoribus Chanaam amicitiae jungerentur, neque de filiabus eorum uxor acciperetur; huic interdicto fideliter paruit, et ejus filiam in conjugem accepit, quo nullus est in tota Germania Christianæ fidei, non solum tuendæ, verum et propagandæ studiosior, et quem rectius inter illos numerare liceat, de quibus dicit regius Propheta: *Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus.* Quod eum de celsitud. tua quoque non minus recte dici possit, quæ et ipsa timorem Domini singularem semper præ se tulit, nec a viis illius deflexit unquam; eadem illa benedictione prosequi licet. qua benedixit sanctus ille rex et propheta hominem, qui timet Dominum. Benedic tibi Dominus ex Sion, et videoas bona Jerusalem omnibus diebus vitæ tuæ, et videoas filios filiorum tuorum, non solum secundum carnem, verum etiam secundum spiritum. Utinam videre nobis aliquando contingat bona Jerusalem, quæ visio pacis interpretatur! Utinam videre liceat veram pacem super Israel, non talem pacem qualis extorta fuit armis anno abhinc, nisi me fallit memoria, vigesimo: quæ pax quidem Religionis vocabatur, sed verbo Domini, quod manet in æternum, verissime dictum est: *Non est pax impiis, eventus etiam ipse comprobavit:* nam ex hac falso nominata pace, plura dissidia religionis exorta vidimus, quam unquam antea fuerint. Verum talem pacem, utinam videre nobis liceat, qualis fuit ad imperii gubernacula sedente proavo tuo Maximiliano, qui sui nominis gloria terrarum orbem implevit universum. Fuit eo tempore Germania labii unius et sermonum eorumdem; fuit multitudinis credentium eorum unum et anima una. Nullum fidium ludum, sicut nunc, videre tunc lieuit; unus Dens ab omnibus colebatur, una fides ab omnibus retinebatur. Non audiebantur tot hæreticorum tam portentosa nomina: non pudebat fideles a Christo uomen ducere; Christiani tunc vocabantur, et fuerunt omnes, non Lutherani, multo minus Calviniani, nec eis vile videbatur et contemptibile, sicut nunc quibusdam, nomen Christianorum, ut Evangelici vocari mallent, cum scirent Evangelium, non

ab alio, quam a Christo nobis esse traditum. Quamobrem ab illo perpetuo vivente magistro nomen ducere maluerunt, quam a mortua litera, quam nunc ita misere torqueri, et ejus non solum diversos, verum et adversos sensus proferri cernimus, dum unaquaque secta suo sensui Scripturas attemperat, suum illi proprium sensum adstruit: non suum Scripturis jungit, neque pro sententia divinarum Scripturarum, sed pro sua dimicat; ut non quod Scriptura, sed quod sentit ipse, purum Dei verbum haberi velit. Talem itaque pacem super Israel, qualis fuit, imperante proavo tuo, nobis, ut videre liceat, precamur omnes. Quod opera tua perfectum iri confidimus: habes enim fratrem ejusdem nominis, cuius fuit proavus ille tuus, eadem imperii gubernacula moderantem, et quem nomine, eundem pietate quoque referentem, qui nuper adeo præclara dedit ejus rei documenta; quantopere cupiat veram pacem, qualis fuit sub proavo tuo super Israel in Germania restitutam. Habes alterum fratrem, cuius quidem zefus incredibilis in extirpandis erroribus, et Christiana tide tuenda prædicatur ab omnibus. Estis itaque tres fratres. *Funiculus triplex difficile rumpitur.* Trium imperatorum, et quidem exceffentissimorum, nomina vobis sunt imposita, proavi, patris ac patrui. Summa de singulis est omnium expectatio, piorum præsertim. Quod vero nomen gerit celsitudo tua, peculiare quiddam nobis promittere videatur: nam qui primus Saxones ad amplectendam fidem adduxit, ei Carelio Magno nomen fuit: armis hoc ille perfecit, et ei cessit feliciter. Tentavit idem armis, non minus Magnus alter Carolus Quintus imperator, celsitudinis tue patruus, ac successerat quidem initio, sed eum tamen, quem pii cupiebant, progressum, res non habuit. Fortassis penes alium, quamvis minus potentem, hanc esse gloriam Deus voluit: ut quod armis patruus tuus efficere non potuit, id ille quietis consiliis ad optatum finem perduceret. Ut autem mortuo Maximiliano I, Germania terra unius labii et eorumdem sermonum esse desiit, ac in Babyloniam quandam est conversa; sic imperante Maximiliano II, de quo secunda nobis omnia pollieemur, in suum pristinum statum reducatur, in quo fuit, regnante proavo vestro; idque urgente maxime et instantे Celsitud. tua: quo sic illius opera dispersionibus Israel congregatis, si non in tota Germania, saltem in Saxoniam, quam nunc Babylonem ingemiscentes cernimus, ex ea civitas ædificetur Jerusalem, sic in idipsum: ut idipsum in ea dicant, idipsum sentiant, idem sapient omnes; ut fiat multitudinis credentium eorum unum et anima una, fiat unus pastor, et unum ovile, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, qui per prophetam suum se factum promittit, si qui duriores videntur ex

eorum carne, se cor lapideum ablaturum, et daturum illis cor carneum, ut in praeceptis ejus ambulent et iudicia ejus custodiant; simul facturum, ut sint illi in populum, et ipse sit eis in Deum. Quem precor, ut iterum atque iterum Celsit, tuu simul, et illustrissimæ sponsæ illius benedieat, ac in multos annos utrumque servet incolunum, omnique felicitatis genere cumulet: cui me diligenter commendo. Datum xiv Septembris Vieovari MDLXXI ».

50. *Colloquium inter Substantiarios et Accidentarios desinit in mutuum dilacerationem.* — At mirari sane poterit quisquam, cur objectis pluries tot prudentibus solidisque a Bavariae duce rationibus, quibus Iosius a sententia tentandæ Saxonie province, ejusque principis ad Catholicam fidem conversionis, rite revocandus videbatur; ille tamen, neque animo ob id exciderit, neque rei hujusmodi conficiendæ (ut ex hac etiam ad Carolum archiducem scripta Epistola apparet) spem abjecerit, ac immobilis in ardentissimo suo studio perstiterit. Verum nos, praeter allatas supra rationes, a ferventissima illius fide ac charitate merito desumptas, id certe tribuere non valemus, nisi horrendis digladiationibus, quibus in se diviso, plusquam alio fortasse tempore, hoc anno, haereticorum regno, certissimam desolationem comminari visum est. Licet enim illos in eo unanimes ac colligatos esse Iosius sciret, quo contra Romanam Ecclesiam desavirent; in cæteris tamen, tot litigiis, tot juriis, tot probris se invicem laceberrere, ut si non fidei ac veritatis, quietis ac pacis saltem amore, plures impellendos ad tranquilliores viam ea, qua perdite ambulabant, exquirendam, sapienter existimaverit. Spem eam, ut pluries vidiinus, jam antea ille conceperat, sectarios se nimirum invicem consumpturos; ideoque in Poloniae regno, vel omnes tolerandos, vel simul omnes ejiciendos, ut diximus, pronuntiaverat. Idipsum in Germania, unde expelli non poterant, futurum crediderat; unde cum audisset hoc tempore immumeras eorum rixas, ac prope crudelia certamina, eo magis spes illa profundas adeo in ipsius corde radices egit, ut a nullis, quas objicere valuit sapientissimus Albertus, rationibus, ulla-tenus convelli potuerit. Praeter enim recensita¹ ab Eberianis contra Flaccianos Dresdæ statuta, inter ipsos magnum chaos, magna scissura, repullulante Manicheismo, cuius semina Flaccius Lennæ, post se ante novem annos reliquerat, intercedebat. Incendum istud, ut Joannes Guillelmus dux restinguaret, inter Substantiarios et Accidentarios colloquium institendum censuit. Ideoque hoc anno MDLXXI, mense Julio, concionatores suos Wigandum, aliasque ex Academia lennensi, Vinarium accersivit,

codemque per litteras invitavit Wolratum comitem Mansfeldensem, hortatusque est eum, ut superintendentem Mencelium et Spengenbergium secum adduceret. Erant hi duo factiūm dueces in Comitatu Manfeldico, hic *Substantiariorum*, ille vero *Accidentariorum* acer-rimus propugnator. Voluit itaque princeps, ut hi cum suis lennensibus, de controversia hac colloquerentur: cui colloquio ipse cum Wolrato Comite aliisque nonnullis interesse deereverat, facturus periculum, an ad concordiam distractos redigere posset. Venit cum suis Vinarium Wolratus: cumque princeps, indicto Conventu, causas exponeret, cur Mencelium superintendentem et Spengenbergium evocarit, nimirum, ut cum ministris lennensibus, de controversia, quæ de peccato originali in his regionibus exarserat, placide conferrent: Mansfeldici difficiles sese præbuerunt, causati non esse sibi integrum, ut nec ante moniti et prorsus imparati, re cum sociis non prius communicata, de negotio tam arduo cum lennensibus in colloquium descenderent. Quanquam vero urgerentur a lennensibus, et instanter quidem, perstiterunt tamen in proposito, nec ullis rationibus induci potuerunt, ut ad principis voluntatem sese adjungerent. Tandem hue descendens fuit, ut Wigandus Accidentariorum sententiam, quam contra Flaccium, ejusque socios tuebatur, una cum argumentis præcipuis scripto comprehensam, offerret principi, qui deinde scriptum illud ad Mansfeldicos ministros examinandum mitteret: nimirum, ut notationibus additis corrigerent, si quid in ea deprehenderent dignum censura, suumque judicium, de universa hac causa perscriberent. Atque ita, tum quidem discessum est. Erat jam sparsus in publicum de hoc arguento Wigandi tractatus quidam, quem princeps paulo post Mansfeldicis ministris transmisit, additis litteris, quibus de hac controversia judicium ipsorum exquirebat. Mencelius superintendentis, ad cuius officium ea res perlinebat, Wigandi scriptum ministris per civitates omnes et satrapias misit, unaque monuit, ut singuli hoc ipsum legerent, expenderent argumenta, suumque de eo judicium litteris obsignatis ad se perscriberent. Quod cum fieret, Spengenbergius, et qui cum eo partes Flacci sequebantur, Wigandi scriptum, velut erroneum libere repudiarunt; imo et Mencelio superintendenti cæterisque ministris persuadere conati sunt, de his litteris, ut et ipsi calculum suum adjungerent, et scriptum, quod diximus, condemnarent. Mencelius, et qui ei adhærebant Islebienses, non simpliciter omnia rejicienda sine delectu; sed si quid erroneum inesset, revocandum ad censuram corrigendumque; cætera vero probanda censuerunt. Dum ad hunc modum, datis ultro citroque litteris negotium ventilatur, factum

¹ Ex Rescio et alii.

est, ut a scripto Wigandi sensim ad controversiam ipsam dilaberentur. Tum vero Mencelius cum Islebiensibus Accidentiariorum sententiam defendit, qui naturam ipsam, et essentiam hominis, a peccati contagione discernendam assertunt. Spangenbergius vero, quicunque partes illius et Flaceii dictum sequebantur. Maniehaorum dogma, de substantia hominis in peccatum transformata, omnibus praesidiis tueri conati sunt. Hunc in modum, cum in duas turmas dissiliissent, experiri placuit instituto congressu, num conciliari sibi muluo possent, et in eisdem cancellos redigi. Ventum est ad colloquium in hunc finem institutum Islebii, cui et Comites interfuerunt Mansfeldenses.

51. Fecit initium actionis Mencelius superintendens, et receptam inter Lutheranos originalis peccati definitionem, in medium proporsuit, ex Smalealdicis articulis desumptam. Postulavit vero, ut qui præsentes erant profiterentur libere quid de ea sentirent, probandam censerent, an rejiciendam? Ea definitio; peccatum originis, feedam asserit esse totius humanæ naturæ corruptionem. Hanc Mencelius cum suis probandam judicavit et refinendam. Spangenbergius vero, propter motam controversiam censuit corrigendam, hunc in modum, scilicet, ut peccatum originis, non corruptio naturæ, sed universa hominis perdata aliquid corrupta natura diceretur. Videbant adversarii, quorsum ista spectaret mutatio, ut nimis hoc involucro Flaceii Maniehaeum delirium, de substantia animæ in peccatum transformata occuleret. Itaque assentiri prorsus noluerunt. Post multam disceptationem, cum neutri cederent, huc itum est tandem, ut utrique sententiam suam, additis rationum fundamentis, scripto completerentur; ea vero scripta Comites ad vicinos aliquot mitterent Lutheranæ professionis principes, eosque rogarent, ut de causa hac universa, ministrorum suorum sententias exquirerent, quorum judicio, quin deinde acquiescerent, neutrī recusandum. Interea temporis, dum aliorum judicia exquiruntur, utrisque paci studendum et tranquillitat, nec faciendum in concionibus hujus controversiæ mentionem, sed omnia potius ad Synodum rejicienda, quæ postmodum, ad dirimendum hoc dissidium, convocanda videatur.

52. His ita constitulis, delecti sunt principes quidam, velut arbitri, Joachimus Fridericus administrator Magdeburgensis, Julius dux Brunswicensis, Joannes Albertus et Ulricus duces Megapolitani, Wolfgangus et Philippus Gruberhagii fratres, de stirpe Brunswicensium, et Joachimus Ernestus princeps Analtinus, quibus comites scripta otriusque partis, ad censuram revocanda litteris additis transmiserunt. Isti principes, non eamdem viam ad exquirenda suorum suffragia ingressi sunt. Magdeburgensis

Hallenses tantum, et qui Magdeburgi erant prædicantes in consilium adhibuit; Julius vero Brunswicensis tantum sui ducatus precones, Megapolitani, non omnes promiscue, sed Facultatem Theologicam in Academia Rostochiensi consuluerunt. At Gruberhagii fratres, et Analtinus ad præcipios quosdam et delectos iudicium de scriptis Mansfeldicis retinuerunt. Jam et Mencelius privatim litteras dedit ad delectos ministros in ditione Analtini; quæ res Substantiaris occasionem præbuit, ut postea censuras ministrorum, veluti illegitime conquisitas, rejicerent. Caeterum omnes, qui super hæc controversia consulti fuerunt, Magdeburgici, Brunswicenses, Megapolitani, Gruberhagii et Analtini, calculo suo probarunt Accidentiariorum sententiam; et Flaceii, sociorumque dogma, veluti erroneam rejecerunt. Quanquam vero de rei summa convenirent omnes, alii tamen aliis acerbis in Substantiarios scripserunt. In primis Magdeburgici et Gruberhagii stylo paulo asperiore sententiam suam declararunt. Negari non posse dicebant, peccatum originale, si sit hominis substantia, creaturam dici oppertere, aliam ab ea, quam initio condidit Deus; ejus Creator cum Deus esse nequeat, proculdubio Sathan sit habendus, a quo proveniat omne malum: Flaceium igitur, aiunt, dum hunc errorem astruit, loco Dei constituere Diabolum, eumque facere humani generis creatorem, ab eo tempore, quo lapsi sunt in peccatum protoplastæ: quæ, quin germana sit Maniehavorum hæresis, non esse dubitandum. Nam, nec peccatum vere dici substantiam posse, quin nova sit creatura, nec creaturam istam alicui cuiquam adscribendam, quam Diabolo creatori. Itaque Flaceii et Substantiariorum sententia de peccato originis, velut portentosum, blasphemum et plane diabolicum dogma detestantur; quod, ne serpat longius, sed tempestive potius oprimiratur, principibus et magistratibus, summo studio connitendum judicant. Gruberhagii vero, ubi sententiam suam de controversia exposuerunt, exemplis e Scriptura propositis, iram Dei comitibus et horrendam vindictam minantur, nisi magno studio in eam curam incumbant, ut novum hoc et blasphemum Flacei dogma de peccato originis radicitus extirpetur. Cavendum omnino dicunt, ne dilio Mansfeldiensium comitum, in qua natus est Lutherus, doctrinæ novae instaurator, Flaceii Spangenbergiique detestandis erroribus contaminetur. Colligant ergo eorum scripta de hoc arguento prodita, eaque flammis injecta prorsus aboleant, nec quicquam, quod a Flacio, Spangenbergio, caeterisque factionis istius consarcinatum sit, excudi deinceps in ditione sua patiantur. Quod si Spangenbergius objiciat sese perfinaeiter, et in erroribus perseveret, ejiciendum e Comitatu, et

pervicacis hominis conlumaciam, severitate perdonandum.

53. Comites, collectis omnium censuris perfectisque, Accidentarios deinceps fovendos suscepserunt : Spangenbergius vero, et qui in ea ditione ductum illius sequebantur, recalcitrarum perpetuo, neque censuris istis sese submittere voluerunt, quod suffragia ministrorum dicerent non essent collecta legitime. Itaque tandem e ditione Comitum Mansfeldensium, veluti haereticici perfidaces, ejecti tuerunt. Eundem fortunam aliis in locis, et alii quidam experti sunt.

54. Gaeterum ad Flaccium ipsum quod attinuit, ducem et caput istius factionis, is, ob impii dignatis infamiam, variis fortunae casibus, miserandum in mundum iactatus fuit. Nam quo cumque venit, post motam hanc controversiam, ab omnibus paene deseritus, in odio hominum, in aerumnis et afflictionibus misera vitam duxit; Nec facile quemquam inveniis, qui tot contumelias adversarii, tantam tamque diuturnam oppressionem, tam acres iniurias sustulerit. Unde Spangenbergius eum in Antigallo Martylem appellavit. Neque vero a Catholicis passus est homo miser, sed a Sacramentariis partim aliusque id genus sectariis ; partim, et in primis quidem, ab iis, qui per Germaniam Augustane Confessionis dogmata profitebantur ; a Wittembergensibus, inquam, Lipsibus, Melanchthonis, Adiaphoristis, Majoristis, Synergistis, ac denum ab Accidentariis : qui omnes acerbissimo ac prorsus implacabili odio sunt hominem prosecuti, ac si in pernicie ipsius conspirasset. Id ex scriptis illorum satis manifestum est, Wittembergensium cum primis, quae sub nomine Scholasticorum edita fuerunt, adeo virulenta et contumeliosa, ut in hoc genere, post Lutheri furiosos libros in Angliae regem, in archiepiscopum Moguntinum, in Georgium Saxonem et in Henricum Brunswicenses Germaniae principes, nihil magis asperum et venenum ducas exlare. Quod si Flaccianum habuissent presentem boni scholastici, cum istos libellos scriberent, dubium non est, quin lanialuri vivum fuissent, vel minutatim dentibus incisi. Interim absentem confixerunt stylo quam polerant venenosissimo, et ne injuriam ipsi facere videantur, iis coloribus miserum Flaccium depingunt, ut si quis eum intueatur, hominem omnium sub sole sceleratissimum eoram videatur intueri. Ista ex Ulemburgio in Flaccio : sed ad Carolam Archiducem, de quo loqui cæperamus, revertamur.

55. *Pius monet principes Germanos ne quid mali subtilis Catholicis eveniat.* — Laudari rite Catholicus hic princeps ab illo, ut audivimus, meruit, ob id præserlim, quod hoc anno orthodoxæ fidei præcipuum ostenderat studium, cum, nimis, nonnulli ipsius ditionis populi, sese omnes in ejus obsequio futuros pollicili sunt, dummodo seclariis cunctis, eorumque mini-

stris, quiete agere, ac in haeresibus suis impune vivere licaret. Quia de re certior factus Pius, ut ab ea indigna pactione Carolum eumdem revocaret, tum ad ipsum, tum etiam ad Albertum Bavariae ducem, ejusdem principis sacerum, sequentes Epistolæ dedit :

« Dilecto filio nobili viro Carolo¹ Archiduci Austriae,

PIUS PP. V.

« Dileete fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Non facile verbis consequi possumus, quantum nobis dolorem attulerit id, quod nobilitati tua, a quibusdam sua dictiis populis haereticis est, et ut, quos omni studio in eam curam incubuisse intelligimus, ut nobilitat tuam ad passionem secum faciendam adducant, qua sibi et ceteris omnibus, qui sunt ejusdem sectæ, quos pastores vocant, cantum sit, ut nec eos nobilitas tua per se ipsum perfurbet, nec per alios perturbari permittat : quod illi, si ab ea quod Deus avertat obtinere potuerint, non dubitamus, quæ illorum in corrumpta religione Catholica andacia et astutia esse solet. brevi futurum ut Catholicis sacerdotibus seduelis, et agricolis, qui fere omnes ad hanc usque diem fidem Catholicam integrum atque incorruptam, adjuvanle Domino, tenuerunt, in haeresim inductis, nullæ amplius in ea provincia Catholicorum reliquæ relinquantur. Quocirea, eti pro comperto habebamus nobilitatem tuam, pro sua in Deum Omnipotentem pietate, eximioque Catholicæ religionis studio, nullis, neque pecuniarum sollicitationibus, neque terrorum minis impelli posse, ad ea concedenda, quibus non modo existimatio sua in certissimam infamiam, sed etiam animæ salus in manifestum periculum adduceretur ; tamen rei periculique magnitudine commoli, prætermittere, pro nostro pastorali officio nolui- mus, quin subito has ad nobilitatem tuam litteras daremus, quibus eam, quamvis currem, eo quo majori possumus animi nostri studio horlamur, ut ne se ad ea concedenda ullo modo admisere velit, quæ ad fidei dogmata resque Ecclesiasticas perlinent. Sic enim nobilitas tua quæ, et patre principe Catholicæ nata, et in Catholicæ fidei professione educata est, sæculares principes, in ejusmodi rebus, nullam neque potestalem, neque jurisdictionem habere ; ac properea se gravissime peccaturum, si, quod nulli seculari licet, Arcam Domini confingere, hoc est, sacerdotalem potestatem sibi vindicare ausa fuerit. Sed nos a nobilitate tua nihil tale lime- mus, non solum ob eam causam, quia ipsa singulari pietate prædicta, Deum Omnipotentem timet, deque animæ suæ salutem, eam, quam par est, sollicitudinem habet, atque adversus omnes

¹ Ex Ms. Cod. Archiv. Vatic. et sup.

haereticorum conatus, constantissimo animo parata est; sed etiam quoniam iis ultur consiliariis, quos magna cum animi nostri letitia, non minus prudentes quam Catholicos esse accepimus. Nihil est autem, dilectissime in Christo fili, quod timeas, ne si haereticorum conatus in ejusmodi petitione obstiteris, ipsi te populi tui deserant, neque in defensione tuae ditionis, sicut par est, praesto sint. Primum enim Deus, cuius sanctissimam religionem praे omnibus rebus prætuleris, ipse te divina sua ope nunquam destituet. Deinde sperare debes caeteros omnes Christianos Catholicosque principes tibi affuturos, apud quos, pro tuendo ditionis tuae statu, parati sumus omnem auctoritatem nostram interponere, ac si de nostrae Sanctæ que hujus Sedis Apostolicæ conservatione ageretur. Que etiam si omnia defutura essent, tamen quidvis nobilitati tue perperli præstal, quam facie in animam suam peccatum, et in existimationem dedecus admittere, perpetuamque Austriae familie splendori, violatae religionis magnam atque infamiam incurrere; quod quidem nobilitatem tuam nunquam commissuram esse pro exploratissimo habemus. Dalum Romæ apud S. Petrum, sub anno Piscatoris, die Martii MDCXXI, Pontificalis nostri anno sexto ».

56. Ad Ducem vero Bavariae¹:

« Dilecto filio, nobili viro, Alberto Bavariae Duci.

PLUSS. PP. V.

« Dilecte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Incredibili cum animi nostri dolore nuper accepimus, dilectorum in Christo filium nostrum Carolum Archiducem Austriae, magna in molestia ac perturbatione versari, propter negotium, quod ei a quibusdam sua ditionis populis haereticis exhibetur; qui omni conatu, in eam unam cogitationem inenbuerunt, ut ab eo pactionem extorqueant, quæ ipsis et reliquis omnibus haereticis, qui ejusdem sectæ sunt, quos pastores vocant, canum sit, ne, et ipse eos per se illa molestia ac perturbatione afficiat, nec per alios affici perturbarique patiarur. Quod quidem eo animo et consilio factum, ut sibi licetum posthac sit impune, haeresum suarum venena in vulgus spargere, et Catholicorum reliquias, quæ in eadem provincia ad hanc usque diem, Dei benignitate integræ atque incorruptæ permanserunt, contaminare atque corrumpere; quippe qui nihil aliud sibi magis propositum habent, quam ut principis sui, quem Catholicum esse sciunt, existimationem animæque salutem perditum eant. Quamyis autem illius principis in Deum pietas, et religionis Catholicæ studium, nobis sit perspectissimum, ejusdemque adversus om-

nes haereticorum conatus constantie vehementer confidamus; tamen quia eos ipsos haereticos qui illius in me patientiam tentant, obstinatissimos esse compertum habemus; satisque scimus eos omnem bipendent motuos esse, ut ab eo aliquid extorqueant, quo et eorum sectæ augeantur, et religio Catholicæ in ipsius detrimentum accipiatur; idcirco et cum ad obsecrandum haereticorum conatus, per litteras vehementer in Domino proxime hortati sumus, et eo ipso tempore, eadem de re ad nobilitatem tuam scribere voluimus, majorem in modum ab ea petentes, alique in Domino rogantes, ut quando ad vetera propinquitatis vincula, quo nobilitati tua cum praedicto Archiduce intercesserunt, nova haec postremo affinitatis conjunctio accessit, cuius causa eum ipsum principem filii loco habere debet; velut apud eum per litteras, sive per nuntios, dedita opera ad illum mittendos, auctoritatem suam interponere; qua ille permotus, ceterisque tam divinis quam humanis rationibus adductus, quas pietati prudentiaeque considerandas, atque ipsi subiectendas relinquimus; ab omni ejusmodi consilio se ominus alienum constantissime se præstet, quo illa haereticis, aut impunitas, aut securitas in sua ditione concedatur. Ut enim cetera omnia in præsentia omittamus, quibus ille ab ejusmodi rebus concedendis alienissimus esse debet; illud certe facere nullo modo possumus, si post dispensationem Apostolicam tuæ ac sue nobilitati a nobis concessam, qua omnibus testatum esse voluimus, nos utrumque principem, fidei religionisque Catholicæ studiosissimum, acerrimumque defensorem existimare; talē tamque insignem contumeliam acciperemus: justissimam nobis ac Sedi Apostolicæ querela adversus utrumque causam procul dubio datum iri. Quod, ne accidat, neve ille ad eum, quæ ad fidei Catholicæ dogmata resque Ecclesiasticæ pertinent, quarum in concessione rerum, nulla secularibus principibus facultas, aut jurisdictione data est, nullo modo se admisceat; debes pro tua parte in primis providere. Quo quidem officio, etiam si antequam has nostras litteras acceperis, apud eundem archiducem functus fortasse fueris; vehementer tamen cupimus, ut nostra causa eo ipso rursus Hungaricæ: idque non solum studiose et efficaciter, sed etiam primo quoque tempore facias. Non modo enim rem ipsam in magnum periculum esse adductam intelligimus, sed ne illæ quidem moræ locum aut spatium dari acceptimus; quandoquidem super ea ipsa re, ad quintum diem Martii conventus indictus esse dicitur. Plura in eamdem sententiam scriberemus, nisi res ipsa, periculique magnitudo satis ipsa per se apud nobilitatem tuam pro nobis loqueretur: quam quidem iterum, et quo majore animi nostri studio possumus, in Domino rogamus, ut praedicto officio apud eundem principem no-

¹ Ibid. ut supra.

stra causa quamprimum efficacissime fungatur. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die secunda Martii MDLXXI, Pontificat. nostr. anno sexto ».

37. Hac etiam de causa Pontifex ipse, ad episcopum Gurgensem de ejus probitate ac veræ religionis zelo, a Bartholomæo de Porzia Abbatore Modiensi qui nuper a visitatione diaecesis Aquileiensis, suo jussu, ut supra retulimus, péracta redierat, certior factus, alias litteras dedit, quibus vehementer hortatus est, ut ipse quoque apud præfatum archiducem pastoralia sua officia interponeret, ne structa ab haereticis consilia prævalerent. Litteræ ejusmodi fuerunt:

« Venerabili fratri episcopo Gurgensi.

PIUS PP. V.

« Dilectus filius Bartholomæus de Porzia abbas Modiensis, quem superiore anno totius Aquileiensis diaecesis visitationem, a nobis constitutam, ad dilectissimum in Christo filium nostrum Carolum archiducem Austriae, ejus ipsius visitationis exequendæ causa, cum litteris ad nobilitatem tuam fraternitatemque tuam nostris venire voluiimus; ex istis locis nuper ad nos reversus, multa de eximia tua in Deum pietate et erga sanctam hanc Sedem Apostolicam observantia significavit, quæ nobis magnam in Domino laetitiam attulerunt. Non quia de fraternitate tua eadem multo antea nobis explorata non essent, sed quia ipsius testimonio delectabamur, qui quæ ad nos de tua Catholicæ religionis studio afferebat, haec ipsa lui præsentis ope, ad prædictum visitationis munus obeundum præsens ipse adjutus, reipsa ita esse cognovisset. Quocirca fraternitatem tuam, debitum in Domino laudibus plurimum commendantes, certiorem facere voluiimus, ea ipsa officia, quæ nostra atque hujus Sanctæ Apostolicæ Sedis causa eidem præstitit: præterquamquod personæ sibi ab Omnipotenti Deo impositæ convenientia fnerint, nobis priuately, sicut esse debuerunt, gratissima alque acceptissima fuisse: paratosque esse nos illa, quibuscumque cum Domino poterimus, nostris erga fraternitatem tuam charitatis officiis remunerari. Quia vero maxime decel, te, qui in sollicitudinis nostræ partem a Deo vocatus es, pro ea, quam habes, non solum apud eundem archiducem, sed etiam apud istos populos auctoritate, religionis Catholicæ incolumitati consulere ac prospicere; idcirco fraternitatem tuam in Domino hortamur, ut offici sui memor, causam Dei et fortiter suscipere, et perseveranter tueri, omnibusque novarum sectarum auctoribus et conalibus obsistere vellet; præsertim his, quibus, et superioribus diebus adnixi sunt, et hoc quoque tempore adnuntiuntur, ut sibi a prædicio archiduce aliquid

concedatur, quod illis et omnibus, qui sunt ejusdem sectæ cautum sit, ne super ejusmodi earum sectis, ulla perturbatione molestiave afficiantur. Qua de re ad nobilitatem suam seribimus, et fraternitatem tuam requirimus, ut partes ipse quoque suscipiat, nobilitatis suæ, ab ejusmodi concessionibus dehortandæ, ad quæ nulli sæcularium principum licet se admisere. Quod si nobilitas sua fecerit, præterquamquod religionis Catholicæ violatae maculam Austriae familie spendori inureret; mortiferam præterea plagam, et ipsi orthodoxæ religioni in sua ditione infligeret. Qui enim nunc tamquam in honesta, tam impudenter postulare audent; quid facturi sint, novarum sectarum impunitate sibi concessa, non est fraternitati tuæ difficultile existimare. Quam et si nos sponte sua religionis Catholicæ causa non defuturam esse pro certo habemus; voluimus tamen, pro commisso nobis, quamvis indignis, Apostolicæ servitutis officio, fraternitatem tuam, ad idem præsentibus litteris magis excitare. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die secunda Martii MDLXXI, Pontific. nostr. anno VI ».

38. *Pontifex imperatorem laudat quod suis monitis obtemperaverit.* — Nulli dubium, quin apud archiducem, juxta Pii monitum, tum Bavariae Dux, tum Gurgensis episcopus optime officio perfuncti fuerint, cum id utriusque facile pietas ac religionis zelus suadere possit. At ipsa archiducis pietas, contra haereticorum conatus firmissimum orthodoxæ fidei propugnaculum fuit: ideoque ad Pontificem reserpsit, se huicunque nil in religionis detrimentum seclaris cessisse: quin nec unquam hac in re, vel minimum aliquid inscio Pontifice acturum. Quapropter Pius, tam eximium illius propositum, debitum laudibus commendandum rite censuit, ac in eo magis eum principem confirmandum, sequentibus litteris¹ duxit:

« Dilecto filio, nobili viro Carolo Archiduci Austriae.

PIUS PP. V.

« Aceperimus litteras nobilitatis tuæ quibus ad ea reserpsit, quæno super molestiae negotio ab haereticis suæ ditionis sibi superioribus diebus exhibito, pro nostra erga se paterna benevolentia, proque officio Apostolicæ servitutis, ab omnipotenti Deo nobis quamvis indignis commisso, ad nobilitatem tuam scribenda esse judicavimus. Ex quibus quidem litteris suis conuovimus id, quod jam pridem, de sua eximia erga Redemptorem nostrum pietate, singularique nostræ Catholicæ religionis studio perspicillissima habemus: nobilitatem scilicet tuam omnibus animi sui sensibus, in eam unam curram, et antea incubuisse, ei nunc quam maxime

¹ Ibid. ut sup.

¹ Ibid. ut supra.

incumbere, nequid Catholicatides in ista cuius attēo
praeposita est provincia detrimenti patiatur. Quia
in re fecit prius, et in presentia quoque facit id,
quod principe pio et Catholicō dignum est, et
a veteri clarissimorum majorum suorum ortho-
doxæ religionis zelo non discedit. Itaque nobil-
itatem tuam, debitis in Domino laudibus com-
mendantes, gratias agimus omnipotenti Deo,
qui his perturbatissimis reipublicæ Christianæ
temporibus, tantum nobis in illius pietate ac
virtute presidii ac solatii misericorditer collo-
cavit. Quod autem eisdem litteris nobilitas tua
nobis confirmavit, se, nonnisi praescientibus no-
bis quidquam in causa religionis novi conces-
suram esse; id neque inviti in presentia acci-
pimus, et quod ea ipsa de re, iterum ad nos scri-
bere, sententiamque nostram exquirere velit,
vehementer laudamus. Interea tamen, partes
ipsi nostras, quas sine Dei offensione non pos-
sumus, prætermittere nolumus, quin nobilita-
tem tuam, quam singulari quodam paternæ
charitatis affectu in Domino diligimus, studiose
etiam hortemur, ad eamdem quam hucusque
præstítit, adversus novarum sectarum impor-
tuna postulata constantiam et perseverantiam,
in posterum quoque retinendam. Quas ut liben-
tius alacriusque faciat, nobilitatem tuam consi-
derare volumus, quod ipsa quoque in litteris
suis testificatur, hujus constantiæ perseveran-
tiæque fructum maximum uberrimumque se
habere; religionem videlicet Christianam, a
principio sui regiminis ad hoc usque tempus,
illibatissimam, ut scribit, conservatam. A qua
constantia si nobilitas tua quibusvis novarum
rerum studiosorum importunitatibus expu-
gnata recesserit, primum quidem auctoritatem
majestatemque sui principatus infringet, qua
ad populos in officio debitaque erga principes
suos reverentia continenda maxime valet; dein
de religione ipsi in ipsa sua ditione mortiferam
plagam infligeret. Ut enim ea, de qua scribit, in-
clytae memoriae patris sui, propriaque in novis
sectis dissimulandis conniventia, ad reliquias
Catholicorum in istis partibus conservandas
aliquid profecerit; quod nos tamen nobilitatem
tuam, non temere affirmare, sed ita persuasum
habere existimamus; ipsa certe concessio, qua
corumdem non solum impunitati, sed etiam
tranquillitati consuleretur; sine ullo dubio ei-
dem Catholicæ religioni in ista provincia inte-
ritum allatura esset. Nobilitas autem tua eas,
quibus ab ipsorum improbitate afficitur mole-
stias, quia præsentes sunt, fortasse nimis con-
siderare cogitur; mala vero, quæ ex hujusmodi
concessione evenire necesse est, quia nondum
præsentia sunt, non tantopere timentur; sed ta-
men est prudentiæ suæ, non solum præsentem
populorum suorum statum, sed etiam eum, qui
ejusmodi concessione facta futurum esset, di-
ligenter animadvertere. Illud quoque memine-

rit nobilitas tua, ad vitanda quevis pericula
atque incommoda, sibi a populis istius ditionis
sue imminentia; nullum se magis periculum
habere posse, quam si quam Orthodoxam fidem
semel corde suscepit ad justitiam, eamdem
semper ore non profiteatur ad salutem; quod
certe non faceret, si quidquam illis novi contra
illam concederet. Ut enim nihil perniciösius
esse potest, quam Deum omnium bonorum au-
torem relinquere; sic vanum est majorem ab
hominibus quam ab eo spem expectare, qui et
potior est cunctis hominibus, et dat salutem
regibus, et eos qui in eo confidunt beatos fore
prædicti. Cujus rei nobilitatem tuam memorem,
nihil unquam factoram esse pro comperto ha-
bemus, quod divinam illius majestatem offendere,
aut perpetuum Catholicæ fidei maculam
clarissimæ familiæ tuæ incurere possit. Datum
Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die
ultima Maii MDLXXI, Pontificat. nostr. anno vi».

59. Et quidem, nec ex nostris scriptori-
bus aliquis, et, quod magis est, nullus haereti-
corum, qui ex more relatum de adeo Catholicō
principe triumphi tuba canere ac jactare
minime prætermisisset, si quid vel minimum
ab eo iidem haeretici obtinuissent; nil omnino
in sectarum commodum factum, aut ab Archi-
duce Carolo statutum memorat. Quare ipse, ut
audisti, paulo post, ob Religionis Catholicæ
studium, ab amplissimo cardinali Hosio præci-
puis laudibus commendari meruit; unde rite
elicitur, ad expugnandum ipsius constantiam
sectoriorum conatus omnes irritos evasisse.

60. *Hosius gratulatur Mendozx quod aver-
terit imperatorem a concedenda Bohemis Con-
fessione Augustana.* — Nec minus strenue co-
rumdem audaciam hoc ipso tempore compres-
sit Maximilianus Cæsar ipsius frater, in comitiis
Bohemicis mente Junio habitus, nobili siquidem
Bohemoru[m] globo, Augustanam Confessionem
petenti, eam gravi ac severa oratione pernegav-
it. Cumque ex iis impudentior quidam, inter
postulati causas, ausus esset addere, quod idip-
sum gratum Maximiliano futurum esset, ea lo-
quendi licentia graviter Cæsar ipse suboffensus,
mentiri hominem respondit, ac iniquam postu-
lationem indignatus rejecit. Avellaneda Socie-
tatis Jesu alumni potissimum opera, Maximilia-
num tam egregium Catholicæ religionis speci-
men dedisse, Sacchinus ¹ scribit. At, ex cardin-
alis Hosii testimonio, alias commemorato,
Francisco de Mendoza Montisacuti comiti, et
apud Caesaream Majestatem Catholicæ regis ora-
tori, in ea re plurimum est tribuendum. Ab exi-
mio enim studio, quo illis comitiis Orthodoxæ
religionis negotium is gesserat, licet sibi nulla
familiaritate conjunctus esset, sequentem ad
illum Epistolam scribere Hosius quodammodo
compulsus fuit, ut ab ipsa intelligitur:

¹ Sacchin. Histor. Societatis Jesu p. 3, hb. VII, p. 342, n. 62.

Credibile non est quantum ex ea re voluptatem acceperim, quod maiestatem Cæsaream aperie Christum confiteri audio. Nam proximis superioribus annis fuit quocunq; opinio, quod, quamvis ipsa Catholicum se præstaret, subjectis tamen sibi populis, hæc ipsa parte, nimio plus indulgere videretur. Itane suspicioneum dituisse penitus proximis hisce diebus videtur, quando cum nonnulli peterent, ut sibi quoque tecum reliquere fidem Christianam, et sequi perfidiam Augustanam; non modo tate nihil petitioni eorum concessit, verum etiam graviter eos objurgavit, quod eo venissent impie-talis et impudentia, ut pro fide perfidiam sibi concedi postularent. Praeclarum est hoc imperatoris Catholicæ factum, et omni laude celebrandum. Quoniam vero tales, ut se præstaret, aper-teque Christum confiteretur, neque sibi cum Islebiensi antichristo communè quidquam esse palam omnibus faceret; id magna ex parte singulari studio dominationis vestre perfectum esse dicitur, quæ suis prudentissimis ad eam rem consiliis, illius maiestati priesto semper adest; equidem tenere me non potui, quin etiam ardenter hunc tuendæ conservandaque Christianæ fidei zelum, litteris hisce meis gratularer. Nam et si mihi cum dominat, vestr. nulla familiaritas intercessit, nec eam vel de facie saltem unquam cognovi, tamen excellens haec illius virtus, et minime vngare studium tuendæ fidei Christianæ, nomen illius tam reddit illustre, praesentem ut contemplari, et in amplexus viri tanta pietate prædicti ruere mihi videar. Quantquam etiam superiore anno, ex patre Joanne Polanco nonnihil audiveram, quod ad comitia Spirensia missus fuerit, ad maiestatem Cæsaream, a vere Catholicæ rege vir quidam, et genere illustris, et pietate multo magis illustris, qui zelo quodam arderet incredibili, perfidiam omnem haereticam abolendi, fidemque Christianam in iis locis, in quibus, proh dolor! veleno-menter est collapsa, restituendi. Nunc video præclara ejus rei fundamenta, per dominat, vestr. quam ille tantopere prædicabat, jaeta: quam quidem ob rem plurimum illi gratulor, ac serenissimum regem illum, qui non magis nomine, quam re, se vere Catholicum declarat, satis laudare non possum. Qui quibus in locis labefactatam Christianam fidem, et ex ea ludum fidium lactum esse videt, ad ea tales mittit oratores, qui non magis de privatis suis, regnique sui negotiis, quam de publica totius orbis Christiani causa, nimurum, de Christiana fide promovenda atque tuenda, sint solliciti. Servet Deus plenissimum regem hunc in multis annos incolument et felicem, qui non solum novum quemdam orbem, ad fidem Christianam conver-tendum, verum et veterem, cuius Germania non postrema pars est, in ea tanto studio refinendam curat. Ex Turcis et Mauris devictis, majorem is

laudem et gloriam non reportabit, quam si perfecerit, ut isti Genevenses et Islebienses Antichristi debellentur; et eorum loco, sicut factum est memoria patrum, et avorum nostrorum, aperie Christus ubique prædicetur. Neque debet illius maiestas dubitare, quanto magis in curam hanc incunerit, quin illi contra veteres Christiani nominis hostes, quibuscum nunc bellum gerit, omnia tanto felicius sint eventura. Nihil est autem, quod miretur dominat, vestr. cum mihi nihil cum illa unquam intercesserit, quod nihilominus ad eam ita libere scribo. Nam hoc dominationem vestram scire volo, quod etiam patria mea, quicumque sunt in religione motus excitati, non aliunde fere, quam ex hæ vicinia profecti sunt. Quod enim concessum esse finitimi-videbant, id ut sibi quoque concederetur, jure se postulare persuasum habebant: adeo verum est quod Proverbio dicitur: *Aliquid malum propter vicinum malum.* Quid si constans, ut sit in hoc tam sancto instituto suo Cæsarea maiestas illi persuadebit, non solum Bohemiam et alias provincias illi subjectas, verum et Poloniæ in fide Catholicæ conservaverit; et multos errantes in viam reduxerit; quo nomine plurimum illi debemus omnes, nec erit quicquam, quod ad comparandam sempiterni nominis gloriam dominat, vestr. magis pertinere queat. Ab illustri dominat, vestra peto, si qua in re consilio illius et auxilio rev. D. orator serenissimi regis mei uti voluerit, ut ei deesse ne velit. Si quid erit vicissim, in quo ego dominat, vestr. possim hic inservire, semper me promptum et paratum offero. Datum Roma x Junij MCLXXI.

61. *Sedes Viennensis in Austria diu ræcat propter excelsum quod coeat regimen, cui subjicere certant politici cæteras etiam sedes episcopales.*
— Quantu aulem fecerit Mendoza hanc Bosii Epistolam, ac laudari a tanto viro, ut idem Bosius erat, pietate ac eruditione toto Christiano orbe clarissimo, litteris ad illum redditis significavit: ex quibus vicissim Bosius majora audiendi pro fide Catholicæ ac Ecclesia animum sumens, altera ad eundem data Epistola urgere non prætermisit, ut apud Maximilianum operam invaret, ut idem, ipsum, quem Pragæ ostenderat fidei ac religionis zelum, tum in aliis suæ ditionis locis, tum præcipue Viennæ demonstraret. Ea siquidem in urbe, Cæsarum imperiali sede, errores impune versari videbantur: et ipsa a decem et amplius annis proprio viduata pastore ac episcopo, lupo rum incursionibus, ac a singulari fera depasta conspiciebatur. Nullus vero ipsi præpositus a Pontificibus Romanis fuerat præsul, propter excelsum quoddam regimen, quod supra episcopum ipsum, dominationis ini-quissimum jus exercere ac sibi vindicare præsumperat; cui etiam episcopi cæteri, per vim sese subjicere compellebantur. Ad tollenda igitur gravissima hæc mala, quam innuimus Epि-

stolam ad Mendozam scripsit Hosius, ut ille, mimirum, pro viribus conuleretur, ut ipsa auferrentur. Eiusmodi ea fuit :

« Gratas accidisse litteras meas dominat, vestr. gaudeo; sum etiam quod Praga Viennam incolumis venerit, gratulor. Sed et illud non potest mihi non esse gratum, quod ei lucubrationes nostras probari video, in quibus scribens dis, non aliud certe spectavi, quam ut eos, qui doctrinis variis et peregrinis abdici fuerunt, in patria mea praesertim, in viam reducere, et fluctuantes in prisa religione conservare possem. Nec enim aliis, quam Polonis meis haec scripta sunt. Si vero non improbantur etiam his nationibus in quibus multi, sicut ingeniis, ita judicio doctrinaque longe sunt praestantissimi, tanto maiores Deo, cuius hoc est beneficium, ago gratias. De Cesarea majestate, semper ego praelare sensi, cum si excellenti quodam ingenio, minime vulgari prudentia, pietate quoque singulari praedita. Sed visatamen est eanomnillis paulo cum illis remissius agere, qui Christi rejecerunt Evangelium, et in aliud cuiusvis potius, quam Christi Evangelium se transferre passi sunt. Quod ego non alimide natum esse polo, quam quod cum suis subditis indulgentius in causa religionis ageret, quam imperatoriam majestatem decere viderefur. Ceterum in proximis superioribus comitiis Pragensibus, virum se praelestil, vereque se Catholicum imperatorem declaravit; quod cum singulari studio dom. vestr. factum fuisse cognovissem, non potui tam praelarum hoc officium illi non gratulari plurimum. Cuiam autem, quod fecit Pragae, faceret idem Vienne quoque, quae civilas cum sit sedes imperialis, quodammodo religionis exemplum aliis eliam esse deberet; cuius quis sit status, nihil est quod ego scribam. Videlicet ipsa suis oculis domin. vestra, videt et ingemiscit procul dubio, civitas haec sedes imperialis est, et episcopum non habet jam inde a decem et amplius annis; cuius rei non minimus causa esse creditor, quod est ibi quoddam, ut vocat, excelsum regimen, quod episcopum habere sibi subiectum velle dicitur. Quod quoties illi visum est ut se sislat coram excuso regimine, mandat, ac formulas illi religionis prescribit, et quid et superiori loco docere populum debeat, eum instruere conatur; quasi vero legem ex hujus excelsi regiminis, non autem ex ore sacerdotis requirere, Scriptura doceat. Quod eliam ipsis Lutheranis, quamvis a fide Christi sint alieni, prorsus intollerabile videtur, quemadmodum ex scheda litteris inclusa, dominal. vestr. cognoscet. Cum ante biennium fere, per quasdam terras inelyta Austriae domini iles facerem, audiui quemdam insignem episcopum, sororis Cesareae majestatis filium, cum nescio que profana

causa iudicio disceptare, coactum ab excuso regimine luisse, ut personaliter compararet; cumque ille recusaret, utque per procuratorem agere sibi licet nullum instaret, et idem perleret illust. P. ejus, quo nullus nunc est in Germania princeps, pietate praestantior, et qui maiore studio Christianum religionem tuendam et propagandam euret, nihil apud hoc excusum regimen proficere poluerunt. Coactus est ille, et episcopus, et Cesareae majestatis nepos in civili causa coram, apud excusum regimen se sistere. Mihi quidem haec barbara quaedam immanitas, et immanis esse barbaries videtur. Et apud Indiaeos, et apud Ethnicos etiam, semper hui magna episcoporum et sacerdotum reverentia; nec in illos juris quicquam civilis magistratus vendicabat. Quare si vult dominat. vestr. de universa Germania benemereri, Deoque cum primis gralum sacrificium offerre; et operam, ut episcopum ista civitas habere possit, in qua sedem imperii sui majestas Cesarea collocasse videtur. Episcopum autem, nisi salvis Ecclesiasticis iuribus et privilegiis haberi vix poterit. Quis enim volet ibi episcopum agere, ubi magistratum civilem, sibi, quod est proprium episcopi manus, viderit usurpare; magnam ex ea relandem apud homines dominat. Vestr. consecuta fuerit, magnam eliam Dei sibi gratiam conciliaverit etc. Datum Sublacis, septima die Septembris MDLXXI.

62. *Cardinalem Madrucium Ecclesiae sue Tridentinæ possessionem non continentem, Romam redire permittit Pontifer.* — Et quia de illata a Viennensi magistratu episcopali dignitati iam enormi injuria Hosius justissime, ut audisti, hic queritur; ad toties memoratas Tridentine Ecclesiae pressuras revocamus, cum ejus siquidem libertalem ac jura opprimere vi, ac sibi vindicare archidux Ferdinandus contendere. Neque enim ad dissidium id compонendum, aliquid contulit, Pio suadente, Viennam ipsum cardinali Madrucium episcopum (ut narravimus) petiisse. Quare, ubi se olem et operam perdidisse cardinalis ipse cognovisset, discedendi ex Cesarea aula facultatem a Pontifice petit, ut se denuо Romam conferret. Petitioni ejus annuens Pontifex hanc ad Madrutm per breve dedit Epistolam, qua dolet, poset tot ab eo pro Tridentina Ecclesia suseptos labores, adhuc illius possessionem oblinere minime quivisse. Epistola ¹ talis est:

« Dilecto filio Ludovico cardinali Madruti vocalo.

PH. PP. V.

« Dilecle fili, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Graviter ac moles tui limus, circumspicionem tuam, tot tantisque laboribus frustra

¹ Epist. Hosii 149, p. 319.

¹ Exstat in Reg. Vatic. ut sup.

susceptis, Ecclesiae sua Tridentinæ possessio-
nen adhuc obtinere non potuisse; idque tum
sua, tum Ecclesiae ipsius causa. Sed quanto
hoc ita, quod dolemus accedit, circumspectio-
nen tuam paterne monemus, ut quæ accide-
runt humaniter ferat. Interea consilium aliud
probamus, ut ad nos, uti primum commode
facere poterit, proficiscatur. Nos enim eam
libenter visuri sumus, quemadmodum antea
fecimus. Datum Romæ apud S. Petrum sub
annulo Piscatoris, die xxvi Aprilis m̄dxxi,
Pontificat. nostr. anno vi». At ad Hosii Epistolam
redeamus.

63. *Ernestus, episcopus Frisingensis, licet imperatoris nepos, coram tribunali excelsi regimini adstare cogitur.* — Episcopum, Maximiliani Cæsaris nepotem, filiumque principis, quo nullus tota Germania erat, vel pietate præstantior, vel qui majore studio Christianam religio-
nem luendam ac propagandam curaret, Ernestum forte, Alberti Bavariae ducis filium, episco-
pum Frisingensem extitisse arbitramur; qui licet, ob insignia patris merita, ac sanguinis propinquitatem præcipuo honore coli ac vene-
rari debuisset, tamen eo invaluerat in excelsio illo magistratu, dignitatem episcopalem pessum-
dandi luxuria, ut cæteris posthabitis, illud tan-
tum specclaretur.

64. *Queritur Hosius quod in Indice librorum in Bohemia vètorum, nulla facta sit mentio librorum Luthèranorum.* — Nihilominus, præ-
ter id, quod laude dignum, pro religione in Boemicis comitiis egisse Maximilianus hoc anno visus est, factum quoque ante ipsa inve-
nimus, ut bibliopolis prohiberetur, ne impro-
batæ lectionis libros divenderent; qua de re
Pius jampridem monuerat Antonium archie-
piscopum Pragensem¹, inter cætera, ista ad
eum scribens: «Præterea curare te oportet, ut in urbe Praga, aliiisque Bohemiae locis, ha-
beantur indices sive catalogi librorum, quorum lec-
tio prohibita fuit; ut Catholici noscant, a quibus libris abstinere debeant». Idecirco exis-
timare non dubitamus præfatum decretum,
opera potissimum ejusdem Pragensis archiepis-
copi produisse (licet ad alias eliam ditionis
Austriacæ regiones se extenderit), eo magis,
quod Melchior Bilius ad cardinalem Hosium
scribens, præcipuum ipsius archiepiscopi ze-
lum ac pietatem commendans, illum quoque
huic rei toto conatu incubuisse, non immerito
censendum videatur. In decreto autem prohibi-
tionis hujusmodi, unum nihilominus Hosius
idem animadvertisit, quod animo illius mærori
simul ac admirationi fuit; nam Zwinglistarum
ac Calvinistarum librorum lectio ac venditio
quidem expresse inhibebatur, de Luthèranorum
autem scriptis, nulla prorsus mentio occurrebat.

Quapropter Bilius ejusdem Epistolis respondens, gravissime de hac re queritur sequenti Epistola, quam etiam dignis laudibus, tum ipsum Bilium, tum memorialum Pragensem antistitem prose-
quitur; illosque insuper hortatur, ut qua possunt strenuitate, pro novi Viennensis episcopi electione laborent; ac de causa Olomueensis episcopi, quam alibi memoravimus, optimum jam exitum obtinuisse ipsius Bilius opera sibi persuasum esse, in hunc modum dicit¹:

« Sollicitudinem hanc dominat. vestr. de religione tuenda et conservanda salis laudare non possum. Facit enim, quod verum et tide-
lem S. Sedis Apostolice legatum facere decet. Quæ vero scribit de domino archiepiscopo Pra-
gensi, magnam animo meo voluptatem attule-
runt, cum præsertim is per me consecratus fuerit Viennensis episcopus. Quamobrem vehe-
menter exhilaror, cum ita prædicari pietatem ac religionem illius audio. Utinam opera vestra
mutua perfici queat, ut aliquis Ecclesiae Vie-
nensis pastor et episcopus idoneus constituantur!
Quæ cura, quamvis ad dominat. vestr. spectet,
non minus tamen pertinere videtur ad ipsum
dominum archiepiscopum, qui decimo abhinc
anno, Ecclesiae illi renuntiavit, ut omnem
diligentiam adhibeat, quo possit idoneum ha-
bere successorem. Est enim verissimum, quod
haec decem jam annorum vacatio, non potuit
illi civitati maximum detrimentum non afferre.
De causa domini episcopi Olomueensis mihi
persuadeo, quod ea, palocinio dominat. veslr.
jam est optatum exitum consequentia. Decretum,
quo prohibentur bibliopolæ, ne libros hereti-
corum divendant, eujus exemplum se mittere
mihi scribit, non vidi; nam in ea scheda, quam
his litteris adjunxit, non sit expressa mentio
nisi de Zwinglistis et Calvinistis; de his vero,
ex quibus ii nati sunt, Lutheristis, verbum mul-
lum; quasi vero magis ii tolerandi sint Calvi-
nistis, quibus nihil sunt meliores, fortassis
etiam deteriores. Quis enim alias fuit, qui
omnem agnitionem Dei prorsus ex Ecclesia
primus tolleret, præter Lutherum? qui cum
sacerdotium et sacrificium sustulerit, externum
discrimen omne sustulisse videtur, quo Dei
cultus ab eo cultu, qui recte præstatur homini-
bus, discerni possit, ut mihi nihil aliud, quam
Atheismum docuisse videatur. Fecit autem hoc,
a magistro suo Diabolo edoctus, sicut in libro
suo quodam fatetur ipse: quem etiam palrem
illius fuisse, viri multi graves, et fide digni
scriptum reliquerunt: nam, ex Inuenbo, et ex
impura muliere quadam natum esse constat:
et hujus tamen verbum, quo nihil impurius,
nihil arrogantius, nihil sceleratus, haec nostra
sæcula produxisse videntur, Dei verbum, et
Christi Evangelium quidam vocare non verentur.

¹ Apud. Goub. Epist. lib. 2. Epist. 14.

¹ Epist. Hosii 144, pag. 299.

“ Cum legerem Disputationem Aldemburgensem, plus minus quadraginta reperi locos, in quibus Christus cum Lutherio conjungitur, et cum Verbo Dei, Verbi gratia: contra Christum et Lutherum; teste Lutherio et Scriptura sacra; Scriptura et Lutherus; juxta Verbum Dei et Lutheri; ex Verbo fœti et Lutheri; ex ipso Verbo Dei et Lutheri; cum Verbo Dei et Lutheri; Christus et Lutherus; ut nos docent Christus et Lutherus; non est discipulus Christi et Lutheri; Deus et Lutherus; cum Dei ipsius, tum Lutheri testimonia; acquieavit Spiritui Sancto Philippus et Lutheru; ipsi Filio Dei et Lutheru cogentur Eberiani rationem reddere, etc. Quia potest esse major impietas, quam quod eodem loco habeant Antichristum Islebiensem, ex Diabolo natum, quo Christum Deum verum, ex vero Deo progenitum? *Misericordia Domini quia consumptio non sumus.* Misericordia Domini, quod terra nobis non dehisevit, cum eæ tam impiæ tamque blasphemæ voces dicuntur et audiuntur. Quod si non aliud impius hic et nefarius scelus patrasset, quam quod perpetuam professus continentiam et voto castitatis obstrictus, contra jusjurandum suæ religionis, perfractis pudoris repagulis, ac ruptis pudicitiae claustris, cum nonna sive sanctimoniali suam libidinem explevit, et huic incesto sacrilegio, conjugii nomen prætexuit; vel hoc solo nomine dignus erat, quem tanquam pestem aliquam abominarentur et execrarentur omnes: cum etiam apud Ethnicos tam fuerit hoc delestabile facinus existimatum, ut si qui fuissent in eo deprehensi, vivi defoderentur humo. Et extant etiam leges imperatoria, jam inde a mille ducentis annis late: Si quis, non dicam rapere, sed attentare tantummodo jungendi causa matrimonii, sacerdissimas virgines ausus fuerit, capitali pena feriatur. At nunc monstrum hoc horrendum, immane, ingens, non solum quas fuit meritus penas effugit vivus; verum etiam Christo Dei Filio, diaboli filius jam ad interos detrusus, exæquatur: nec audent cum Christiani principes, inter hæreticos numerare, qui tons caputque fuit hæresum omnium: qui præter alia multa flagitia, rusticos contra nobiles, nobiles contra dominum suum, cui jurejurando fuerunt obstricti, nunquam satis laudatum plenissimum illum Carolum imperatorem, ut arma sumerent, concitatavit. Mihi vero multo rectius videretur, ut hoc genus edicti non promulgaretur, quo canonizari quodammodo Lutheri scripta videntur, dum solius Zwinglii et Calvini libri prohibentur. Primo loco debebant ponî Lutherani, postea Zwingiani et Calviniani. Hoc demum edictum fuisse Christiano principe dignum. Sed ego tamen bona spe sum, etiam Lutheri libros, brevi prohibitum iri, quandoquidem Lipsiæ graviter interdictum esse dicitur, ne quis illum auctorem citare, vel in scholis,

vel in templis audeat. Quod autem citatur nihilominus Philippus, quem in Calviniana perfidia mortuum esse constat; hoc huic Edicto prorsus contrarium est, nisi quod inter Lutheranam et Calvinianam perfidiam ego discrimen video nullum. Nam si panis manet in sacrosancta Eucaristia, cum dubium esse potest, quod ibi Christi Corpus non est? Incarnatum enim esse Christum legimus: impanatum autem, nec in Scripturis, nec apud illum Catholicum doctorem videre licet; ut cum jure merito rideant Calvinistæ. Quamobrem, si dominus archiepiscopus instat, ut prohibeantur hæreticorum libri, primo loco Lutheranos enret nominandos. Quod si non potest impetrare, satius est, ut liberum cuique permittant, etiam Calvini libros, qui nihil deterior est, legere. Mirum est autem, quod cum ipsi Lutherani doctores, sicut in Aldemburgica disputatione videre licet, invicem se condement hæreseos, Eberianos Flaccianos, Pelagianismi et Calvinismi: Flaccianos Eberiani, Manicheismi et Arianismi, et excommunicent etiam, et ex Ecclesiis suis utrique alteros ejiciant, nec illa major veritas ab illis proferatur, quam cum se mutuo vocant hæreticos, quorum libri prohibendi sint, in suis editis recensere. Quamobrem ubi Lutheranos nominari non video, nullum edictum contra hæreticos factum video; nee est quod quisquam ullam, vel apud pios laudem, vel apud Deum mercedem se consecuturum speret, quondiu non percererit, ut quoties hoc genus edicta scribuntur, primum inter hæreticos omnes locum Lutherani, qui sunt principes omnium, obtineant. Et certe cum ante sesquiannum Viennam fuisse, fui non parum admiratus, quod cum apud Caleographos pestilentissimos quoque Lutheranorum libros, in Ottocinis Bibliopolarum reperire licet, nulli tamen inter eos Calvinianorum libri visi fuerint, qui nihil Lutheranis deteriores judicari possint. Romæ xxviii Aprilis MDLXXI.”

65. *Lutherum ex impura muliere et dænone incubo natum Hosius promuntiat.* — An vero prudentissimis suis commonitionibus aliquid proficerit Hosius, vel apud Caesarem Pragensis archiepiscopi et Billii officia, incompertum. Illud vero cursim prætereundum non videtur, quod de Lutherio, ex Incubo et impura muliere nato, idem Hosius in hac Epistola memorat; ne forte, non modo mere excogitatum a nostris, verum etiam, quod fieri nequiviter, alicui videri possit. Hac igitur de re agens Augustinus, lib. xv, cap. 23, de Civitate Dei, ista habet: “Et quoniam cereberrima fama est, multique se expertos, vel ab eis qui experti essent, de quorum fide dubitandum non est, audisse confirmant, Sylvanos, Panes, et Faunos, quos vulgo *Incubos* vocant, improbos saepè extitisse mulieribus, et earum appetuisse ac peregisse conenbitum:

et quosdam Dæmones, quos Dusios Galli numerant, hanc assidue immunditiam, et tentare, et efficere plures talesque asseverant, ut hoc negare impudentiae videatur; non hinc, etc. ». Quæ Augustini verba, disertissimus ejusdem Scholiastes Leonardus Coquæus, sic illustrat: « Supra, lib. viii, cap. 4, videtur dubitasse, (nempe Augustinus,) an essent *Incubi*, et *Succubi*. Verum hoc loco asserit esse adeo certum, ut sine impudentia negari non possit. Egyptii incubos esse fatentur, sed succubos negant. Graeci fatentur utrumque, imo quedam sunt gentes, quæ gloriantur se a Dæmonibus originem habere: ita referunt Martinus del Rio, lib. vii. Disquis. Magic., quæst. 15. Clivensium Ducum Stemma, huc retulerunt nonnulli. Inde etiam fortasse natæ fabulæ Poetarum, quod homines a Diis geniti sunt. Egregiam vero laudem, quasi non satius foret referre originem suam in prædones ac perditissimos homines, quam in ejusmodi nefarios spiritus, Dei Creatoris sui, ac generis humani infensissimos hostes. Hanc sententiam D. Augustini, de *Incubis*, et *Succubis*, sequitur communis schola theologorum. Ballensis I. p. Quæst. 78. D. Thomas, Bonaventura, Scotus, Durandus, Gabriel in 2 dist. 8. Abulens, in cap. 6 Genes. Quæst. 8, cap. 7, et cap. 7 Exod. quæst. 12. *Incubi* autem Dæmones dicuntur, quando mulieribus commiscentur, quando vero viris, et patiuntur muliebria, *Succubi*; et idem Dæmon, qui est primo *succubus* ad virum, est postea *incubus* ad mulierem, in quam transfundit semen a viro recisum. Haec D. Thomas p. part. Quæst. 51, art. 2, ad. 6. Neque vero, qui ex hujusmodi semine, recepto primum a viro, et postea transfuso in feminam per Dæmonem generarelur, dicendus esset filius Dæmonis; sed illius, a quo semen recisum est, ut docuit D. Thomas loco citato, et quodlibet 6, artic. 8, ad 6, et colligitur ex doctrina D. Augustini, lib. 3, de Trinitate, cap. viii et xiv ». Sie ille, et nos de his obiter satis, occasione Lutheri, quem ex impura muliere et incubo natum Hosius retulit.

66. *Decreta Concilii provincialis Salisburgensis, a Sancta Sede approbata, observari curat Pontifex.* — Pontifex aulem hoc anno totus in eo fuit, ut provincialis Concilii Salisburgensis decreta, quæ anno præterito sancita fuerant, in mores inducerentur; eaque de causa, ista ad Maximilianum Cæsarem¹ scripsisse reperimus:

« Charissimo in Christo filio Maximiliano, in Romanoruim imperatorem electo.

PIUS PP. V.

« Charissime in Chrislo fili nosler, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Magna cum animi nostri lætitia cognovi-

mus venerabilem fratrem nostrum archiepiscopum Salisburgensem, in provinciali sua Synodo ex sacr. Cone. Tridentini decreto superioribus mensibus convocanda et celebranda, digna pastorati sua sollicitudine curam diligentiisque adhibuisse. Quia vero pro comperto habemus ejus ipsius Synodi decreta, si ad effectum adduci poterint, moderandis clericorum laicorumque Germanicorum moribus, corrigendis excessibus, componendisque controversiis, quæ omnia provincialibus Conciliis proposita esse solent, magnopere tore utilia: idecirco majestatem tuam vehementer in Domino hortamur, ut pro sua erga Deum Omnipotente in pietate, animarumque salutis studio, velit ordinariis illius Provinciæ, ad exequenda tam salutaria Synodi decreta, omnem opem, potestatem auctoritatemque suam præstare. Quod quidem majestas tua ea maxime ratione consequetur, si earundem civitatum temporalibus rectoribus, per litteras mandabit, ut non modo impedimento non sint episcopis, quo minus libere, ut decet, exequi possint ea, quæ corrigendo clero, emendandisque populorum diæcesi sue subjectorum moribus, accommodata esse judicaverint; sed etiam, ut idem facilius facere possint, temporali eos auxilio ac potestale juvare non prætermittant. Hoc enim, si ab eis factum fuerit, non dubitamus eam rem, ad tollendas hæreses, ad tuendam fidem Catholicam, ad pioum omnipotentis Dei cultum in tanta caligine retinendum, magnum esse adjumentum afflaram. Si vero (quod non putamus) secus fieret, parum, aut nihil prefuturum est celebratum esse ab eodem archiepiscopo provinciale Concilium; quandoquidem ea, quæ in eo statuta sunt, sine temporalium magistratum ministerio habere executionem nullo modo possunt; quibus ut voluntatem suam in adjuvandis locorum ordinariis significet, majestatem tuam valde rogamus. Quam quidem, et si eo divini honoris zelo præditam, eoque Catholicæ religionis studio incensam esse sciamus, ut hæc ipsa, ad quæ illam hortati sumus, sponte sua faclura fuerit; tamen tali tempore officii nostri partes prætermittere uoluimus neque debuimus. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xv Febr. MDLXXI, Pontific. nostr. an. vi ».

67. Ejusdem Concilii Salisburgensis causa, sub ipsa die, alias etiam Pontificem litteras dedisse, ad Ferdinandum et ad Carolum pariter Austriæ archiduces, uecnon ad Alberum Bavariæ ducem; legitur ac adnotatur in Regesto Vaticano, unde præfatam ac sequentes Epistolas decerpsumus hic inserendas. Nam ad ipsum Salisburgensem archiepiscopum¹, qui Concilium idem coegerat, in hunc modum scripsit:

¹ Ibid., ut supra.

¹ In Regist. Vatic. sign. 2913.

«Venerabili fratri archiepiscopo Salisburensi.

PIUS PP. V.

«Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

«Quia compertum habemus provincialibus Synodis illud esse propositum, ut in moderandis moribus, corrigendis excessibus, componendisque controversiis versentur; ac propterea, non sine maxima causa a sacro Tridentino Concilio decretum esse, ut singulis trienniis celebrentur; ea de causa, magnam in Domino laetitiam accepimus, cognoscentes fraternitatem tuam, in provinciali tua Synodo nuper convocata et celebrata, dignam pastorali sollicitudine diligentiam curamque adhibuisse. In qua quidem Synodo, quod ea decreta fuerint, quæ luendæ fidei Catholice, heresibus tollendis, corrigendis moribus, accommodatissima esse dicuntur; hoc prudentia, constantia pietatisque tuae polissimum acceptum referimus, ejusque rei nomine, et Omnipotenti Deo bonorum omnium auctori gratias agimus, et fraternitatem tuam, debitum in Domino laudibus commendamus; cuius sacerdotalis zelus, et in grege sibi a Redemptore nostro commisso custodiendo vigilantia, eo majoribus est laudibus prosequenda, quo propter multiplicium heresum venena, talibus remediis istius provinciae mala magis indigere cognoscuntur. Praestat nunc, ut quæ tam salutariter tamque utiliter in ea Synodo, communii coepiscoporum tuorum consensu statuta esse intelligimus, haec, ut ab omnibus his, qui tuæ diœcesi subjecti sunt, fideleriter observenlur, omni studio diligentiaque efficere contendas. Quam quidem ad rem, fraternitatem tuam sic hortamur, ut eam meminisse velimus, frustra tot tantosque ab ea labores in celebranda Synodo susceplos fore, si ea, quæ recte statutis rebus maxime desideratur, executio defuerit. Proinde necesse est, ut non solum ipse, pro tua parte cures ea, quæ semel decreta sunt servari; sed etiam cœteros coepiscopos tuos, qui eis ipsis decretis sanciendis interfuerint, ut idem faciant, diligenter admonicas: quod eo quoque studiosius diligentiusque fraternitatem tuam facere volumus; quia pro comperto habemus, eorum ipsorum decretorum executione, et cœtera, quæ refinendæ in ista provincia religionis Catholice causa, præclara effici possunt, ex fraternitatis tue potissimum auctoritate pendere; quippe cui, ad bene de Ecclesia Dei deque hac Sede Apostolica merendum, neque voluntas neque facultas desit. Haec igitur, venerabilis in Christo frater, utique alia sunt officio pastorali digna, quod tibi ab Omnipotenti Deo commissum est, sedulo meditare, et exquirere, alque ad gregis fidei tuae crediti curam constanter invigila: eos qui integrum incorrup-

tamque fidem Catholicam hucusque servaverint, ad perseverantium hortare; errantibus ad Ecclesie gremium revertendi viam ostende; denique nihil earum rerum praetermitte, quæ animarum pretioso Redemptoris nostri Sanguine redemptiarum, saluti necessaria atque utilis esse judicaveris: ut eo copiosius remunerationis mercedem expectare possis, quo ubiores advenienti aeterno judici laboris sui fructus obtuleris. Datum Roma, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die xv Februario m DXXI, Pontificatus nostri anni, vii.

68 De iisdem etiam rebus, occasione ejusdem Concilii, admonuit Urbanum episcopum Passaviensem, Davidem episcopum Ratisponensem, Joannem Thomam coadjutorem Brixensem, Ernestum, quem paulo ante memoravimus, administratorem Frisingensem, Urbanum episcopum Gureensem, Christophorum episcopum Chiemensem, Petrum episcopum Secoviensem, ac denum Georgium episcopum Lavantinensem: uti etiam capitulum et canonicos Passavienses, Ratisponenses, Frisingenses et Brixinenses. Quæ vero ad Salisburgenses scripsit, ejusmodi fuere:

«Dilectis filiis capitulo et canoniciis Ecclesiæ Salisburgensis.

PIUS PP. V.

«Dilecti filii, salutem et Apostolicam benedictionem.

«Posteaquam certiores facti sumus, quam prompto paratoque animo, ad provincialem synodum, a venerabili fratre archiepiscopo vestro, magno, ut audivimus, coepiscoporum suorum consensu celebrandam superioribus mensibus conveneritis, magna in Domino laetitia affecti sumus; vestrarumque erga Deum Omnipotentem pietatem, ac religionis Catholice studium, in Domino vehementer commendavimus. Cui quidem, eo etiam nomine gratias egimus, quod rei, moderandis tam clericorum quam laicorum moribus, corrigendis excessibus, componendisque discordiis omnium maxime accommodatae, bonum exitum pro sua misericordia concedere dignatus est. Et quidem vos potissimum deoecit, dilecti filii, tamque egregiam voluntatem ostendere ad opus animarum saluti tantopere necessarium atque utile conficiendum; quippe quod ad vestram clericique istius in primis honestatem, existimationemque redundaturum sit. Etsi enim hoe universalis quoque Ecclesia utile sit, nullius tamen magis quam vestra interest, vos in sororem Domini vocatos, plam, sobriam honestamque vitam viventes, animas vestras salvas facere, pro quibus nulla est, juxta Salvatoris nostri vocem, quæ a vobis dari possit commutatio. Restat nunc, ut qui vos in ejus Synodi celebrazione promptos alacresque præbuitis, iidem

illius deeretorum diligentes sitis custodes, pri-
mique omnium. cæteris obedientiæ exemplum
prodatis. Si enim, ut speramus, primi vos eo
quod deceat studio prædictæ Synodi decreta
servabitis, vestro exemplo cæterarum Ecclesia-
rum capitula permota, ad idem agendum vehe-
mentius inebunt. Ha, qui ab initio in cele-
branda provinciali Synodo fructus omnibus
propositus fuit, hunc, adjuvante Domino, per
vos omnes consequentur. Quæ quidem res,
quantum ad vestra apud Omnipotentem Deum
merita, et apud homines laudem augendam,
momenti ponderisque habitura sit, pro com-
perto habemus dilectiones vestras, etiam sine
ullis nostris verbis, intelligere. Quocirea vos in
Domino hortamur, non solum ad ea, quæ tam
salutariter atque utiliter in prædicta Synodo
statuta esse accepimus, fideliter observanda;
sed etiam, ad alia omnia sedulo agenda, quibus
et Domini cultus augeri, et religio Catholica in
pristinum isthie statum restituiri, et vetustissimæ
Ecclesiæ Romanae ceremoniæ retineri possint.
Hoc si feceritis, pro certo habere debetis, Deum
Omnipotentem, vestris omnibus actionibus auxi-
lio suo affuturum, vobisque in præsenti vita
pacem, et in futura gloriam æternam daturum
esse; ad quam, ut vos per suam misericordiam
dignetur perducere, humiliiter eum rogamus.
Datum Rome apud S. Petrum, sub annulo
Piscatoris, die xv Februarii anno MDLXXI, Ponti-
ficatus nostr. ann. sexto ».

At quam proficuum fuerit insigni huic Ecclesiæ, ac illius provinciæ cæteris, vel eam Sy-
nodum congregasse, vel ipsius Synodi decretis,
juxta Pii monita, fideliter postmodum adhæsi-
se: facile æstimare est, ex præclaris, tum fidei,
tum pietatis ac doctrinæ exemplis, quibus Ger-
maniae toti, inter errorum tenebras versanti,
tanquam sol splendidissimus semper illuxit.

69. *Portenta in Germania.* — Apud eamdem
urbem Salisburgensem, mense Januario hujus
anni, accedit etiam portentum quoddam, quo
Omnipotens Deus eujusdam nobilis viri tenaci-
tatem, juste admodum punire voluit. Cum enim
ab eo unus ex suis agricolis, qui numerosam
prolem habebat, parum frumenti, quo ille
abundabat, ab ipso peteret, unde familiam ale-
re posset, ipseque immaniter denegasset; in
desperationem miser actus, domum reversus,
lum uxorem, tum filios omnes interfecit. Denuo
tameu paulo post, famis vehementia impellente,
divitem adiit, ac ei facinus quod admiserat
retulit. Cujus ille atrocitate eomotus, cum
saceos ad frumentum accipiendum afferri im-
perasset, horreo aperto, pro frumento serpentes
ac venenata alia animalia reperit.

70. E contra in nonnullis Silesiæ locis,
terræ inopiæ copiose supplere Cælum visum
est: nam raro præter naturam beneficio,
mense Junio, pisa, rapula, frumentum ac triti-

cum pluit, ex quo panis optimus confectus est;
cui simile alias, sub Carolo V imperatore in
Carinthia contigisse, ab Issell narrat.

71. *Elector Brandenburgensis veneto interfec-
tus.* — Joachimus vero elector Brandenburgensis,
hoe anno die tertia Januarii mortuus
est. Ille, avita patris pietate, ac Catholica reli-
gione abjecta, matris Lutheranam perfidiam
amplexus tuerat. At qui veram fidem ejuraver-
rat, merito ab infideli e vivis sublatus est:
præfata enim die hilariter cænatus, vi veneni
extinguitur, quod in Malvatico, ipsi cubitum
ituro, Judæus quidam familiaris miscuerat: quod
seclus tandem, ab ipsius Judæi uxore
proditum fuit.

72. *In locum Joannis Transylvaniæ principis,
cum Arianismi macula defuncti, sufficitur Bathorius Catholicæ fidei egregius instaurator.* —
Joannes pariter Transylvaniæ princeps, a me-
dio suo, ut fama est (inquit Neugebavarus¹)
medicamentis enectus obiit, anno, postquam
Transylvaniam a Ferdinando rege suo deficien-
tem occupasset, decimo quinto, ætatis vero suæ
trigesimo primo vel secundo, ut Brietius²
contendit; sed immerito, eum ipse Budæ natus
anno MDXL septima Julii perhibetur. At de
ipsius tum intirmitate, tum ei subsecuta
morte audiamus, quæ Isthuanus³ rerum Hunga-
ricarum scriptor, monumentis mandavit.
Ubi enim egit de concordia, inter Maximilianum
Cæsarem, ac Joannem ipsum firmata, opera,
ut diximus, Posnaniensis episcopi, ac, ut dicit
ille, Bequessii ejusdemmet legati, de qua plu-
ribus anno præterilo egimus; ac retulit non
alid restare visum esse, quam ut promissa a
Cæsare neptis, sive illa Bavari, sive illa Julia-
censis principis filia foret, eidem Bequessio
legato solemni more traderetur; slatim sub-
jungit:

« Sed languenti in Transylvania principi, a
Bequessio perscriptum erat, Bavricum matri-
monium obstinatus reeusare, quod Arianæ
seæ principi nubere nollet: Juliæensem vero
nondum deliberasse, sed eam minus genio
respondentem videri, quod, et forma rudiore
esse, nee aliam, præter Germanicam linguam,
callere diceretur. Quæ cum illi, atrocioris morbi
vi exagitato, haud medioerem mœrem atti-
llissent, tum etiam ægritudinem auxere: adeo
ut epilepticis etiam accessibus haud parum la-
cesseretur.

« Sed cum, ut sæpe numero accidere solet,
non adeo morbus sœviret, quin nonnunquam
remitteret, in proximas sylvas venatu se oblec-
taturus secessit, eum præ alta nive cooperta
tellus, animum ad id exercitii genus invitare
videretur. Unde primum ad areem Vechiam

¹ Neuzebav. Hist. Polon. lib. 8, pag. 628. — ² Briet. Annal. hoc
anno. — ³ Nicol. Histhu. lib. 24, pag. 319 et seq.

ventum est: ubi etiam equum concendit, et per sylvas erravit, nulla tamen e latebris prodeunte fera, ideoque irrita venatione. Deinde cum ad alteram aream Gergeniam venisset, ineustum, au ex nimia corporis agitatione, quod gracile atque imbecillum erat, aut intempestiva compotationis interventu, qua forte erat usus, morbus recruduit, et eum lectulo affixum ita afflixit, ut, per quadraginta quatuor dies, horribilibus tormentis exenuciaret, nec ad illum cuiquam, etiam familiarissimo, praeter Blandratam et Chaquium, detestabiles Ariani perfidie sectatores, ac Christophorum Magmasium, ac paucos quosdam ejus farinæ homines, aditus pateret. Jam enim eo flagitiis erat deventum, ut corruptis Blandratae opera principe, ac Bequessio, nemo nisi Arianus in pretio foret, nemini magistratus nec prefecturae, nisi ea peste infectis darentur; plurimique officiorum ambitu, nec ullo conscientiae pavore, ad eam fedissime atque impudentissime prolaberentur.

« Postremo cum iterum, remittente morbo, se revelli posse sentiret, suppositis in currupulvinis, et cervicalibus sustentatus, lento itinere Albam reversus est: ibique, recurrentibus subinde morbis, postridie iduum Martiarum e vita migravit; et in eo stirps Zapoliana, ab Emerico Diaeo Stephani Palatini germano fratre dueta, quam primus Joannes Hunniades, ac postea Matthias rex ejus filius indulgentissime et liberalissime ad tantas opes et divitias extulerat, sic interiit, ut in hoc tertio nepole prorsus extingueretur. Fuit ab Isabella matre, praele Georgii Monachi et Petroviti voluntatem, qui tutores a patre relieti erant, pessime educatus, ita ut administrando regno inutilis ab ea redditus, que malis artibus illud sibi refinendum putabat inter sordes vilissimorum hominum, vino et epulis immersus; neque hebetis ingenii indole, neque moribus quicquam ingenuo principe dignum attulisset; cum clarorum hominum, prudentiaque et militari virtute præstantium congressum, quantum posset, vitaret, ac pauessimorum fræce et colluvie vulgi familiaritate oblectaretur, usque adeo, ut ab iis, veluti mancipium, pro libidine, possideri videretur. Periit in primo flore juventutis, cum alterum et trigesimum etatis annum nondum explevisset, Christo Deo, impium pestiferi dogmatis assertorem, divinaeque suæ gloriae dirum obtrectatorem, immatura morte sublatum, ad aternas inferorum penas haud dubie detruente. Sie tamen, ut prius testamentum condiceret, quo Selymo aureas equestres phaleras gemmis ornatas, Cæsari et conjugi ejus equos, et aliquantum antiquorum, ex auro et argento numismatum numerum legabat. Regi autem Poloniae avunculo, præter tentoriæ phrygio opere elaborata, ac eastrensem apparatum, ac argenti vivi pondo quadraginta millia, peculia-

ribus codicillis legata; quod reliquum gaza erat, eidem cum tribus sororibus Sigismundi Primi regis filiabus, quas ex Barbara Zapoliana, patris Joannis sorore, priori matrimonio suscepserat, aquis partibus dividendum dari jubebat. Sic ille, de infirmitate ac morte infelicissimi principis.

73. De his autem, que ad illius funus spectant ac regni successorem, ita statim subjungit, hic merito apponenda:

« Obitum ejus Bequessio præscripsere amici e Transylvania, hortantes, ut Cæsare ejus rei admonito, alii omnibus omissis, quamprimum reverteretur. Eo forte tempore dysenteria importuna laborabat, sic ut ad iter celerius conficiendum, ob virium imbecillitatem, equitare non posset. Cæsare itaque jubente, atque disponente rhedas, sive vehicula, ad vitandam omnem cœli injuriam, corio et pellibus teclas, ubique per viam accepit, quibus ad alterum quodlibet, ac tertium milliare permutatis, brevi in Transylvaniam pervenit, cum litteris a Cæsare ad provinciae proceres non nullos datis, quibus, ut datae fidei memores essent, ac saludi et permansioni Reipublicæ, quam rectissime consultum vellent admonebantur, qui tunc interregni tempore omnes fere armati Albam convenerant. Ibi postquam cadaver fato functi principis Ariano funeris honore, hoc est tumultuario et enormi, nec ulla in parte ad morem priscum et Christianum, ex aree in templum deductus esset, marmoreoque sepulero compositum; variae de successore eligendo disceptationes oborta sunt, cum Bequessius prætoriani militis largitione ad se illecti studio et opera, atque aliorum, quos variis artibus sibi conciliaverat suffragiis, principatum affectaret. Favebat etiam ei Cæsar, ita ut eum per litteras manu sua ad quosdam, qui consilio atque auctoritate pollebant, scriptas, privatim commendare non prieterret: publice autem Ordinibus significaret, se tranquillitatis quietisque causa, liberam eis electiōnem principis permittere, dummodo ad eum deferretur, qui juxta recentia pacta, partes suas tueri, sibique sacramento obstringi nequam detrectet; et quem a defuncto quoque principe sibi successorem destinatum esse facie meminisse possent.

« Quo scripto haud obscurè Bequessium intelligi, nemo erat qui non facile animadverteret. Sed multo maxima pars nobilitatis, cui Bequessius, cum ob fastum atque arrogantiam, quam vivente Joanne Sigismundo nimiam et formidolosam induerat; tum vero, quod multitudo promiseua, ob innovatos Arii errores magnum in eum odium conceperat, in Stephanum Bathoriū Somilianum, omnibus cœteris formæ ac statura dignitate, rebusque domi forisque præclare gestis facile anteferendum, propensiōres

animos gerebat: isque exercitu etiam, quo tempore interregni Ordines ad decem milium armatorum numerum conscribi jusserant, eique Christophorum Bathorium fratrem ejus germanum praesesse voluerant, haud parum spei ac præsidii collocatum habebat.

« Sed et prætorianus miles, cui Joannes Safa et Michael Vadassus præerant, præter Bequessii spem et expectationem, commutata reperente voluntate, desertis partibus ejus, ad defendendam rem publicam, ac fibera electionis jura tuenda consenserat: et ii, sive largitione, sive ingentibus promissis onerati, Stephanum ad principatus fastigium elevendum, atque extollendum suscepserant. Selymus quoque, et ejus purpurati, quanquam Bequessins, Ariani dogmatis professione, que a Turcia superstitione haud longe distaret, eos sibi æquiores fore sperasset, tamen alio magis inclinabant: et aderat Chausius internuntius, qui præterito eo, alium principem nomine illorum, a quibus venerat, creandum contendebat.

« Igitur xxvii die Maii, publicis omnium suffragiis Stephanus Bathorius Somilianus, magna populum acclamatione, princeps salutatur: ac e comitio nuntii ad Cæsarem simul, et Selynum certiores ejus rei reddendos, dimituntur, a quibus brevi post ejus electio confirmata fuit; et a Cæsare quidem ea conditione, ut se paetis nuperrime initis accomodaret, quibus erat cōventum, ut qui Joanni Sigismundo successurus esset, fiduciarii quidem Vaivoda titulo, sub Cæsaris clientela esset: sed absoluta rerum omnium potestate fungeretur: quod ille sese facturum haud cunctanter est pollicitus ». Huensque Isthuantius,

74. Nihilominus Remundus¹ asserit Joannem Transylvanae principem licet non occulte Arianismo faventem, penitentia tamen ductum Maximilianum imperatorem sibi successorem nominasse: quo posito, aliter certe intelligenda fuissent, quæ Maximilianus ipse publice ad Ordines seripsit, ut nempe ejus, quem a defuacto principe sibi successorem nominatum esse scièrent, recordarentur; id enim de Bequessio accipiendum non esset, ut Isthuantius contendit; ac famam honoremque Maximiliani tueretur, cui haud parvam inuississe notam Maximilianus ipse visus esset, si nullo prorsus habito religionis ac fidei respectu, hominem nimirum Ariani, ad summae illius dignitatis apicem, ex quo innumera prope vulnera Catholicæ professioni infligere poterat, elevendum curasset.

75. Verum que Remundus statim subjungit, ipsius narrationis fidem infirmare agnoscuntur: ideo Transylvanos, nempe Maximilianum eligere sibi in principem detractasse, quod exterorum imperio pertæsi sue gentis principem optarent:

Lutheranis in primis et occultis Sacramentariis id eurantibus, quod parum futos se futuros arbitrarentur, si principatus ad Catholicæ religionis studiosissimum, et summa prudentia præditum devolveretur. Stephano autem Bathorio, quamvis Catholicò, tidissem, quod, ob principatum adeptum, Maximilianum, quem ipsi oderant et metuebant, ei æmulum futurum non dubitarent. Et quidem nos iis assentimur, quibus ostenditur, exterorum odio, sue gentis potius sibi principem Transylvanos detigere voluisse; at non ideo necessitas incubuit Catholicum elegendi, cum ex proceribus Transylvanicis, plures novarum sectarum falsis dogmatibus nomina jam dedissent, ex quibus sectarii ipsi unum se ligere poterant, quem ad principatum attollet, etiam Bequessio excepto, quem ob innovatam Ariam perfidiam, odisse retulimus. Tutijs igitur censendum putamus, vel ipsos sectarios, in hac electione parum se immiscesse; vel potius indiscriminalim electores omnes, religionis negotio minime ob oculos versato, uni tantum reipublicæ temporali bono ac utilitati in Bathorii electione prospexisse. Cæterum, quo excusatione dignior Maximilianus censendus esset, si præfata vel seripsisset, vel ad sui commodum egisset, quam si pro Bequessio, eo inverisimilior, ut verum fateamur) existimandum cognoseitur, quod in Transylvaniae principem se eligi posse putaverit: non quod forte oblatum honorem rejecturus fuisse, sed quia, si affectasset, rem aliter egisset. At perspicue cognovit ille, frustra se ea spe ali. Selymus enim, licet Transylvani totis viribus Maximiliani electionem perficere cogitassent, pro virili sua eam deturbare, neque ad optatum pervenire exitum unquam permisurum, quis dubitat? Ex eo autem, quod Selymus idem, ut nonnulli scribunt¹, Bathorium ad principatum promoverit, facile colligere est, quam ingentia ac præclara fuerint illius virtus ac merita, quæ a Barbaro ipsocoli ac venerari promernere.

76. Sicuti vero laude dignus Maximilianus visus non est, cum Bequessio Transylvanae principatum tradendum euravit; sic e contra summam honorum omnium commendationem Alberti Bavariae ducis filia promeruit, cum nimis Transylvani principis, ut audisti, nuptias detestata est, eo tantum nomine, quod impiis erroribus addictus esset, et a Catholicæ religione abhorreret: tam Orthodoxi principis vere pientissima proles, quæ fidei rei omnia jure postponenda existimavit. Hanc illam fuisse credimus, quæ deinde, et quidem hoc ipso anno, ut non semel innuimus, Carolo Archiduci Austriae nupsit, Maria nuncupata, quæ Carolo ipsi Ferdinandum II postea imperatorem peperit. Sic aucto fœnore, pro hæretici viri conjugio, animo plus-

¹ Remund. Histor. Hæres. lib. IV, c. vii, p. 349.

¹ Mellific. Histor. p. 4, sub Maximilian. n. 11, p. 838.

quam femineo, ex fidei religionisque ardore contempto, aliud contraxit, ex quo angustissimum Cesarum sobolem deductam letamur.

77. Stephanus Bathorius interea, ad principatus apicem sublimatus, nil antiquius habuit, quam ut avitam Catholicam religionem, immumeris sectariorum flagitiis in Transylvania, ut multoties narravimus, exagitatam, restituueret. Quia vero animadvertisit inquit Remundus¹⁾ subditos vi ad Catholicam religionem se revocare non posse, leniora remedia adhibenda duxit. Quapropter Claudiopoli, ubi erat Arianorum multitudo, Societatis Jesu collegium extruxisse asserit. Verum de his Sacchinus²⁾ agens, haec dicit: «Venerunt ab Stephano Bathorio creato Transylvaniae principe (Vaivodam ipsi appellant) accurate litterae, quibus subsidia Societatis in eam provinciam postulabat, item ipse conlestantis, in iis maximam sibi restituendarum religionum fixam spem esse. Ex Ordine Minorum religiosus vir Albertus nomine, dum passim per Transylvanum divina ruunt, sustinuerat Sonlii, quod gentis Bathoreae haereditarium castellum erat. Is jam, et aetate, et valetudine sibi diffidens, ne cuncta secum pessum irent, Stephanum monuit, ut successorem mature quereret. Ea Stephano, dum omnia circumspectat, et fortassis Alberti ejusdem monili, prima fuit causa postulandae societatis, quam principio, dum paulatim viam in urbes aperiret. Sonlii collocaret.

«Paler Magius, qui tunc in Styria versabatur, de collegio Graecis constituendo cum Carolo Archiduce agens, collaudato ponderosa Epistola, cum gravi cohortatione pii principis studio, enraturum se apud socielatis propositos, respondit, ut si qua ratione, in tanta paucitate operariorum, ejus postulationi justissimae et conatibus optimis ne deessent etc. » Sic ille, qui tamen de Claudianopolitano collegio nullum verbum facit, unde illius erectionem, in aliud tempus merito rejiciendam esse putamus.

78. Addit Bzovius,³⁾ ad Stephanum in principatu confirmatum, Pium litteras dedisse, ac nuntium misisse, qui ad Catholicam fidei professionem et defensionem horlaretur, ac ut Arianam haeresim e suis ditionibus extirparet. At licet haec a sollicitudine Pii aliena non esse agnoscantur; tamen, nec litteras haec occasione ab eo ad Stephanum scriptas, nec nomen quidem nuntii ab ipsomet ad illum hoc anno, ut assertur, missi, nullib[us] reperi potuisse, ingenue faleri cogimur.

79. Sigismundus, Poloniæ rex graviter ab Hosio reprehenditur ob concessum haereticis in ipsa urbe Cracoviensi templum. — Dum vero in

Transsylvania Catholica religio aliqualiter resurgere visa est; in Polonia gravi admodum offensa haereticis, incuria Sigismundi regis, est impedita. Hi enim eo audacia pervenere, (ut anno superiori immunitus), ut synagogam suam in ipsa Cracoviensi urbe aperire aggressi fuerint. Quod ubi Hosio immoluit, quo consuevit zelo infrenuit, pluribus in insectandis sectariis, regia segnitie exprobata. At andiamus que Stanislans Rescius,⁴⁾ in ejusdem amplissimi cardinalis Vita, his verbis retinet:

«Eodem fere tempore, in civitate Cracoviensi, officinam nequitiae, et omnium blasphemiarum diversorum, in domo, quam materna lingua Brog, latina acerum dixeris, incredibili importunitate et audacia usi haeretici, in honorem dei sui Calvini, et semidei Bezae instruxerunt; in qua Christum mendaci arguerent, qui dixit accepto pane: *Hoc est Corpus meum*; et accepto calice: *Hic est Sanguis meus*; et magistros suos Sacramentarios adorarent, qui dicere ausi sunt: Non est verum, quod dicit Veritas: *Hoc est Corpus meum*: *Hic est Sanguis mens*. Quæ res, quantum dolorem Hosii animo attulerit, ex Epistolis, quas ea de re multis, ad regem, episcopos, munitiones, Palatinos, caterosque auctoritate viros conscripsit, et ad reprimendam haereticorum audaciam inflammavit, petere quisque potest. Ad regem certe Sigismundum his cum verbis esse usum legimus: Ego nullis, o rex, laboribus, neque vigiliis pareo, dum inservire V. M. regnique commodo et tranquillitati cum aliquo fructu confendo. Sed me conantem id facere, nemo magis impedit, quam ipsa M. V. Quid igitur faciam? Nisi demoliri soloque aquari abominationem illam, templum illud Blessovi, hoc est Sathanæ fabricatum. *Bies* enim lingua nostra Diabolum significat jussert; quandoquidem rumor ea de re magis atque magis percrebescit; vix in conspectum hominum audebo prodire. Quæ enim nota vestrae majestati major iniuri potuit, quæ regno major infamia aferri, quam ut totus mundus videat, quod in primaria regni civitate, conivente V. M. *Bies fowia miarka*, hoc est, Sathanæ vel Bezae ridicula propagatur? *Blessovi* templum fabricatur? *Bies* pro Deo colatur? Nec est quisquam, qui prohibeat, nec est ulla potestas in terra, quæ tam effrænatam haereticorum audaciam coereat. Stupenda res est, quod ita Diabolus metuit, quod ita Deus contemnit, et pro nihilo ducitur. Supplex oro L. V. per viscera misericordiae Dei, ne ferat abominationem istam, ne dicatur quod illi populo ab Elia dictum esse legimus: Usquequo claudiatis in duas partes? *Si Dominus est Deus, sequimini eum*: *Si autem Baal, sequimini eum*. Si Christus vobis Deus est, sepultimini eum; credile illi dicenti: *Hoc est corpus meum*: *Si autem Ge-*

¹⁾ Remund, ut supra ibid. — ²⁾ Sacchin, Histor. Societ. p. 3, lib. VII, n. 56, p. 340. — ³⁾ Bzov. sub hoc anno p. 1014.

⁴⁾ Resc. in Vit. cardinalis Hosii lib. XXX, cap. vi, p. 237.

nevensis antichristus Deus est, sequimini eum, et Prophetis ejus credite dicentibus : Non est verum, quod dicit Veritas : *Hoc est Corpus meum*: Quam longe distat Christi Corpus, ab Hostia consecrata. Haec enim fuit vox istius *Biesi*, cui templum aedificatur Cracoviae, in illo conventu, quem regina Galliae Posiaci celebravit : quam cum audiret homo quidam Christianus : Quomodo credit, inquit, *Bies* iste Christum esse in Eucharistia, cum ne in Celo quidem esse Deum credit? Et hic est ille *Bies*, cui nunc templum Cracoviae fabricatur? Certe, o rex, duos Deos, ut coli patiaris in civitate tua; eum primus horrenda et abominanda res est. Non est Deus, nisi unus; non est fides, nisi una. Si feres duos Deos, cito videbis duos reges, cito videbis totius regni interitum. Unus est solus et verus Deus, Deus Patrum nostrorum : cui vero templum Cracoviae aedificatur, Antichristus est, non Christus. Et ut regem magis etiam permoveret (sequitur Rescius) ad facinus audendum pro Christo: ex Theodoreto, Sozomeno et Metaphraste exempla collegit, ubi Gainas, trax quidam Seytha, et Arianus, ab imperatore Arcadio unum ex sacris templis, sue secte dari postulavit; quod tamen imperator negaverit, et quam fortiter Gainae conatibus restiterit. Addidit etiam marginales, ut vocant, notationes, in quibus illius temporis Gainam ostendit esse Palatinum Cracoviensem haereticum; regem autem, ut Arcadium esse velit, admonet, et Joannem Chrysostomum desiderari deplorat. Theodosii vero contra haereticos legem, quam Joannes coram Arcadio producebat; Sigismundi Primi legem esse memorabat, ann. Dom. 1524. Cracoviae latam, qua pro officio Christiani principis, subditis suis in regno, ceterisque dominiis constitutis praecepit, ut eam ipsam religionem, a Patribus ordinatam, ac per sanctam Romanam Ecclesiam directam, atque a majoribus nostris per manus traditam; ac per se denique, et gentes suas multo sanguine et clarissimis victoriis (gratia Deo) hactenus defensam tenerent: atque labore haeretica his temporibus, in vicinia emergente, integrum et immaculatum conservarent ». Sic Rescius, qui cum referat, ut audisti, plures super hoc negotio gravissimas ab Ilosio Epistolas fuisse conscriptas; non abs re visum est hic eam inserere, quae ad regem, inter alias ejusdem legitur¹, estque hujusmodi :

« Refertur hoc, ex haereticorum sermonibus, quos vulgo spargunt, in his comitiis, non hoc, ut Christiana fides prorsus aboleatur, actum iri; sed ut illi perfidia quedam adjungatur, quae *Biesowa Wiarka* vocatur: et jam in ea civitate, quae sedes aliquando regni caputque fuit, aedificari templum dicitur, in quo *Bies*. sive *Belial* colatur. Quae res, quantum animo meo pertur-

bationem alterat, nullis verbis exprimere satis possum. Nam, sive temporalia spectemus, sive sempiterna, quorsum haec, nisi ad interitum, et fortunarum et corporum, et animarum, tam V. M. quam illius subditorum spectare videntur? Ubi sunt duae fides, quis prohibebit, quoniam ibi sint duo reges quoque, sicut in Gallia factum esse scimus? Per viscera misericordiae Dei nostri supplico majestati vestrae, ut se regem Christianum, Catholicum et Ordothodoxum esse declareret. Si vult agnoscere pro rege, agnoscat ipsa quoque Regem regum, et Dominum dominantium, nec alium, praeter illum, pro Deo coli, more majorum suorum patiarur. Nam si secus fecerit, ingens esse periculum video, ne Rex ille regum, alium quempiam excitet, qui velit et ipse pro terreno rege coli. Nunquam Gallia tantis calamitatibus afflita fuisset, nisi nimio plus haereticis indulisset. Quanquam audio M. V. pro rege, jam propemodum in plerisque locis non agnoscere. Quo loco sit in Prussia, scit ipsa M. V.; sed in majore quoque Potonia, quid actum sit, prouul dubio non ignorat, ut me scribere necessere non sit. Res est, et admiratione, et commiseratione digna, quod, presentibus etiam legatis V. M. in illius civitate Gedanen, si liberum fuit, aperte contra M. V., ex superiori loco Sathanae ministro cuidam debacchari, et ad seditionem populum incitare: in civitale vero V. M. Posnaniensi Dei ministro, et quidem episcopo, non esse liberum, dicitur, Christum praedicare, et contra Antichristum, vel Islebiensem, vel Genvensem, verbum aliquod proferre. Jam autem etiam conventicula fieri dicuntur, de quibus quid regni Constitutionibus cautum sit, M. V. etiam non est. Cur autem in hac re sola cessat executio, cum tamen in ea salus totius regni agi videatur? Videtur esse absquerege et absque lege, et hoc agitur per ministros *Biesowę*, ut simus etiam absque sacerdote, absque sacrificio, et absque Deo. Quem sit ea res exilium habitura, quæso diligentius ut secum reputet M. V. cuius nisi fidelis subditus, et senator essem, nisi tot et tantis beneficiis V. M. magis obstricatus, quam ullus alius mortalium: credat mihi M. V. quod possum ego quoque, ab hoc genere seibendi mihi temperare, mecumque cogitare; Quid ad me? Pereat, quando sic vult, serenissimus rex meus, una cum regno suo, dummodo illius gratia et benignitate ad tempus perfui possem. Sed prohibet me fides mea, prohibet amor meus, prohibet studium et observantia erga regem dominum, et benefactorem meum. Quamobrem igaoscet, quæso, justo dolori meo quem ex his rebus percipio, quas ad interitum V. M., et regni illius perlucere video. Salus mea mihi carior non est, quam salus V. M., quam si morte mea representare possem, Christo, vires mihi suppeditante, non dubitanter eam essem appetitorus. Hoc enim a me, maxima V. M. be-

¹ Ilosii Epist. epist. 156. p. 314.

neticia, hoc et fides, qua illi sum obstrictus, exigerevidentur. Sublaci vir Septemb. MDCCLXXI».

80. *Litteræ Pontificis gratulatoriar et Hosii simul increpatoria ad palatinum Cracoviensem.* — Sub superioris anni fine nihilominus Stanislaus Barzius, vir Catholica pietate clarissimus, ut vidimus, ad Cracoviensis Palatinatus dignitatem a Sigismundo evectus fuerat, loco alterius haeretici ac perditissimi hominis, qui sectariis publice favebat, eujusque ope innixi, de Synagoga sua Cracoviae aperienda construendaque cogitasse verosimile est. Munus Barzio ipsi non modo cardinalis Hosius anno præfato gratulatus fuerat, ut suo loco commemoravimus, sed etiam Pontifex, præsentis initio, sequenti Epistola cum ipso eodem officio perfunctus est :

« Dilecto filio, nobili viro, Stanislawo Barzio, Cracoviensi palatino¹.

PIUS PP. V.

« Dilecte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Magnam nobis in Domino laetitiam attulerunt litteræ dilecti filii magistri Vincentii, nostri et Sedis Apostolice apud serenissimum Poloniæ regem nuntii, ex quibus te Palatinum Cracoviensem nuper creatum esse cognovimus. Cum enim ex ejus litteris, et aliorum gravissimorum virorum testimonio, perspectissima sit eximia tua erga Deum Omnipotentem pietas, et religionis Catholice studium; speramus te, non solum provinciam tibi creditam juste administraturum, sed etiam ejusdem religionis causam in isto regno vehementer laborantem, omni ope et studio, pro tua parte sublevatum. Quam quidem ad rem, sie te paternis nostris vocibus hortamur, ut majore animi nostri studio non possimus. Nihil certe hoc tempore præclarious, aut tibi ipsi glorioius, vel animæ tuæ salutarius facere potes, quam si te Catholicæ fidei, quibuscumque rebus poteris (poteris autem multis) acerrimum defensorem propugnatoremque præsliteris, venerabilique fratri nostro Philippo archiepiscopo Cracoviensi, ad exequenda ea, quæ sui officii sunt, auctoritate potestateque tua auxilio fueris; atque, una cum eo perniciose haereticorum consiliis et conatibus, summa contentione restiteris atque obviam ieris: qui semper aliquid contra Ecclesiasticam libertatem et contra hujus sanctæ Sedis Apostolice auctoritatem potestatemque moliri solent. Quibus quidem rebus sedulo agendis, non modo beatitudinis æternæ præmium in altera vita consequeris; sed etiam de nobis sanctaque hac Sede Apostolica, quam omnes Christi fideles piam ac benignam erga se matrem experti sunt, optime promereberis.

Quod quidem, quamvis te tua sponte facturum fuisse putaremus; tamen, pro nostri muneric officio præterire noluimus, quin pietatem tuam nostris quoque paternis monitis ad idem incitaremus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die xvi Januarii MDLXXI, Pontificatus nostri sexto ».

81. Et revera, nec muneri suo, nec Pontificis monitis defuisse Barzium, perspicuum ex probatissimo testimonio cardinalis Hosii apparet; qui tamen haud parum miratus est, cum audivit sub adeo Catholicæ præside, eo temeritatis haereticos pervenisse, ut in ipsa Cracoviensi civitate, ut dicebamus, in sententia templum construendi adhuc pertinaciter obstinateque persistenter. Officij idecirco eum admonere suum duxit, eo magis, quod se suadente, Palatinum Cracoviensem illi rex potissimum demandaverat. Hæc igitur ad illum scripsit¹:

« Ingentem ex ea re voluptatem corporam, quod dominationem vestram divina majestas ejus civitatis Palatinum et præfectum constituit, in qua primum ego lueem hanc aspexi; nam quin a Deo factum sit hoc, qui eorū serenissimi regis nostri in hanc voluntatem inclinavit, mihi dubium non est. Respxit is oculis misericordiæ suæ civitatem istam, cui si talis Palatinus et præfectus contigisset, qualis tuit proximus antecessor D. V. jam fuisset actum in illa de fide Christiana: jam in ea, pro Christo coleretur Genevensis antichristus, eujus haeresis non solum Catholicis et orthodoxis, verum et ei, qui primus nostro tempore fuit haeresum omnium architectus, adeo visa est execrabilis, ut qui tueretur illum, cum his ne tractatus quidem ullos habendos censeret, et eos etiam inauditos, condemnandos et proserbendos esse judicaret. Quod etiam in Saxonie plenisque civitatibus observatum esse scimus, et adhuc observari. Vocat eos fures et latrones, vocat Sathanæ ministros, et haud aliter homines ab illis, quam a Sathanæ veneno sibi cavere jubet. Hanc igitur tam execrabilem haeresim, ut elùgere licet, a Deo supplex sum precatus, et ut is eo regiæ majestatis cor inclinaret, quo tales huic urbi Palatinum et præfectum daret, qui non solum eam grassari latius non permitteret, verum etiam quoad ejus fieri possit, radicitus extirpare conaretur. Et cum non alium ad eam rem esse magis idoneum judicarem, quam dominat, vestram; et si, quantum apud majestatem regiam commendatio mea pondus habeat, nescio: nominatim tamen ab illius majestate petivi, ut dominationi vestrae honores istos mandaret; ac factus quidem sum in hac parte voti mei compos. Verum interea pestilentiissimam haeresim hanc latius in dies in illa civitate, quæ caput regni est, propagari, majo-

¹ Ex Regest. Vatic. sign. n. 1913.

¹ Epist. 178, pag. 317.

resque progressus facere, magno cum animi mei cruciatu audio; cuius sectatores, jam eo dicuntur audaciæ prorupisse, ut etiam templum Belial ædificare præsumant, aut quid simile in ea civitate, quæ caput regni est, cuius Palatinus et præfetus, insigni pietate vir, est Christianæ fidei strenuus propugnator. Quod permissu regiæ majestatis fieri, quem Christianum, Catholicum et orthodoxum regem esse scimus, ut credam, nulla ratione adduci possum, quia hoc mihi persuadeo, si tam audax facinus ad majestatem illius delatum fuerit, quæ pietas est illius, et religio, quod ea non sit permissura, ut in illius regia civitate, quæ totius regni princeps est, simul colantur et adorentur Christus et Belial.

« Nunc a dominat. vestr. peto, quam spem de illius in tuenda fide Christiana robore concepimus, ut eam non modo non debilitet, verum etiam confirmet. ac tam audax et sacrilegum facinus, in ea civitate, in qua summa cum potestate versatur, designari non permittat. Quod si forte major est vis hæreticorum, quam ut prohiberi queat. quod mihi tamen verisimile non sit; a regia majestate præsidium imploret, quod illi non esse defuturum certo mihi polluceor. Nam si concessum fuerit illis semel, ut in primaria totius regni civitate templum habeant Belial suo ædificatum, quam horrendum ea res exitum habitura sit, horret animus dicere; non solum isti civitati, verum et universo regno celerior, opinione multorum, interitus impendere videtur: quem ego, sicut ea, quæ oculis cernuntur, ita mente prospicere mihi videor. Quamobrem forti animo huic tam sacrilegæ audaciæ obviam eat. Adhuc sibi Deus in terra Cracoviensi, cuius Palatinus et præfetus est dominat. vestra, reliquit sibi plusquam septem millia virorum, qui non curvaverunt genua coram Baal, vel Islebiensi vel Genevensi; sed videat, quæso, quorsum res tandem evaserit. In Germania primum idolum Islebiensi coliciæptum est, mox Tigurinum vel Genevense: nunc apud Palatinum Rheni principem electorem eo res perducta est, quemadmodum ex ea scheda, quam dominat. vestr. mitto, cognoscet, ut idolum utrumque rejectum, et in ejus locum sit Anabaptismus receptus, qui non video, cur æque tolerari non debeat, sicut Lutheranismus et Calvinismus, cum sit in eo major species pietatis, quam vel in Lutherismo vel in Calvinismo. Et in disputatione, quæ habita est sub regno Palatino, Anabaptistæ multo superiores evasisse dicuntur; simul ut autem receptus fuerit Anabaptismus, quem et in Polonia nostra, quam vellemus, altius in plerisque locis egisse jam radices audivimus, quid impediret quominus recipiatur, et Trideismus, et Atheismus? Quamobrem obsecro dominationem vestram, ut principiis obstet, nec templum illud Belial

ædificari patiatur: quod, ut ita faciat, pluribus verbis illam hortarer, orarem etiam et obsecarem, nisi certo persuasum haberem eam esse pietatem, eum in Christiana fide tuenda zelum dominat. vestr.; tam etiam promptam in re voluntatem, ut hortationibus meis non indigeat. Ego vero Deum precor, ut illi sana consilia suggerat, et ad spiritum consili spiritum fortitudinis adjungat, quo facilis et feliciter hæreticorum conatibus, et eorum huic sacrilegæ audaciæ obviam ire possit, etc. Datum die decima quarta Septembris, anno MDLXXI, Vecovari. »

82. Ex hac Epistola, in qua Hosius asserit Anabaptismum in ditione Palatinatus Rheni fuisse receptum, id illi falso relatum fuisse, cognoscitur ex iis quæ supra proposuimus; cum oppositum potius acciderit, quod, nempe Anabaptistae hoc anno e toto Palatinatu magistratus auctoritate ejecti fuerint. Cum vero Thianus aliquie asserant, ab adversariis ipsos nulla propemodum ratione potuisse convinci, utpote qui solius sacrae Scripturæ textui mordicus inhaerentes, antiquiorum Patrum testimonia ac auctoritatem omnimode rejicerent; ea tantum ratione verum putamus, quia ob irrationabilem ac lemeriarum illam insuperabilitatem, victores se evasisse dixerint (quia nempe a ratione ulla se vinci passi non sunt), ac triumphum cecinerint; ob idque sibi delatum, Hosius hostibus superiores Anabaptistas eosdem evasisse existimaverit.

83. At quoad templum Cracoviæ a Calvinianis construi cœptum, rege licet (si tamen quid ipse egit) ac Barzeo prohibentibus, et frustra Hosio ac aliis reclamantibus, perfici a sectariis potuisse putandum videtur; imo id evidenter educitur ex Epistola, quam anno sequenti eumdem Hosium ad Nicolaum Firlaeum, alterius Palatini Cracoviensis filium scripsisse repemus; in qua se sperare dicit, eum summo studio curaturum, ut templum præfatum, proximis superioribus mensibus, non sine magna totius Poloniae gentis infamia, Cracoviæ excitatum, solo æquaretur, ut suo loco commemorabimus.

84. *Hosius Elbingensium sedem ut suam vindicat.* — Et magna revera erat, hoc præsertim tempore, Sigismundi regis erga sectarios connivenientia, maxima comitas, ut educitur ex altera ipsius Hosii ad illum Epistola, scripta occasione, quam ab ipsa intelliges; et qua amaro animo eum deprecatur, ut, sicuti Elbingensem burgimagistrum, quamvis hæreticum, ac læse majestatis reum, in suum tamen consulatum restituerat; ita se quoque ad episcopatum suum, ut divina humanaque jura exposcebat, apud eosdem Elbingenses restituat. Epistola hujusmodi est, ut nimirum regis erga sectarios studium, dum propriam causam agere

demonstrat, graviter, sacerdotali constantia, objurgare non vereatur. Dicit enim¹:

« Unus jam et alter annus intercessit, quod Burgi magister Elbingensis Brensdueidenus, læsæ majestatis vestrae criminis judicatus, et alii quidem Gedanenses, in suspicionem ejusdem criminis vocati sunt. Quod quam sit enorme, quis est qui melius quam ipsa majestas vestra cognoscere queat? Ego nihilominus, quamlibet crimen hoc illorum detestarer, personæ tamen sacerdotalis, quam gero, memor, me pro illis deprecatum esse recordor, et coram et per litteras, ut cum illis majestas vestra clementius agere dignaretur; nec unquam impeditre volui, quo minus illi suis sedibus restituerentur, dummodo prius ego restitnerer ad munus meum episcopale, quo me V. M. Elbingæ fungi voluit; de quo, per summum sacrilegium, jam inde a multis annis, per burgimagistros fui turbatus, cum præsertim non modo nihil tale egisse unquam, quamobrem de cathedra de qua et munere meo dejici debuerim; verum etiam in colenda majestate vestra, in illius dignitate tuenda et conservanda, in gratia illius omnibus officiis et omni servitutis meæ genere promovenda, me talem præstiterim, nulli ut fidelium vestrae majestatis subditorum concedam, quod majore illam fide et observantia coinerit unquam, quam ego feci, facio, et faciam semper, quoad spiritus hos reget artus. Verum, quæ mea sit hæc infelicitas, nescio, quod qui convictus esse videbatur læsæ majestatis, restitus est in locum suum; ego vero, qui semper illam summa cum reverentia colui, nunc iterum deturbor de cathedra mea episcopalí, cuius peregrinam beneficio majestatis vestra possessionem habeo: majorem enim partem burgimagister possidet cum Sathanæ ministris, quos ad abducendum variis et peregrinis doctrinis a Christiana religione populum, ingenti stipendio conductos habet. In exigua parte illa, quam possideo, quietiora jam esse videbantur omnia, cum ecce, posteaquam burgimagister ille venit, qui læsæ majestatis vestrae reus actus, modo non peractus est, iterum de possessiuncula mea deturbor, nec ministri Dei, quos a lo, saltem pauperibus mendicis administrare Sacramenta permittuntur, qui si fuissent ejus civitatis incolæ (quandoquidem hæc temporum horum est malignitas, fieri tamen id facilius potuisset): nunc autem cum essent advenæ, ex Masovia, quæ sola fere nunc fidem Catholicam integre profitebor, in ea ab infantia sua nutriti et educati, non sunt permissi Catholicis ritu sacramenta percipere, quemadmodum ex domino Martino Cromero, Ecclesiae meæ coadjutore, majestas vestra procul dubio jam cognovit. Quæso, velit secum ipsa, quale sit hoc diligen-

tius reputare, quod qui tanti criminis accersitus, et nondum ab eo plene, quod ego sciam, est absolutus, is non contentus officio fungi burgimagistri, insuper et episcopum agere velle videtur; et quomodo legitime constitutus episcopus libere suo munere fungatur, impedire conatur. Palam etiam jactare dicitur, quod ego quoque, cum Elbingæ fuisse ante biennium, audisse me ex illius ore memini, quod Romanam fidem prorsus abominetur; si quam vero perfidiam (nam fides nisi una nulla ratione esse potest), in synodo nationali constitutam viderit, eam se amplecti velle profitetur. Quæ cum ex illo voces audiuntur, quas emittere cerebri renuntiatur, in eam opinionem multi veniunt, quasi novum quoddam perfidiae genus in Synodo, nescio qua, excogitari, et auctoritate V. majestatis debeat approbari. Sic miseri homines dementantur, et quomodo Evangelium Christi recipient, Lutheri vero sive Calvinii caevoangelium rejicunt, absterrentur. Et jam complures anni sunt, quod sæpe M. V. me dixisse scripsisseque recordor, quod ejusmodi voce ab haereticis de illa sparguntur; neque tamen prohibere quemquam video, quomodo etiam nunc spargantur. An autem illa verba, non solum a Christianis, verum et ab ipsis Lutheranis recte majestati vestrae dici non possunt? Quousque animas nostras tollis? Quousque suspensos ita multorum animos majestas vestra tenebit ut, quid sibi promittere debeat, nesciant? Nolo nunc de aliis dicere. De Prussia non dubitanter hoc affirmavero, si primum in ea regnum Dei quæsitum fuisset ante biennium, et iustitiae ejus, quod ista et cætera, de quibus commissarii missi fuerant, multo facilius adjici potuissent. Nunc quorsum res evaserit, quem fructum laborum suorum majestas vestra tulerit, ipsa videt. Et certe quomodo enim, quem optabamus, consiliorum snorum exitum V. M. consequeretur, non minimam ei rei causam præstiterunt Sathanæ ministri, qui Dantiseæ et Elbingæ, præsentibus etiam ac modo non abundantibus V. majestatis commissariis, in Deum et in majestatem vestram plurimas blasphemias et convicia jaciebant, ac propemodum populum ad rebellionem concitataverant: quod M. V. clam non esse scio, nam eorum sonitus in has terras usque etiam pervenit. Obsecro M. V. quanti suam regnique sui salutem facit, tantum det operam, ut qui scrupulos multos mali habet, eum ex animis mortalium eximat, claraque voce pronuntiet, frustra novitatem a se religionis expectari; se tantum unam fidem Christianam nosse, quam, qualis a suis majoribus jam inde a sexcentis annis per manus sibi traditam accepit, integrum inviolatamque retinere, et ad posteros etiam suos transmittere, nec ullam aliam unquam recipere velle. Illoc si fecerit M. V., jam spe sua burgimagister decidet, et

¹ Epist. Hosii 145, p. 300.

ego, si minus in totum episcopatum meum, saItem in bonam illius partem paulatim ero restitutus. Nunc autem, dum ita pendent animi multorum, etiam si maxime cuperent plerique Christum aperte profiteri, tamen burgimagistri metu non audent, dum alium fore paulo post in terris Vest. maj. fidei et religionis statum, illo referente, persuasum habent; quod ex multis Elbingae non semet fuit auditum. Ego vero satis mirari non possum, cum V. M. regem agat Christianum, Catholicum et orthodoxum, nec in his, quæ pertinent ad religionem, ullam sibi jurisdictionem arrogat, sed episcopos munere suo libere fungi permittat, quomodo ferre possit, ut qui subjectus esse debet vestrae majestati burgimagister, plusquam regiam, plusquam Ottomanicam vel Sulimanicam sibi tyrannidem usurpet; et episcopos, quique sunt ab illis missi legitime Dei ministri sacerdotes, quominus ea, quæ sunt sui ministeris exercere possint, prohibeat. Inde, serenissime rex, rebelliones, inde læsa majestatis erimen, inde quid est malorum exit. Nam, qui divinam hædere majestatem non dubitant, quis eos prohibebit, quin idem de humana faciant? Divisa majestas dicit: Quod episcopos posuit Deus regere Ecclesiam suam; nunc isti divinae majestatis contemptores, non episcopos, verum se positos esse dicunt, ut regant Ecclesiam, et se esse superiores illis persuasum habent, vestrae quoque majestati esse subjecti recusant. Supplex iterum atque iterum oro majestatem vestram, ne velit hanc tantam Elbingensis burgimagistri insolentiam ferre diutius; ac ut ministros Dei, qui per me missi sunt Elbingam, in fidem protectionemque suam suscipiat; et quem, ita volente majestate vestra, coadjutorem Ecclesiae mea Varmiensis constitui; eum in sua jurisdictione tueatur, nec illum burgimagistro, sed burgimagistrum illi, in his quæ pertinent ad religionem, subjectum esse jubeat. Sic futurum est, ut propitium sibi Deum reddat; et sibi quoque burgimagistros in temporibus magis dicto audientes experiatur, etc. Datum Sublaci xxvii Julii MDLXXI ».

85. *Totis viribus Pius avertit Sigismundum a divortio.* — Verum id nil aliud erat, quam surdo canere. Sigismundus enim, partim temporalium amore abstractus, partim vero hæreticorum consiliis illectus, salutaria hæc monita non admittebat. Suggessere siquidem illi hoc ipso tempore; vel potius in ejus animum alias excogitata separationis consilia revocarunt, inter eum ac reginam Catharinam ipsius conjugem, lectissimam fæminam, Ferdinandi filiam ac Maximiliani imperatorum sororem: quo universo Poloniae regno ac Catholicæ fidei summan, plusquam excogitari possit, cladem afferrent. Salomon Cadanus, Istuanus¹ refe-

rente, causam aversi a Catharina Sigismundi animi, et regios de divortio conatus, sterilitatem assignat: sed magis forte fuisse, ab aliquibus creditur, repulsa Ducatus Barenensis, qui ad maternam ipsius Sigismundi hæreditatem in Apulia pertinebat. Rex enim, cum Adamum Konarseum Posnaniensem episcopum, postulatum ipsius Ducatus possessionem ad regem Philippum cum litteris Maximiliani misisset; atque is non nisi aliquot aureorum millia, qui Sigismundo regi quotannis, ex Hispania, census nomine, pro pecunia a matre regina Bona, Philippo eidem Hispaniarum regi mutuo data numerabantur, retulisset, de Ducatu vero Barense altnm silentium, et desperata ejus per legatos petitio videretur. Ea agendi Hispanorum ratione, Sigismundus adeo commotus asseritur, ut, eum alio modo uelisci nequivisset, per divortium Catharinæ, acceptam ab Austriacis injuriam vindicandam existimaverit atque decreverit.

86. Secretiorem nihilominus exquisiti hujus a Sigismundo divortii causam fuisse eam censimus, quam ex inferius apponenda quadam Pontificis Summi Epistola expiscari posse non immerito existimavimus: quod, videlicet, ipse ideo legitimam uxorem abjiecit in animo haberet, quod pedissequa ejusdam captus amore teneretur. At quidquid extiterit, certum est sterilitatis Catharinæ solum praetextum Sigismundum palam obtendisse, ut eam repudiaret; eoque, tum apud Cæsarem, tum apud Pontificem facinus tentasse.

87. Pio autem vix innotuit, quod Sigismundus inique meditabatur, statim malo occurere, pro suo officio ac viribus studuit; ideoque per tabellarium dedita opera missum (ut adnotatur in Regesto Vaticano), sequentem illico ad ipsum Epistolam dedit:

« Charissimo in Christo filio nostro Sigismundo Augusto, Poloniae regi illustri¹.

PIUS PP. V.

« Charissime in Christo fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Quamvis exploratissimum nobis sit M. T. ea esse prudentia atque in Deum pietate prædictam, ut nihil, aut temere, aut minus pie factura sit; tamen non potuimus omnino nihil commoveri eo rumore ac fama, quæ hinc allata est ad nos, M. Tuam, de serenissima regina uxore sua omnino dimittenda, et alia insuper ducenda cogitare; cui quidem rumori ac famæ quotidie magis increbrescenti, etsi nullam fidem habendum esse putabamus, prætermittere tamen, pro officio nostro noluimus, quin subito has ad M. T. litteras daremus, quibus non solum illi significaremus animi nostri molestiam ac do-

¹ Istuanus. Lib. 24. Cadan. Lib. 8.

¹ Ex Reg. Vat. ut sup.

lorem, quem ex tali rumore utecumque divulgato accepimus; sed etiam, ut si quid ea res, quod non putamus, fundamenti haberet, majestatem tuam ab ejusmodi consilio dehortaremur. Quæ quidem ante omnia illud debet considerare, eos qui successionis spem M. T. prætendentes, talia illi persuadere conantur, aut haereticos ipsos esse, aut haereticorum fautores, quibus nihil magis propositum est, ut M. T. ad religionis Catholicæ fines semel transiliendos adducant; pro certo habentes, si quid tale ab ea impetrare aut extorquere potuerint, reliqua illis fore faciliora: sieque brevi futurum, ut regnum istud, una cum maiestate tua, in eamdem, in quam ipsi, suggestente Diabolo humani generis hoste, ceciderunt, ruinam trahant. Quorum venenata consilia, pestiferique conatus, eidem M. T. manifestius patebunt, si rem ipsam, quam sibi suadere volunt, qualis sit attentius perpenderit. Est enim talis, ut si eam M. T. admiserit, primo quidem Redemptorem nostrum, ejus sanctissimo Matrimonii sacramento violando, gravissime sit offensura: deinde nos ipsos, qui ejus, quamvis indigni, vices in terris gerimus, magna sit contumelia affectura. Præterea omnibus Christianis Catholicisque principibus, magnum scandalum objectura. Denique nomen suum regium, majorumque suorum inclytae memoriae regum splendorum, qui ad hanc usque diem purus permanuit, fœdæ ignominiae macula suscepta, vehementer obscuratura. Nam, quod ad successiōnē perlinet, cuius spe M. T. allicere volunt, considerare debet M. T. omnium regnum successionem positam esse in manu Dei, qui eam, quibus vult dat, et quibus vult adimit; a quo eo minus illam sperare poterit, quo magis ejus habendæ gratia, divinam suam majestatem offenderit. Præter hæc, ea est ætate M. T., ut primo quidem, valde incertum sit, utrum filios sit susceptura, neene: deinde, etiamsi ex alia uxore non legitime superinducta filium procreatura esset, non tam ipsi exploratum esse potest, illum regni successorem futurum, cum ne ipsi quidem regno expediat, regem ætate tam puerili, sub aliorum tutela futurum habere; quæ res omni illa quidem tempore periculosa, his vero tam turbulentis ejusdem regni temporibus periculosissima foret. Id tamen, vel ex eo majestati tuae notum esse potest, quod hac nostra tempestate, in quibusdam ex majoribus Christianæ reipublicæ regnis accidisse vidimus. Quibus justissimis honestissimisque causis, illa quoque accedit, quod serenissimo Transylvaniæ principe nepote tuo nuper mortuo, non expedit M. V. novarum rerum consilia inire: ea præsertim, quæ Christianorum principum M. T. affinitate conjunctorum animos offendere possint, ne haec sibi occasione oblata, immanissimus Turcarum tyrannus, et aliæ infideles

nationes isti regno finitima, ad invadendam eam provinciam, utantur. Quæ cum ita sint. M. T. vehementer hortamur, et per Omnipotentem Deum obtestamur, ut memor Dei ac nostri, memor proprie salutis atque existimationis, majorumque suorum inclytae memoriae regum splendoris, omnem tam periculoſi atque ignominiosi consilii cogitationem, si quam forte, quod non putamus, suscepit, longe a se abjecere velit: pro certo habentes, nos, ad hoc sibi suadendum, nulla alia re moveri magis quam ab officio nostro, et eximio quodam paternæ charitatis affectu, quam erga M. T. habemus. Quæ, si, quod non credimus, paternis nostris monitis non auditis, omnino id sibi faciendum esse existimaverit, quod hominum rumore ac fama vulgatum: nihil aliud facere poterimus, quam id ipsum, quod factum fuerit, ægerrime ferre, suamque et istius regni vicem dolere: nostramque, atque adeo totius reipublicæ Christianæ calamitatē deplorare. Speramus tamen, quæ sua est erga Deum Omnipotentem pietas, et erga nos sanctamque hanc Sedem Apostolicam obedientia et reverentia, a qua, et ipsa, et maiores sui tot beneficia acceperunt, M. T. sanatoria, tutioraque consilia sectaturam esse, neque quidquam commissuram, quod sibi, regnoque suo perniciem, nobis atque omnibus Catholicis principibus dolorem, eunelisque Christi fidelibus scandalum allaturum sit. Hujus etiam rei causa Laurentio Magio Societatis Jesus religioso mandavimus, ut ad M. T. se conferat, et hæc quæ illi seripsimus, et si quæ alia sunt, in eamdem sententiam præsens præsenti M. T. copiosius exponat. Cui, sine ulla hæsitatione, fidem a M. T. haberi voluimus. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xxii Aprilis MDLXXI. Pontificatus nostri anno sexto ».

88. Juxta hæc igitur, que hic Pius dicit, litteras ad Magium etiam dedit, de quo ista Sacchinus¹: « Pii jussu provincialis Austræ Laurentius Magius, hoc anno, adulto Vere, Poloniæ revisit. Ferebat fama Sigismundum regem, de dimittenda ob sterilitatem conjugé (ea Cæsaris Maximiliani soror erat) ducendaque allera agitare: quod in tam eminenti persona, exemplum erat toti Christiano orbi offensionis magnæ futurum. Ergo vigil pastor, non modo ad bestiarum vim ab sancto Chrisli grege, sed ad morborum quoque luem arcendam intentus, tum datis ad regem, et ad suum internuntium litteris, tum destinato eam ob causam Laurentio, cujus noverat auctoritatem multum apud regem valere, tanto flagitio ire obviam maturavit, etc. » Epistola autem ipsa die vigesima secunda Aprilis ad Magium scripta, ejusmodi fuit:

¹ Sacchin. Histor. Societ. Jesu. part. 3, lib. 7, n. 45. pag. 337 et seq.

« Dilecto filio Laurentio Magio Jesuitæ, Germanicæ provinciæ præposito ¹.

PIUS PP. V.

« Dilecte fili, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Quoniam magno cum animi nostri dolore hue ad nos rumor allatus est, charissimum in Christo filium nostrum Poloniæ regem, de serenissima regina uxore sua omnino dimittenda, atque alia ducenda cogitare; idcirco nos, quamvis ejusmodi famæ temere eredendum esse non arbitremur, nit tamen, pro pastorali officio nostro prætermittere volentes, quod ad M. S. a tam præcipiti in honesto que consilio dehortandam, utile esse existimemus; et ipsi subito ad eam litteras dedimus, quibus illum ab ejusmodi mente revocare conati sumus, et tibi præsentium tenore litterarum mandamus, ut illico, atque eas acceperis, ad eumdem serenissimum regem Poloniæ te conferas, studeasque omnibus modis, quibus recte potueris, M. S. a capiendo tali consilio deterrere; in quo eam diligentiam, celeritatemque adhibere te volumus quam et rei ipsius magnitudo et periculi exposcit; quemadmodum a dilecto filio Melchiore Billio notario, et nostro ac sanctæ Sedis Apostolicæ apud Cæsaream majestatem nuntio, plenius intelliges. Cujus litteris aut sermoni, super his quæ vel ad te scribet vel tecum loquetur, sineulla hæsitatione fidem habebis. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xxii Aprilis MDLXXI, Pontificatus nostri anno sexto ».

Epistole vero (ut vocant fidei, pro eodem Magio ad regem Sigismundum haud paulo post scriptæ, ejusmodi fuere :

« Charissimo in Christo filio nostro Sigismundo Augusto, Poloniæ regi illustri ².

PIUS PP. V.

« Charissime in Christo fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Mandavimus huie dilecto filio Laurentio Magio Jesuitæ, Austriae provinciæ præposito, quem ad majestatem tuam dedita opera venire jussimus, ut tibi quædam nostro nomine exponat, non minus ad animæ tuæ salutem, quam ad nostram sanctæque hujus Sedis Apostolicæ dignitatem vehementer pertinentia. Quocirca petimus a majestate tua, ut non solum ei secum de illis ipsis rebus sermonem habituro, perinde fidem habeat, ac si nos ipsos audiret; sed etiam, ut his, quæ illi exponet, diligenter consideratis atque perspectis, de toto negotio id statuat, quod fuerit e sua salute et nostra dignitate. Id etiam M. T. erit utilissimum et nobis gratissimum. Datum Romæ apud S. Petrum,

sub annulo Piscatoris, die xxii Maii, Pontificatus nostri anno sexto ».

89. Simul primum (inquit Sacchinus ¹) litteras, et mandata Pontificis Magius accepit, quanquam Melchior Billius apud Cæsarem interiuntius, ex quo plura jubebalur cognoscere, iam diem suum obiisset, et profectio in tempus incidisset provinciæ perincommode; raptim nihilominus, absoluto quem habebat provinciali conventu, deditse sese in viam refert.

90. Illoc siquidem anno, sub finem Aprilis præfatum Billium, ex hac vita migrasse, educitur ex Epistola Pii ad Maximilianum, quæ in Regesto Vaticano legitur data, sub die ix Maii hujus anni. Loco autem Billii, ad Cæsarem missum fuisse Apostolicæ Sedis nuntium Delphinum episcopum Torcellanum, inferius dicitur.

91. Et litteris ad regem Sigismundum scriptis, et Laurentio Magio ad illum directo, cum tamen Pontifex plene muneri suo non satiscisse sibi videretur; de hac ipsa re Epistolas, divini honoris zelo referatas, dedit insuper ad episcopos Plocensem, Chelmensem et Kiovensem, ut adnotatur in Vaticano Regesto; ad archiepiscopum autem Gnesnensem ² scripsit hoc modo :

« Venerabili fratri Jacobo archiepiscopo Gnesnensi.

PIUS PP. V.

« Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Etsi pro certo habebamus, te vocationis officiique tui memorem, sicut æquum est, memorem honestatis, personæque ab Omnipotenti Deo impositæ, quam eujusquam alterius rationem esse habiturum, tamen rei, de qua agitur, magnitudo, et commissæ nobis, quamvis indignis, Apostolicæ servitutis sollicitudo, cogit nos nihil prætermittere earum rerum, quas ad medendum tali tantoque, quod ad nos magis magisque in dies certius exploratiusque affertur, regni istius ac Reipublicæ Christianæ malo, utiles atque accomodatas esse judicamus. Quocirca, cum acceperimus charissimum in Christo filium nostrum regem Poloniæ, de serenissima regina conjugé sua dimittenda, et alia ducenda sic cogitare, ut paratam habere jam dicatur pedissequam quædam, quam invitam a parentibus abductam, legitimæ uxori superinducere velit; faciendum esse putavimus, ut fraternalitatem tuam, necessario tempore officii sui admonentes, vehementer, sicut facimus, in Domino hortaremur, ne tam gravi tamque manifesto scandalo, ullo pacto assentiatur; sed potius sacerdotali zelo accensa, animique sui contentione obviam eat. Meminisse debet fraternitas

¹ Ex Archiv. Vatican. ut sup. — ² Ex Archiv. Vatic. ut supra.

¹ Sacchin., ut supra. — ² Ex Archiv. Vatic., ut supra.

tua, quo illius digitas et istius regni primatum excelsiore in loco posita est, quoque plura ab Omnipotenti Deo beneficia accepit, eo poliores magisque peculiares partes suas esse debere, in tam aperto peccato detestando, et quantum pro sua parte facere potes, prohibendo. In quo ipso peccato, si nihil aliud, quam ipsius rei turpitudine, perpetuaque regiae familie macula inesset, haec ipsa tamen per se satis esse poterant, quibus unusquisque bonus Catholicusque vir delerri debaret, quomodo ejusmodi rei indignitati assentiretur. Nunc vero res ita se habet, ut cum singulari quodam illius dedecore, istius regni pernicies religionisque Catholicae interitus conjunctus futurus sit. Nihil enim aliud propositum est his, qui successionis spe objecla, tantum crimen serenissimo regi persuadere conantur, nisi, ut hoc, quasi aditu ad cætera quæ jamdiu moluntur extorquenda palefacto, M. S. hoc, quasi beneficio, sibi ad quidvis in posterum concedendum, vel certe in perniciosissimis eorum hæresibus connendum, obstrictam habeant. Est enim hoc Diaboli humani generis hostis, valde proprium, ut ex uno semine mali, plura semper malorum genera disseminare conetur. Quibus jam imminentibus, nisi aperte quantum potes restileris, primum quidem gravissimum in Deum animamque tuam peccatum admittes; deinde proprium officium deseres, religionis Catholicae causam prodes, regem ipsum, atque adeo regnum totum in maximam miserrimamque calamitatem conjicies; denique omnium animarum, quas ob hoc ipsum ad æternum mitti cruciatum contigerit, rationem in districto illo judicii die reddere debebis. Non est autem desperandum regem ipsum, si id quod facturus esse dicitur, a principibus sui regni, Ecclesiasticis præserlim viris, improbari, atque apud eos detestabile esse cognoverit, paratosque eos esse, quidvis perpeti potius quam ut tanto decori assentiantur: adjuvante Deo, respiscere, atque ad mentem corque suum redire posse. Alque utinam Deus cordi tuo, pro sua misericordia aperire dignetur, quanto sibi ipsi præstel, si ita necesse esset, vitam amittere, et sanguinem profundere, quam officii proprii religionisque desertæ ignominiosam fœdamque memoriam apud posteros relinquere. Elenim vita ipsa mortalis, brevis: quam lu, si in officio permaneris, cerle hac tam præclara ratione, valde honestabis; si vero ab eo recesseris, nomen tuum infamium catalogo adnumerabitur. Quæ cum ita sint, fraternitatem tuam fraterne monemus atque hortamur, ut Dei salutisque suæ memor, propriaque officii non oblita, non patiatur partes suas a nobis, atque ab hac Sancta Sede Apostolica tam necessario tempore desiderari. Quod si fecerit, vehementer nos rei ipsius, iuque insuper causa, in Domino gau-

debeamus; sin minus dolorem nostrum exonerare a nobis conscientiae nostræ solatio consolabimur. Datum Rome apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die in Maii MDLXXI, Pontificatus nostri anno sexto».

92. His Pontificis monitis excitatum Jacobum Uchanskum Gnesensem archiepiscopum, muneri suo minime defuisse, ea ostendunt, quæ narrat Cadanus¹, qui palam illum regiis conatibus obstilisse, remque insolentem in Polonia tentari, Sigismundo coram dixisse narrat. In re autem, que omnium gravissima merito censebatur, siluisse maximum illum fidei ac Polonici regni defensorem Hosium, minime censendum est. Nihilominus, ex multis ab eo hac de causa conscriptis Epistolis, ut Rescius asserit, nec unam quidem inter ejus litteras reperi potuimus. Resciū enim ipsum, qui illas undequaque collegit, inter ipsas, eas dala opera inserere prælermissee, quæ de hoc negotio agebant, ne nimiam horrendamque Sigismundi turpitudinem palam magis mundo faceret, existimamus. Fragmenta tamen nonnulla refert in Vita ejusdem Hosii², quam conscripsit, dum illius ad avertendam regi conjugii separationem conatus narrat his verbis:

93. «Moliebantur interim in Polonia hæretici, nescio quæ separationis consilia, inter regem Sigismundum, et reginam Catharinam Ferdinandi filiam; quæ si ad finem perduxissent, magnam universo regno et Christianæ religioni securim intlixissent. Sed adest semper Ecclesie suæ Deus, qui Hosium excitavit, ut istorum conatibus obviam eundum esse existimaret: et regni senatores primo, deinde ipsum quoque regem, ad commune hoc quasi iucundum exinguendum inflammaret, qua de re in eam sententiam alienbi scripsit: Totus perhorresco, cum quæ consilia capiantur, et quæ sint hominum cogitationes audio, quæ non alio spectare videntur, quam ad avertendas, quas hic habet fortunas, majestas regia, ad existimationem illius, quin et regni totius salutem, labefactandam et convellendam, denique ad multorum animas, tam facientium, quam consentientium, in profundum Barathri demergendas. Non credo, quod ullus fuerit a sæculo pestilentior hæreticus, quam impius ille Bernardinus Occhinus, qui num etiam Deus esset, aut num ulla rerum humanarum cura tangerebatur, in dubium ausus fuit revocare. Hujus tamen hominis nefarii consiliis, in patria nostra locus dari dicitur: que, si, quod absit, progressum haberent, etiam elementa contra nos insurgerent, nec tam atrox facinus ferre possent. Totum orbem concitaremus contra nos, et opinione nostra celerior, cerlissimus regni totius interitus sequeretur. Quamobrem,

¹ Cadan, ut supra. — ² Vit. Hosii, lib. 3, cap. 6.

quantum regiae majestatis, regnique totius salutem conservatam cuperent, tantum enterentur, ut his pestilentissimis consiliis obviam iri queat, quo totus orbis intelligat, quae sparsa sunt esse vanissima, nec ulla de re minus in Polonia, quam de hoc tam execrando flagitio cogitatum fuisse. Regiae quoque Majestatis diligenter supplicavit, ut nascientis mali initia oppimeret, nec auresullo pacto preberet eorum turbulentis consiliis, qui reges et regna perdere non dubitant, ut fidem Catholicam simul evertant. Tanti facio (ait, ad eundem regem scribens), et forlunarum et animae praesertim Vestrae Majestatis salutem, ut mihi salus illius mea ipsius salute charior non sit, neque dubitaverim de gratia apud M. V. quin et de corporis mei salute prius in dubium venire, quam ut aliquod eorum pretermittam, quae ad salutem V. M. conservandam pertinere putarem. Nosse me jam debet M. V., quandoquidem totis jam fere annis XL, M. V. simul et domino parenti illius ita servivi, fidem ut illi meam et integratem satis probasse videar. Fumos istos, quibus multorum oculi perstringuntur, ambivi nunquam, quod scit ipsa M. V.: imo ut ad alios transferrentur, petivi: quod ipsum et Romae feci ante annos duodecim. Et quamvis totos XV annos in aula majestatis vestrae, dominique parentis illius fuerim versatus, nunquam tamen aulice loqui vel scribere didici, nec tam privatis meis rationibus, quod hominis cauti et aulici esse videtur, quam publicis cayendum et consulendum putavi. Factus autem episcopus, cum per XXII annos ab aula abessem, ac totus saeris libris evolvendis, quibus nihil est cum illa commune, immersus fuisse, longius ab ea scribendi consuetudine, et ab his moribus, quos aula requirit, fui remotus. Quo majore venia dignus esse videor, si solita mea simplicitate, apud majestatem vestram in scribendo et dicendo ut. Non contra te, o rex, scripsi quod scripsi. Prote salutem tua scribo, quidquid scribo. Memento, o rex, per quem regnas. Memento cuius minister es; memento pro quo gladium portas; memento rationem tibi reddendam esse, et cogitationum et actionum tuarum omnium; non solum antem tuarum, sed et eorum, quos regendos suscepisti populorum eorum illi justissimo vivorum et mortuorum, judici Christo.

« Non poteris ibi dicere: nō tens feci, ignorans feci, coactus feci. Ecce ego, quamvis indignus, tamen sacerdos et episcopus tibi annuntio hoc, quod agitur, quod tibi suggeritur, ad id comparatum et institutum esse, ut religio primum, deinde regnum quoque hoc tuum evertatur; quibus eversis, quid de te futurum sit, cogita. Non enim subtrahet personam ejusque Deus, qui est vere omnium dominator, nec verebitur magnitudinem ejusque, quoniam pusillum et magnum ipse fecit, et aequaliter est illi cura

de omnibus; fortioribus autem fortior instat cruciatio. Quamobrem, quod olim in simili negotio majest. vestr. respondit omnibus regni consiliariis, quid impedit quominus, et nunc elانularis istis consiliariis respondeat? Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, anima vero suæ detrimentum patiatur? Aut, quam dubit homo commutationem pro anima sua? Non tantum tibi fuerat regium diadema; non regni tam ampli, tam copiosi; non tam adjunctarum illi terrarum imperium, ut eorum amittendorum metu faceres quod facere te, salva fide religioneque tua, non posse putares. In eadem plane te quoque nunc esse sententia, palam omnibus ostende. Non admittit ratio fidei Christianæ allegationem necessitatis. Nulla est necessitas delinquendi, ubi una est necessitas non delinquendi. Fortior enim est unus Deus, quam mille millia legionum Diabolorum, et hæreticorum omnium. Ponant illi contra cœlum eastra, ordinent contra te acies, tu semper habebis commilitonem Deum. Malo, serenissime rex, scribere salutaria quam blanda, malo vera quam grata: et fidi senatore atque servitore, at adulatore atque assentatore, me rex meus nunquam utetur: cum hæc duo simul consistere nequeant. Quod olim scripsi, idem etiam nunc dico. Si, quod pro sua misericordia procul Deus avertat, de sublimi Ecclesie turri labentem regem, dominum et benefactorem meum viderem, etiamsi certa mihi mors esset oppentina, Christo tamen robur mihi suppeditante, corpore meo ruentem excipere, et illius interitu salutem ejus redimere nihil habesitarem. Quamobrem, te quoque supplex oro, Domine Jesu Christe Salvator et Redemptor noster, per acerbissimam et ignominiosissimam crucem tuam, et gloriosam Resurrectionem tuam, averte pestem hanc a nobis, et libera nos ab hac tanta ignominia, et a gravissimis Diaboli temptationibus. Dissipa consilium Achitophel. In te semper, a puero, meam spem et fiduciam habeo collocatam, nec unquam ea sum frustratus, nec nunc me frustratum iri confido. Exaudi precies servorum tuorum, et miserere nobis ».

94. Sic apud Reseum Hosius, qui cum totam invidiam criminis, quod Sigismundus meditabatur, in Bernardinum Oechinum rejicit; id justissime ab eo factum scias. Nefarius siquidem ille hæresiarcha, dum in Polonia esset, inter alia seclerata scripta, librum de Polygamia composuit, illumque Sigismundo dicebat; in quo Veteris Testamenti auctoritate, Christianis licere plures habere uxores, demonstrare connititur. Idemque dogma ab eodem Cracoviæ pro concione publice jactatum, prefatus Reseius scribit. Ideoque, inquit Ræmundus⁴, non minor fæmineum ibi sexum

⁴ Ræmund. lib. 3, cap. 5, n. 6, pag. 230.

pavor ac consternatio invaserat, quam Romanas olim matronas, a Papyrio Praetextato deceptas.

95. Ab iniurissimo igitur ac turpissimo hoc apostata, zizania illa in corde Sigismundi superseminata, adeo radices altas jecerat, ut haud facile ipsam convettere fuerit. At de Magio ad illum a Pontifice missō, scribit Sacchinus¹, quod expedite obedientiae quidem fructum non amisit; causam tamen Vincentii Portici, apud regem intermuntii, egregiam fidem, adjunctamque prudentiae animi magnitudinem, eo loci jam perduxisse asserit, ut Magius minus necessariam operam suam ratus fuerit; unde ad alia sue societatis sese converterit. Verum, quo magis commendanda hujus scriptoris sinceritas cognoscitur, qui nil suis præter simplicem veritatem arrogat; eo ab illius relatione discedere ex his quæ sunt deinceps consecuta, cogimur. Si enim per Porticum, ut ipse dicit, cuncta jam fere composita erant; quænam, quæso, Pontifici Maximo necessitas ineubuit, ut eadem de causa cardinalem Commendonum, hoc ipso anno in Poloniā legatum mitteret? Dum enim Commendonus apud Maximilianum Cæsarem ageret, occasione quam suo loco memorabimus, rem etiam, quam præ manibus habebat, infectam relinquere jussus, in Poloniā protinus, magnis itineribus sese conferre a Pio præcipitur. De qua ejusdem cardinalis legatione, ista Gratianus² in ipsius Vita, monumentis mandavit:

96. « Causa properandi in Poloniā Commendono fuit, quod, et rumor in dies percrebescerat, et multorum afferebant litteræ, Augustum regem, veteri sua repudianda uxoris cupidine agitatum, nova per hæreticos moliri consilia. Nobilem puellam, insigni forma, e sororis gynæcæo abductam seposuisse. et per absentiam uxoris, liberius jam novo conjugio viam sternere. Nam regina (ut supra demonstratum a nobis est) cum nullis precibns suis suorumque impetrare a viro potuisset, ut in domum conjugalemque convictum recipetur, pertæsa contumelia, excesserat regno, seque in Austriam ad Maximilianum fratresque contulerat, atque Lintzii, in fraternæ editionis oppido, cultu modico, et paulo supra privatæ vitæ modum agebat, cum præsenti mœrore ac sollicitudine afflita, tum anxia futuri, nec effrænatæ regis cupiditalis, nec eorum quæ sum maxime moliretur ignara. Cum secundo Istro navigans Viennam descendenter Commendonus, Lintziumque visendi causa reginam appulisset (est enim in ripa fluminis situm), illa multis cum lacrymis preeibusque se ei famam salutemque suam commendaverat, quæ de novis regis adversum se machinationibus cognove-

rat, edocuerat. Quidam studio assentandi, sequæ in regis gratiam insinuandi, sopitam spem ejus exsuscitaverant iterum, et cui rei vehementer Commendonus se semper objecerat, eo adduxerant, ut et litteras ad Pontificem Maximum, tentandi causa animum ejus daret, et litteras scuturi mox legati fuerint, qui sterilitatem reginæ, inopiam liberorum, necessitates regni, populorum studia precesque afferentes, dirimi matrimonium postularent. Profectus igitur Commendonus, ad V kal. Decembris, maximie sævo anni tempore, ægre superatis nivibus, que in frigidissimis regionibus omnia tenebant, in Poloniā pervenit. Et quamquam multi principum, ex veteri amicitia affines, illi testanda benevolentiae, atque officii causa præsto fuerunt, a quibus pleraque de præsenti statu rerum accepit; tamen antequam pergeret ad regem, qui Varsavia in regno erat, substitit apud Petricoviam, simul corporibus suo suorumque ex longinqui maximeque incommodi itineris labore reficiendis; simul quo certe omnia exploraret, omniumque gnarus in regiam veniret.

« Interea, qui salutem regi, adventumque suum nuntiarem, multaque quæ ante statuenda præparandaque erant curarem, Varsoviam me antecedere jussit. Omnibus demum satis exploratis comparatisque, ipse aliquot post dies advenit, omnibus honoribus, qui deberi ejus fastigii viro videbantur, acceptus, cultusque cum a rege ipso, tum a principibus gentis: et rex quidein, quamvis ex recenti morbo infirmus, et podagræ doloribus ægre pedibus consistens, tamen intranti regiam scipione nixus, per scalarum gradus occurrit, comiterque congressus, ei latere dextero, honoris gratia, cessit; atque inde, quoties, aut in regia, aut in templo congressi sunt, semper eum supra se collocavit». Sic Gratianus. Reliqua autem de his, quæ cum Sigismundo egit, ad sequentem annum pertinere agnoscuntur; cum enim præsenti jam dilabente Polonicum iter Commendonus arripuerit, in eoque reginam Catharinam inviserit; aliquo insuper dierum spatio Petricoviæ substiterit; ac demum, ut idem Gratianus asserit, non statim cum rege, de negotio, ob quod præcipue missus fuerat, egerit; evidenter apparet, in sequentem annum cætera, quæ ad ipsum spectant, esse rejicienda.

97. Ex litteris autem tentandi causa ejus animum, a Sigismundo ad Pontificem datis, Pontificem ipsum adductum fuisse existimamus, ut Commendono Polonicam hanc legationem demandaret: nam eas, quas proposuimus litteras, tum ad illum, tum ad archiepiscopum Gnesensem, aliasque scripsit, certum est regis ejusdem, de dimittenda uxore consilium, ab aliis quidem, non vero ab eo Pontificem recessisse; ex quorum etiam relatione compulsus

¹ Sacchin. ut sup. — ² Gratian. Vit. card. Commendon. lib. 3. cap. 9, pag. 289 et seq.

Pius idem, Laurentium Madium in Poloniā direxit. Qui Madius, opera Portici omnia composita existimasse censemus, quod rex simulatione cum eo usus, illius monitis se acquievisse monstraverit, quia alia ratione, nempe per suos data opera missos ad Pontificem legatos, cum eo de divertio agere decrevisset. Quem Sigismundi animum, cum ex illius Epistolis, tentandi causa ad se missis, Pius exploratum habuisset, agnovissetque se frustra in ea re operam Portici ac Magii adhibuisse, tandem ad Sigismundum ipsum Commendonum mittere statuī, ut illum a sententia deterreret.

98. Illud insuper, quod ad archiepiscopum Gnesnensem scripsisse Pontificem vidimus, regem nempe sic cogilasse de conjugē dimitenda et alia ducenda, ut paratam jam habere diceretur pedissequam quamdam, quam invitam a parentibus abduclam, legitimæ uxori superinducere vellet, iis minime opposita quæ Gratianus tradit censenda sunt; nam pedissequæ nomen hanc immerito tribuere Pius potuit nobili eliam pueræ, ex eo videlicet, quod qualiscumque fuisset, ex sororis nihilominus tandem gynæco esset; gravoso illo usus, nimurum, vocabulo, ad Sigismundi impietatem atque turpitudinem animo amarissimo exagerandam. Si tamen (quod magis veritati consonum nobis est) eo nomine censere Pontificem voluisse existimandum non sit, vilissimam pellicem, cuius amore tam perdite rex tenebatur, ut multorum opinione, ad Pium fortasse delata, ea in reginæ locum subroganda crederetur. Et revera, ut idem Gratianus tradit, adeo vulgaris hujus scorti cupidine implicitus Sigismundus tenebatur, ut Commendonus ea de causa, de re, ob quam a Pontifice missus fuerat, cum Sigismundo verba facere, supersedere posse existimaverit: et, quod majus est, paulo post, ut dicetur, e vivis sublata regina, cum conjugali vinculo solulo, eidem Sigismundo liberum esset ad alias nuptias transilium facere; ipse tamen infamis ejusdem scorti blanditiis definitus, novum connubium ulterius, neque exquisierit, neque optaverit.

99. Annam, regis Poloniæ sororem, Pontifex cumulat laudibus et gratiis spiritualibus. — Et quia, de sorore Sigismundi, alias memorata, mentio incidit, præclaro illius et religionis Catholice zelo et pietati, ob ea præcipue, quæ Pio monente cum sorore Calharina Sueciæ regina egerat, illustre testimonium perhibet hoc anno, a Portico Apostolico internuntio, ad cardinalem Alexandrinum scripta Epistola; quæ a proprio originali accepta¹, ac ex Italico, Latino sermoni redita, sic sonat:

« De serenissima infante jam scripsi: nunc vero longiorem cum ea sermonem protracti,

eo quod ipsa, rege abeunle, Varsoviæ continuo maneat. Repetam igitur, quod propter eximum religionis zelum, ac studium quod ipsi inest, opera illius in hisce paribus, ob publicum bonum, magni facienda est. Ideoque, si Sanctitas Sua, vel rosa benedicta, vel diplomate indulgentiarum Urbis, vel utroque eam decoraret; id non nisi justum ac proficiens judicarem. Præcipue scripsit, ut quoque ego feci, ad serenissimam Calharinam sororem suam, nunc Sueciae reginam, ut eam adduceret, inter læta in quibus versalur, ut sollicite apud conjugem ageret, ut, novis opinionibus abjectis, ad securitatem ac puritatem Catholice religionis redire velit. Tanto siquidem fervore officia charitatis ac devotionis amplectitur, ut nil ulterius ab ea desiderare habeam. Varsoviæ die xxiii Decembris MDLXXI ».

His igitur aliisque pietatis ac fidei serenissimæ hujus principis studiis permotus Pontifex. Indulgentiarum munere hoc anno eam cumulare decrevit. Quod illa Pontificia liberalitatis donum gratanter accipiens, sequentem ad Pium Epistolam reddidit; quam nos, ex proprio originali¹ hic inserendam transcripsimus: ea nonnihil differt ab illa, quam Bzovius. Gaubau aliique edidere:

« Sanetissime ac beatissime pater et domine, domine clementissime, observantiam meam, et fidem perpetuam, cum humillimorum servitorum, et orationum commendatione Sanctitali Veslræ reverenter defero. Quoties mecum recognito, beatissime pater, quam luculenter, et quoties S. V. clementiam, et vere paternum erga me affectum litteris suis testari dignata sit; toties senlio me trepidare de merito et obmutesco, et quibus verbis gratias agam non reperio. Vellem equidem, clementissime pater, re ipsa posse præstare, quæ pro servitio S. Sedis Apostolice desiderarem; sieque Sanctitati Vestræ optimam reponere gratiam. Verum quod volo, non valeo. Novit multis in rebus reverendus dominus legatus propensam voluntatem, dum pro munere suo religionis sollicitam curram gerens, mecum aliqua familiariter contulit. Quod autem novissime cumulatis suæ gratiæ donis, in stationibus transmissis, me complexa sit paterna charitate ejus beatitudo; vere mihi in gloriam Dei causa est lætandi, qui ut a me multum diligetur, tot indulgentias per ejus vicarium donavit: et ut mirabilem mihi faceret gratiam suam, in eam hæc spiritualia munera contulit, in qua meritorum suffragia non inventit. Ipse igitur, qui Sanctitatis Vestræ ministerio gratiarum est auctor, ne sub tantis beneficiis succumbat infirma, det mihi virtutem, ut in illis pie me exerceam; et beatitudini suæ omnium, et terrenarum, et cœlestium rerum

¹ Ex MSS. Cod. Arch. Bonell.

¹ Ex origin.

felicitatem concedat. Quod superest, per hanc mihi respondendi oblatam occasionem, pro exoneratione conscientiae cogor, et pro eo quod religioni renascenti et Ecclesiae Dei in hoc regno debeo aperte dicere, quod si possem S. V. in praesentem regni statum perducere, ut videre possit, quos fructus, splendor, dignitas cum bona vita et modesta prudentia tractandi mores gentis nostrae, tranquillitati regni, et superandis quæ instant difficultatibus adferret: procul dubio S. V. pro suo erga religionem zelo, et erga felicitatem hujus regni paterno affectu, me regiam majestatem, Catholicos et pios viros, ad idem intendentem dintius suspensos non detineret in ornamento et accessione supremæ dignitatis in hoc nuntio Apostolico, in quo, in hoc necessario tempore, et religio, et regni tranquillitas id exigere et exposcere videntur. Hoc solum, pro majori fructu desiderari notorium est. Interim bene valere S. V. cupio: eni perpetuum studium et observantiam, uti obsequentissima filia pollicor et defero; optoque, ad multos annos, incolumitatem, et Christianæ ac Catholicæ pietatis propagationem. Datum Varsoviae iv Aprilis MDLXXI.

« Ejusdem S. V. obedientissima filia Anna, infans Poloniae ».

100. Utinam Sigismundus, qui hoc præsentim tempore, pro volo impudicarum mulierum (ut narrat Gratianus, nosque alibi narrabimus) cuncta gerebat, piissimæ hujus suæ sororis exemplis ac sensibus adhæsisset; aliter enim proculdubio, tum regni, tum religionis res sese habuissent. Verum illa, quod volebat obtinere, nullatenus valebat; obturatas siquidem a turpi sua concupiscentia habens aures et cor, salutaria remedia Sigismundus, in summam sui atque Reipublicæ perniciem, nullatenus admittebat.

101. *Præclaro elogio Nicolai Radzwił commendatur.* — Peculiari quoque elogio commendandum visum est Pio Catholicæ religionis studium, in præclarissimo Nicolao Radzwił, scripta ad eum sequenti Epistola¹, in qua ejus virtutes recenset:

« Dilecto filio nobili viro, Nicolao Radzwił.

PIUS PP. V.

« Dilekte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Quæ de tuo religionis Catholicæ studio, divinique honoris zelo lætiora et exploratoria in dies ad nos afferuntur, hæc, ut par est, tanta nobis in Domino animi lætitia afficiunt, ut ad eam tibi quoque significandam, has ad te litteras nostras dandas existimaremus. Omnino præclara quædam de tua pietate in nostram notitiam perlata sunt, ex quibus cognovimus

te, non solum domi tuæ neminem habere velle, seus quam Catholicæ Romanaque fides doceat, de Christiana religione sentientem; sed etiam e domo fratrum tuorum, quosdam hæreticos magistros, datis eis Catholicis ministris, expulisse. Praeterea bona Ecclesiastica his, quibus erupta fuerunt, restituere; ac quotidie aliquid agere, quod omnibus piis Catholicisque viris magnam afferat spem, te ad profanas vocum novitates reprimendas, quæ, sugerente Diabolo, Christiani nominis hoste, in isto regno non ita pridem exortæ sunt; veterisque religionis corruptam doctrinam, in pristinum statum restituendam, non parvum, exemplo tuo, momentum esse allaturam. Laudamus piūm istūm anūm tuūm; quæque ejus declarandi causa fecisti, debitūs in Domino laudib⁹ commen-damus. Intellexisti enim id, quod multi ab hæreticis seducti, impudenti quodam pudore præpediti, adhuc intelligere non potuerunt: ea, quæ corde ad justitiam creduntur, ore con-fitenda esse ad salutem; nec propriæ animæ incolumitatem esse erubescendam. Quia vero reete factorum conservatrix est perseverantia, sine qua regnum Cælorum obtineri non potest, idecirco te hortamur, ut saluti tuæ non desis, sed quæ semel, adjuvante Domino, inchoasti, ea ad exitum perducere constanter perseveres; meminerisque nihil generis tui nobilitati magis convenire, quam ut eam religionem omni studio, atque etiam proprio sanguine tuearis, quam ab Apostolorum temporibus, ad hanc usque ætatem deductam, S. Catholicæ Romana semper tenuit Ecclesia: quamque ipsa Polonia, per longam sæculorum seriem, ante hos quinquaginta annos, constantissime retinuit. Quod multis tu quidem modis facere poteris, præcipue aulem jurisdictione tua, ab omni hæreticorum pravitate, quam tu pateris, purganda: ut exemplo tuo commoti cæteri istius regni proceres, ad idem præstandum excitentur. Quod, quamvis te, pro tua pietate facturum esse sperremus; tamen paternis nostris hortationibus inflammatum, aliquanto aerius atque vehementius præstirum esse, existimavimus. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xii Aprilis MDLXXI, Pontificatus nostri ann. vi ».

102. *Joannes Chodkewic et Schalichius in gremium Ecclesiæ redeunt.* — Inter tot Poloniæ regni calamitates atque procellas, a quibus tum religio, tum ipsius regni status supra modum jactari visus est; nonnulli tamen, ex errorum naufragio, in verae fidei portum sese hoc anno recepere. Inter quos adnotatur Joannes Chodkewic Samogitia capitaneus, ac Livoniæ gubernator; cui, ad Catholicæ Ecclesiam redditum, haec Epistola gratulans est flosius: qui etiam in ea, demandatam cardinali Commendono, a Pontifice Polonicam, quam paulo ante retulit-

¹ Ex orig.

mus legationem, memorat; ac cum eodem cardinali, Francisci Toleti in ipsum regnum adventum. Scripsisse autem¹, sub finem hujusmet anni, ex ipsius verbis apparet, quæ ejusmodi sunt:

« Novum hunc annum dominat. vestræ faustum, felicem et forlunatum precor, idque tanto majore studio, quanto lætiorem accepi nunlium, quod veterem hominem exherit cum moribus et aetibus suis, et novum induerit, qui secundum Deum creatus est, in justitia et sanctitate veritatis; exuerit antichristum Genevensem, et induerit D. N. Jesum Christum in Bethleem natum; exuerit illum, qui cum sit mendax et mendacii paler, ausus est arguere mendacii Veritatem dicentem, accepto pane, et calice: *Hoc est corpus meum, et hic est sanguis meus;* induerit autem ipsam veritatem, quæ sicut falli, sic et fallere nescit. Credibile non est, quantum ex hac illius novitate lætitiam animo conceperim, ut major etiam non fuerit qua fui perfusus, cum allatum hue esset de insigni victoria, quam Christianorum classis ex sempernisi Christiani nominis hostibus retulit. Nam et ipsa dominatio vestra, non multo est minorem triumphum consecuta, quandoquidem Antichristum Genevensem superavit, qui variis ausibus illam oppugnatam, in suam quodammodo captivitatem redegerat. Quamobrem, hanc tantam victoriam dominat. vestræ gratulor vehementer, atque ut illam perpetuam esse velit, majoremque in dies in illa progressum esse factum videamus, Denique supplex precor. Certe, si quemlibet copiosum Moschorum exercitum superasset, majorem ex ea re, et apud homines laudem et apud Deum gratiam consecuta non esset. Cum vero divina gratia et misericordia factum id est, illi pro munere suo gratiae sunt habendæ maximæ. Vestræ vero illustri dominationi summo studio contendendum est et elaborandum, ut quo magis offendit superioribus annis majestatem divinam, dum a Christi Corpore et ipsa se disjunxit, et alios non solum verbo, verum et exemplo, ad eadem consilia separationis amplectenda incitasset; eo nunc ardenter instet, ut non modo justum, ex anteacta vita dolorem præ se ferat, verum etiam ab his erroribus, quibus ipsa fuit implicata, quamplurimos explicare, et in viam veritatis reducere possit. Quam ad rem, dominat. vestram hortarer, orationeque mea inflammarem, nisi illam id quotidie sua sponte facere cognovissem; ut currenti, quod aiunt, calear addere necesse non sit. Praecclare autem cecidit, quod sub hoc ipsum tempus missus est isthuc a S. D. N. Sanctæ Sedis hujus legatus, vir insigni doctrina pietateque præditus, illustrissimus cardinalis Commendonus: quem ego, sicut

D. Petrum ad Cornelium centurionem divinitus missum esse non dubito; ut quæ ille Cornelio, ea præstaret hic dominat. vestræ, non ut eam baptizaret, absit enim, ut quem semel Baptismum rile suscepit, eum iteret; sed ut illi diceret, quid eam oporteat facere, ut ad illius Ecclesiæ gremium, a qua semel se disjunxit, quasi postliminio redire, et reconciliacione faeta, ab ea recipi queat; quem, ut omni humilitate benevolentiaque sua prosequatur, et ei se dicto audientem in omnibus præstet, ab dominat. vestra pelo. Quanto magis in illius familiaritatem insinuaverit, tanlo majorem ex ea re voluptatem et utilitatem percipiet, et eam consuetudinis, quam habuerit cum illo, minime pœnitibet. Habet autem etiam, et in comilatu theologum quendam insignem, nec eruditione magis quam pietate præstantem P. Franciscum Toletum. Cum eo recte de rebus omnibus ad religionem spectantibus conferre poterit, neque dubito, si quis adhuc in illius mente scrupulus residet, quin eum dominationi vestræ facile sit exemplurus. Romæ xxix Decembris MDLXXI ».

103. Ad insignem victoriam, qua Turcarum vires hoc ipso anno a Christianis altritæ sunt, procul dubio, quod de iisdem dicit referendum es. Habemus insuper, ex alia ejusdem Hosii hoc eodem tempore scripta Epistola, Schalichii cuiusdam haeretici in Ecclesiæ Catholicæ gremium redditum; scribens enim ad Laurentium Magnum, inter cætera hæc dicit¹: « De Schalichio nihil mihi novi scribil, quin fuit apud metabellarius quidam ab eo missus proximo mense Januario, qui libellum hunc una cum aliis, litteras etiam a Schalichio scriptas mihi reddidit; quibus conjunctæ fuerunt etiam litteræ Monasteriensis episcopi, quibus mihi Schalichium commendat. Cui rescripsi, gratulari me Schalichio, quod ad mentis redierat sanitatem. Quod autem per me Schalichium adjuln vellet, id in comitiis, ab ipsa regia majestate et regni cancellariis rectius peti posse. ² Addidi me Schalichio nihil respondere, propterea quod metuerem, sicut consuevit facere, ne typis mandatas litteras meas pervulgari curaret. Sed me tamen illi resipiscentiam hanc gratulari plurimum. Est quod agamus Deo gratias, quod ad Ecclesiæ gremium plerosque redire, misericordiam Dei conseculos videmus, etc. ». In eadem Epistola, pluribus etiam agit de calumniis, quibus Societalis Jesu alumni, qui præ omniibus Itærellicorum conatibus sese objiciebant, ab iisdem impelebantur. Verum, qui fusi ora de his desiderat, Sacchinum consulat, qui prolixo ea dictamine, in sua ejusdem Societatis Historia prosequitur.

104. *Cromerus, coadjutor Varmiensis, datis litteris a Pio laudatur.* — Summo autem gaudio

¹ Epist. Hosii 152, p. 321.

¹ Hosii Epist. epist. 143, pag. 298. — ² Scripsi vel quid simile.

affecere Pontificem, et missa fidei professio, et scripta ad ipsum Epistola Martini Cromeri, quem ejusdem cardinalis Hosii Varmiensis Ecclesie coadjulorem, Pium elegisse, anno præterito narravimus. Id testatur Epistola, qua ad ipsum respondit, quaque dignis laudibus proseeuntur Cromerum, eundem ad pastorale munus alacriter subeundum, hortalur.

« Dilecto filio Martino Cromero, Varmiensis episcopi coadjulori.

PLVS PP. V.

« Dilecte fili, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Grata fuerunt nobis litteræ tue xv Februarii die ad nos datae, cum quibus fidei Catholicæ professionem quoque accepimus, quam apud Vincentium Porticum notarium nostrum, ac pro nobis et Sede Apostolica in isto regno nuntium professus est. In ea re pietatem tuam et Christianæ religionis studium, multo antea nobis perspectissimum, in Domino laudavimus, teque ad onus tibi a Redemptore nostro, cuius in terra vices quamvis indigne gerimus, impossum, libenter ac fortiter ferendum sustinendumque hortamur. Jugum enim ipsius suave est, et onus illius leve his, qui ejus misericordia freli, omnia in illo possunt qui eos conformat. E quorum numero, cum unum te præcipuum in tanto regno esse sciemus, qui gregem tibi creditum, non minus exemplo, propter vitæ integritatem, quam verbo, propter doctrinam pascere possis: in coadjutoria Ecclesiæ Varmiensis fidei tue mandanda, non tibi dare beneficium, sed ad laborem sollicitudinisque nostræ parlem te vocare voluimus. Quod quidem munus eadem te voluntate ac studio administraturum esse non dubitamus, quo in Catholicæ religione, non solum observanda, sed eliam propugnanda et propaganda, et antea usum te esse scribis et in posterum usurum esse persuasissimum habemns. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die ii Maii MDLXXI, Ponflicat. nostr. anno vi ».

103. *Moschi suæ immanitatis dant pœnas.* — In Livonia, sub anni præsentis initium, Moschi, ut narrant Neugebavarus ac Thuannus, post solulam Revaliæ obsidionem, Finlandiam Sueciæ provinciam ingressi, atrocity populati sunt. Qua re graviter commoli Germani, qui Moschii militabant, et in iis quidam Reinoldus Rosa, Equitum præfectus, in diœcesi Derpartensi mortalus, re cum Joanne Taubio et Elardo Crusio, qui immanitatem tyranni, qua in subditos saeviebat, odisse, et ab eo deficere cœperant, collata; Derpartum ex improviso occupare, eamque Moschi tyrannidis jugo liberare conatus est. Verum cum Rosa minus caute ageret, nec a civibus Derpartensibus Germanis, consilii

ipsius ignavis, adjuvaretur, a Moschi præsidio repulsus, et caesus, exitium oppido, cui libertatem parabat, acceleravit: plerisque civibus a Moschis crudeliter trucidatis, ac bonis eorum direptis. Taubius et Crusius, quos ad summum dignitatis fastigium Moschus evectos, saepè a fide commendarat, male sibi concisi, ad Poloniæ regem transfluerunt. Verum, tot innocentium clades a Moschis patrals e vestigio subsequi divina justitia visa est; nam eodem fere tempore Moscuam, totius Moscoviae metropolim, ingentis ambitus urbem, sed paucis adiunctis exceplis, totam ligneam, Tartari Præcopenses, gens vaga, ex inopinato irruens, sub Prempsecchio duce, injecto igne penitus exardere fecerunt; quo incendio innumerabilis paene populi multiludo flamma fumoque absimpta est. Una arx principis, lapide structa, et ampli oppidi instar, incendio ac igni superfuit. Magnum captivorum copiam hostes inde abduxerunt, ingentem prædam. Abeentes autem cum ea, dum Moschi ardentius insequuntur, a Tartaris fugere creditis circumcincti, omnes ad unum interfeci sunt. Ita Deus (inquit ab Isselt) nonnumquam tyrannos inter se committit, et immanitatem unius, alterius feritate plectit. juxta illud: Castigabo inimicos meos de inimicis meis.

106. *Carolus Galliæ rex agit cum Navarræ regina de conjugio inter ejus filium et sororem suam ineundo.* — In Gallia, dato, ut diximus anno superiori, a rege Arturo Cossæo, et Philippo Gurtæo Protero, libellorum supplicum magistro, negotio, ut Rupellam proficiscerentur, et de vera edicti pacificationis interpretatione cum Protestantibus agerent, Januario ineunte, ad eandem urbem pervenere, ibique cum illis, ut narrat Thuanus, in occulto actum de matrimonio inter Margaritam regis sororem, et Henricum Navarræ principem, ac bello in Belgio contra Hispanos movendo, Auriacoque rebelle adjuvando. Exeussis deinde variis disputationibus, controversis Edicti capitibus, cum de iis Cossæus ad regem se relaturum dixisset, sectarii de sua in regem obedientia plura præfati, egregia perspecta ipsius erga se voluntate, se non posse, dixerunt, non iniquo animo ferre, ut qui causam tumultibus præbuissent, et hactenus puerum regem in sua potestate haberent, et falsis præjudiciis illius animo præoccupalo, ipsum ad arma contra eos sumenda impulissent, vel potius coegissent, nunc adhuc in aula rerum potirentur: quibus alias plures querimonias addidere, quas pro viribus delinire Cossæus connexus es, suspicçõesque eorum, rationibus oppositis diluere; quibus quidem, regina Navarræ ac admiratio Colinio exceplis, alii acquiescere visi sunt.

107. Haud multo post, alios etiam delegatos suos rex ad ipsos sectarios misit, nempe Teli-

nium Bricomotium, et Cavagium, ut Navarrum et Colinium, de egregia ipsis erga illos voluntate ac pacis desiderio certiores redderent, eademque confirmarent, quae prius a Cossæo et Proterio proposita fuerant: nimurum, de coniugio inter Navarrum ipsum ac regis sororem ineundo, deque bello Hispanis in Belgio inferendo. Bricomotium et Cavagium e vestigio, rege ipso præcipiente, subsecutus est Armanus Guntaldus Bironus, qui de iisdem cum illis ageret, ac præcipue de nuptiis; quarum spe iis illectis, pertrahere in aulam ipsos connixus est. Pulcherrimam offerri occasionem dixit, res in posterum ad quietem firmandi: quam si prætermitterent, fore, ut rege juste indignato, Guisiani, quos illi metuebant, paratique erant ut a principis consortio sese separarent, rursus in aula rerum potirentur. Quibus alia superaddidit. Quarum summa fuit, ut tandem in aulam sese conferrent, ne mora sua optimum in eos regis animum offendere viderentur, neque sui dissidentiam ea protelatione diutius alerent.

108. Ad hæc Navarra regina, actis, composta oratione, regi, ob insignis in se, filium ac socios benevolentie monumenta gratiis. respondit, rem hujusmodi esse, de qua statim sapiens quisquam deliberare non posset, ac licet agnosceret eam sibi magnam utilitatem allaturam, tamen adhuc pendere animo, quod salva conscientia, an illam complecti posset, adhuc hæreret. Cum principe enim, quæ Romanam religionem profitebatur, filium, qui ab ea abhorrebat, an rite collocare in matrimonium posset, sibi incompertum. Si tamen, consultis theologorum suorum sententiis, id sibi permisum intellexisset; se libentissime perfecturam, neque aliquid prætermisuram eorum, quibus regi ac reginæ parenti obsequium suum ac observantiam testaretur, atque in totius regni utilitatem ac commodum, pro quo proprium sanguinem fundere parata esset, cedere existimasset.

109. *Pseudosynodus Hugonottorum Rupellæ coacta.* — Interea ibidem Rupellæ, Navarrae ejusdem ac cæterorum hæreticorum principum opera, pseudosynodus coacta fuit, de qua ista Rescius¹⁾, sub hoc anno:

« Mense Martio istius anni, Rupellæ habita est universalis synodus Ecclesiæ Reformatarum. Aderant ex omnibus Galliæ provinciis eruditiores; Anlonius Candæus nobili familia natus, Nicolaus Galatius et complures alii. Eo et principum litteris, et a senatu Genevensi impetratus venit Beza; et illi synodo, pro more, suffragis electus præfuit. Hunc etiam conventum sua præsentia honestarunt Navarrae, princeps, amiralius, et multi proceres, et nobiles viri, titulo religiosi. Actum est de instauran-

darum Ecclesiæ ratione, et doctrinæ caput tractatum; de disciplina Ecclesiastica, cuius novam quamdam rationem Joannes Morleius jampridem invehere moliebatur ». Sie Rescius.

110. Negat Thuanus conventui huic Theodorum Bezan interfuisse; sed opposita cæterorum scriptorum sententia verosimilior censenda videtur. E contra asserit (quod nemo dixit) conventum, nempe ipsum, regis auctoritate fuisse coactum; impetrato etiam ab eo Diplomate, cum hac tamen clausula, ut qui a rege juberetur, ei regis nomine interesset. Nobis antem satius sit æstimare, inscio quidem rege habitum non fuisse, sed tamen rem dissimulasse, utpote, qui ea arte sibi tune cum sectariis utendum censeret. Cæterum scripto Diplomate (quod statim undequaque vulgare hæretici, occasionem omnem, qua falsis suis dogmatibus deoorem ac existimationem augere possent, auecupantes, minime prætermisissent), regem Sathanæ hanc synagogam comprobare quodammodo voluisse, a veritate omnino alienum cognoscitur; quo enim sic hæreticorum sibi gratiam comparasset, eo acriores in se Catholicorum omnium, tum regni, tum exterorum, ac præcipue Pontificis similitates concitasset; quum tamen, nullam omnino super hoc contra illum ac de illo a Pio (quem id certe latere non potuisset) querelam motam reperiamus.

111. Quod vero pertinet ad clausulam, quam in ipso Diplomate positam Thuanus idem exegitavit, ea ipsa demonstrat, Diploma illud, non regis jussu conscriptum, sed pro libidine, qua hæreticorum partibus semper consulere Thuanus idem consuevit, non ab alio quam ab illiusmet calamo exaratum. Ea siquidem una conditio, omne hæreticorum, in eo cogendo congressu, consilium anteverisset: nam religionis negotium non nisi pallium fuit quoddam (inquit Rescius¹⁾) secretorum consiliorum. « Quid enim (ejusdem sunt verba) dissolutissimis Hugonottis cum disciplina Ecclesiastica? Sed ibi de regis et omnium Catholicorum oppressione actum disputatumque est, et quidem acriter et studiose, quod in lucem postea prodidit ». At hæc coram eo, qui regis nomine quicumque esset, præfuisset, agitari potuisse, quis unquam sanæ mentis excogitabit? Quibus addas, ad hoc ejusmodi concedi Diplomata consueisse, ut omnibus, ad quos pertinet, palam sit, tuto ad locum, in quo congressus habendus est, qui conventui interesse debent conferre se posse; quo pacto igitur Diploma, quod in primis Catholicis notum esse oportebat, ne sectariis ad pseudosynodum confluentibus impedimento essent, nostri omnes scriptores ignorarunt, ac uni Thuano innotuit? Certe apud prudentes quosque tanti ponderis ea esse videntur,

¹ Resc. Evangelic. Convent., p. 157.

¹ Resc. ut supra.

que contra illud attulimus, ut licet Diploma ipsum in medium aliquis vel protulisset vel prolatus esset, omnino commentitium habendum foret.

412. In ipsa etiam pseudosynodo, sectarios Commentaria Lanciloti eujusdam Voysin Pollicherii, de rebus horum temporum damnasse et proscripsisse, idem Rescius seribit: propterea, quod pure et simpliciter, ad historiæ veritatem, non ad causæ gratiam (ita suam perfidiā vocitabant), omnia narraret. Minime tamen, de omnibus ad religionem pertinentibus statutum est; quinimo plura in alteram pseudosynodus rejecta, quam Nemausi, magno ministrorum concursu, sequenti anno celebratam fuisse, suo loco dicetur.

413. *Cum Salviato, legato Pontificio, denuo agitur de matrimonio principis Navarræ cum Margarita regis sorore, ut rei Catholicæ utilissimo.* — Hujus autem initio, Antonium Mariam Salviatum S. Papuli episcopum, et Cameræ Apostolicæ clericum, Pontifex in Galliam direxerat, ut apud regem Apostolicæ Sedis nuntium ageret, cum his fidei litteris, quas in Vaticano Regesto reperimus:

« Charissimo in Christo filio nostro Carolo, Francorum regi Christianissimo.

PIUS PP. V.

« Charissime in Christo fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Mittimus ad M. tuam venerabilem fratrem nostrum Antonium Mariam Salviatum episcopum S. Papuli, et Cameræ nostræ Apostolicæ clericum, virum nobilitate, virtute atque integritate insignem, quarumdam rerum causa, ad honorem Omnipotentis Dei ac reipublicæ Christianæ utilitatem vehementer pertinentium. Petimus autem a M. T. majorem in modum, ut non solum cum benigne a se exceptum, ea qua solet humanitate, attente audiat; sed etiam, ut pro sua eximia in Deum pietate, et erga nos sanctamque hanc Sedem Apostolicam observantia, consilio opeque omnium rerum sic juvet, ut et ipse, pro tali tuo erga Redemptorem nostrum obsequio, divinam gratiam uberioris promerearis, et nos difficillimis Christianæ reipublicæ temporibus, auxilium tuum frustra non desideravisse in Domino gaudere possimus. Quod M. T. pro sua erga eamdem rempublicam Christianam studio facturam esse, pro certo habemus. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die iii Februarii MDLXXI, Pontificatus nostri anno sexto ».

Eodem ferme modo scripsit insuper Pius, ad Catharinam regis parentem, ad Elizabetham ejusdem regis uxorem, ad Henricum ducem Andegavensem, ad cardinales a Lotharingia, Borbonum, Estensem, et Pelleum, ad dominum de

Maravilliers, et ad alios quorum nomina in Ms. Cod. non habentur.

414. Cum Salviato igitur tam rex, quam regina parens, quæ sanguinis necessitudine ipsi conjunctissima erat, serio egerunt de nuptiis inter Navarreum principem ac Margaritam ejusdem regis sororem contrahendis; ad hoc, videlicet, ut Pontifex ipse impedimenta, propter cognitionem proximiorem et religionis dissensionem removeret: obtendentes conjugium hoc, in maximum Catholicæ religionis beneficium cessurum; nam haec ratione, ex inimicorum manibus, abdueto eo principe, facile videbatur, propter aetatis teneritudinem ac ingenii docilitatem, ad Ecclesiæ gremium esse cum reversurum: ipsiusque deinde commotos exemplo, innumeros alios, ex haeresum ceno emersuros.

415. *Hæreticis addictus Carolus, unde pluribus in locis tumultus et cædes.* — Verum Pontifex, qui semper alia via aliaque ratione ab ea, qua in Gallica aula Catholici utebantur, cum hæreticis agendum existimaverat, neque his artibus eorum fleeti posse cervicositatem duxerat; et licet consiliorum inscius, quæ sub hoc velamine rex ac regina commoliebantur, in eorum nihilominus sententiam se abripi nullatenus passus est; ac gratiam, quæ enixe petebatur, constanter denegavit. Quo non obstante, rex idem ac regina a proposito easdem nuptias ineundi tractatu sese minimè abstinuere: quinimo eas magis urgere, per Ludovicum Nassovium, Arausionensis principis fratrem, cum nempe in aulam se contulisset, minimè pretermiserunt; egeruntque insuper cum eo de bello Hispanis inferendo, quod jampridem se in animo habuisse monstrarunt. Verum quia res gravibus admodum difficultatibus obstructa videbatur, ideo eidem Ludovico suasere, ut admiratio Colino, quem summum huic bello ducem destinabant, auctor esset, ut quamprimum ad aulam sese conferret, cuius quidem optimo consilio, quæ objiciebantur, difficultates dilui possent. Nassovius igitur, cui summopere cordi erat, ut quæ ad Belgicam expeditionem, ex qua summi sui ac fratri, cæterorumque Belgarum perduellium commodum pendere arbitrabatur, pertinebant, quantocius perficerentur, Rupeltam et admiralem reversus, nil eorum prætermisit, quibus ad aulam proficisci admiratio suaderet: adeo ut Colinius, licet conscientia præteriorum delictorum remordente, suspicionibus perpetuo agitatus, anceps tunc etiam hæreret; tandem et illius monitis devictus, et quampluribus aliis regiae in se clementiae monumentis superatus, omni deposita suspicione, aulam tandem adire decreverit. Et quidem summo honore a Carolo exceptus fuit, ut narrant Thuanus et alii, ac ingentibus insuper muneribus cumulatus, adeo ut Catholicæ

quos regis latebat consilium, magnam indigationem ob id conceperint; eo magis, quod pristinus illi in regio consistorio locus restitutus fuerit, ita ut inter Equitum tribunos medius sententiam diceret. Cæteri quoque Hugonottorum honoribus aucti, cum quibus statim denuo actum, ut quamprimum rationes belli contra Hispanos gerendi in principibus Confessionis Augustanæ sociis fœdus pereuteretur, idemque cum Elizabetha Angla renovaretur.

116. Cum ea insuper jampridem a rege, de nuptiis inter ipsam ac ducem Andium contrahendis, ut diximus, cœptum negotium demandatum fuisse ex cardinali Castillionæ, scribit Avila, certis conditionibus, quæ ad rem atque exercitium religionis pertinebant; non quod Castillionæ ipsum aliquid ad effectum perducturum speraret Carolus, cui jam plenissime ingenium Elizabethæ innotuerat, quæ a jugo maritali ac conjugis præcipue exteri abhorreret: (quidquid de hoc sibi ambitio Catharinæ parentis inaniter blandiretur); sed, ut injecta ipsius matrimonii mentio, sinceræ ae certæ suæ erga Protestantes voluntatis pignus esset, ne Elizabetha occulce nuptiarum cum principe Navarræ, quem sorori suæ maritum destinaverat, tractatum interrumperet. Verum irrito exitu, non modo per Castillionæ, qui paulo post infelicissime obiit, sed etiam per legatum Anglum in Galliam missum, ac insuper per oratores Gallos a Carolo in Angliam ad hoc legatos, de his actum fuisse: cum de rebus Anglicis ageremus, supra retulimus.

117. Dum innumeris igitur modis ac artibus, majorem sinceritatis et constantis de pace constituenda desiderii, rex Hugonottis fidem facere contendit; nil e contra prætermittit, quo se animo a Catholicis abalienatum ostendat; eamque rem, tum cum ipsa regina, tum cum Andio fratre, tum etiam cum Guisiis, non verbis tantum, sed rebus ipsis testatam facit; et vicissim, ac si regis gratia excidissent, marentes, quasi de infortunio dolere simulant. Sed quia totius hujus negotii summa in eo constituta erat, ut id, quod commoliebatur, consilium contra sectarios nulli omnino nec in suspicionem veniret; ideo hæc de causa ejusdem regis jussu. Lignerolius, ut narrat Davila, a Georgio Villoctaro Guerchiæ vicecomite, a Carolo Mansfeldio, a Sanitanno Mongomerii fratre, et aliis eorum comitatus, multis vulneribus interficitur. Lignerolius enim, cum Duci Andio, in eius familia principem locum obtinebat, percharus esset, secretorum illius non erat ideoreo aliquid quod eum lateret. Cum igitur illum Andius ipse, per imprudentiam secreti regis participem fecisset, illeque majore imprudentia, ut se in regis (qui de Hugonottarum impudentia ac importunitate petitionibus, inter loquendum querebatur) gratiam, magis, per

assentoriam vanitatem insinuaret, id regi patfecisset; Carolus, qui secretum nec quidem subodorari volebat, ira quam conceperat dissimulata, cædem illius, ab iis, quos memoravimus, patrari mandavit. Sie Avila. Verum, qui contendunt eo tempore regem, generalem eam Hugonottarum cædem, de qua anno sequenti dicendum erit, nondum exegitasse; non summum id Lignerolio patefactum areanum, sed ejusdem cædis alias rationes afferunt, quas singulas hic recensere nostrum non est.

118. Catholicæ vero Galliae populi, quibus nihil erat cum aulicis simulationibus commune, contra sectarios rem alia ratione aggressi sunt: nam quarto non. Martii, ut narrat Thuanus, Rothomagi cum Protestantes ad preces suas per portam Caletensem mane exirent, qui in postremo agmine erant, a portæ custodibus, primo dictiis, mox apertis convieis petiti, ad extremum injuriose pulsati sunt. Quo initio audacieores redditæ custodes ipsi, eum sub vesperam Hugonottæ domum reverterentur, in incantos majore impetu invecti, ex iis quinque interfecerunt, reliquis, aut graviter vulneratis, aut contumeliose habitis, huc illucque disturbatis. Idem quoque Dieppæ, Rothomagensium exemplo tentatum, sed a præfecto repressum. At Arausione seditio sine Hugonottarum cæde non fuit. Mense siquidem Februario hujusmet anni, Arausicana plebs sub ducibus Miguonio juniore et Michaele Balma, a Venasciensis ditionis proximæ, quæ Pontifici paret, populis concitata, per triduum, ex sectariis plures, vel interfecit, vel vulneravit; et ultra strages ac furor processissent, nisi Momejanus areis præfectus ad se confugientes receperisset, et ipse cum præsidariis aree egressus, furentes coercisset. Qua de re cum Ludovicus Nassovius ad cujus fratrem Arausionensis ditio pertinebat, graviter apud regem conquestus esset, ac petiisset, ut juxta edictum eidem suo fratri liceret, quem vellet oppido et arei præficere, rexque annuisset; Berechonius quidam intra oppidum acceptus est, qui aree præsidio firmata, eos, qui seditionis auctores vel conseii fuerant, aliquo securitatis causa sese receperant, ut domum redirent incitavit. Quod eum illi fide publica freti fecissent, post aliquot menses, clam eorum Berechonius inquisitione facta, ipsos comprehendi jussit, ac auctoritate regia accersitis ex proximo Delphinatu judicibus, in reos convictos animadvertisit; quibusdam supplicio affectis, aliis alio poenæ genere mulctatis, et absentibus proscriptis; cui turpissimæ proditionis crimini, a Berechonio patrato, summae moderationis nomen tribuere Thuanus tamen non veretur.

119. Lutetiæ etiam tumultuatum est hac occasione, quam idem Thuanus ¹ his verbis refert: « Ante triennium Philippus Gastineus,

¹ Thuan. ut supra.

locuples mercator Parisiensis, de calero vir probus, postulatus fuerat, quod conventus nocturnos in aliibus suis contra regis edicta habuisset, eæna more inter Protestantes recepto celebrata: ob id ille, accensis ardente bello odiis, ad mortem damnatus est cum Ricchardo fratre. Nicolaus Croquetus, locuples item mercator, ipsius sororius, quod conventui interfuisset, eadem poena affectus est prid. kal. Jul., bonis omnibus fisco addictis. Cum vero Gaslinens, veneranda eanitie senex, et, si religionis odium demas, vicinis suis atque adeo universæ urbi, de qua optime meritus erat, charissimus, ad supplicium traheretur; multos ad misericordiam commovit, magnaunque factiosi (nempe Catholicæ) in Urbe invidiam eo nomine apud bonos (nimurum Sectarios) sustinuerunt; quod judicibus partim prensalis, parvum subornata plebe, quæ judices senatu exeuntes cum minis domum prosequebatur, terrore plerisque injecto effeicissent, ut crimen quod primum pecunia aut exilio expiabatur, Gastineo viro, alioqui innocentissimo, capitale esset. Additum, ad judicii severitatem, ut damnati domus in vicino Sandionysiano, in qua conventus habitus fuisset solo aquaretur, et area publico cederet: in qua ad perpetuam rei memoriam, ex publicatis Gastinei bonis monumentum erigeretur, quo sententia in ipsum lata ære incisa, transuentibus legenda proponeretur.

« **D**um autem edicto nuper facto cautum esset, ut sententiae decreta, judicia belli tempore in Protestantes, religionis odio faela, rescinderentur, et damnati bonis, famæ et honoriibus restituerentur: et quæcumque monumenta earum rerum superessent, ad præteritorum oblivionem sanciendam abolerentur, delegati (nimurum hæreticorum) pelierunt, ut judicium contra Gastineum et Croquetum irritum declararent, ac pyramis in domus illius area erecta, quæ Crux Gastinea vulgo appellatur, ad abolendam facti memoriam, diruerebant; et æquum quidem pelere visi sunt regi delegati. Sed qui seditionorum (Catholicorum, videlicet, ut diximus) factionem fovebant, metuendum dicebant, ne si res sacra ac religiosa in gratiam Proleslantium tolleretur, inconsiderata plebs, Catholicæ religioni injuriam ac præjudicium fieri, interpretaretur. Itaque media sententia tenuit, ut pyramis illa noctu ad vitandum tumultum, in proximum S. Innocentii cæmeterium transferretur, induela ænea tabula; in qua sententia contra damnatos lata prostabal, et ejus loco altera in Crucis honorem inscriptione apposita; nam sic utrisque, et Protestantibus, et plebi Parisensi satisfactum iri. Rei exequendæ negolium datum Claudio Marcello, qui tunc mercatorum præfectum agebat. Verum res tanto silentio peragi non potuit, quin coitione a seditionis facta, ad arma con-

clamatum sit; et summo mane, discurrentibus per urbem armatis, in aliquot ob religionem suspectorum aedes vicinas, direptionibus savitum. Verum mox accurrente Franciso Memoriantio, summo urbis prefecto, antiquæ probitatis et disciplina viro, et ex obviis aliquot causis, atque uno vilissimæ conditionis, qui punica mala vendebat, comprehenso, et ad caeterorum terrorem, ad proximam aedium fenestram gula fracta suspenso, disturbati huc illuc factiosi, in domos quisque suas diversi abierunt. Quod, ut magnani prudentis juxta ac presentis animi opinionem Momoriantio conciliavit, qui seditioni pessimi exempli, et quæ dissimulata, regiam auctoritatem in urbe regni primaria, ut alias accidit, evertere potuerat, in tempore occurrerit; ita implacabile plebis, jam amulorum factione præoccupatae, odium adversus ipsum concitavit ».

120. Sie Thuanus, quem in hoc Parisiensi tumultu, inque eo comprimendo, tam egregium erga regalem auctoritatem studium ostendere, juste miraberis; cum e contra nullum prope sensum præ se tulisse animadvertes, cum de innumeris tota regno ejusque urbibus, ino fere oppidis, a sectariis contra regem excitatis in multibus ac seditionibus, scripsit. Cerum est, præter innumera, quæ ex proposita illius narratione expungenda, ut falsa et commentitia, scripsit, ea præterea prætermissee, notatu dignissima, quæque ipsum latere nullatenus debuissent, quibus Omnipotens Deus Gastineæ Crucis, eo loco eaque ratione divulsæ, factum improbasse, manifestissimis indiciis testatum voluit. In primis enim refertur sceleris suppliæ minime evasisse fabrum illum, qui impias manus ad Crucem ejiciendam admovit. Deinde, ut Spondanus¹ aliique narrant, eodem momento, quo salutiferum Redemptionis nostra vexillum dejiciebatur, cœlum visum esse, quasi flammis ardere, erupisse impetuosis ventos, visa pavenda fulgura, audita horrenda tonitrua, quamvis esset media Hyems, grandinemque et imbreu densissimum decidisse; adeo ut pularetur urbs mox interitura.

121. Dum hæc autem Catholicæ in hæreticos commoliebantur, plura ab hæreticis passos Catholicos fuisse, narrat longo ac prolixo dictamine Faustinus Tassus²; verum ea in aliud potius tempus esse rejicienda arbitramur. Illo sequidem tempore, quo cum rege ipsi pacem composuerant, rexque vicissim innumeris prope benignitatis officiis eos delinire contendebat, ab eoque obtinere videbantur plura quam expectare potuissent; inverisimile omnino est (si aliqua excipias his similia, quæ Catholicos in hæreticos patrasse diximus), sceleratis ausibus

¹ Spondan. sub hoc anno. Belleford. ibid. — ² Faust. Tass. Hist., lib. 5, p. 229 et seq.

tum regem ipsum, tum Catholicos omnes contra se concitasse : cum alia via aliaque ratione, ea quae desiderabant consequi possent.

122. At, sicut laborabat rex (qua sane justitia, quae pietati ac fidei consona regula, nescimus), ut Catholicorum, quos recensuimus, ausus in sectarios comprimere ; sic pariter Pontifici connitendum fuit, ut ipsorum Catholicorum zelum contra eos cohiberet ; eo enim in Bisuntina Ecclesia processerat, ut sacerorum Canonum statutis minime staret ; sed juris ordine violato, quae archiepiscopalis jurisdictionis erant, laici, religionis vel obtentu vel studio, usurparent. Ad eos igitur in officio continendos, Pius sequentes litteras (ex quibus perspicuum redditur id, in quo ipsi Ecclesiæ jus læserint), scripsit : et in primis ad senatum Dolæ¹, ad quem Bisuntinæ civitatis regimen pertinebat ; hoc modo :

« Dilectis filiis senatu Dolæ.

PIUS PP. V.

« Dilecti filii, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Allatum est ad nos unum quemdam ex ministris hæreticorum, ex oppido Monpelier, cuius nomen ignotum nobis est, qui superioribus diebus habitu religiosorum Ordinis S. Francisci Conventualium induitus, Bisuntinam civitatem ingressus fuisse dicitur, isthic a vobis captum detineri. Quia vero facile fieri posse intelligimus, ut pro vestro conservandæ fidei Catholice studio, illum, si ita meritus est, capitali supplicio affici decebatis ; idecirco vos in Domino vehementer hortamur ac requirimus, ut ejus capitalem pœnam tantisper differri jubatis, donec venerab. frater archiepiscopus Bisuntinus, qui isthuc brevi prefecturus est, ad vos perveniat, Magnopere enim et reipublicæ vestræ et religioni utile esse putamus, nihil vos de hujusmodi hominis supplicio prius statuere, quam ab ipso archiepiscopo vestro coram intelligatis ea, quæ vobis nomine nostro est expositurus. Cui quidem officio nobis gratissimo futuro, vos omnino non defuturos esse speramus, pro vestra erga nos sanctamque hanc Apostolicam Sedem reverentia. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xxvi Februarii **MDLXXI**, Pontificatus nostri anno sexto».

123. *Pius Bisuntinos ad pacem et jus reducere studet.* — Quo tempore e Bisuntina sua Ecclesia abfuerat archiepiscopus, a Pio, ut toties diximus, Romam vocatus, ibique usque ad præsentem annum detentus, ut Ecclesiastici pastoris dignis moribus imbueretur ; Catholicæ regis administrî, religionis tuendæ, vel prætextu, ut diximus, vel studio, vel utroque in alienam messem manus extenderant; idecirco,

ne inscio archiepiscopo ipso, in re ad illum perlinente, aliquid ultra facere audenter, Dulæ (ut audisti) senatores Pius admonuit : et cum tandem ad Ecclesiam archiepiscopus revertetur, ad Ducem Medinæ Cœli, quem jam ex Hispania in Belgum tunc trajecisse existimabat, ul eidem regioni, ac finitimis ad Hispaniarum regem pertinentibus praesisset, sequentes per eum litteras misit ; et insuper ad gubernatores civitatis ejusdem Bisuntinæ, ac demum ad capitolum et canonicos ipsius Ecclesiæ scripsit, ut in omnibus ac singulis, præsuli suo obedire, eique in regimine pastorali, præsto esse vellent. Ad Ducem Medinæ Cœli igitur¹ :

« Dilecto filio nobili viro Duci Medinæ Cœli.

PIUS PP. V.

« Dilecte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Has litteras nobilitati tuæ redde vel. frater noster archiepiscopus Bisuntinus, qui nonnulla eliam tibi exponet, ad religionem Catholicam, atque hujus S. Sedis Apostolicæ majestatem vehementer perlinentia. Ex quibus præcipua sunt, quod charissimi nobis in Christo filii regis Catholicæ ministri, majestate sua, ut arbitramur, inscente, certe quidem nolente, in ista provincia, contra libertatem Ecclesiasticam agere dicuntur ; nullam, aut admodum parvam existimationis auctoritatisque nostræ rationem habentes. Hoc tam nobilitatem tuam, quam pro comperto habemus, et Deum timere et homines revereri, et animæ tue salutem non negligere, ut si haec ita se habere compererit, velit providere, ne quid de jure, potestate ac libertate Ecclesiastica, ab iisdem posthac detrabatur ; neve hujus sanctæ Sedis Apostolicæ auctoritatem, dignitatemque nostram violari permittat. Quam, si quis, aut ipse negliget, aut ab aliis neglectam, cum juste possit, vindicare omittit, se ipsum multo magis quam nos laedit. Etsi autem non dubitamus, te in ista, quæ tuæ fidei credita est provincia regenda, tua sponte facturum esse, officio pii et Catholicæ principis ; tamen de eo a nobis admonitum, aliquanto te id libenter alque alacrius facturum esse existimamus. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die octava Januar. **MDLXXI**, Pontificatus nostr. anno sexto ».

124. Ad gubernatores vero civitatis Bisuntinæ², scripsit hoc modo :

« Dilectis filiis gubernatoribus civilis Bisuntinæ.

PIUS PP. V.

« Dilecti filii, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Proficiscente ad vos venerabili fratre

¹ Ex Archiv. Vatic. ut supra.

² Ex Archiv. Vatic. ut sup.

nostro archiepiscopo Bisuntino, ea mente atque animo, ut gregem sibi ab Omnipotenti Deo ereditum, praesens presentem, qua debet, pastorali cura sollicitudineque gubernet, visum nobis est, has ad dilectiones vestras litteras scribere, quibus vos in Domino vehementer hortamur, ut praedicto archiepiscopo, praesuli vestro, non solum ad exequenda ea, quae ad sui munneris officium pertinebunt, omnem opem, potestatem auctoritatemque vestram prompto animo impendatis; sed etiam ut consentientibus in publicam utilitatem animis, eam cum illo concordiam et ineatis et conservetis, quae his temporibus tam turbulentis valde necessaria est, ad religionis Catholicae integritatem retinendam. Quod si ulli civitatum gubernatores facere debent (faciendum est autem omnibus), id eo vos studiosius facere debetis, quo magis civitas ipsa vestra vicinarum haeresum periculis exposita est. Nihil autem, non modo animarum saluti, sed etiam publicae iniustae jusque civitatis tranquillitati utilius est, quam cum temporalis spirituali potestati inservit: et (quemadmodum par est) illi praesto est in exequendis his, quae ad pietatis religionisque cultum spectant. Quae cum ita sint, omni studio eniti vos decet, ut pastorem animarum vestrum, ea, qua par est, observantia reverentiaque prosequentes, quibuscumque rebus potestis, semper juvetis: ut ex tali vestra cum illo conjunctione, omnibus improbis haeticisque hominibus, ad labefactandum civilatis vestrae statum, aditus præcludatur. Quod vos, pro vestra erga Deum pietate, praesulemque vestrum charitate facturos, pro certo habemus. Datum Romæ apud S. Petruin, sub annulo Piscatoris, die septima Jannuarii MDLXXI, Pontificalis nostri anno sexto ».

423. Ad capitulum et canonicos demum Ecclesiæ ejusdem Bisuntinæ¹:

« Dilectis filiis, capitulo et canonicis Ecclesiæ Bisuntinæ.

PIUS PP. V.

« Dilecti filii, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Cum venerabilis frater noster archiepiscopus Bisuntinus cum nostra ad vos benedictione proficeretur, eo animo, ut gregi fidei suæ ab omnipotenti Deo commisso, praesens praesenti debitam ibi curam impenderet, sine nostris ad vos litteris ipsum venire noluius: quibus devotiones vestras in Domino vehementer hortamur, ut ipsi, tanquam animarum vestrarum pastori vestroque praesuli, eam, quam par est, obedientiam obsequiumque praestetis; et his, quae pro corrigendis emendandisque cleri sui moribus constituerit, ac-

quiescentes, prompto atque alaeri animo obtemperetis. Sic enim futurum est, ut et ille vobis ad ea, quae animarum saluti utilia sunt exequenda adjutoribus usus, commisso sibi pastorali munere, facilius (adjuvante Domino) fungi possit; et vos in debito illi honore, reverentiaque tribuenda, divinam vobis gratiam magis concilietis. Cui officio, quanquam putabamus vos pro vestra pietate, et erga praesulem vestrum charitate, nullo modo esse defuturos; tamen paternis nostris vocibus excitatos, aliquanto id promptius atque alacrius facturos esse existimavimus. Datum Romæ apud S. Petruin, sub annulo Piscatoris, die vii Januarii MDLXXI, Pontificalis nostri anno vi ».

126. Praeter violatam a regis Hispaniarum ministris Ecclesiasticam jurisdictionem, dum ii, nimirum, nimis justi, ea quæ archiepiscopi erant officia sibi usurpaverant; patet insuper ex novissimis his litteris, non modo contentiones inter illos ac archiepiscopum, canonicos Ecclesiæ, ac civitatis gubernatores, ob eamdem causam jorgia intercessisse. Et quidem, inter Epistolas Pii a Gaubau typis editas duæ leguntur (quas suo loco dedimus) quarum altera est ad præfatum capitulum et canonicos, altera vero ad gubernatores Bisuntinos¹, sub die vii Februarii anno MDLIX, quibus vicissim hortatur et gubernatores, ut cum capitulo et canonicis consentiant, et istos, ut cum gubernatoribus concordiam ineant et custodiant.

Hac siquidem lenitate magis quam alia ratione dissidia hæc tollere Pontifex satagit; ne, videlicet, acrioribus remediis adhibitis, magis animi inter se exasperarentur; eoque facilius finitimarum et circumadjacentium haeresum forte in illam regionem erroribus panderetur ingressus.

127. Monet Pontifex cardinales a Lotharingia et Pelleum ut abstinent omni consuetudine cum episcopo Valentino haretico. — Bisuntinos vero dum pace conciliare studet, gladium e contra ac separationem ponere eurat, inter toties anathematizatum dejectumque episcopum Valentinum, ac cardinales a Lotharingia, et Pelleum, qui episcopi ejusdem amicitiam fovebant, ac familiaritate utebantur. Nam ad Pelleum² scripsit:

« Dilecto filio nostro, cardinali Pelleo nuncupato.

PIUS PP. V.

« Dilecte fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Nisi te vehementer in Domino diligemus, tuaque bona famæ atque existimationi maxime consultum esse vellemus, nunquam tibi scripsissemus ea, quae alioqui sine gravi

¹ Ex Archiv. Vati. ut sup.

² Gaubau. Epist. lib. 3, epist. 6 et 7. — ² Ex Archiv. Vatic.

culpa dissimulari atque a nobis reticeri minime poterant. Aflatum est ad nos, te, hominis omnibus piis Catholicisque viris detestabilis, episcopi quondam Valentini, consuetudine uli. Quod si verum est, magnopere te hortamur, ut eum, qui a S. Inquisitionis hærelicæ pravitatis officio, hæresis inquisitus, ob eam ipsam causam, episcopatu a felic. recordal. prædecessore nostro, atque omni Ecclesiastica dignitate privatus est, non modo ipsum post hanc in domum tuam non recipias, sed etiam regi reginæque Christianissimæ studeas, ut eumdem hominem nullo modo ad se adire permittant; sed enim, quemadmodum regem reginamque Christianissimam decet, procul a se expellant, ut omnes cognoscant majestates suas hujus Sanæ Sedis sententias ac decreta observare, Romanamque Ecclesiam, ceteris magistram, ea qua debent pietate, revereri. Non patitur (nobis erede) ejus quam geris persona dignitas, ut tali eum homine consuetudinem habeas, a quo, etsi credibile non est, te propter eximiam bonitatem tuam, et in Catholicæ fide profilenda constantiam, summa eum doctrina conjunelam, in errorem aliquem indui posse; tamen ne qui hoc vident existiment, te eorum falsam doctrinam approbare, ab ejus amicilia removere te debes. Quale enim et quantum existimas te scandalum atque offendiculum objicere omnibus Christi fidelibus, qui te ejusdem hominis familiaritate uti vident; quem ad te venientem, et Catholicam doctrinam non afferentem, recipere in domum, atque ei AVE dicere veteris? Accedit ad hæc omnia timor pœnæ, omnibus illis a Deo propositæ, qui se a tabernaculis impiorum separare nolunt; quæ, ut alia omnia taceantur, non minus pondus habere debet, ut le, ab hujusmodi viri consuetudine deterreat. Quam si circumspacio tua, quemadmodum pro certo habemus, sibi posthac devitandam esse statuerit, præterquamquod famæ existimationique suæ melius consulet, nobis præterea rem gratissimam facies. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piseatoris, die v Martii MDLXXI, Pontificatus nostri anno vi ».

128. Panis immutalis, eadem pariter scripsit ad Carolum cardinalem a Lotharingia; sic enim se habuit Epistola¹, quam ad eum dedit:

« Dilecto filio nostro Carolo cardinali, a Lotharingia vocato.

PIUS PP. V.

« Dilecte fili nosler, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Quo magis te ipsum, ex animo in Domino diligimus, tuamque dignitatem existimationemque salvam atque integrum esse cupimus; eo minus nobis dissimulanda relicendaque

illa esse existimavimus, quæ animæ tuae salutem bonamque famam tuam, apud nos sanctamque hanc Sedem Apostolicam in disserimen adducere posse videbantur. Intelligimus, magna cum animi nostri molestia, te, hominis valde omnibus piis Catholicisque viris detestabilis, episcopi quondam Valentini, consuetudine uli. Id si verum est, valde tua causa dolemus, si eum, eujus, vel hæresis nomine suspecti, amicitiam vitare debuisti, ne nunc quidem, postquam a S. Inquisitionis officio, hæresis inquisitus, et a felic. record. prædecessore nostro, tanquam hæreticus condemnatus, episcopatusque et omni Ecclesiastica dignitate privatus es, accersas, vel utro ad te recipias. Quamvis enim ea sit animi tui constantia, ut accedente præsertim excellenti rerum Christianarum doctrina, timendum non sit, te in errorem induci posse; magnum tamen scandalum alque offendiculum objicis his, qui eum Catholicæ sint, hæreticorum eum Catholicis amicitiam, nullo modo probare possunt. Es præterea valde ab ea, quam geris persona, ejusmodi hominum amicitia aliena; quos quidem, ut tu optime nosti, venientes ad nos, et Catholicam fidem non afferentes, recipere in domum atque eis AVE dicere vetamur. Ilue accedere debet timor pœnæ, quæ illis a Domino parata est, qui ab impiorum tabernaculis recedere nolunt. Quibus de causis justissimis adducti, circumspetionem tuam vehementer in Domino hortamur, atque requirimus, ut non modo ipsa se, ab hujusmodi hominis amicitia removeat, sed etiam regi reginæque Christianissimæ auctoritatem, ne posthac talem hominem amplius ad se recipiant, sed procul a se expellant; ut omnes homines cognoscant majestates suas hujus S. Sedis Apostolicæ sententiam ac decreta observare, Romanamque Ecclesiam, ceterarum omnium magistram, ea, qua Christianissimum regem decet, pietate revereri, in quo, præterquamquod famæ tuae consules, nobis præterea rem grallissimam acceptissimamque facies. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piseatoris, die iii Martii MDLXXI, Pontificatus nostri anno sexto ».

129. Et rite admodum, de his Lotharingium ac Pellæum admonendos censuit Pius; quod non modo humano jure ac canonico, a Summis aliis Pontificibus ac Conciliis edito, sed jure quoque divino, hæreticorum commercia sint devitanda. Eam enim, quam Pius (ut audisti) Apostoli Joannis¹ doctrinam auctoritatemque profert, Apostolus ipse, non modo verbo, sed etiam exemplo ac opere testatam voluit, eum in balneum videlicet ingressus, mox ut in eo hæreticum Cerinthum conspexil, ex eo se proripuit, dicens suis, ut Irenæus² ac Eusebius

¹ Ex Arch. Vatic. ut sup.

¹ Joann. 2, v. 10, 11. — ² S. Iren., lib. 3, cap. 3.

narrant¹: « Fugiamus ocyus, ne balneum in quo est Cerinthus, veritatis adversarius, corruat ». Et revera, ut S. Hieronymus² refert, vix Apostolo egresso, Cerinthus a balneo ruente una cum sociis oppressus interiit. Et hanc, in vitanda hæreticorum consuetudine, severissimam semper in Catholica Ecclesia perseverasse censuram, abunde demonstrant, quæ antiquissimi Patres fere omnes, ad unum usque, scriptum reliquerunt: ut Polycarpus, Martialis, Ignatius, Clemens Romanus, Irenæus, Hilarius, Cyprianus, Hieronymus, Athanasius, Chrysostomus, aliqui, quos hic recensere pignit; qui omnes memores doctrinae etiam alterius Apostoli³: *Sermo eorum (nempe hæreticorum) ut cancer serpit;* a venenatis sectariorum colloquiis ac improba consuetudine, tum sibi, tum fidelibus cunctis cavendum censuerunt, quamvis merito de his dici posset, quod in fide radicati ac fundati essent.

130. Nunc autem, proh dolor! infelicissima hac nostra tempestate, in qua in illud potissimum omnes incubuisse videntur, ut antiquitatis monumenta omnia e latebris eruantur; quo in labore vanissime ut plurimum et frustra consumuntur; inter innumera, quæ oblivioni tradita, ad hominum notitiam revocasse jacent, hoc unum eos latet, tantopere prædicatum a veteribus salutis monitum, ut scilicet hæreticum hominem devitent, cum quotidie inspiciamus sciolos quosque, vel eos, quorum scire nihil aliud sit, quam de librorum diversitate ac impressione disserere, homines, inquam, quorum frequens turba inter doctos recensetur; qui nulla doctrina imbuti, nulliusque scientiæ solido fundamento innixi, ab omni vento doctrinæ facile ideo circumferuntur, et ad doctas fabulas convertuntur: hujusmodi, dico homines, de nulla propemodum re magis gloriari, quam ut hæreticorum consuetudinem habeant, cum iisque familiaritatem ineant, eorum colloquio perfruantur; etsi coram non licet, assiduum tamen per litteras mercionium cum illis habeant: idque eruditioñis fucata specie, ac si adeo inter nos litterarum studia periissent, ac si adeo supra nos hæreticorum ingenia scientia quavis pollerent; ut ex eorum tantum acumine, rerum intellectus a nobis mutuandus esset. Quid plura? Ipsa, ab Ecclesiæ exordio, rebus imposta nomina, ab ineptis his antiquitatis nostri hujus ævi sectatoribus, immutata videmus; ita ut hæreticorum vel hæresis nomine minime notare velint hæreticos; sed vitiosis ac emendicatis aliis vocabulis, vel circumlocutionibus ipsos designent, ne proprio eos vocabulo nuncupando, ipsos erga se minus gratos minusque benevo-

los reddant. Hinc jactare eorum scripta, hinc ipsorum eruditioñem summis laudibus in celum usque efferre, hinc semper ipsorum libros præ manibus habere, aliisque legendos tradere; apud quos scriptorum opinionem summo studio connituntur augere.

131. Est tamen aliquid, quo factum id, ceteroquin a se ipso modis omnibus improbandum, honestent; illudque est, quod se cum hæreticis amicitias colere dicant, vel solo, ut innuimus, humanarum litterarum studio, vel quod facilius ad veritatis lumen, comitate hæc, eos pertrahere posse, se persuasum habere dicant. Verum frivola ac nullius prope momenti hæ rationes habenda, si serio consideretur antiquorum exemplum, apud quos adeo nunquam certe prævaluit scientiarum humanarum cupiditas, ut ideo ab Apostolicis monitis¹, quibus omnimoda hæreticorum consuetudo, evidentissimis notis prohibetur, sibi redendum putarent; utpote qui optime scirent, ut quidam scripsit, hæreticorum patriarchas, non nisi philosophos extitisse; ac inanibus subtilitatibus ac inquisitionibus primum corrupta ingenia in rebus humanis, se facile ad audenda, quæ supra hominem sunt, inaniter sublevari. Quo vero ad alind, illud quod Chrysostomus² scripsit afferre sufficiat: « Rerum natura est (inquit, ut quoties bonus malo conjungitur, non ex bono malus melioretur, sed ex malo bonus contaminetur: diversitas enim rerum, nunquam potest habere concordiam, et multos sollicitat felicitas nefanda ». Quod utinam experimento accidisse nobis comprobatum non esset! Sed ad id, unde digressi sumus, redeamus.

132. Sanctissimis Pii monitis eruditi cardinales Pellæus ac Lotharingius, an se a Valentini episcopi consuetudine subduxerint, neque, incomptum nobis est. Tamen, si conjectare licet, considerata temporum iniuitate, id ab eis effectum nullatenus censendum est. Cum enim Gallicana aula, hoc præcipue anno, ut vidimus, tota in eo esset, ut beniginitate ac beneficentia animos sibi hæreticorum devinciret, eisque rex extraordinariae benevolentiae signa præberet, quo magis conceptum in illos consilium contegeret; qui censendi non sunt ejusdem penitus inseii, præcipue Lotharingius, illius artes sibfas obsecundare putasse censendum est; quod certe haud fecisset, si hæresis nomine a Valentino episcopo sese abalienasset.

133. Alia etiam ratione cum eodem sibi dirimendam non esse amicitiam, forsitan existimasse putabit aliquis; ex eo, videlicet, quod hæresis reum episcopum ipsum non duxerint. De illo enim hæc scripto tradidere Sammarthani Fratres in Gallia Christiana³, ubi de Va-

¹ Euseb. cap. 3. lib. 13. — ² S. Hieronym. contr. Lucifer. — ³ 2. Timoth., 2, 17.

¹ Tertullian. de Præscrip. — ² D. Jo. Chrysost. in Matth. — ³ Gall. Christ. Tom. 3, pag. 1120.

lentinensibus episcopis agunt : « Joannes de Monluc, id erat episcopo de quo loquimur nomine, frater Blasii Equitum Franciae tribuni, et Vasconiae pro-gubernatoris, viri bellica disciplina illustris, Francisco patre Monlucii et Massencomiae toparcha, et Francisca de Stillae nobili loco apud Condomenses genitus, ad episcopatum promovetur anno MDLII. Vir sane ingentis animi, judicio et facundia pollens, consiliorum Catharinae reginæ Mediceæ, turbatis temporibus, ad res pæne omnes auctor fuit. Ita Italiam, Germaniam, Angliam, Scotiam, Potoniam, Constantinopolim, ac universam pæne Europam celeberrimis legationibus, apud principes (quas sexdecim omnino numerant) magna rerum gerendarum dexteritate illustravit, etc. Laudatur a Petro Ronsardo in Poematis, Marco Antonio Mureto, Jacobo Cujacio, et Jacobo Augustino Thuano. Cæterum quia Francisca Belcarius Pequillo, Scipio Du-plicius, rerum Francicarum historie, atque insuper Henricus Spondanus Apamiarum episcopus, et Julius Cæsar Bulengerius Historiarum sui temporis lib. primo, ex fide Hieronymi Catenæ et Antonii Gabucii hominum Italorum, asseruere, damnatum hæreseos Romæ a Pio IV, et ejus damnationem Pontifice Romæ latam, promulgatam Quinti mandato in Gallia; placuit Columbo, Apologetica dissertatione, nomen episcopi vindicare. Ille igitur, citatis historicis, libello per singula capita articulatum respondit: et ostendit illos, ea, quæ adversus Joannem scripserunt, accepisse ex Palatinorum rumoribus, quibus causam fecerat Iis de hæresi, a Felice Vermundo decano Valentino, et Catharinæ reginæ eleemosuario, per singularem ve-saniam dicta suo antistiti apud majus consilium regis. Sed optandum fuisse, ut Gallici scriptores præfati, edictum illius consilii, datum MDLX, xiv Octobris, quod asservatur in Tabulario Valentino, suis libris insererent. Omnes ex eo nunc intelligenter infelicem decanum, calumniæ damnatum fuisse, jussumque pendere omnes stultæ litis impensas, ac nudo capite, flexoque genu, veniam a Monlucio petere, et lacerationi suæ accusationis interesse ». Sic illi, qui certe, quam tam acriter reprehendunt aliorum scriptorum ignaviam, corrigere debuissent in ege-gio, quod edidere opere præfatum edictum inserendo, ex quo præsulis hujus nomen ac fama vindicaretur. At cum illud prodisse affirmant anno MDLX, haud facile intelligitur, vel quod ipsum aliaque ad hanc causam pertinen-tia Pontifices postea latere potuerint, ita ut edicto eo non obstante, damnationis senten-tiam (postquam ad experiendam judicio suam causam legitime ac publice Monlucius citatus fuisse) in eum dixerint; vel cur Monlucius idem extrajudicialiter sallem, vel per Galliæ oratorem apud Pontifices eosdem sese purgare

prætermiserit; cum ex calumnia tantum sibi hæreseos illatam notam probare ac ostendere palam posset. Non igitur, quod scriptores Itali ediderunt, ex Palatinorum rumoribus, sed ex authenticis ac fide dignissimis publicisque monumenlis accepisse credendum est; neque ex vana alicujus vociferatione, sed ex ipsis iure factis processibus, et damnationis sententiam, in eum Pii Quartus et Quintus protulerunt, ut suo loco fusius, originalibus actis in medium productis, ostendimus, et Pius Quintus, quas proposuimus Epistolas hoc anno scripsit. Quibus aliqua ratione motos cardinales præfatos a Monlucii consuetudine se minime subduxisse si censere velimus, id egresso procul dubio putandum, non ex eo, quod illum criminis, de quo insimulabatur, expertem crediderint; sed quod, ut diximus, quæ tunc in Gallicana aula secreto agitantur consilia, impedimento es-sent. Et quidem Monlucium, et antea, et modo, et semper hæretica labe infectum, quæ deinde in Catholicæ religionis perniciem egit, ut suo loco narrabimus, abunde monstrabunt.

134. *Cardinalis a Lotharingia virtutes.* — Cæterum, quia de cardinali Lotharingio, Catholicæ religioni addictissimo, ac eo potissimum nomine hæreticis omnibus inviso, mentio inci-dit, hic obiter inserere placuit, quæ in Historia Rhemensi¹, sub hoc anno de ipso habentur :

« Rege Metas pergente, Carolus itineris comes esse voluit, quo filius Ecclesiæ sub præfecti tyrrannie gementi pacem conciliaret; sacrisque in æde principali, prima Dominica Quadragesimæ celebratis, rege præsente, per-elegantem habuit concessionem, qua testi monis Scripturæ et Patrum, ostendit hæreticos, Dæ-monibus pervicaciores esse, cum Filii Dei divinitatem confitentes, potentiam negarent in trans-substantiatione; licet Daemon dixerit: *Si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant.* Nihil reliqui taciebat vir bono publico natus, quin singulis momentis Ecclesiæ proficeret. Certior factus Pontifice reprobasse breviarium, a Sanctæ Crucis cardinale collectum, quod con-tractius esset et nimis abbreviatum; capitulo confestim significavit, monens, ut vetus Rhe-mense, quo clerici per totam diocesim uteban-tur, reformaret. Nova insuper supellec-tile sa-cristiam suæ cathedralis Ecclesiæ locupletavit, thesaurumque auxit ditissima Cruce auro illita, in cuius pegmate inclusa servatur pars notabi-lis Ligni vitæ, Coronæ spineæ, Vestis purpureæ, Arundinis, etc. Dedit præterea insignem Lips-anothecam, qua sanctissimum defertur Sa-cramentum, cum Baldacechino frigio, gemmis et auro texto: tum se gravioribus præpeditum cernens negotiis eo tempore, quo ætas vergebatur ad occasum, ne inter varias, quas pro regni

¹ Hist. Rhem., lib. 4, pag. 821.

salute obire solebat peregrinationes, mors irreperet, haereticorum sibi insidiantium dolo, testamenti tabulas confecit, quae tanti cardinalis pietatem in Deum, firmitatem in fide, ac mundanae glorie contemptum egregie testantur; quas in Historia vernacula scripta subjecimus.

« Antequam discederet, de erigendo Rhenis seminario, in quo juniores clerici ad virtutes et ceremonias Ecclesiae erudirentur, juxta Concilii Toletani decisiones, Tridenti renovatas, serio cogitavit; perfecitque, ut ante obitum, fundamenta ponerentur amplissimae ejusdam domus, in vico, qui Barbastrum nuncupatur, constructae, per integros octodecim annos, predictum stetit Seminarium; ex inscriptione lapidi incisa ad exterius portae fastigium, et quae etiam num remanet, etc ». Sic ibi.

135. *Queritur Pius quod Aquensis episcopus, licet haereticus, ornatus fuerit legatione ad Turcas.* — Ad Gallicanos pariter episcopos pertinet, quod ex pervetusto etiam Ms. Cod., quem videre contigit anno MDCCVII, cum Florentiae degeremus, accepimus; inter alia nempe a Pontifice, Salviato Apostolico suo apud Galliarum regem, ut diximus, nuntio in mandatis data, cum denuo (uti suo loco dicetur) eum in Gallias direxit, illud quoque fuisse, ut ipsius Pii nomine, apud Carolum, de legatione ad Turcarum imperatorem Aquensi episcopo demandata, expostularet. Erat is Franciscus Noailius, quem, una cum Valentino, haeresis pariter a Pio damnatum supra retulimus; eratque idecirco, præ aliis omnibus quibus rex Galliae munus id tradidisset, Pontifici suspectus: utpote quem sua, quæ tunc meditabatur contra Turcas consilia, everttere posse, ex insito Catholicæ religionis odio, et in Apostolicam Sedem rabie, jure merito judicaret.

136. *Odeti Castillionei, olim cardinalis, mors infasta.* — Diem demum suum obivit extremum hoc anno Odetus, seu Odo Castillionæus, olim episcopus Bellovacensis, atque S. R. E. cardinalis: qui non modo extra suam Bellovacensem, sed etiam Catholicam Ecclesiam, infeliciissimam animam, Calviniana labe infectam, misere efflavit, Cantuariæ in Anglia decim. sext. kal. Martii, seu die xvi Aprilis, cum annum quadragesimum sextum attigisset. Nihilominus triennio ante ex hæ vita migrasse in sua Gallia Purpurata, scribit Petrus Frizon¹, nempe salutis anno millesimo quingentesimo sexagesimo octavo. At contra eum, communis fere est cæterorum scriptorum sententia, inter quos Thuanus², cum de morte Odeti præfati, sub hoc anno agit, hæ profert: « Is, cum superiori bello in aula Elizabethæ Anglorum reginæ, Protestantium causæ procurationem suscep-

set, et in magna auctoritate apud eam esset, ob familiæ amplitudinem, et virtutis ac integratatis opinionem; rebus in Gallia compositis, a Gasparo fratre revocatus, petito a regina commeatu Amptonam venerat, ubi subito morbo correptus, jam tunc non sine suspicione veneni, magno sui relieto desiderio, decessit XVI kal. Martii, haud major quinquagenario, et Cantuariæ sepultus est. Vir magnitudine animi, candore, æquitate, et rara hoc ævo fide: ad hæc acri in rebus astimandis judicio, cum paucis comparandus ».

137. Sed nostri scriptores, indignum apostatam, simili Thuani elogio, haud prosecuti sunt. Unde præfatus Frizon, de ito loquens: « Efflavit (inquit) miser animam Cantuariæ in Anglia, etc. Ferunt domesticos odio ductos in pellicem Odeti, toxicum preparasse in ferculis. Odetus, re non cognita, cibos gustavit, et veneno est infectus. Alii referunt pulvere concoctivo, veneno admixto, extinetum. Cantuariæ sepultum est cadaver, et anima ad Christi tribunal evocata, rationem villicationis male geste redditura ». Ita ille, qui subdit: « Nec solus e Galliæ prælati fidem Catholicam deseruit; alii etiam, ut Joannes de Saint Gelais episcopus Uticensis, professus Calvini haeresiarchæ errores, ejurato episcopatu. Jacobus Spifame præsul Nivernensis, pœna capitis Genevæ muletatus vigesima quinta Martii, anno MDLXV. Antistes Tricassinus, Joannes Antonius Caracciolus, principis Melphitani F. quondam Abbas S. Victoris Parisiensis ».

138. Licet haeresi pollitus, incessit tamen multo tempore purpuratus Odetus; idque in Pii Quarti Pontificis contemptum¹, qui anno salutis sexagesimo tertio supra millesimum quingentesimum, pridie kal. Aprilis eum haereticum declaraverat, episcopatu Bellovacensi, aliisque sacerdotiis ac cardinalitia dignitate privaverat. Eo enim accepto nuntio, statim purpuram resumpsit, quam deposuerat, illoque habitu in Ecclesiæ Catholicæ spretum, duxit uxorem, imo concubinam, sequenti anno. Verum effectum est Pii V studio, ut non modo cardinalis habitum volens nolens dimitteret, sed etiam locus ei in consilio utroque regio denegatus fuerit; quare Ecclesiæ Catholicæ desertor et transfuga, ad paludes Anglicanas, haeresis limo infectas, se convertit, ut liberius in cœno se voluntaret; ubi dum agit, ut supra monuimus, inani conatu, de matrimonio cum Duce Andio ac Elizabetha, regis Galliarum jussu, infasta morte, dignam scelerum suorum mercedem consequitur.

139. *Soucherii cardinalis et Espencæ insignis theologi obitus.* — Haud multo post tamen, nempe X kalend. Novembr. hujusmet anni, quo

¹ Frizon. Gal. Purp. lib. 4, pag. 591. — ² Thuan. Histor. lib. 50, pag. 761.

¹ Ibid. ut sup.

Gallicana Ecclesia pestiferi illius hominis contagione liberata fuit: lucerna, et quidem splendidissima, qua ipsi totique Christiano orbi mirifice illuxerat, bonorum omnium summo mœrore, extincta est; nam ex hac vita migravit Hieronymus Soucherius, quem inter S. R. E. cardinales a Pio adscriptum, suo loco diximus. Felicissimum igitur cum audisset tanti viri transitum Pius¹, alta voce dixisse perhibetur: *Moriatur anima mea morte justi hujus, et ad adstantes conversus: « Miror (inquit), quod ad tam sancti viri ex hoc mundo discessum, omnes Urbis campanæ ulro non pulsent ».* Et in proximo denum Consistorio ad Patres verba faciens: « Sublato (dixit) cardinali Clarævallensi, magnum Ecclesiæ lumen extinetum ». Nec immerito tanti habitus a SSmo Pontifice fuit; nam ipse nunquam universæ Ecclesiæ defuit. Ante cardinalatum enim, in Colloquio Poissiaco adversus Bezam strenue decertaverat; et in regni comitiis, tum Aurelianensibus, tum Parisiensibus, sese fortiter ac strenue opposuerat; in Tridentino Concilio sententias doctrinæ pietatis ac prudentiæ plenissimas dixerat. Ac tandem, ubi inter Romanæ Ecclesiæ cardinales locum rennens ac reluctans obtinuerat, scriptis etiam voluminibus, pro Ecclesia ipsa pugnaverat. Dignus idecirco qui a Thoma Bozio, nostræ² Congregationis presbytero, in præclaro suo opere de signis Ecclesiæ Dei, in selecto prætantissimorum virorum, qui hoc tempore flouerunt, numero recenseatur, quique sacrum cardinalium collegium sanctitatis ac sapientiae suæ radiis illustrarunt. De illo magni cardinalis alterius, Hosii³ nempe, extat illustre pariter hoc testimonium: « Abbatem Clarevallensem familiariter novi, quo non puto, quod habeat Gallia, vel doctrina vel omnium virtutum generæ excellentiorem virum ». Et alibi ad cardinalem⁴ a Lotharingia scribens: « Multum (inquit) et hoc nomine celsitudini tuæ debeo, si fratrem Edmundum, quem sancto illi cardinali Clarævallensi, enjus anima sit in benedictione, non mediocriter charum esse scio, diligenter commendatum habueris ».

Obit autem Romæ Soucherius, sepultusque est in Ecclesia S. Crucis in Jerusalem, in qua, nobili sepulero condita illius ossa asservantur. Sexaginta tribus, quos vixit annis, plura fecit, pluraque etiam, ut innuimus, reliquit suæ pietatis, ac religionis scripta monumenta, quæ Ciacconius in sua cardinalium Historia reconsent.

t40. Claudio Espenæus insignis Galliarum alter theologns, die quarta Octobris hoc pariter anno defunctus est. Ille æque ac Soucherius, in

Poissiacensi colloquio, egregiam operam pro defensione Catholice veritatis impenderat; nee minus doctrina quam sanguinis nobilitate illustris, quippe qui paterno genere, ex Espenæorum clara in Campania familia: materno, ex Illma Ursinorum in Italia orlum duceret. Fuisse dicitur (inquit Spondanus) aliquando in existimatione cardinalatum adipiscendi; sed obfuere (subjungit) nonnullæ propositiones, ab eo non satis considerate assertæ. Quinimo extat inter Bezae Epistolas una ad ipsum scripta, qua significat eum aliquando Genavam se contulisse, et in multis cum Calvinistis sensisse: ideoque illum acriter arguit, quod non constans in veritate, cui semel adhaesisset, perseverasset. Quod si verum est (inquit Spondanus¹ idem) dicendum est virum simplicem ignoratione magis aut indiscreto zelo, quam malitia in aliquot opiniones erroneas impeguisse. At hæc a Spondano allata Espenæi excusatio, nimis pugnare cognoscitur, cum tanta doctrinæ laude, quam ei ipsem tribuit; unde nobis magis arridet Brietii² sententia, qui per calumniam Bezam crimen hoc Espenæo, quem acriter oderat, objecisse existimat, ut illius honori ac famæ detraheret. Certum est in Communione Catholice Ecclesiæ, sumptis sacramentis Espenæum pie admodum ex hac vita migrasse, instructissimæ suæ Bibliothecæ cardinali Lotharingio et septem doctoribus Sorbonicis relictis hæredibus. At pietatem illius ac fidei Catholice studium ea etiam legata commendant, quæ Mendicantium Religiosorum Ordinibus, domibus Sorbonæ et Navarræ, neenon Ecclesiæ S. Cosmæ, in qua sepeliri voluit, liberaliter reliquit. Funus autem illius Christiano more curatum est, convocatis videlicet omnium collegiorum et Ecclesiarum Ordinibus, ac innumeris prope accensis cereis honestatum.

Præter Apologiam (ut laudatus idem narrat Spondanus), et alia opera typis impressa, post huma etiam scripta reliquit, quibus se ab hereticorum deliriis et furoris alienissimum præbet; et in vita et in morte, inquit Brietius³, ab omnibus Catholicis, religiosissimus simul ac eruditissimus habitus est.

141. *Burdigalæ magicæ artis cultores.* — Hoc autem tempore, quo in Gallia, ex hæresum pestifera contagione, parum abfuit quin in errorem inducerentur (si fieri posset) ipsi etiam electi et Catholicæ; non per ministros suos tantum, sed per seipsum etiam homines dementare, animasque illorum a Deo abripere Diabolus visus est. Cum enim in Magos⁴ instituta esset quæstio, vetula quædam Burdigalensis Maga, apud judices confessa est: se cum

¹ Ciaccon. sub a. 1566. Tom. 3, pag. 134. — ² Boz. de Sign. Eccles. Dei, tom. I. — ³ Hosii Epist. ad Anton. card. Caraff. — ⁴ Idem Epist.

¹ Spondan. hoc anno. — ² Briet. hoc anno. — ³ Ut supra. — ⁴ Bodin. lib. Daemon., lib. 2, cap. 5. Theat. Vit. humana. litt. M., pag. 590.

aliis per hebdomadas singulas fuisse exportatam, ubi magnus hircus aderat; quo auctore, Deum abnegabant, seque Diabolo familiaturos spondebant, ac illius pudenda singuli osculabantur; postque saltationes, pulveres quisque accipiebat. Cumque Beltus quidam, libellorum supplicum magister, dicente maga se nihil posse, nisi e carcere educta esset, volens rei veritatem explorare, eam duei jussisset; illa cum se nudam certo adipe inunxit, velut mortua expersque sensus corruit: deinde post horas quinque reversa, exsurgensque permulta narravit, quae variis locis ita se habere ut dixerat postmodum compertum est.

t42. *In regionibus etiam conterminis Carolus foret hæreticos.* — At magis, quam a Diabolo pertimescendum sibi censuit Sabaudiæ dux ab admiratio Colonio. Cum enim is ante quadriennium Carlottam Lavalliam uxorem Aurelianii amisisset: de secundis nuptiis cogitanti, de Jacoba Intramontana, Claudi Batarnei Antonii reguli, pugna Sandionysiana occisi, vidua, nobilissimæ et juxta opulentæ in Sabaudia familie hærede, quæ hæreticorum doctrinæ in occulto favebat, mentio injecta est. Quod cum rescivisset præfatus Sabaudiæ dux, publicatio-nis bonorum addita poena, prohibuerat, ne quis ex sua ditione, injussu suo, cum quoquam alterius ditionis matrimonium aut affinitatem contraheret. Cumque rex postea, in rei commendationem ad ducem sèpius scripsisset, ut edicti prohibitorii gratiam Intramontanæ face-ret, et nihil ab eo impetrari potuisset, quod dux ab admiratio, novarum rerum insigni com-molitore, idem plane incendium in propria ditione excitandum, quod in Gallia tota suc-cenderat, ut scribit Avila, pertimesceret; Intra-montana tamen Colini amorem acta, quippe quæ vanissime se futuram jactaret novi Catonis novam Martiam, Sabaudiæ duce injussu, metu-que proscriptionis spreto, Rupellam se contulit, ubi Colinium eo tempore ibi commorantem maritum duxit.

t43. Præter hæc etiam Pseudo-Ecclesiæ Valdensium hoc eodem anno, unionem ac con-cordiam inter se confirmarunt ea lege, ut si earum aliqua, pro religionis re molestia aliqua afficeretur: cæteræ auxilio illi esse deberent; si fides tamen sit Petro Gillo¹ in sua Ecclesiarum Reformatarum Historia, in qua etiam inseruit Epistolam quamdam, a Carolo Gallorum rege ad Sabaudiæ ducem, sub die xxviii Sep-tembbris hujus anni scriptam; qua intercedere studet pro aliquibus, nefaria eadem hæresi infectis, qui justissima animadversione ab ipso duce premebantur: ex eo quod præcedentibus Galliæ bellis Hugonotarum partibus adhæsis-sent, iisque auxilium præbuissent.

¹ Petr. Gill. Hist. Eccles. refor. c. 35, pag. 240 et seq.

144. Addit præterea², quod cum cleris Ro-manus in Salutarum Marchionatu, sub an-no MDLXVII, decima nona die Octobris, publicari decretum obtinuisset, nomine ducis Nivernensis, regis Gallie citra montes locum tenentis, quo viris reformati ut dicit religionis, qui naturales regis ejusdem subditi non fuissent, præcipiebatur, ut intra tres dies, e tota ea di-tione, una cum familiis egredierentur; ideoque duo e pseudopastoribus earumdem Sathanæ Synagogarum, quod edicto non paruissent, in carcere fuisse conjecti. Hoc demum anno, cum Salutienses hæretici ministrum quemdam Galeatum ad regem misissent, eorum tandem liberationem asserit impetrasse, licet ea execu-tioni, nisi anno sequenti, demandata non fuerit.

Et certe omnimode hæreticorum libidini undique habenas laxasse Carolum visum esse, præter ea quæ diximus, haud obscure intelligi etiam posse arbitramur ex iis, quæ sub die decima quinta Decembris hujus anni Pius Pon-tifex Salviatum³ in mandatis dedit, cum, ut infra dicendum erit, jam Romanum reversum, rursus in Gallias misit; nam inter alia ista præcipue leguntur:

« Apud regem queratur, quod Hugonottæ a Christianissima majestate se assecuturos esse gloriantur, ut citra montes et in Salutarum Marchionatu, liberum sectæ suæ morem exerceere possint. Idque admirarium Colinium, se ab eo impleturum spopondisse jaudent: ita ut in posterum, per impletatis ministros, palam errores suos prædicare cogitent ».

t45. *Apud Pium frustra agit Carolus in gratiam Comitis S. Severini hæresis insimulati.* — Sed quod majus est, non modo rex ipse, tum suæ ditionis, tum finitimarum hæreticos, pro-pensius quam debuisset, fovit: (non enim, ut Apostolus⁴ prædicat, sunt facienda mala, ut eveniant bona); ideoque, quæ pro illis gessit, minime excusari possint ex eo consilio, quod contra ipsos meditabatur; sed exterorum etiam, Christianissimo rege haud dignam protec-tionem, ac defensionem suscepit in Galeatio eo Sanseverino, quem Pii jussu, ab Alexandro principe Farnesio Parmæ comprehensum, et ab ejusdem Parmæ et Placentiæ Duce Oetavio Farnesio Romanum missum, præterito anno narravi-mus. At irrito conatu, quia cum Pontifice res illi fuit, qui præfato Salviato, Apostolico suo apud eum nuntio, sub die quinta Februarii hujus anni ista mandari imperavit⁵:

« Cum cardinalis Rambovilliettus graviter apud Sanctissimum Dominum nostrum questus sit, quod dominus Galeatius Sanseverinus, Par-mæ, jubente eodem Sanctissimo domino nostro,

¹ Ibid. c. 36, pag. 247. — ² Ex Instruc. Sal. in Al. S. Cod. Com. Macalotti Floren. — ³ Rom. 3, v. 8. — ⁴ Ex Ms. Cod. ut sup.

ac sacrae Inquisitionis officio instante, captus fuerit; Sanctitas sua dominationi vestræ præcipit; ut majestati suæ significet, prædictum D. Galeatium ideo carceri mancipatum fuisse, quod plus quam quatuor abhinc annis, indicis gravissimis, hæresi adhæsisse deprehensus fuerit. Unde quod eadem Sanctitas sua fieri voluit, id ex munere sui debito ab eadem factum M. S. sciat. Quod vero idem Galeatius, unus ex Equitibus Ordinis majestatis suæ sit; id rem minime inficere existimat, cum persuasum sibi habeat Sanctitas sua, eamdem majestatem Christianissimam, si certo comperisset illum vere hæretica labe infectum: ipsum etiam, e Gallia Romam missurum ac sibi traditurum. Si vero rex his rationibus minime acquiescere velle cognoverit, cum secunda vice de re ipsa cum illo sermonem habere contigerit, hujusmodi officia a sacris canonibus prohibita esse respondebit, monebitque, ut iis se abstineat; nam, qui illis perfunguntur, pœnas contra hæreticorum factores propositas promerentur. Quod si post haec rex adhuc in sententia persistenter, cum tertio se cum de hac re sermonem injecerit, Majestati suæ palam denuntiabit: Sanctitatem suam, nec debere, nec posse indignum aliquid Optimo Pontifice efficere, quo Deus offendatur, ac orbi Christiano scandalum afferatur ». De hoc autem nonnulla etiam inferius.

146. *Friburgenses monentur ut causam Lausanensis episcopi defendant.* — Eadem Apostolica libertate, Pontifex insuper sese hoc ipso anno gessit cum Helvetiis pagi Friburgensis, in causa episcopi Lausanensis, cuius episcopalia bona ac jura hæretici occupaverant; et quod ipsorum superfuerat, Friburgenses præfali usurpaverant; nam ad eos sequentem Epistolam¹ scripsisse reperimus:

«Dilectis filiis Helvetiis pagi Friburgensis, Ecclesiasticæ liberlatis defensoribus.

PIUS PP. V.

«Dilecti filii, salutem et Apostolicam benedictionem.

«Sollicitudinem nobis, quamvis indignis, ab Omnipotenti Deo esse impositam, venerabilibus fratribus coepiscopis nostris, in ejusdem sollicitudinis partem ab eodem Domino vocatis, ad nostrum hujusque sanctæ Sedis Apostolicæ auxilium configentibus, nostræ commendationis præsidium negare sine gravi culpa non possumus. Nuper, cum magno animi nostri dolore intelleximus venerabilem fratrem nostrum episcopum Lausensem, omni sua diœcesi spoliatum esse, propterea quod majorem illius partem, quæ sub Helvetiorum hæreticorum temporali ditione posita est, illi ipsi hæretici occupa-

verunt; altera, quæ ipsi in vestro dominio reliqua erat, a vobis occupari dicitur. Quæ si vera sunt, minus nos quidem mirati fuimus, eos qui a Catholica fide defecerunt, ipsarum quoque Ecclesiarum jura, occupatis earum bonis atque redditibus, violare ausos fuisse; illa vero indigna nobis visa est, vos, qui (adjuvante Domino), in fide Catholica permansistis, quorum errorem, hæreticamque pravitatem, magna cum nominis vestri laude, devitandam vobis esse existimatis, eorum facta, occupandis episcopi vestri bonis, imitari voluissse. Quem quidem vos, religiosi Catholicæ causa, ab hæreticis indigne habitudi, redditibusque suis spoliatum, sublevare, non insuper novis a vobis injuriis afflictum, opprimere debebatis. Haque, pro pastorali officio nostro, paterne vos monemus, et in Domino vehementer hortamur: et, quatenus opus sit, districte vobis præcipimus, ut episcopum, animarumque vestrarum pastorem, ea qua debetis obedientia reverentiaque recipientes, primo quidem omnem illi suam jurisdictionem, præeminentiam, auctoritatem, bona, redditus omnes restituatis; deinde ipsum eo honore habeatis, quo tantæ dignitatis gradus, divina providentia ad animarum salutem institutus, ab omnibus Christifidelibus haberi meretur. Illud pro celo habentes, eos qui pastores suos spernunt, Deum spernere, quique eos recipiunt, Deum recipere; qui ut honorem in ministris suis sibi tributum mullo majorum bonorum mercede compensaturum se esse pollicetur; ita, si quid secus ab hominibus in eosdem admissum fuerit, æque se illud ac proprium injuriam vindicaturum esse edixit, saepe reipsa comprobavit. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris die xv Martii MDLXXI, Pontificatus nostri anno sexto ».

147. *Carolus Borromæus ludimagistros hæreticos ab Helvetiæ pagis ejici curat.* — At quia de rebus Helvetiis sermo incidit, prætereundum minime est, quod inter causas et consilia suscepisti in eam provinciam a Carolo sanctissimo cardinali Borromæo itineris superiori anno memoriati; illud præcipue beatissimum præsulem spectasse, ut Ludimagistros, qui in Cisalpinis eorumdem Helvetiorum pagis, docendarum litterarum prætextu, Calvinianis erroribus juventutem, quæ litterariæ rei operam dabat, inficiebant, tolleret atque amoveret. Ea vero de re, cum apud principes gentis Carolus egisset, responsum hoc acceperat: Si pagi illi, in quibus magistri morarentur, alieni Helvetiorum parti subjecti essent, posse partis ejus principes inde eos dimittere, atque prohibere, ne id docendi munus ultra exercerent: nunc autem quia toti Helvetiæ Reipublicæ commune jus in iis locis esset, in communi etiam gentis concilio rem esse tractandam.

Lucernæ brevi id era cogendum; quod ubi ad Carolum delatum fuit Ambrosium Fornerum

¹ Ex. Archiv. Vaole. ut supra.

e familiariibus suis, et ipsum inter Helvetios natum, ideoque patrii moris notitia et tinguæ commercio perferendis postulatis idoneum,¹ ad illud misit. Praeter id, quod de magistris proposuimus, postulabat insuper cardinalis (ut narrant Ripamontius² et alii) ne gentis illius adolescentes, educationis causa, in loca haeretica mitterentur; ac demum, ut quoties haereticus praefectus in loca eis Alpes imperio Helveticō subiecta mitteretur, nullum ei jus esset in iis quæ ad statum causamque religionis spectarent.

148. Cum his mandatis in Helvetios missus igitur Ambrosius, habuit, inquit præfatus Ripamontius,³ et hoc sibi a cardinali præceptum, ut muneribus et epularum comitate, eos detinire sat ageret, quorum prima in Concilio auctoritas gratiave inter populares præcipua esset. In id, et præsenti pecunia, et syngraphis opportunitis, amplissime instructus ierat. Itaque præparatis principum animis, petitoque senatu, Concilium ingressus, quæ in mandatis habebat, exposuit. Et initio quidem murmur, et fremitus, recusalioque ob haereticos qui congressui inerant, nonnulla fuit. Cæterum ad extremum, tum rerum æquitas, tum cardinalis opinio ac nomen prævaluit, cunctis quæ petierat impetratis. Gravissimum idcirco decretum in primis factum de magistris, in quos, si ultra præstatum tempus (brevissimum autem definitum fuit), in Catholicis Helvetiorum pagis reperti fuissent; pœna capitinis proposita est. Ejusdem vero decreti litteras, cum sibi tradi Fornerus curasset, profectus ipsem ad magistros, inde illos secum adduxit, ac cardinalis sumptibus, trans montes eos deportavit. Ex iidem pagis, parentibus mittere in loca Calvini falsis dogmatibus corrupta filios, litteris imbuendos, pariter prohibitum. Quo vero ad præfectos, qui ipsimet pagis præpositi fuissent, Locarnensi magistratni demandatum est, ut in eam curam attente excubaret, ne Catholicorum res præfectorum hæreticorum malitia detrimenti aliquid pateretur; neve unquam ipsis Ecclesiasticis negotiis sese immiscerent.

149. *Humiliatorum Ordo extinguitur.* — Ut facto autem Pontifex comprobaret, quæ ad Friburgenses scripsisse vidimus, de summo vide licet honore ac reverentia, qua episcopos prosecutos vellet; hoc anno scelus, ab Humiliatorum Ordinis alumnis, in præfatum cardinalem Borromæum admissum, præter pœnas, quas qui illud patraverant luisse retulimus, insigni ac memorabili punitione mutctatum voluit; unde uno et altero Diplomate, sept. et sext. idus Februarii edito, eorumdem Humiliatorum Ordinem omnino extinxit. Eorum Diplomatū alterum, quod hujus extinctionis præcipuas causas continent, licet omnibus præsto sit in Bullario,¹ tamen, ad

rerum, quas retulimus perspicaciorem intelligentiam, hic inserere non piguit. Dicit igitur:

150. « Pius episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

« Quemadmodum sollicitus pater, quem unice charum educavit filium, via salutis egressum revocare cupiens, primum hortatur, indulget, prætermittit, increpat, alia præterea atque alia tentare non desinit, dum quod expedit modo aliquo consequatur; omnia denique expertus, cum nihil jam proficere intelligit, desperata prorsus salute, omnem de ito parentis animum ejicit, domo expellit, indignum existimans qui parta haereditate fruatur: sic Romanus Pontifex, quem divina Majestas patrem et pastorem omnium Ecclesiae sua Ordinum constituit, sicubi quampiam sacrarum Congregationum, a regula et vitæ præscripto aberrare percipit, modo admonendo, modo concedendo, modo corripiendo connitur eam, vel primis institutis restituere, vel certe quo pacto emendatam in aliquo statu illis magis cohærenti continere: omnibus tandem ad illius sanitatem conquisitis, ubi salutaria remedia fastidire, et in viam iniquitatis obstinatus procedere; atque adeo in pravum indurescere animadverlit, ut potius confringi quam corrigi possit: omniconvictione rejecta de ipsa removenda decernit, ne inveterati atque indomiti mali vis in alias insurgat, eisque exitio sit futura. Quod (ut nostrum hac in re studium flagitat) cum in plurimis, tum maxime in Fratrum Humiliatorum familia curavimus, nihil in expertum relinquentes, quin illa, multis jampridem modis affecta, et si non protinus, certe accomoda rerum moderatione directa, ad pristinum institutum paulatin regredetur.

« § 1. Elenim postquam dilectus filius noster Carolus tit. S. Praxedis presb. cardinalis Borromæus, hujus Ordinis protector, et Apostolicæ Sedis delegatus, animadverlens dictos fratres in luxum jampridem effusos esse, multa de ratione cultus divini de obedientia, et vita, ut antea communī, deque modo recipiendorum et educandorum Religiosorum, providenter statuerat: cum intelligeremus, eos illa cæteraque omnia Regule sue instituta omnino aspernari, vitamque omnium voluptatum varietate confortam ducere, ac præpositos, et qui ex eo Ordine rerum administrationem habebat, bonam magnamque fructuum partem, veluti propriam, in vanitatibus mundanis turpitudinibusque flagitiis profundere, innumeraque scelerā committere.

« § 2. Nos vias omnes, quæ illos in aperta hujusmodi pericula atque incommoda conjectarent, exscindere conati, pleraque alia de ipsorum vita, moribus et proprietate, Regule inimica; deque modo et tempore gubernandæ cujusque præpositoriæ; necnon ratione administrationis bonorum, et dispensatione proventuum

¹ Giuss. Vit. S. Carol. lib 2. cap. 29. — ² Ripamont. Histor. Eccles. Mediol par. 3. lib. 3. — ³ Ut supra.

aliisque muneribus et officiis, ad protlapsi hujus status, et disciplinæ regularis reparationem maxime conferentibus, edidimus, sperantes illa prosperos tandem successus dicto Ordini allatura.

« § 3. Sed obstante bonarum rerum perturbatore, plerique omnes, (quoniam otio et desidia nimium assueverant) Regulæ instituta, et emendationem abhorrentes; et si statuta et præcepta nostra communi consensu palam acceperunt; clam tamen, quibus illa modis supprimarent communisentes, nefarias protestationes in occulto fecerunt; necessarios suos, et alios potentiores laicos ad intestinas seditiones concitarunt; suasores præterea et impulsores ad intimos Summorum Principum ministros dimiserunt, qui magnis præmiis et pollicitationibus eos pellicerent, in animos prædictorum principum inducere, ut nos ad illam rescindendam inclinarent; multaque alia, de ea tollenda pravis artibus suis conati, ut turpem illam et flagitiosam vitam suam retinerent, lethalesque mundi voluptates sequerentur. Inter quos non defuit, qui altius præcipitalus, etiam a Catholica fide ad haereticos, et impia illorum dogmata declinavit. Quibus cognitis, omnium gravissimum, impenitentiae peccatum in eis animadvertisimus, qui toties frustra correpti, in eadem obstinatione perdurare contendunt, non satis habentes talia attentare, nisi et iis, qui inter ipsos posse putant, illis in primis, qui saluti eorum sedulo invigilant, exitium machinentur; illius stimulis coneitati, qui scelestum Judam in funestum avaritiæ morbum injecisse non contentus, etiam ad prodendum Dominum suum, pecunia impulit. Hujus nimis spiritus nequissimi ductu, quondam Hieronymus Lignana præpositus præposituræ S. Christophori Vercellensis, et plures alii conselerati hujus Ordinis, in necem dieti Caroli cardinalis propitiatoris sui conspirantes, ut pecuniam ad tantum nefas expeditam conficerent, de trucidando in primis dilecto filio Fabio Simoneta fratre dicti Ordinis, proventuum præposituræ Bredæ Mediolanensis depositario, apud quem nummos invenire credebat, secuto convenerunt: inde ad Ecclesiam dictæ præposituræ, in qua ipsum orantem laqueo suffocare deereverant, profecti; sed inter se de modo aggrediendi, misericordia Salvatoris nostri discordes, hoc conatu destiterunt, mutatoque consilio, vasa sacra aurea et argentea furati sunt. Quibus elam venditis, seu pignori datis, prædictus Hieronymus, quondam Donatum Farinam conprofessorem suum, apostamatam, pacta pecunia induxit, ut ipsum Carolum cardinalem occideret; qui nacta loci et temporis opportunitate, in eum vesperi, de more, in sacello cum familia precantem, ut transverberaret, scelopum glandibus confectum, igne admoto exoneravit; sed telorum parte ad vestes orantis exinanita, aliis

utrinque in proximo, violentia ielus, defixis; innocentem divina pietas salvum et incolumem conservavit. Quare ambo, et quidam alii hujus nefandi criminis participes postea capti, poenas debitas persolverunt.

« § 4. Quando igitur familiam prædictam, nulli studio ad Ecclesie Dei utilitatem proficienti incumbentem, nulli disciplinæ Ecclesiasticæ deditam, nullum omnino futuræ virtutis specimen ostendentem: tam atroci sacrilegio contaminatam, et præterea impoenitentem atque incorrigibilem agnoscimus; omni de illa spe prosus exclusa, ipsam tandem tollere constituimus tanquam malam arborem fructus pessimos proferentem. Habita itaque cum fratribus nostris deliberatione matura, de illorum consilio, et nobis attributæ potestatis plenitudine, extinguiimus et abolemus Ordinem prædictorum Fratrum Humiliatorum, et officium præpositi generalis, ac provincialium, et quæcumque alia ministeria Ordinis sic suppressi; necnon omnia et quæcumque statuta, consuetudines et decreta ejusdem, etiam juramento, confirmatione Apostolica vel alia quacumque firmitate munita, et pariter privilegia et indulta generalia et specialia, quorum omnium tenorem, ac si ad verbum insererentur præsentibus, habemus pro expressis; quibuscumque illa concepta sint formulis, necnon irritantibus aliis decretis et vinculis roborata.

« § 5. Privamusque generalem, ac cæteros omnes præpositos, et fratres, omnibus præposituris, dignitatibus, administrationibus, officiis et beneficiis Ecclesiasticis, cum cura et sine cura: necnon domibus, conventibus, et locis immobilibus, mobilibus et semoventibus in Italia, et ubicumque gentium constitutis. Saera quoque et communi supellectile, ac ipsorum omnium usu, usufructu, administratione ac possessione spirituali et temporali; ac etiam jure et actione, sive per statuta nostra, sive alias quomodolibet pertinente: ac tollimus eis omnimodam facultatem, usum et auctoritatem, generalia, provincialia et alia Capitula de cætero celebrandi.

« § 6. Volumus tamen, ut omnes fratres, qui nunc sunt, qui professionem regularem emiserunt, deinceps indomibus et locis, quos eis cum victu et aliis necessariis proxime assignandos curabimus, omnino redigantur; ut ibi vitam ducent regularem suæ professioni conformem, sub cura et visitatione ordinariorum, aut alterius, vel aliorum, quos eis duxerimus delegandos; vel juxta juris communis dispositionem, transeant ad pares vel strictiores Ordines approbatos.

« § 7. Novilii vero et alii non professi, detracto religionis habitu ex professorum consortio et domibus expellantur.

« § 8. Quibus professoribus nominatim præ-

cipimus atque interdicimus, ne post hoc, quemquam expulsorum, aut omnino alium, etiam voventem ad professionem vel habitum admittant: nec novas domos, vel loca recipient, vel acquirant. Quod si secus fiat, professio sit inanis, neminemque obliget, neque in specie, neque in genere, sic professum. Novarum domorum seu locorum receptiones vel acquisitiones viribus et effectu careant, et contrafacentes excommunicationis sint sententia eo ipso innodati, a qua nullus, nisi in mortis articulo constitutus absolvi possit, absque Romani Pontificis licentia speciali.

« § 9. Cæterum intendentes, et cultui divino, et Ecclesiæ ministris quamprimum prospicere, omnes præposituras, dignitates, personatus, administrationes, officia, cæteraque beneficia Ecclesiastica, cum cura et sincera, quæ deinceps sacerdotalia sint, per privationem prædictam apud Sedem Apostolicam vacantia: ne non domos, conventus, loca, supellectilem, bona, res, actiones, et jura supradicta, eorumque proprietatem et dominium; nostræ, et dictæ Sedis liberae dispositioni specialiter et expresse reservamus. Decernentes irritum et inane quidquid secus, per prædictos, aut quoscumque alios, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

« § 10. Volumus autem, ut præsentium exempla, notarii publici manu, et personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ sigillo obsignatae, eamdem illam prorsus fidem in judicio, et extra illud, nbiicumque locorum faciant, quam ipsæmet præsentes facherent, si essent exhibitæ, vel ostensæ.

« Nulli ergo etc.

« Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MDLXXI, septimo idus Februarii, Pontificatus nostri anno sexto.

« EGO PIUS CATHOLICÆ ECCLESIE EPISCOPUS.

Utinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justifications tuas.

« Jo. cardinalis Moronus, episcopus Ostiensis.

« Ego Otho cardinalis Augustanus, episcopus Prænestinus.

« Ego A. cardinalis Farnesius vicecancellarius, episcopus Tusculanus.

« Ego Jo. cardinalis Politianus, episcopus Albanensis.

« Ego Fulvius card. Perusinus.

« Ego Scipio cardinalis Pisarum.

« Ego Jacobus card. Sabellus.

« Ego Jo. Fr. card. de Gambara.

« Ego Indicus de Avalos card. Aragona.

« Ego M. A. card. Columna.

« Ego P. card. de Sancta Cruce.

« Ego Jo. Franc. card. Commendonus.

« Ego M. A. card. Bobba.

« Ego Hugo Boncompagnus card. S. Sixti.
 « Ego Flavius card. Ursinus.
 « Ego Antonius card. Cribellus.
 « Ego B. card. Lomellius.
 « Ego Guillelmus card. Sirletus.
 « Ego Fr. Michael B. card. Alexandrinus.
 « Ego Fr. Hieronymus card. de Claravalle.
 « Ego F. cardinalis Alciatus.
 « Jo. Paulus card. ab Ecclesia.
 « Ego Jo. Antonius, card. S. Georgii.
 « Ego Aloysius card. Camerarius.
 « Ego Antonius card. Granvellanus.
 « Stanislaus card. Varmiensis.
 « Ego Franc. card. Paceus.
 « Ego M. Ant. card. Amulius.
 « Ego Hieronymus card. de Corrigio.
 « Ego M. Ant. card. Matheus.
 « Ego Julius Ant. card. S. Severinæ.
 « Ego G. cardinalis de Grassis.
 « Ego C. card. Rambovilliettus.
 « Ego F. A. card. de Theano.
 « Ego Fr. Felix, card. de Montalto.
 « Ego P. cardinalis Placentinus.
 « Egg I. card. Aldobrandinus.
 « Ego Fr. Vincentius, card. Justinianus.
 « Ego Hieronymus, card. Rusticuccius.
 « Ego Jo. Hier. card. Albanus.
 « Ego Hieron. card. Simoncellus.
 « Ego Ferdin. card. de Medices.
 « Julius card. de Acquaviva ».

151. Priusquam lethalem hanc sententiam Pontifex in Humiliatorum Ordinem diceret, rumor de consilio, quod Pontifex ipse commiliebatur, ad cardinalis Borromæi aures perlatus est, qui auctor fuit Aloysio præposito generali eorumdem Humiliatorum, ut Romam se conferret, ibique Pii animum delinire studeret. Id ipsum deprecata est urbs Mediolanensis, datis ad Pontificem ipsum litteris, quibus enixe petiit, ne paucorum culpam, universi Ordinis pena emendatam vellet. At nihil obtentum, cum fixum esset Pii animo, nulla ratione corruptum penitus corpus, ad sanitatem redire posse. Sententia igitur abolitionis in Ordinem illum prolatæ, tunc cognita Pontifici consilii soliditas, et quam perspicue, infirmi ægritudinem medicus intellexisset, qui ea incisione opus esse censuerat. Eo siquidem deleto, in recognoscendis familiis, adeundaque possessione, pleraque quidem etiam alia reperta et detecta sunt. ex quibus id comprobatum est: maxime vero insigne vestigium licentiæ hominum illorum hoc fuit, quod narrat Ripamontius¹ his verbis:

« Ordo censebatur universus sive domiciliis nonaginta quatuor; quarum familiarum sive domiciliorum unumquodque centenis hominibus alimenta, non necessaria modo, sed etiam lauta suppeditare posset. At numerus ille frustum in toto Ordine est inventus, ut ne bini qui-

¹ Ripamont. lib. 3. p. 175.

dem in singula monasteria descripti, ad monasteriorum numerum convenienter. Quippe præpositi inutiles, iidemque sumptuosí, voragine et hiatu, libidinibusque suis cuncta hauriebant. Graecales cæteri, cum tam pauci in tanta opulentia fuissent, ut etiam nimium multi viderentur, faciebat ipsa præpositorum aviditas, sordideque et serviliter alebantur. In delendo Ordine quicunque reperti sunt, decretum a Pontifice est, ut annua ex iisdem fructibus pensione sustentarentur, et abiere laeti, credo, ex domiciliis eis; et dies ille, qui apud homines alios funestissimus fuisset, veluti natalis dies visus hominibus, qui tetra et avara, simulque dissoluta præpositorum dominatione liberati sunt. » Sic ille.

452. Putandum tamen non est, inter eos, qui præfato Humiliatorum Ordini adscripti erant ac degenerem duxisse vitam referuntur, non fuisse usque ad unum, qui a semita justitiae non declinaverit. Nam Pius ipse (ut habemus in cardinalis S. Severinæ Diario), cum sub die septima Februarii hujus anni, de ejusdemmet Ordinis extinctione in Consistorio cum cardinalibus verba fecit; ac plura de eorumdem monachorum excessibus, incorrigibilitate et mala vita dixisset; tandem, quem paulo ante memoravimus generalem, virum bonum esse pronuntiavit.

453. Idipsum (ibidem refertur) asseruisse cardinalem Moronum, qui pariter de Humiliatorum vita et moribus corruptis testatus est; « Sed commendavit (Diarii sunt verba) generali et abbatem S. Abundii, uti bonum etc. »

Eudem S. Abundii abbatem laudavit pariter cardinalis S. Georgii. Quæ quidem ea mente retulimus, ut agnoscatur, quam inconsulte profani homines persæpe de religiosis Ordinibns obloquantur, ac si adeo a suorum institutorum primævis regulis aberrent omnes, ut nemo inter eos reperire sit,¹ qui genua Baal non curaverit. Cum tamen perspicuum sit in Ordinibus ipsis, licet plurimi a puriori disciplina desiliverint, in eorum tamen aliquibus, Deum semper (ut Propheta² loquitur) virtutis ac probitatis sibi semen reliquisse, ut in Humiliatis istis appareat; inter quos nonnullos extitisse justos honestosque homines, præter ea, quæ diximus, illud etiam ostendit in eodem Consistorio propositum a cardinali Aldobrandino dubium; cum nimis, se extinctioni Humiliatorum assentiri declaravit, si tamen in Processu contra illos instructo, crimina Humiliatis ipsis objecta, deducta fuissent, et si tota Congregatio peccasset. Cui satisfaciens cardinalis Albanus (Diarii sunt verba) « Disputavit juriste, an posset tota Congregatio puniri etc. et conclusit, quod sic; propter delicta singularum personarum, in criminis heresis, læse Majestatis et offensæ cardinalium. (C. felicis de pœnis in 6). » Ad quid enim eam con-

ditionem apposuisset Aldobrandinus, cum nempe se extinctioni assentiri dixit, dummodo tota Congregatio peccasset; et ad quid Albani responsum, quo in quibusdam casibus, propter singularum personarum crimina, Congregacionem totam puniri posse ostendit; si vere, vel tota Humiliatorum congregatio peccasset; vel illius extinctionem, ob singulorum tantum delicta fieri, in aliquibus casibus posse, compertum non esset? Et hæc obiter, ad rejiciendas, ut diximus, frequentissimas profanorum hominum dicacitates, quibus, vel privatorum crimina toti religiosorum communitati impudentissime impingunt; vel adeo corruptas easdem praedicanter, ac si in eis plures non sint qui cæterorum criminibus non teneantur. Qua de re, qui plura desiderat, D. Augustini in Psalm. xc explanationem consulat.

454. Humiliatorum Ordinis huic extinctioni, neminem fere fuisse repertum, qui contradiceret apud Pontificem; plures vero, qui eam urgerent, narrat a Basilica Petri¹: utpote, qui in Beneficiorum distributione sibi aliquid dare curarent.

455. *Humiliatorum bona in meliorem usum Pontifex convertit.* — At quinam ii fuerint, qui commodum id ex Humiliatorum extinctione se accepturos speraverint, explicare profecto scriptor hic debuisset; ne tam generali sententia, quos non deberet, immerito comprehensos quis censeret. Quod ad cardinales pertinet, licet plures in extinctionis sententiam descenderint, tamen multi, præter recensita, alia objecerunt; et inter hos cardinalis Commendonus, ut in eodem Diario legitur, « extinctionem quidem probavit, sed quod bona illorum monasteriorum, publico commodo deservirent, vel in illud converterentur » dixit. Quisquis autem is extiterit, cui in curanda Humiliatorum extinctione ea mens tuit, certe ex labore, quo in eam rem incubuit, modicum aut nullum fructum retulisse censendum est. Non enim Pius munericis sui esse duxit ut tantum excellere et destrueret; sed multo magis ut ædificaret et plantaret. Cuncta ideo bona Humiliatorum, statim ac Ordinem illorum delevit, non in suum neque aliorum commodum convertit; sed potius tradidit (ut Scripturæ² verbis utamur) aliis agricolis, qui fructum rediderent temporibus suis; neque, ut Humiliatorum familia fecerat, panem Ecclesiæ otiose comederent. Dignum est, quod hic inseratur Diploma,³ paulo post a Pontifice ipso super ista expeditum:

456. Pius episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

« Quoniam per extinctionem Ordinis Fratrum Humiliatorum, ac privationem generalis ac cæterorum omnium præpositorum et fra-

¹ Reg. 3. 19. v. 18. — ² Isai. I. v. 9r

¹ In Vit. S. Carol. — ² Matt. c. 2t. — ³ Extat in Bull. Const. 120.

trum illius, omnibus præposituris, dignitatibus, officiis, et beneficiis Ecclesiasticis, cum cura et sine cura, nuper a nobis, de fratribus nostrorum consilio, et Apostolice potestatis plenitudine factas, intendentes et cultui divino, et ministris Ecclesiasticis quamprimum prospicere; præposituras, dignitates, officia et beneficia prædicta, quæ deinceps sacerdotalia essent; neconon bona, domos, redditus, res, actiones et jura Ordinis sic suppressi, nostræ et Apostolicæ Sedis dispositioni, specialiter et expresse reservavimus. Præterea voluimus, ut omnes fratres, qui professionem emiserant regularem, deinceps in dominibus et locis, quæ eis cum victu et aliis necessariis assignandos curaremus, omnino redigerentur, ut ibi vitam ducent regularem, suæ professioni conformem, sub cura et visitatione ordinariorum locorum, aut alterius vel aliorum, quos eis delegaremus; vel juxta juris communis dispositionem, transirent ad pares vel arctiores Ordines approbatos.

« § 1. Nunc autem ad inducendum novum in dictis præposituris et locis statum, cuique quantum potest convenientem, et item subveniendum aliis Ecclesiis, conventibus, piis locis, officiis et ministris, ad religionis cultum, et fidei Catholicæ propagationem et tutelam utilibus et necessariis; siimulque, ad prædictorum fratrum distributionem, et divini officii celebrationem, paterna charitate intenti, ut ea, quæ facere instituimus, omni impedimento soluta, plenarium consequantur effectum; de simili potestatis plenitudine, dissolvimus omnes et quascumque uniones, annexiones, et incorporationes, perpetuas et temporales præpositurarum S. Mariæ Elizabeth de Busto parvo, Mediolanensis diœcesis, et Sanctæ Catharinæ Cremonensis, ac forsitan aliarum, quæ nominatim præsentibus exprimuntur; sive, ut aliæ aliis, sive, ut invicem, aut alias quacumque causa antehac factas; restituentes eas in liberum et solutum statum, quantcumque ipsæ tempore, ut unitæ pacifice sint possessæ.

« § 2. Rursus verum annum valorem fructuum, redditum et proventum singularum præpositurarum, neconon Ecclesiarum, capitulorum, domorum, conventuum, collegiorum, hospitalium, et aliorum locorum omnium, præsentibus comprehensorum, secundum communem illorum aestimationem, et quanticumque sint; neconon fructuum reservationes, et pensionum assignationes, quos et quas perpetuo, vel ad tempus seorsum facere intendimus, præsentibus pro expressis habentes, perpetuo unimus, anneximus et incorporamus: præposituram S. Petri Bergomensis, cum omnibus rebus et juribus suis, et quæ ei competit actionibus, præposituræ SS. Simonis et Judæ; ac simili modo præposituram S. Mariæ Ticini, Novariensis diœcesis, præposituræ Sanctæ Cru-

eis Novariensis; et præposituram S. Jacobi Moncaletii, præposituræ SS. Trinitatis Aviliani Taurinensis diœcesis; et præposituram S. Jo. Baptiste de Damaso, præpositure S. Ursule de Surigo; et præposituras S. Michaelis de Paganica et S. Corpeti, præposituræ S. Mariæ Cigoli; et præpositoram S. Bartholomæ Aquensis, et præpositoram S. Georgii Canturii, mensæ capitulari Ecclesiae S. Vincentii plebis Galliani ad Canturium; et præpositoram S. Siri Alexandrinii, cui cura parochianorum imminet animarum, Hospitali pauperum SS. Blasii et Antonii, cura et parochianis omnibus ad viciniorem parochiale Ecclesiam, quam ordinarius loci aptiorem comodioremque viderit, translatis; et præpositoram S. Bartholomæ Veronensis, Officio Inquisitionis hereticæ pravitatis, Apostolica auctoritate ibi statuto. Ad hæc in singulis dominibus de Canonica et S. Jo. Evangelistæ, et SS. Trinitatis Mediolanensis, et S. Bartholomæ Bergomensis, et S. Francisci Paduani, et S. Marci Terdonæ, et S. Oderici, et omnium SS. Papien., et etiam omnium sanctorum Modætiæ, suppressimus perpetuo et extinguimus nomen, titulum, dignitatem, et essentiam præpositurae, omniaque insignia veteris instituti dividimus et separamus; omnia harum sic suppressarum præpositurarum bona, res, actiones et jura a sua quoque Ecclesia et domo, neconon hortis, viridariis et pertinentiis, intra clausuram ejusque domus consistentibus, in hos, qui sequuntur usus, perpetuo assignatis. Siquidem concedimus Ecclesias, aedes, hortos, viridaria et pertinentias, intra prædictam clausuram existentes ipsarum suppressarum præpositurarum; videlicet, de Canonica Sancti Joannis Evangelistæ et SS. Trinitatis Mediolanensis, ad usum seminarii, seu aliorum collegiorum, congregationum et hospitalium; prout dilecto filio Carolo cardinali Borromæo, Ecclesiae Mediolanensis præsuli, videbitur utilius expedire. S. Francisci vero Paduani, ad eumdem usum seminarii, arbitrio episcopi statuendi: et omnium SS. Papien. Ordini et Fratribus Carthusien., neconon S. Odorici, collegio Ghisleriorum, quod in Universitate studii Generalis Papien. nuper instituimus. Et S. Bartholomæ Bergomensis, tam eum hortis, viridariis et pertinentiis intra suam clausuram consistentibus, quam etiam ei contiguis terrenis, pratis et vineis suis, Fratribus Ordinis Prædicatorum, regularis Observantiæ, provinciæ Lombardiae, juxta morem ejus Ordinis, qui illam ad mores suos reformat; et S. Marci Terdonen. Fratribus domus S. Francisci Ordinis Minorum, qui hac sua domo, et ejus Ecclesia, episcopo et capitulo Terdonen. pro illorum futura loco occupatae cathedrali relieta, in dictam Ecclesiam S. Marci debeat demigrare; ac etiam concedimus Congregationi Regularium Sancti

Pauli decollati, Barnabitarum nuncupatæ, Ecclesiam, et domum præpositoræ suppressæ omnium Sanctorum Modoetiae, cum omnibus bonis, rebus, juribus et actionibus suis, ubiquecumque constitutis, ut illas habeant et instituant, quemadmodum aliae suæ Congregationes diriguntur.

« § 3. De præpositoris autem Lugani, Luearni, S. Laurentii de Canobio, et S. Catharinæ de Patlenza, earumque bonis, rebus, juribus et actionibus hac vice disponendis, prædicto Carolo cardinali, qui in ipsarum Lugani et Luearni erectione et restitutione qualicunque, laboriosaum operam præstítit, delegamus vices nostras; ut, vel ipsas Societati Jesu, vel alteri congregationi, aut Ordini approbato, vel seminario, ad usum collegiorum, seu etiam hospitalium, aut aliorum piorum operum tribuat: sive illas uniat, appropriet et applicet, vel alias de illis, earumque bonis et proprietatibus prædictis, aliisque modis libere disponat; uti temporis, rerum et temporum qualitas, conditione et necessitate perspecta, noverit commodius convenire.

§ 4. Postremo applicamus et appropriamus perpetuo omnia et quæcumque alia bona, actiones et jura, divisa et separata prædictarum præpositoriarum suppressarum; videlicet de Canonica S. Jo. Evangelistæ et SSæ Trinitatis, præpositoræ Bredæ Mediolanensis, et alia S. Bartholomæ Bergomensis, præpositoræ SS. Simonis et Judæ; et alia S. Francisci, domui et Fratribus B. Mariæ Paduanæ dicti Ordinis Prædicatorum; et alia S. Oderici et omnium Sanctorum, domui et Fratribus S. Thomæ Papien.: super quibus, videlicet S. Oderici et Omnium Sanctorum, pensionem annuam omnino liberam et exemptam centum ducatorum auri in auro de camera, infirmariæ domus, a nobis constitutæ S. Crucis, et Omnium-Sanctorum, ad oppidum Boschi ipsius Ordinis, annis singulis integre persolvendam: seu per priorem et fratres dietæ domus ad Boschum, si et quoties maluerint, super pinguioribus et liquidioribus proventibus illorum propria auctoritate erigendam; et in prædictæ infirmariæ usus penitus convertendam, perpetuo reservamus: et alia S. Marci, pro dimidia, in dotem unius archidiaconatus, et unius cantoriæ dignitatum, prædictæ Ecclesiæ Terdonen.; et pro alia dimidia parte, domui S. Martini Terdonæ constitutæ, ad usum Fratrum dicti Ordinis Prædicatorum, in ea superioribus annis introductorum, ita ut licet, tam futuris omnibus principalium præpositoriarum præpositis, neconon Aquensi capitulo Ecclesiæ Canturii, rectoribus hospitalis SS. Blasii et Antonii, ac ministris Officii Inquisitionis Veronensis, unitarum præpositoriarum, prout cuique tangit, quam etiam aliis omnibus, quibus Ecclesiæ, domus, et

aliarum suppressarum præpositoriarum conceduntur, quorumque præpositoris, domibus, collegiis et locis, bona, res et proprietates, actiones et jura prædicta appropriantur, per se, vel per alium, seu alios corporalem possessionem illorum, neconon jurium et pertinentiarum suarum omnium, propria auctoritate libere apprehendere et perpetuo retinere; ac fructus, redditus et proventus, jura, obventiones, et emolumenta omnia eorumdem, in suos, neconon præpositoriarum, domorum, mensarum, collegiorum, hospitalium, officii et locorum prædictorum usus, et utilitatem convertere, diœcesanorum locorum, aut quorumvis aliorum licentia, super his minime requisita ».

157. Eodem Diplomate statuit, quonam pacto etiam sustentarentur, quamque rationem vite inire eos vellet, qui ex suppresso Ordine fuerant: quibus, ut innuimus, annuam pensionem attribuit. Et vere effecisse Pius visus est, quod in Evangelica ea parabola pigro ac inutili servo dictum recolitur: *Tollite ab eo talentum, et date ei, qui habet decem talenta: omni enim habenti dabitur, et abundabit: ei autem, qui non habet, et quod videtur habere, auferetur ab eo.* Inutilibus siquidem ac pigris Humiliatis, ablatum a Pontifice talentum, traditumque fideliорibus servis, ac in primis Carolo cardinali Borromæo, maxima Ecclesiæ Catholicæ utilitate, lucrum plurimum retulit; ut videre est ex iis, qui ejusdem sanctissimi cardinalis gesta conscripserunt. Præfatum autem Diploma datum legitur sext. id. Februarii hujus anni, extatque in Bullario.

158. *Contentiones inter Fratres Eremitanos et canonicos regulares Papie commorantes.* — Senatus autem Mediolanensis, quem frustra apud Pontificem egisse vidimus, ut Humiliatorum Ordini misericordiam deprecaretur; minime irrito exitu apud ipsum questum fuisse censemus, de contentionebus, quibus invicem concertari cœperant fratres ac canonici Regulares Sancti Augustini in urbe Ticinensi; uli educi posse cognoscitur ex iis, quæ ad ejusdem senatus Epistolas respondens Pontifex, scripsit hoc modo¹:

« Dilectis filiis præsidi et senatui regio Mediolanensi.

PIUS P.P. V.

« Dilecti filii, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Ex litteris vestris tertia die Februarii datis, cognovimus ea, que super discordia inter fratres Eremitanos Ordinis S. Augustini, et ejusdem canonicos regulares in urbe Ticinensi excitata, scribenda nobis esse judicavistis. Qua in re, piam de cultu divino sollicitudinem ves-

¹ Ex Arch. Vatic. at sup.

tram in Domino commendavimus, et commendamus; datur operam, ut pro pastorali officio, nobis, quamvis indignis, ab Omnipotenti Deo commisso, his, quae Apostolicae providentiae correctione indigere, comperta fuerint, salutibus remediis, adjuvante Domino, medeamur. Quod quanquam nostra ipsi sponte facturi fuimus; multo tamen libenter faciemus, vestris ad eam rem litteris excitati. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die prima Martii, Pontificatus nostri anno vi».

159. *Pius Papie gymnasium instituit.* — Acerbas ac diurnas concertationes semper intercessisse, inter canonicos ac fratres Eremitanos S. Augustini in urbe Ticinensi, omnibus in confessu est, quibus illorum Ordinum Historias volvere libuit. At, de hoc tempore excitato inter utrosque dissidio, apud scriptores nullum prope vestigium reperire potuimus. Illud tantum a Gabrielle Penotto¹ adnotatum reperimus; quod bona, a Leone X abbatii commendatario monasterii S. Petri in Cœlo aureo, in quo B. Augustini corpus requiescit, sub anno MDXVII reservata, Pius Quintus, collegio Papie a se instituto, abbatiali titulo abrogato, applicaverit. Illud, ad patriæ suæ commodum et ornamentum, sed præcipue Ghislerie gentis in gratiam, in Ticinensi gymnasio, amplum et magnificum Pius ipse ædificavit: in eoque, ut narrat Gabutius², saltem quatuor et viginti adolescentes, rei familiaris inopia laborantes pie educari voluit, dum bonarum artium studiis operam darent; idque certis vectigalibus annuis instruxit; ei etiam, ut vidimus, ex humiliatum deleto Ordine, redditibus aliquot attributis; ea tamen lege, quod per consanguineos et gentiles suos in perpetuum administraretur: effecitque, ad ipsius decorem ac commodum, ut nonnullis libertatis ac immunitatis beneficiis a Catholico quoque rege ornaretur.

160. *Finalium occupat Hispaniae rex.* — Ipse autem rex, copias, quas hoc anno Gabriel a Cueva Alburquerque dux, ac Mediolanensis ditionis gubernator, conscripserat, in usum belli contra Turcas suscepti, in Liguriam misit, ac ab iis arcem Alphousi Carreti, Finalis Marchionis, in reipublicæ Januensis dominio sitam, obsideri ac demum occupari voluit. Huic rei causam dedisse tradunt, suspicionem in Hispanorum animo injectam, ne subditi ejusdem Marchionis, cum Gallis convenissent, ac arcem præfamat illis tradere cogitassent. Hispanis initio fortiter Finalenses restittere, tamen paucos post dies, tantis viribus se minime repugnare posse animadvententes, dditionem fecerunt, conditionibus quas refert Natalis Comes³. Hoc tamen facto cæteros Italiae principes haud me-

dioiceriter fuisse commotis, ac in primis Cosmum, magnum Etruriae ducem, scribit Thuanus⁴: additque de Cosmo ipso, quod cum malo erga se animo Hispanos esse intellexisset, ac Orbitelli, Plumbini, et ad Portum Herculis, custodias esse duplicatas videret; eo sibi cautius agendum existimavit, Solani in Umbriæ finibus ad fanum Martini, Mugelli et Pistorii munitionibus perficiendis, et novis praesidiis imponendis intentus; ne exemplum a Finatioceptum, in Senensem provinciam, cui inhibere Hispanos sciebat, forte desineret.

161. *Causa præcedentiae inter magnum Etruria ducem et ducem Ferrarensem agitata ad Pontificem defertur.* — Et revera, ut narrat Gabutius, de magni Etruria ducis titulo, a Pontifice, anno superiore, ut vidimus, Cosmo collato, nonnulli per invidiam, secus ac res esset, Hispaniarum regi detulerant, multaque affinxerant, quibus ejus animum a Cosmo ipso alienarent. Nec minus, contra rem ipsam, per oratorem suum, ac per litteras, et insuper scriptis aliis, præter ea, quæ anno præterito recensuimus, adhuc Maximilianus Caesar reclamabat; ad quem, paulo post hujus anni initium, quod sequitur, Pontificem reddidisse responsum reperimus:

« Charissimo in Christo filio nostro Maximiliano, Hungarie et Bohemia regi illustri, in Romanorum imperatorem electo⁵.

PIUS PP. V.

« Charissime in Christo fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Reddedit nobis dilectus filius Prosper majestatis tuae apud nos orator litteras tuas, die xxvi Decembris datas, quas et ipsas libenter legimus, et ea, quæ idem orator super eo ipso negotio, de quo in litteris agebatur, scripta nobis obtulit, ea qua decuit benignitate cognovimus. Quæ omnia eadem diligentia et aquabiliitate sic expendi curabimus, ac si in eo negotio, de nulla nostra actione ageretur. Atque, ut ipsi nobis concisi sumus, ea nos voluntate atque animo fuisse, ut nihil de majestatis tuae, et sacri imperii juribus detractum esse voluerimus; ita nullo loco ei justitiae defuturi sumus, quam neque ea ipsa de qua agitur, neque in cæteris actionibus nostris, violatam a nobis unquam voluimus. Quod reliquum est, Deum Omnipotentem precamur, ut M. tuae, et in præsenti vita prospera omnia concedere, et in futura beatitudinem eternam, pro sua misericordia largiri dignetur. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die xxiv Februarii MDXXI, Pontificatus nostri anno sexto ».

162. At licet nullum penitus de Cosmo, de-

¹ Gabriel. Penot. lib. 3, c. 36, p. 718. — ² Gabut. Vit. Pii V, lib. 6, c. 5, p. 210. — ³ Natal. Com. Hist., lib. 22, p. 476.

⁴ Thuan. Histor. lib. 50, p. 737. Idem Adri. lib. 21, p. 1565.
— ⁵ Gabut. Vit. Pii, lib. 4, cap. 8, p. 443.

que magni ducis titulo eidem attributo, Pontifex hic verbum faciat; tamen ex argumento huic Epistole in Ms. Cod. Vatic. opposito, quod hujusmodi est: « Super Magnum Duceum Hetruriæ », evidenter negotium intelligitur, de quo in eadem Epistola agit.

163. Interea vero, dum quid in hac causa sibi decernendum esse Pontifex cogitare voluit, ac demum haud multo post, re mature considerata, ac secundum jura, ponderata, eidem Cæsari per cardinalem Commendonum legatum suum significavit, ut infra dicetur: ab Alphonso Ferrariae duce litteras accepit, quibus dux ipse respondens litteris, quas supra retulimus, ad se a Pontifice missis, purgare se contendit, quod suo nomine gestum fuisse ad Pium delatum fuerat, super nimirum provocato, in causæ præcedentia cum magno Hetruriæ duce, Cæsaris tribunalii. Alphonsus enim, qui factum negare non potuit, rei actæ tamen culpam omnem in procuratorem suum in aula Cæsarea commorantem rejicere studuit; cuius tamen errorem jam se corressisse, Pontifici significandum curavit; qui summo idecirco affectus gaudio, ejusdem testem ad eumdem Alphonsum hanc Epistolam¹ dare voluit:

« Dilecto filio nobili viro Alphonso, Ferrariae duei.

PIUS PP. V.

« Dilecte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Quantum molestiae superioribus¹ diebus, ex illius petitionis actu accepimus, de quo, atque in nostram notitiam perlatus est, per litteras nostras, sicut par fuit, cum nobilitate tua questi sumus, tantum deinde in Domino gavisi fuimus, per dilectum filium Bertazzolum consiliarium suum, non modo sincerum animi sui sensum super hujusmodi negotio nobis significavisse; sed etiam errorem procuratoris sui apud Cæsaream majestatem commorantis, quemadmodum debuit declaracione apud nos suæ voluntatis adhibita, emendavisse. Sicut enim non poterat nobis non esse molestum, prædictum procuratorem, consentiente nobilitate tua, ad hujusmodi petitionis actum processisse, qui non minorem suo, quam nostro, atque hujus S. Sedis Apostolicæ juri, detrimentum attulisset; sic non potuit nobis non esse gratissimum, nobilitatem tuam, eo erga nos sanctamque hanc Sedem Apostolicam animo esse, quo esse debet. Restat nunc, ut qua ejusdem suæ voluntatis declaracione apud nos usa est; ea super eodem actu, apud majestatem suam Cæsaream, per procuratorem suum ulalur: quod cum factum fuerit, nobilitatis tuæ satisfactio plenam apud nos integratam habebit. Quod idem, quamvis

ex prædicto Bertazzolo certius atque expensis cognitura sit, cuius nos super ea ipsa re, sermoni referimus; tamen hoc ipsum nostris quoque litteris, nobilitati tuæ testatum esse voluntus. Datum Romæ apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die vii Januarii MDCXXI, Pontificatus nostri anno sexto ».

164. *Musici concentus prohibentur in Majori Hebdomada.* — At Alphonsi verbis et super illis innixa Pii spei, facta minime respondisse, ex ea manifeste edueitur, quam haud multo post ad Alphonsum ipsum dedit Epistola, in qua rem totam, ut dicitur, ab ovo exorsus, fere juridice his verbis eum convenit¹:

« Dilecto filio, nobili viro Alphonso, Ferrariae Duci.

PIUS PP. V.

« Dilecte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Dilectus Filius Hercules fisci nostri Apostolici procurator, nuper nobis exposuit, a Pio IV felic. recordat. prædecessore nostro, quibusdam fratribus nostris S. R. E. cardinalibus, alias datam fuisse commissionem tenoris infra scripti V. G. etc. Motu proprio etc. Controversiam, quam jam multis annis præteritis, inter dilectos filios nobiles viros Cosmum Medices Florentiæ, et Alphonsum Estensem Ferrariae duces, eorumque oratores de præcedentia, sive ab ipsorum principum dignitate, sive alias quomodolibet eis tribuenda, mota extitit, eo quo semper imbuti fuimus pacis inter omnes, præsertim vero inter principes, nobis ac Sedi Apostolicæ obsequentes, conservanda studio, motam sospire ac terminare cupientes: ut ipsius controversiae facienda decisio sit eo majoris auctoritatis, quo plurium graviorumque personarum interventu fuerit examinata. Motu simili, venerabilibus Fratribus nostris Rudolpho episcopo Ostiensi, et decano, et Frederico episcopo Tusculano J. U. D.; neenon Ptolomæo tit. S. Crucis in Hierusalem dela Cueva, archipresbytero, Jo. Michaeli tit. S. Anastasie Sarraceno, Jacobo tit. S. Mariae in Via, de Puteo, Jo. Baptista tit. S. Clementis, Cicada, Bernardo tit. Sancti Matthœi Tranensi, Jo. tit. Sanctæ Priscae Reomano, Jo. Antonio tit. S. Paneratii Capizucchio, Philiberto tit. S. Sixti della Burdegera, Jo. Francisco tit. S. Marcelli de Cambara nuncupatis S. R. E. presbyteris cardinalibus J. U. D.: ac etiam dilectis filiis, Alexandro S. Laurentii in Damaso archidiacono de Farnesio, ac Vitellotio S. Mariæ in Portieu de Vitellis, et Carolo S. Martini in Montibus Borromæo S. R. E. diaconis cardinalibus pariter U. J. D. vel illis ex eis, qui pro tempore in curia præsentes fuerint: ut causam et causas hujusmodi inter duces, et eorum orato-

¹ Ex Archiv. Vatic. ut supra.

¹ Ex Archiv. Vatic. ut supra.

res prædictos, de et supra dicta præcedentia, rebusque alijs coram eis deducendis, summarie, simpliciter, et de plano, sine strepitu, et figura judicij, audiant; et de ntriusque partis juribus et rationibus informent, et deinde competenti informatione capta, ipsius cause merita, nobis in Consistorio nostro secreto, ubi eam terminare el finire intendimus, referant, præsentium tenore committimus et mandamus: cum potestate duces et eorum oratores prædictos in Romana curia, et extra eam, citandi, ac eis, et quibus, et quoties eis videbitur, inhibendi, aliisque facultatibus opportunis, quibuscumque in contrarium non obstantibus. Datum etc.

« Exposuit insuper, cum ejus commissio-
nis, sub die viii Junii MDLXI, prædictis cardinali-
bus præsentatae vigore, iam, et citatio cum
inhibitione sub excommunicationis aliarum-
que Ecclesiasticarum sententiarum ac censura-
rarum, ad decem millium ducatorum auri ca-
meræ Apostolicæ applicandorum pœnis decreta,
nobilitatiq[ue] tua personaliter intimata, dati articuli,
testes examinati, legitimateque processus
institutus fuisset; litteras quasdam, sub forma
brevis, ad charissimum in Christo filium no-
strum Maximilianum in imperatorem electum
a nobis, sub die x Julii MDLXVII, scriptas eman-
visse, quibus ea ipsa præcedentiae causa, cuius
judicium coram eisdem cardinalibus, ex dele-
gatione ejusdem felic. record. Pii pape Quarti
prædecessoris nostri, super petitio adhuc
pendebat indecimum, ab ipsis ad nos interim
advocata; in eundem serenissimum Maximilia-
num, non ut imperatoria dignitate præfulgen-
tem, sed tanquam in arbitrum, et utrique affi-
nitatem conjunctum, de nostro consensu compro-
missa fuit; haec tamen adjecta conditione, ut
nisi intra annum, ab illis ipsis litteris inchoan-
dum, terminata fuisset; illo elapso, statim ad
eosdem cardinales in statu et terminis, in qui-
bus tunc reperiebatur, devolveretur, ac reverte-
retur, eoque ipso devoluta ac reversa esse cen-
seretur. Ex quo successive factum esse asseruit,
ut cum elapso annuo tempore, in eisdem litteris
nostris statuto, ejusmodi causa decisa non
fuerit, iterum ad prædictos cardinales et nos
devoluta sit. Quarum quidem rerum cum no-
bilitas tua cognitionem haberet, ob eamque
causam intelligeret, sibi in tali causa ulterius
progredi non licere: nihil tamen minus, non
solum eam coram ipso prosequi procuravit,
censuras et pœnas, quæ in prædictis inhibitoriis litteris continentur, incurriendo. Ad hæc
omnia, illud quoque adjecit, quod in ejusmodi
præcedentiae causa, de privilegiorum et titulo-
rum tibi et antecessoribus tuis, ratione duca-
tus Ferrarensis a Sede Apostolica concessorum,
juribus, atque interpretatione agitur; quorum
cognitio et judicium, ad neminem alium, præ-
terquam ad nos eamdemque Sedem Apostoli-

cam jure spectat; ac propterea, pro suo officio,
instanter admodum a nobis requisivit, ut sub
ponis privationum omnium feudorum Ecclesiasticorum, nobilitati tuæ inhibere vellemus,
ne in ejusmodi præcedentiae causa ulterius pro-
gredi alibi quam apud nos auderet: et nullo-
minus interea citationem contra nobilitatem
tuam decerneremus, qua citaretur ad videndum
declarari se in censuras Ecclesiasticas, et alias
pœnas in prædictis inhibitoriis litteris conten-
tas incidisse. Quæ quamvis ita sint, nos tamen
Apostolice mansuetudinis benignitatisque me-
mores, paterne tecum agere volentes, prædicti
Herculis fisci nostri procuratoris petitioni, in
præsentia annuire naluimus, sed illud tibi,
præsentium tenore litterarum districte preci-
piendo mandamus ut misso ad nos procuratore
de causis, ob quas contra præmissa tibi proce-
dere licuisse persuaseris, studeas nos diligen-
ter primo quoque tempore edoceri: ut omnibus
auditis, quod justum et equum esse cognoveri-
mus, decernere possimus. Interea vero dum hoc
fiat, nobilitati tuæ, pro eo, quanti gratiam no-
strum charam habet, mandamus ut ab ejusmodi
causæ prosecutione, coram prædicto serenissi-
mo Maximiliano in imperatorem electo, sive ab
eo deputatis aut deputandis, et ipsa abstineant,
alique a quocumque actu supersedeant et sus-
pendi faciant. Datum Romæ apud S. Petrum,
sub annulo Piscatoris, die nona Aprilis MOLXXI,
Pontificatus nostri anno sexto ». At quid in hac
causa, inter Alphonsum Ferrarie ac Cosmum
magnum Illetruria duces, actum a Pio hoc ipso
anno deinceps fuerit, dicendum inferius.

163. Luce in eadem Illetruria provincia hoc
anno Alexander Guidiccionus episcopus Syno-
dum diœcesanam habuit, cuius etiam Constitu-
tiones edidit. Districte etiam proposito edicta,
inhibueratis, interalia, ne in majori Hebdomada,
ac subsequentibus Paschatis diebus, exquisi-
tissimi quidam, ac prope profani concentus
musici in Ecclesiis haberentur: quod hi, nec
Ioco nec tempori congruerent, quo ob amaram
quæ recolitur Passionis Redemptoris nostri me-
moriā, in luctum cithara Ecclesiæ versa est.
Verum quarumdam exemptionum prætextu, adeo
salutari mandato ejusdem urbis quedam Ecclesiæ
sese subjicere detrectaverant. Quod ubi ad
Pium delatum est, rem minime ferendam ex-
stimans, quibusvis exemptionibus non obstantibus,
universe omnes episcopo suo, et in hoc, et
in cæteris, quæ ad Missarum divinorumque of-
ficiorum celebrationem perlinerent, parere vo-
luit. scripta ad episcopum ipsum sequenti Epis-
tola.

« Venerabili fratri Alexandro, episcopo Lu-
censi. ¹

¹ Ex Archiv. Vati. ut sup.

PIUS PP. V.

«Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

«Nihil aequo divinæ majestatis oculos offendit, quam cum ad celebrandos sacros solemniesque dies, quos Spiritu sancto illustrata sancta instituit Ecclesia, non ea, quæ iltis debetur pietas ac sincerae mentis puritas; sed potius teneræ voluptatis illecebra, et indigna hominibus Christianis lascivia adhibetur. Quod cum in omnibus saeculis temporibus, tum in eo praecepue cavendum, vitandumque est, quod Dominicæ Passionis memorie recolendæ, ab eadem Ecclesia statutum assignatumque fuit. In quo ipso tempore maxime decet omnes Christi fideles, tota mente ad contemplandum tale tantumque Redemptoris nostri beneficium conversos, seipso ab omni cordis sensusque impunitate immunes liberosque præstare. Nuper, non sine magno animi nostri dolore intelleximus in ista civitate, cuius episcopatum geris, abusum quemdam valde detestabilem irrepisse, exquisitissimas omnis vocum instrumentorumque generis musicas, in Ecclesiis per Hebdomadam Sanctam adhibendi; ad quas potius, quam ad divina officia audienda, omni utriusque sexus juventute, magna frequentia, cupidissime confluente; gravia peccata nec minora scandala committi, experientia comprobatum est; quibus ira Dei Omnipotentis, quæ in ejusmodi diebus, sanctitate atque integritate vitæ placari debet, impietate atque lascivia magis irritatur. Quia vero, quamvis fraternitas tua, edicto superioribus mensibus proposito, ejusmodi abusum in omnibus istius civitatis Ecclesiis, de Dominica Palmarum, sequentique Hebdomada sancta, tribusque insuper Paschalis proxime sequentibus diebus, prohiberet; adhuc tamen quosdam isthic reperiri accepimus, qui se ab episcopali tua jurisdictione exemptos esse prætendent, prædictas musicas in Ecclesiis, quas obtinent, proxime Hebdomadæ Sanctæ diebus adhibendas, audent præparare. Idecirco nos pro officio pastorali providere volentes, ne ea, quæ tollendis scandalis removendisque peccatorum causis recte statuta provisaque sunt, ullis eujusvis exemptionibus impedianter; fraternitati tuae præsentium tenore litterarum districte præcipimus, ut quæ a fraternitate tua edicta sunt, non solum ad prædictas musicas eis, qui supra dicti sunt diebus, tollendas, sed etiam ad debitum Ecclesiis utendi, et in eis missas et divina officia audiendi modum, reliquumque divinum cultum pertinentia; hæc omnia, ab omnibus et quibuscumque Ecclesiis, quantumvis exemptis, cures inviolabiliter observari. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, quibusvis personis, sub quibuscum-

que tenoribus et formis; etiam a Sede Apostolica concessis, et speciale derogationem requirentibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die iv Aprilis MDCXXI, Pontificat. nostri anno vi ».

166. *Ecclesiæ et alia loca sacra, etiam exempta, episcopi visitare adstringuntur.* — Ut autem in his quæ audisti, episcopi Lucensis parere legibus, omnes, qui etiam se ab illius jurisdictione immunes prætendebant, Pontifex imperavit; sic etiam hoc eodem anno decrevit, ut juxta saeculi Tridentini Concilii statuta, omnes et singuli locorum episcopi, alijque superiores, tanquam Apostolicæ Sedis delegati omnes et quascumque parochiales Ecclesiæ, ceteraque snarum civitatum et diocesum beneficia Ecclesiastica, quibus animarum cura imminaret, ad Melitensem religionem, ejusque milites, cappellanos, ministros, rectores, quomodolibet pertinentia: etiamsi in eis religio ipsa episcopalem et temporalem jurisdictionem haberet; ejusque rectores, vicarios ac ministros (in his tamen duntaxat, quæ animarum curam, illiusque exercitium, ac sacramentorum administrationem respicerent), visitare, omnesque actus visitationem concernentes exercere possent ac deberent. Imo rectores ceterosque hujusmodi ministros, animarum curam exercentes, minus idoneos repertos, siquidem ad nutum amovibiles fuissestat, statim amovere: sin vero titulares essent, illico suspendere, ac eorum superiores monere, ut intra aliquem brevem terminum, in amotornum locum alios idoneos, prius tamen per ipsos episcopos, aliosque superiores examinatos, et approbatos; titularibus vero suspensis, alios deputarent idoneos pariter examinatos et approbatos in coadjutores, seu vicarios, juxta Concilii Tridentini decreta subrogare cogerent. Quia omnia, hujusque generis alia plura, ad dirimendam litem, inter Melitensem religionem, locorumque ordinarios agitatum, Constitutione complexus est, quæ inter eas Pii centesima sexta est, extatque in Bullario, ac data legitur sub die xxii Septembri hujus anni.

167. *Abusus circa missæ sacrificium tollit Pontifex.* — Quod vero ad Missarum celebrationem pertinet, de qua etiam in præfata ad Lucensem episcopum Epistola agit; alteram ejusdem Pii Epistolam habemus, ad archiepiscopum Tarragonensem hoc pariter anno scriptam, qua plures, qui circa ipsius sacrosanctum missæ sacrificium in Hispania abusus irrepserant, convettere pariter studuit; quæ talis est:

«Venerabili fratri, archiepiscopo Tarragonensi¹.

¹ Ex Archiv. Vatic. ut supra.

PIUS PP. V.

« Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Quantum ex recte ordinatis Ecclesiarum rebus, præcipue autem his, que non solum ad debitum in primis sanctissimo Eucharistiae sacramento cultum et venerationem exhibendam, sed etiam ad providam et decentem illius sumptionem et administrationem pertinent in Domino gaudemus; tantum, ex eisdem neglectis, ac prope destitutis, pastoralemque sollicitudinem desiderantibus, miserore afficimur. Allatum est ad nos, non sine magno animi nostri dolore, in omnibus fere illius provinciæ diocesis tantam a sacerdotibus, in celebrando sacrosancto Missæ sacrificio, negligentiam irreverentiamque adhiberi, ut multi vel plerique eorum hostiis maculosis, calicibus sordidis, indecentibusque pannis coopertis, corporalibus immundis, mappis albis et aliis, ad ejusdem sanctissimi sacramenti usum destinatis, sordibus obsoletis, maleque compositis utantur: sic, ut quivis fidelium talem tantamque sacerdotum irreverentiam, vix ab impietate sejunetam, existimare posse videatur. Ad hæc mala, alia quoque, non minus gravia perentiosaque accedere intelligimus; quod iidem, post pretiosissimum Sanguinem sumptum, nullam vel parvam adhibent curam, ne reliquie sanguinis in Calice remaneant, nihil eo tempore attendentes, majorne an minor ablutio adhibenda; quave calicis parte assumenda sit; cum utruinque manifestum sit, nec minore quantitate omnino attrahi, nec per aliam partem, quam qua sacra-tissimus Christi Sanguis transiit, ablutionem assumenda, calicem ipsum bene abstergi posse: quem quidem eos purificandum etiam laicis et plerumque sordidis servis tradere, eisdemque pacem quoque cum patena, audientibus missam deferendam dare consueuisse, accepimus; qui præterquamquod illotis manibus, etiam saepè peccatis mortalibus onerati, nullo modo ad tale ministerium admittendi sunt. Aliquos autem in præparanda tanti sacrificii celebra-tione, non guttam tantummodo aquæ, quemadmodum fieri debet; sed plus aquæ quam vini, aut tantumdem aquæ quantum vini, in calice infundere. Quæ, si vera sunt, quoniam a tanti sacrificii dignitate manifeste aliena, ac præterea simplicibus hominibus, talia tantaque mysteria irreverenter tractare clementibus, scandulum magnum asserre dignoscuntur, idcirco fra-ternitati tuæ mandamus et districte præcipimus, ut ea in tua diocesi diligenter, per te, vel per idoneos viros inquisita, quam primum corrigi atque emendari jubeas: clerumque tuum, tam in Synodis quam in reliquis congregationibus, quas cum tuis clericis et curatis habueris; tuo nostroque itidem nomine sedulo moneas at-

que horteris, ut, et his, quos supra diximus, abusibus, et reliquiis, si qui fortasse eorumdem sacerdotum incuria irrepserint, omni studio caveant, omnemque posthac operam diligentiamente suam in eo ponant, ut sacrosanctum hoc Missæ sacrificium, quanta maxima fieri potest, non solum interiori cordis puritate ac munditia; sed etiam exterioris devotionis, pietatisque specie peragatur atque administretur.

« Volumus etiam, ut concionatores in tua diocesi verbum Dei prædicantes, populum ipsum, ad debitum SS. Eucharistiae Sacramento Latriæ cultum, qui vero Deo debetur, adhibendum, frequenter hortentur, et quibuscumque recte poterint modis excitent. Est enim valde timendum, ne si tali tantumque sacramentum, vel a sacerdotibus irreverenter tractari, vel a populo negligi contigerit, ab utrisque illis Deus (quod absit), quemadmodum ab hereticis, auferri permittatur. Ita igitur fraternitas tua hæc, et si quae alia sunt ad Ecclesiasticam disciplinam pertinentia, executi studeat, ut et nobis, quæ de te audire cupimus, semper renuntientur: et cum Pastor pastorum apparuerit, ab audi-tione mala tibi timendum non sit. Datum Roma-apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VIII Januarii M.D.LXXI, Pontificatus nostri anno VI.

168. Eodem exemplo eodemque die scrip-tum etiam in Regesto Vaticano adnotatur, ad alios pariter Hispaniæ episcopos, videlicet ad Barchinonensem, ad Gerundensem, ad Vicensem, ad Ilerdensem, ad Urgellensem, ad Der-thusensem, ad Valentinem, et demum ad Majoricensem; ex quo intelligimus, eosdem, qui in Tarragonensi, in iis quoque Ecclesiis abusus irrepisse, quibus tollendis studiose adeo incubuit Pius, ut collapsam erga sacro-sanctam Eucharistiam ac venerabile Missæ mysterium venerationem ac cultum restitueret. Nec præteriit quin eadem gravitate ac severitate, episcopum Calaguritanum admoneret, quod in ejus civitate ac diocesi plura esse intellexisset, quibus Ecclesiarum in iisdem locis constitutarum honori haud parum detrahebatur. Ad illum siquidem hoe modo scripsit:

« Venerabili fratri, episcopo Calaguritano¹.

PIUS PP. V.

« Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Nihil Omnipotentis Dei Redemptorisque nostri cultui magis adversatur, quam cum ad eum colendum, qui humilitatis magister est, superbia et indigna homine Christiano ambitio adhibetur; et ea, quæ augendæ erga divinam Majestatem pietatis devotionisque causa, ab Ecclesia sunt instituta, hominum ambitione, ad

¹ Ex Archiv. Vatic. ut supra.

disordias et inimicitias trahuntur, non sine magno animarum salutis detimento, fideliumque populum scandalo. Nuper, cum magna animi nostri molestia accepimus, homines privatos diœesis tuæ Cafaguritanae Calceaten-sique subjectos, suggeste Diabolo humani generis hoste, ob inauditam quamdam superbiam, et perniciosum proximos suos super-grediendi studium, eo usque dementiae progressas esse, ut dum una pars, quæ ab ordinariis tributis oneribusque sacerularibus immuni-esse dicitur, quos *Hydalgos* vocant, alteri parti earumdem immunitatum experti, quos *Pechie-ros* appellant, præcedere student; nec solum in Ecclesiis sublimiores sedes habere, prima-que ad oblationis et pacis osculum, et ad percienda saeramenta accedere, sed etiam in publicis privatisque processionibus, una cum uxoribus suis preire vult; nonnunquam coni-tatis alterius partis animis, res ad manus deve-nnerit; itaque, jam eo a tempore binæ in omni-bus Ecclesiis factiones esse incœperunt, ad]eo sibi mutuo infestæ, ut tam in divinorum Offi-ciorum, quam processionum publicarum vel privatarum cœlebratione, magnæ contentiones seditionesque exortæ sint. Quod, cum sæpe alias, tum præcipue, de anno MDLXVII, in oppido quodam Osio appellato, in processione Corporis Christi accidisse asseritur; in qua, ob eamdem præcedentiae causam, tumultu excitato, rector oppidi interfactus, et alii complures occisi, graviterque vulnerati esse narrantur. Quibus ex rebus, utriusque partis animi sic ineensi sunt, ut religionis mutuaeque charitatis studio obliti, nihil aliud sibi propositum magis habeant, quam ut se invicem contumeliis atque injuriis afficiant; quo sit, ut Christianæ fidelitatis unio-ne dissoluta, Ecclesiæque pace turbata, non solum Ecclesia ex orationis domo, in latronum speluncam convertatur, sed etiam, ut propter inflatum odium, erudelissimumque inter utramque partem dissidium excitatum, multorum hominum, in mortali peccato viventium ac morientium animæ, pretioso Domini nostri Jesu Christi Sanguine redemptæ, miserabiliter pereant; quies et silentium divinis rebus exhibendum perturbetur; Sacramentorum usus frequentior intermittatur; odia, et innumera mala orientur, quæ, non sine laetymis reen-seri possunt. Ad quæ omnia, illud quoque incommode accessit, quod, cum convocato a venerabili fratre archiepiscopo Cesaraugustano propter has ipsas causas provinciali Con-cilio, statutoque, ut quilibet episcopus, sub gravissimis poenis ac censuris a singulis Ecclesiis, diœcesi sua subjectis, ejusmodi abusus tolleret; nec sic quidem tanta seditio sedari potuerit, et ad concordiam pacemque revocari. Judices sacerulares, tollendarum ejusmodi dis-ordiarum prætextu, ad ea, quæ sui non erant

osticci, temere se admiseentes, divisus per lon-gitudinem Ecclesiis, utrique parti proprium latus; hoc est, immunibus dextrum, non im-munibus sinistrum assignare, pœnisque pecu-niariis corporalibusque positis, his, qui immu-nes non sunt interdicere ausi fuerint, ne quis eorum imposterum, aut in dextero Ecclesiæ latere sedens divina officia audiat; aut in pro-cessionibus ad dexterum incedat; aut ad obla-tionem pacisque oculum prior accedat. Qua quidem ex re, non modo dissidii mala non sublata, sed potius vehementer aueta roborataque sunt. Quibus tot tantisque mali, pro pastorali officio, nobis, quamvis indignis, ab Omnipotente Domino commisso, obviam ire et mederi volentes; primum quidem quæcumque super eisdem locorum assignatione, ab omnibus et quibuscumque judicibus sacerularibus, quolibet prætextu statuta constitutaque sunt, omnia quatenus jurisdictioni Ecclesiastice præjudici-um afferunt, sicut revera sunt, irrita atque inania esse deceernimus ac declaramus; sicut, ut neque eis observandis quisquam tuæ diœcœ-sis subditus obligari, neque pœnis propterea statutis ullo modo subjici potuerit. Deinde eisdem, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ ipso facto incurreræ interdicimus, ne posthae, ad ejusmodi disordiarum causas tol-lendas vel sedandas se immiscent. Præterea, ex divinæ Scripturæ eloquiis compertum ha-bentes, omnes, qui Christiana fide per unum Baptisma recepta ad plium Omnipotentis Dei cultum præstandum in Ecclesia conveniunt, unum esse corpus unamque Catholicorum fide-lium communionem congregationemque; ne-que ullam esse personarum acceptiōem apud Deum, sed in omni gente, qui illum timent, et operantur justitiam illi esse acceptos; ob eamque causam, qui ipsi purius sanctiusque venerantur, proprius accedere. Scientes etiam Prophetam ipsum aperte dicere: Non habita-turos in domo Dei, qui faciunt superbiam; qui etiam dueum superbiorum sedes destruere, eorumque memoriam perdere solet; præsen-tium tenore litterarum statuimus ac decerni-mus, nullum intra quosecumque privatos ho-mines tuæ diœcesi subjectos, tam ab ordinariis tributis oneribusque sacerularibus immunes quam non immunes, ad Ecclesiam, pro Missarum solemnitatibus, divinisque officiis audiendis, saeramentisque percipiendis; vel ad pro-cessiones publicas, vel privatas, statutis ab Ecclesia vel aliis diebus celebrandas, conve-nientes, diserim, aut præminentiam posthae attendi debere; liberumque esse eum ea, qua æquum est, reverentia, in ea, qua maluerit Ec-clesiæ parte assidentem, vel sedentem, vel Missæ Sacrificio interesse, vel divina officia audire: quod idem in publicis privatisque pro-cessionibus observari volumus. Eos qui contra

fecerint, ipso facto excommunicationem incurrisse declarantes, mandantesque fraternitati tuæ, in virtute S. obedientiae, ut præsentis nostræ constitutionis decretum, ab omnibus cures inviolabiliter observari. Et, si qui contra facere ausi fuerint, eos per predictas censuras, et pœnas Ecclesiasticas, ac etiam pecuniarias, arbitrio tuo intelligendas, aliaque opportuna juris remedia, omni et quacunque exceptione appellationeque postposita, auctoritate nostra, quam tibi propterea, præsentium tenore litterarum, plenam liberamque damus, ad obedendum compellas. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, Indultisque et Privilegiis, quibusvis personis concessis; et quorumvis judicium tam saecularium quam Ecclesiasticorum sententiis, declarationibus et appellationibus quomodolibet factis et interpositis, caeterisque in contrarium facientibus quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xiv Februarii MDLXXI, Pontificis nostri anno vi ».

De Concilio Cæsaraugustano, cuius in hac sua Epistola Pius meminit, ista habet cardinalis Aghirre¹: « Concilium Cæsaraugustanum provinciale coactum anno MDLXY, ut memorat Spondanus, ubi supra, et fusius Carillo in Catalogo præsulum Cæsaraugustæ, pag. 281. Præfuit in eo D. Alphonsus de Aragon archiepiscopus, et nepos D. Ferdinandi regis Catholicæ. Interfuerunt episcopi Uicensis, Pampilonensis, Calaguritanus, Oscensis et Jaccensis. Plura pie et sancte ordinata sunt, juxta Concilium Tridentinum. Acta illius expectata diu ab illustrissimo capitulo Ecclesiæ metropolitanæ Sancti Salvatoris (a quo plura alia monumenta sacra accepimus), nondum habere licuit ». Sic ille.

169. *Sodalitates Doctrinæ Christianæ nuncupatæ*. — Quia vero perspectum habuit Pius hujusmodi scandala, sacrarumque rerum, mysteriorum, ac locorum spretum, non aliunde polissimum oriri, quam ex insectia, qua (ut Propheta² loquitur) viam sapientiæ nesciebant, neque semitas Domini commemorabant; ac divinæ legis jugum needum pertulerant, sed fere ab adolescentia sua ignoraverant; ideo hocmet anno Constitutionem edidit, qua omnibus toto orbe locorum ordinariis præcepit: ut ad pueros aliosque divinæ legis non imbutos, bonis moribus, sanaque doctrina instruendos, juxta etiam Concilii Tridentini mentem, Sess. 24, cap. 4. *Sodalitates Doctrinæ Christianæ instituerent*³: « Attendentes (inquit) quod infantes et pueri bonis moribus et exercitiis educati, quasi semper vitam pudicam, honestam et exemplarem, ac aliquando sanctam agunt; e converso autem, qui parentum carentia, seu

panpertate, aut inceria, vel ignavia, non sic educati, persæpe ducentur in exitium, et quod pejus est, secum docunt plures in interitum: unde, si diligenter educati, et in Doctrina Christiana instructi fuerint, a vitiis et multis aliis erroribus retraherentur: considerantes etiam, prout ex fide dignis relationibus intelleximus, quod nonnulli approbatæ vitæ Christi tideles, charitate, omnium supraea virtute, circa hoc tam pium tamque Reipublicæ saluberrimum opus accersiti, in singulis festivitatibus et Dominicis diebus, diversis Ecclesiis et locis, opus sanctissimum amplexi sunt, et ibi eosdem infantes, et pueros, ac alias miserabiles personas, Christianæ veritatis ignaras, congregari faciunt, et eos bonis moribus et sana doctrina instituunt, ac diligenter in via mandatorum Domini dirigunt; ex quo salutiferi fructus hactenus proverunt, et in dies magis, auxiliante Domino, speramus. Et quod si ad hoc opus sanctissimum, ubique locorum exercendum, præfatos Christi tideles, paternis favoribus et Indulgenciarum muneribus invitaremus, proculdubio non solum eorumdem infantium, et puerorum, ac personarum aliarum saluti consuleretur; verum etiam devotio Christi fidelium omnium, ad præfatum opus amplectendum multo magis augeretur ».

170. *Quoad primum Congregationis Doctrinæ Christianæ Romæ institutorem, referre sufficiat, quæ Olimpius Riccius in eruditio Opere, de Jubilæis Universalibus, Romæ edito typis Masehardi, sub anno MDLXXV, cap. 102, p. 226 et 227, §, ultimo, his verbis narrat: « De origine Societatis Doctrinæ Christianæ Romæ, invenio quod Marcus Sudi Mediolanensis, pileorum artifex, sub Pontificatu Pii Quarti, sub anno MDLX eam instituit. Cœpil autem in Ecclesia S. Apollinaris, eique ab initio non nisi saeculares homines adscribabantur; temporis tamen progressu, sacerdotes, aliquæ litterati viri ei nomen dederunt. Cum vero a præfata S. Apollinaris Ecclesia archipresbyter et canonici amoti fuissent, ibique sub anno MDLXXXIII collegium Germanicum erectum esset; qui præfatae Doctrinæ Christianæ Sodalitatis erant, loco quoque exceedere coacti sunt; cumque inter eos, ut diximus, litterati, et sacerdotes extitissent, cum locum certum non haberent, modo in his, modo in illis Urbis parochialibus Ecclesiis, Christianæ doctrinæ rudimenta tradebant. Tandem sub anno MDXCI, a Clemente VIII, in perpetuum S. Agathæ Ecclesiam, in regione Transtyberina cum parochiali onere obtinuerunt. Ecclesia haec in paterna sua domo, post matris mortem, quæ ex pestilentia e vita decessit, a Gregorio II sub anno MCCIV, fuit ædificata ». Huc usque Riccius.*

171. *Laudabilis igitur iste mos Christianam doctrinam edocendi, felicibus auspiciis, (ut*

¹ Collect. max. Concil. Hispan. p. 121, to. IV. — ² Baruch. —

³ Extat in Bull. Const. 137.

audisti) Romæ cœptum; Pontificati hæc Pii Constitutione, Indulgentiarum elargitione, ac benedictione, toto etiam orbe Christiano magnum incrementum accepit. Nonnulli vero ex confratribus, qui Romanæ, quam diximus, Sodalitati nomen dederant, ac clericali militia jam adscripti erant, ut majori sedulitate tam eximio charitatis operi incumbere possent, in communione tandem vivere cum cœpissent, ex eisdemque clericis, atque aliis, una demum Doctrinæ Christianæ in Urbe Congregatione constituta; Paulus Quintus eam in S. Petri Basilica in Archiconfraternitatem erexit, suumque vicarium, illius protectorem deputavil, amplissimisque Indulgentiis, ut ex ipsius Constitutione xxxvi. *Et credito* apparebat, exornavit. Hujusmodi autem clericis huic Congregationi Romanæ adscripti, novitialis anno clapsi, votum cum juramento de manendo sponte in eadem emittunt; illudque sibi, ac successoribus suis Romanis Pontificibus Gregorius Decimus quintus Constit. 12. *Ex incumbenti* reservavit.

172. Nec minus ea, quæ fidei, quam quæ Christianæ charitatis essent hoc etiam anno curasse visus est Pius; cum videlicet Constitutione edita, cardinali Augustano, archiconfraternitatis Sanctissimæ Trinitatis protectori, in ejusdem commodum ac favorem amplissimam jurisdictionem attribui. Extat ipsa in Bullario, estque cxxiii, ex qua nonnulla excerpta, hicque inserere placuit. Dicit enim :

« Nos Archiconfraternitatem, seu Societatem prædictam, in qua piissima charitatis et misericordiae opera, tam pauperes, et alias quasvis personas ultriusque sexus, Christi fideles, ex quibusvis mundi partibus ad Urbem peregrinantes ad hospitale bujusmodi, devotionis causa confluentes recipiendo, et eos tribus ac quandocumque pluribus diebus hospitando, et nutriendo, ac charitable tractando : quam pauperes convalescentes, qui dum ab infirmitate liberi, sed debiles, ex aliis Hospitalibus emissi, quo se recipient non habentes, in eodem suo hospitali similiter excipiendo, ac eos, non solum corporaliter, donec robustiores evadant, pie alendo; verum etiam rudes ac ignaros interim, dum ibidem morantur, in mandatis Domini erudiendo, in divini uominis obsequium, et S. Romanæ Ecclesiae exaltationem exercere noscuntur, quantum cum Deo possumus sublevare volentes. Motu simili etc. Datum Romæ apud S. Petrum duodec. kalend. Aprilis ann. MDLXXI, Pontificatus anno vi. »

173. *S. Philippus Nerius fundator Archiconfraternitatis peregrinorum et convalescentium.* — Fuisse S. Philippum Nerium, nondum sacris Ordinibus initialium, ideoque laicum, sub anno Christi MDCXLVIII, tam præclarus operis fundatorem ac institutorem, haud semel in Ecclesiastis Annalibus memoratum reperitur; nosque

peculiari Opusculo ex authenticis Monumentis anno MDCXXX typis edito, comprobavimus. Quibus addere supervacaneum non duximus, hoc ipsum nuper fuisse a Pontificibus Maximis Benedicto XIII et Clemente XII comprobatum. Eorum siquidem prior, dum sub anno MDCXXVI. Festum S. Philippi Romæ ejusque districtu, de præcepto celebrandum decrevit; inter alia, quæ animum ejus, ad decernendum eidem (nulli omnino, ex recentioribus Sanetis concessum) honorem hujusmodi illud diserte fuisse asserit, quod novus quidam Urbis apostolus, ibidem præter Oratori Congregationem, Archi-Hospitali insuper Sanctissimæ Trinitatis Peregrinorum ac Convalescentium fundaverit.

174. Approbanle vero, ac confirmante Clemente XII, sub die xv Maii recurrentis anni MDCXXXIV, Sacra Rituum Congregatio ⁴, ista decrevit :

« Humillime Sanctissimo domino Nostro Clemente XII supplicantibus vicario, sacerdolis, et confratribus Archiconfraternitatis Sanctissimæ Trinitatis peregrinorum et convalescentium Urbis, quatenus ipsis facultatem in posterum celebrandi Festum, cum Officio proprio et Missa S. Philippi Nerii, ut illorum Ecclesie et Archiconfraternitatis specialis protectoris, et Fundatoris, sub rito dupli primæ classis cum Octa., prout, vigore Indulti Apostolici, de mense Augusti MDCXXXI, a confratribus sacerdotibus Oratori S. Philippi Nerii de Urbe peragitur, perbenigne impartiri dignaretur : hujusmodique instantia a Sanctitate Sua, ad sacram Rituum Congregationem remissa, alque relata, Sacra eadem Congregatio, sacerdotibus, tam præfate Ecclesie servitio addictis, quam Archiconfraternitati adscriptis, juxta pelita, concedendam esse censuit ».

175. In prædicta vero Archiconfraternitatis Ecclesia, cum ejusdem S. Philippi solemnis celebrandis Dominica infra ejusdem Octavam sit præfinita; in Indulgentiis indicendis in ea solemnitate ipsam visitantibus ex benignitate Apostolica concessis, cardinalis vicarius, non aliis, quam relatis utitur verbis; ut ipsius Sodalitii, cuius famæ in omnem terram sonus exivil, fundatoris titulo semper S. Philippum honestet. At de hoc obiter, et satis.

176. *An S. Philippus Nerius methodum orationis mentalis didicerit a S. Ignatio, et in ejus societatem ingredi postulaverit?* — Quoniam vero nonnulli recens ac temere ausi sunt S. Philippo Nerio fundationis hujusmodi laudem præripere; et contra non defuere, qui nuper zelo ducti eundem parentem optimum ad sua castra traducere pro viribus, conati sint; quibus tamen, ut infra palebit, divino sane consilio, nunquam ipse voluit accenseri. Elenim

⁴ Ex Regist. ejusd. Cong.

inter ea, quæ Tomo VII Julii agentes de S. Ignatio Loyola Bollandiani scriptis consignarunt; hæc leguntur, quæ nos summa fide totidem verbis hic inserenda existimavimus :

« Pater Gabriel Venustus, Societatis Jesu professus, bonus admodum religiosus, plurium collegiorum rector, ac demum in Collegio Romano rerum spiritualium præfectus, facie bis mihi narravit, quod dum in Seminario Romano esset alicujus cubiculi præfectus, ivissetque cum patre nostro Rubino ad Ecclesiam Novam, ad videndam quamdam picturam, recenter admodum expositam; occurrit sibi S. Philippus, ac quæsierit quales essent. Responderunt ei ; *Societatis Jesu*. Subjunxit Beatus : *Estis filii magni patris : ego ipsi obstringor. Magister Ignatius me docuit facere orationem mentalem*. Hoc totum, quod mihi narravit pater Venustus; id quod me ex ipso audivisse fidem facio his manu mea scriptis ». Citat. P. Ignatium Pinium in Spicilegio Romano.

177. De gloria vero postuma ejusdem S. Ignatii agentes cap. 6. §. 1. n. 453. pag. 850, ista habent¹ : « De gloria S. Ignatii, ex S. Philippo Neri profecta, agit Lancicius in Opusculo spirituali cap. 20. Et vero quam tenere vir ille sanctissimus, erga nostrum Ordinem ejusque parentem esset affectus, inde conficitur, quod ante institutam a se Congregationem Oratorii Romani, petierit ab illo recipi in Societatem. Audiatur Lancicius : Ego sane, inquit, anno MDCXXVI, hoc publice a Bellarmino, tunc nostro rectore, in Collegio Romano audivi. Imo et causam ei, a S. Philippo narratam, tanquam sibi valde caro, ob quam illum admittere ad Societatem nostram noluit S. Ignatius. Hoc ipsum anno MDCXXX, reverend. Pater Mutius Vitellescus, noster præpositus generalis, mihi hoc sciscitanti dixit : Se audivisse sèpissime, ex ore S. Philippi, quod petierit a nostro P. Ignatio admitti ad nostram Societatem. Postea cum Roma discessissem, et ejusdem R. P. Mutii concessione, ad instantiam provinciæ Bohemiae illuc migrassem; cupiens, ad perpetuam rei memoriam, hac de re extare in Archivio nostro Romano testimonium R. P. Mutii; hoc ab illo petiti XXII Maii, anni MDCXXVI, per litteras ad eum Olomucio das, et id ab eo obtinui, per litteras ab eo ad me das Roma XXVII Julii ejusdem anni, subscriptas ejus manu propria, et sigillo præpositi generalis obsignatas, quas penes me habeo, et diligenter conservo, præter aliud earum exemplar, quod Romæ in Archivio Societatis asservatur, (cujus egraphum, a patre Ignatio Pinio ibi per me transcriptum ante oculos habeo, ubi tamen pro *Julii* notatur *Junii*).)

178. Hæc Bollandiani, quorum narrationem, ut verum fateamur, satis mirari non potuimus.

¹ §. 56. p. 521. n. 587.

Scripserant siquidem antea, de S. Ignatio agentes §. XXI. n. 267. pag. 448. acriterque rejecerant, quod Jo. Baptista Castaldus Theatinus, his verbis monumentis tradiderat : « Anno Domini millesimo quingentesimo trigesimo sexto, S. Ignatium Venetiis, dum socios Tuteia præstolaretur, a beato Cajetano Theatinorum præcipuo conditore instituisse, ut in illum se Ordinem reciperet. Sed Cajetanum, postquam consuluissest precibus Denim, sine dubitatione respondisse e majori Dei gloria fore, si novam ipse condidisset familiam, actuosiorem, quæ totam se in auxilia proximorum impenderet. In qua verba Bollandianus scriptor :

« Ego autem (inquit) sic existimo : Factum hoc sanctis Cajetano Thienæ atque Ignatio imputatum, nulla ratione verosimile, needum credibile esse; imo vero, tot tantisque potius laborare difficultatibus, vel inter se, vel cum ipsa re, quæ obtruditur, neutquam coherentiibus; ut ineptum et paradoxum omnino censeri debeat ». Verum si hæc apud illum fabella, paradoxum, ineptia; cur se facilem adeo præbuit, ut multo longius a verosimili aberrantem alterram in medium hic proferret ?

179. Et primum quidem, quod pro sancto Ignatio contra Theatinos argumentum producit, hujusmodi est : « Quia hæc res nova est, et in Societate nostra (inquit) ante tempora Castaldi, inaudita. Argumentum hoc (subjungit) quantum sit negativum, ut vocant, et in multis aliis controversiis, non semper satis solidum ac firmum; in hac tamen causa magnam firmatatem habet. Nam initia Societatis, ut recte Sacchinus monet, resque Venetiis a B. Patre gestas, socii ejus Lainius, et Simon Rodericus, in Commentarios refulerunt, nec pauca notavit Faber. Et tamen nulla usquam mentio invenitur objectæ Ignatio cogitationis, nulla vocis Cajetani, qui dixerit, præstabilius fore, et gloriosius Deo, si novam familiam condidisset ». Sic ille.

180. Eodem negativo arguento, (addita ei in nostro casu, ei jure merito, quam in suo ipse vult firmitate) dicat igitur scriptor hic, quisnam fuerit ante Lancicum, qui audierit S. Philippum, apud S. Ignatium institisse, ut in Societate ab ipso condita recipetur, ab eoque rejectum; ut propterea, non paucis tantummodo, sed omnibus nova hæc res, ac inaudita non fuerit? Non nullis ex una Societate, quid inter S. Ignatium, ac Cajetanum intercessisset, inexploratum fuisse; argumentum positivo proximum efficit; ita ut, quod iidem retinerent, non nisi fabella, paradoxum, ineptia habendum sit. Quid de silentio igitur decernendum, a tot gestorum S. Philippi scriptoribus coævis posterioribusque servato; de re, quam Pontificum Maximorum nemo, S. R. E. cardinalium omnium nullus; in quorum ore frequentissima fuit, tum ante, tum post obitum, sanctissimi viri, factorumque

ejusdem mentio? Quid plura? De Roma ipsa, cui spectabilissimus fuit, ante unum Laneicum, nec verbum quidem de hoc audisse, remque novam ac inauditam extitisse? Satne id erit, ut hoc quoque commentum, ad fabulas amandetur?

181. Verum quo pacto hujusmodi res astrui poterit, si non tantum suamet novitate dejecta, sed insuper ab ineluctabili positivo argumento penitus eversa dignosceretur? Non modo enim falsa ex eo evincitur, quod illam omnes silentio præterierint, unde nova fuerit omnibus, ac inaudita, cum cunctis scriptoribus tacentibus, primus Lancieius edidit eam; sed ex eo etiam, quod unanimiter ac pari consensu, a primo ad ultimum omnes contrariumasseruerint nemine excepto; diserteque tradiderint, omni conatu studuisse Sanetum Ignatium, ut Societati sue S. Philippus nomen daret, vicissimque S. Philippus, summa semper constantia renuisse.

182. Ulterius, quo confugeret Bollandianus scriptor, ut Laneicum suum, ab enormi lapsu purgaret, si apertissimi mendacii, a suis ipsis Bollandianis redargueretur? Et actum agere, et inutiliter tempus terere, ac plane incongruum esset, hoc in loco congerere ea omnia, quæ ad id comprobandum præsto sunt; ideoque studio, ceteris omissis, unum illud afferre sat erit, quod Tomo vi Maii scribit Bollandianus scriptor alter his verbis pag. 524: « Vita ii. (Saneti Philippi Neri) per R. P. Hieronymum Barnabæum, Congregationis Oratorii S. MARIE in Vallicella, dum viveret, præpositum, ex processibus compilata, nec haec tenus in lucem edita ». Dupli citatio scriptori huic, nos certe obstrictos fatemur; et primo quidem quod nova operis editione, sancti parentis nostri gloriam curaverit; deinde, quod non qualemcumque, sed omnibus numeris absolutissimam, ac non aliunde, quam ex processibus jure factis ejusdem gestorum narrationem ediderit. In ea igitur videndum, quid de proposita quæstione; et certe, ut diximus, omnibus exploratissima dicatur. Ibidem, ut supra, Vit. Cap. 3. pag. 530. num. 2: « Multos præterea, vel innumerabiles potius, cum adhuc esset laicus, his ferme artibus, non modo ad sobrietatem et continentiam, sed etiam ad contemptum rerum humanarum, et ad salutaria CHRISTI consilia convertit: qui in varias deinde religiosorum familias se receperunt. Quamobrem S. Ignatius Societatis JESU fundator, qui per id tempus in Urbe præcipua sanetitatis laude florebat, Campanæ nomine illum appellare consueverat. Quemadmodum enim campagna populum convocat ad Ecclesiam, cum ipsa maneat in turri; ita plane Philippus alios ad Religionem adducebat, nec tamen ipse a saenlo reedebat, DEO nimirum pro nobis melius aliquid providente, ut ea ratione sanetimoniae ac pietatis exemplo saenlaribus etiam homini-

bus prælueceret: et novo quodam, seu potius antiquo illo Ecclesiæ instituto revocato, mortaliū animos ad omne officium atque virtutem vehementer accenderet. Hinc porro factum est, ut quanquam ab ipsomet S. Ignatio, non semel invitatus, adduci numquam potuerit, ut in Societatem sese reciperet. » Sic ibi. Itæ a primo antiquioreque Bollandiano scriptore, ex authenticis processibus fidelissime desumpta, quomodo cum superioribus cohærent, profecto non appetat.

183. Sed ex iisdem authenticis processibus, rem magis explicatam habemus. Cum enim S. Philippus adhuc laicus, proximorum saluti procuranda eo ferme tempore se dedisset, nempe ab anno MDXXXVIII, et deinceps, quo S. Ignatius se Romam contulit, ubi Societatis prima fundamenta jecit; quamvis ejusdem S. Ignatii ac sociorum doctrinam ac probitatem passim omnes debita veneratione prosequerentur, et magnificaret eos populus; nemo tamen audebat se conjungere illis. Constatbat siquidem felicissima ea societas, adhuc pusillus grex, ex paucis ferme, et diversarum exterarumque nationum viris: quibus se addere, et præsumptio erat, et metus. Cum igitur S. Philippus, ut dictum est, divini verbi sagena in mare tunc missa, ex omni genere piscium congregaret, pluresque ad Religiones (ut dicitur in processu) Cappuccinorum, Dominicanorum, Theatinorum, saeculo creptos, mitteret: in Societatis JESU vineam, operariorum indigam, etiam misit; imo ipsum, omnium primum Italos ad amplectendum Societatis JESU institutum impulisse, in Processu originali authenticō f. 150. Antonius Gallonius, ejusdem S. Philippi discipulus, probitate, eruditione, librisque editis toto orbe celeberrimus, testatur his verbis: « Ulterius eum (S. Philippum videlicet) referentem audivi, se primum omnium extitisse, qui in Societatem JESU Italos miserit ». Quæ quidem, a Petro Jacobo Baccio, qui in margine Vitæ ejusdem S. Philippi, Bononiae sub anno MDLXVI editæ, propria manu scripta postilla Lib. 1. Cap. 7. n. 6., quæ in Vallicellano nostro Archivo servatur, iisdem fere verbis confirmantur. Ex quo quidem dimanasse putatur laudatissimus ille mos, quem aliae Religiones, puta Dominicanorum, adhuc religiosissime servant, ut in accepti videlicet beneficij gratam animi significationem, societatis JESU integrum novitiatus collegium, una cum rectore suo, quotannis infra ejusdem Octavam, die præstituta, ad visitandum S. Philippi Sepulcrum se conferret; ibique sacro ab eodem rectore celebrato, novitiorum ipsorum singuli, sacro Eucharistiæ pane reficerentur. Quam quidem dignissimam consuetudinem, ex hoc quod diximus niterito acceptam, paucis abhinc annis (ejusdem nempe optime meiminimus), nescio qua de causa, videmus sublatam.

484. Licet igitur patefactis Societatis ejusdem januis, Italos quamplures in illam intrare sancelus Philippus compelleret, ipse tamen immobilis in saeculo persislit; quod non mirari S. Ignatius non potuit, unde cum ei identidem occurrebat: « Tu es, dicebat, ut campana, quae populos ad Ecclesiam vocat, cum ipsa maneat in turri; nam alios ad Religiones mittis, ipse Religionem ingredi renuis ». His proculdubio verbis, ad eamdem, ad quam tot alios miserat, Societatem ingrediendam invitare volens. At Philippus certe divino spiritu ductus, non modo Sancti Ignatii verba saepius sibi repetita serio nunquam exceptit; sed e contra, joco recitare amicis consueverat dicens¹: « Cum Pater Ignatius occurrit, scitis quo me nomine interpellat? Campanam me vocal, eo quod alios in suam Societatem mittam; ipse vero in eam ingredi nolim ». Et certe in processu, hoc modo, rem hanc, vocabulumque *Campanæ*, sibi a sancto Ignatio attributum, jocose ac per risum Sanctum Philippum sociis referre solitum fuisse, diserle asseritur.

485. Et quidem, si sic res sese non babuisset, ac obfirmato animo Societatem S. Philippus ingredi noluisset; vel, ut melius dicam, si Societatem ingredi absolutissime decrevisset, (neque enim, et semel, et iterum (ut contendunt), in eam recipi postulasset, nisi id antea statuisset:) cur solitarium præ aliis (ut Gallo-nius² referit) vitæ genus amplecti in animo habuit? Cur tandi ab omni Ordinum gradu se abstinuit? Qua ratione unum illud exoptavit, ut laicus permaneret; et revera, nonnisi ex Confessarii obedientia, ut ad sacerdotium promoveretur, deum acquevit? Ignorasse forte dicendum erit, in Societate, neque laicum, multo minus anachoretam agere sibi concessum iri? Iste, quæ animo volvebat, consilia a prudentissimo Sancti Ignatii judicio, qui hominem scientiis instructum, in laicali statu delitescere minime permisisset, ejusque instituti mandatis penitus abhorrire Philippum nescisse?

486. Nec minus injuriosum cardinali Bellarmino videtur illud, quod de eo profertur testimonium. En, quæ de ipso in Vita Sancti Philippi a Bollandianis iisdem laudata, a Petro Jacobo Baccio³ conscripta, reperiuntur: « Roberlus cardinalis Bellarminus, tum litteris, tum vitæ integritate et probitate conspicuus, cui saera rituum Congregatio, ipsum in Sanctorum Ordinem asserendi causam demandarat; perfectis testium publicis Actis, totque effusas elemosynas intuitus etc. ». Sacra Rituum Congregatio, totam causam sancti Philippi cognoscendam Bellarmino demandavit; idque ille, qua-

consuevit solertia, ac insigni probitate praestitit, publicis Actis studiosissime perfectis pensatisque. Si sic res se habuit, ex publicis iisdem Actis, quid intelligere, imo disertissime Bellarminus cognoscere potuit? Nonne quod tantum abfuit, ut S. Ignatius a Societatis instituto amplexando S. Philippum rejecerit: ut potius ex iisdem constet oppositum, quod, nempe S. Ignatii invitantis ac allicientis, ut eidem Societati se adderet, S. Philippus monita voce que nunquam evaudierit? In haec igitur hypothesi, si vera fuere que Bellarmino adscribit Lancicius, falsa proculdubio sunt, quæ referuntur in Actis; et si falsa vicissim, quæ referuntur in Actis, qua ratione ul' vera, Sacra Congregationi, imo Ecclesiæ toli, a Bellarmino fuere exhibila, ac ab ipso approbata? ita ul' vel in primo casu verum non dixisse, vel falsum in secundo approbasse invincibili necessitate latendum sit. Verum, quis in gratiam unius Lancicij, tanto viro tantum scelus inusserit, conspundaque Acta publica, ejusdem S. Philippi testimonio obsignata censem? Quis non credit, Bellarminum, ne Sacra Rituum Congregacionem, in eaque Ecclesiam totam falleret, si falsa aliqua in Actis ipsis inserta deprehendisset, sui muneris non fuisse ducturum, ut publice, palam, juridiceque improbare? Si autem Acla publica, quæ probavit, approbandaque Sacrae Congregationi obludit, vera fuere, (ut par est de tanta virtutis ac doctrinae viro credere): quæ via, quo casu, quæ ratione vera esse potuerunt, quæ ab illo dicta Lancicius prodidit?

487. Quæ de Bellarmino, eadem dicas oportet de Mutio Vitellesco. Fuerit is quantilibet virtute dignitateque præclarus; vera habenda sint, quantumlibet, ipsius testimonia. Quanto autem, ob haec pluris facienda habendaque agnoscantur; eo certius ruui, quæ contra publicis in Actis juridice comprobala, et diu ante omnibus populis et linguis vulgala, et imperturbata, tot annorum perpetua traditione firmata, unus scriptor ei tribuere cogitavit; cum a tali tantoque viro, haec nullatenus processisse, omnino putandum sit; nec hujusmodi sint ponderis monumenta, ex quibus ea, quæ Vitellesco tribuuntur consignata sunt, ut ab opposito, innumeris argumentis, testibus, ejusdemque S. Philippi testimonio firmato, non dicam deleta, sed obruta omniuo non sint censenda.

488. Nec semel et iterum tantum Societatis JESU contubernium detrectasse S. Philippum dicendum; sed immutabili animi proposito insuper, quavis propria idoneaque ad id efficientum oblata occasione posthabita, de illo nunquam cogitasse; perspicue, quæ in illius Actis, a Barnabio descriptis, ac a Bollandianis relatis elicitor; nam Maii Tomi, vi. Vit. Cap. V. pag. 533. n. 46. ista in illis habentur: « Interea, de iis, quæ a Patribus Societatis JESU feliciter

¹ Ex Proces. ut supra. — ² In Vit. S. Philip. ut sup. — ³ Lib. 2. C. XI p. 114. n. 6.

in India gerebantur, fama per universum orbem quotidie percrebrescebat : quamobrem, quæ de Catholicæ religionis progressu litteræ ferme quotannis, ex iis religionibus afferebantur, quo tempore pomeridiana exercitia initium habuere, lectitari consueverant. Haec porro lectione, mirum quantum Philippi animus, ad cupiditatem propagandæ Christianæ Religionis exarsit. Itaque cum videret messem quidem multam, operarios autem paucos ; ipse etiam tantorum exemplo virorum, in extremas terras proficisci decrevit, et sanguinem (siquidem opus esset), pro Dei gloria animarumque salutem profundere. Haec eadem cupido incessit nonnullos ejus in spiritu filios, quorum primus fuit Franciscus Maria Taurusius Politianus etc. Joannes etiam Baptista Modius, et Antonius Fucci, nobiles medici etc.

«47. Ihi omnes numero fere viginti, admirabili consensu, atque alacritate, Philippo duce, ad Indos eo consilio navigare constituant, ut in conversionem infidelium, toto peclore incumberent, palmamque martyrii studiose reportarent. Quapropter Philippus ex iis aliquot, sacro presbyteratus Ordine initiandos curat, paratosque ad profectionem esse jubet ; quo, nimirum, post acceptam a Pontifice facultatem ac benedictionem, in viam se daret etc. »

Haec ibi, in quibus plura certe notatu digna contineri, inficiabitur nemo ; ac sicut negare haud poterit, Jesuitarum litteras, egregia Jesuitarum exempla, ac eadem, quæ incolebant infidelium loca, in corde S. Philippi mirabile vehemensque illud incendium suscitasse, quo succensus, filiis ferventioribus aggregatis Indicum iter, Indicamque pro Catholicæ Ecclesia contra diabolicos hostes expeditionem suscipere decrevisse ; sic fateri cogetur, tanto facinori feliciter adimplendo, nil conducibilius esse potuisse, quam ut se Jesuitis jungeret, copulatisque cum eis viribus, factoque uno agmine, hostes simul agrederentur. Idem enim utrique scopus, palestra eadem, idem gloriae Dei, ac propagandæ religionis, proximorumque salutis vehemens studium ; idem denique in cunctis patiendi pro Christo, fundendique sanguinem desiderium. Quibus addas potiori absque dubio fructu, faciliorique aditu, ad vineam eam studiosissime, ut optabant, excolendam S. Philippum ac socios introduci potuisse, si exceptus a Jesuitis, iisque aggregatus, loca ingressus esset, in quibus eorum prævio labore, jam segetes albæ videbantur ad messem. Nullamque præterea occasionem opportuniorem satisfaciendi antiquo suo desiderio in Societatem ingrediendi Sancto Philippo hac offeri potuisse : quod, præter spiritualia luera, Societas ipsa, ob copiosissimam messem, paucosque operarios rogabat Dominum, ut operarios alios mitteret in vineam suam ; unde eo minus Philippum

repellere poterat ac debebat, quo novo hoc subsidio indigebat, ut facinora ab ipsa ad DEI gloriam proximorumque salutem suscepta, (quæ forte paucitas præpediebat operiorum), ad optatum tandem finem perducere posset.

189. Et nihilominus horum nihil Sancti Philippi menti nec quidem occurrisse, ex his quæ proposimus evidentissime liquet. Ex littoralium Jesitarum lectione, Spiritus Sancti ignis in corde sancti Philippi exarsit, succrexitque in flammam ; ita ut in Indiam, sociis aggregatis se conferre, ibidemque proximorum infidelium conversioni ac saluti se dicare decreverit. Verum, nihil commune in his, et aliis cum Jesuitis habere voluisse, tota simul narrationis series ostendit ; nulla cum Jesuitis de Indico hoc itinere communicata consilia, nullum ab illis, vel expeditum documentum, nec imploratum auxilium, nullus ex ipsis inter socios admissus. Unus aciei dux Philippus electus, commilitonumque numero, nonnisi illi adscripsi, quos ipse probasset ; a nemine tandem tantum opus agrediendi facultate, nisi a Summo Pontifice requisita : Societatis denique, ne quidem nomen injectum. Quidnam fuit hoc ? Adeo igitur Philippus delere ex animo potuit, servans, desiderium illud, quo motus (ut contenditur), et quidem ab iis, quæ ad Dei gloriam, proximorumque salutem in ea gerebantur, apud S. Ignatium, licet haud semel repulsam passus, institerat, ut in Societatem recipetur? Cur tepescere, imo extingui omnino debuit, et quod pluris faciendum, extinctum penitus cognosci voluit, ex iis ipsis, ex quibus (si verum unquam extitisset) rursus extinclus susciliari debuisset, utpote non nisi a Jesitarum Indicis litteris succensum ; et quod eadem vellet Philippus, quæ Societas, et volebat, ac in praxim adducebat : et vicissim Societas nil aliud vellet, curaretque, nisi, quæ Philippus volebat ? Quid per hoc datur iutelligi, nisi illud, quod numquam Philippo media arriserint, quæ sanctissime, ac prudentissime a S. Ignatio suis proposta, minus tamen sibi couenire cognovit ; ideoque, nec Societati adscribi voluit, ac voluntati S. Ignatii, qui illum Societati eidem aggregare curavit, se committere noluit ; quod revera ipsum, in opus aliud divina providentia segregatum voluisset ?

190. At referre pudet insulsum aliud commentum, quod ex testimonio cuiusdam patris Venusti, Bollandianus scriptor S. Philippo tribuere non veretur ; quod nimirum eidem Venusto S. Philippus idem fassus fuerit : *Orationem mentalem sibi S. Ignatium facere docuisse.* Et quidem ea erat humilitate prædictus S. Philippus, quo si verum extitisset, non modo id fateri non puduisse ; sed potius, ad instar maximi illius doctoris Hieronymi, qui a Gregorio Nazianzeno sacras litteras didicerat,

sub tanto doctore, orationis prima documenta accepisse gloriaius fuisset; quod quidem comprobari videtur, ex ea grati animi ac humilitatis simul significatione, qua multo inferioris notae viris, quidquid devotionis a puro imbiberal, Dominicanis fratribus tribuere consuevit, ut passim scribunt suæ Vitæ scriptores; quos inter Barnabæus, a Bollandiano scriptore relatius, Vit. Cap. i. pag. 523. Tom. vi. Maii, nu. 6. «Frequentabat (dicit) per hos dies Philippus, præ ceteris, Ecclesiam S. Marci, in qua Dominicani patres habitant: ibique spiritus primitias accepit. Quamobrem cum deinde in Urbe ad eum quispiam veniret ex eadem familia (veniebat autem sœpissime): si quid boni, inquietabat, a prima ætate in me fuit, id totum patribus S. Marci acceptum refero.» Sic ibi; quæ dicta volui, ut ostendereim, quod nullo magis professus fuisset (ut dixi) si, S. Ignatio præceptore, prima orationis rudimenta didicisset.

Verum id falsum penitus, et quidem ex sola annorum supputatione deprehenditur; immeritoque idecirco perperamque S. Philippo tribuitur. Ipse siquidem sub ann. MXXXIII, Florentia relictæ, ad oppidum, cui a S. Germano nomen, se contulit, cum ætatis haberet (utpote ann. MDXV natus) annos sexdecim. An vero, cum ibi fuit, in meditatione cœlestium omnino inexpertus ac rudis esset, evidentissime ab ipsis Villæ scriptoribus intelligi potest: «Eminet (scribit Baccius) ad Cajetæ Portum, non procul a S. Germano, mons admodum celebris, ex iis unus, qui, ut communis viget traditio, moriente CHRISTO Domino scissi sunt. Illic mons tribus vastissimis hiatibus, a summo usque ad imum dehincit, quoruim medius latius patet. Sublime hinc saxum assurgit, unde sacellum appareat, perantiqua Crucifixi imagine insignitum, quam nautæ, dum subjectum sulcant mare, tormenti bellici edito fragore, salutare consueverunt. Huc frequenter Philippus divertens, Dominicæ Passionis Mysteria ferventius contemplabatur. Quamobrem quotidie etc.»

491. Iisdem fere verbis eadem confirmat Barnabæus, asseruntque ambo biennio tantum apud avunculum commorasse; et subinde, Romam (inquit Gallonius) se contulit anno post Christum natum millesimo quingenlesimo trigesimo tertio, alque ætatis decimo octavo. Ibidem, cui vitæ generi statim se addixerit, quæ statim addit Gallonius ipse, declarant: «Urbem ingressus, domum Galeotti Ceciæ civis Florentini divertit, in qua aliquot diversatus annos, non obscura dedit suæ in Deum pietatis indicia. Vitam victu asperam, sed continuis meditationibus suavem, ac plane cœlestem ducens». Sub anno vero Domini MXXXIV, ac ætatis decimo nono ac vigesimo, posquam retulit Philippum, Philosophiæ se studio tradidisse: «Quanquam Philosophiæ deditus (inquit)

frequens orandi studium, et consueta pietatis officia prætermissa non fecit: quinimo orationi, divinarum rerum meditationi multum temporis tribuebat assidue». Sub anno autem MXXXV, XXXVI, XXXVII, ac ætatis Philippi 21, 22, 23, «Noctu (scribit) longas vigilias trahebat, atque juxta Apostoli monitum, invisibilia Dei, per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciebat; sempiternam quoque ejus virtutem, atque divinitatem, quantum homini corruptioni obnoxio fas est, scrutabatur». Sub ipso demum Christi anno MXXXVI, ac ætatis Philippi 23 scribit: «Oratione nihil Philippo suavius, nihil dulcior, nihilque jucundius: orabat ille dies, orabat noctes; nihilominus non explebatur orandi sitis orando, sed excitabatur magis».

492. «Sub anno igitur Christi MXXXI et XXXII, et ætatis decimo sexto ac septimo, ad Cajetæ Portum, Dominicæ Passionis Mysteria ferventius Philippus contemplabatur. Sub anno MXXXIII, ætatis decimo octavo, Romæ continuis meditationibus, suavem ac plane cœlestem vitam duxit. Sub anno MXXXIV, ac ætatis decimo nono et vigesimo, Philosophiæ vacans, orationi, divinarumque rerum meditationi multum temporis tribuebat assidue. Sub annis MXXXV, XXXVI, XXXVII, ætatis 21, 22, 23, invisibilia Dei, per ea quæ facta sunt intellecta conspiciebat, ac sempiternam quoque ejus virtutem ac divinitatem, quantum homini corruptioni obnoxio fas est, scrutabatur. Ac eodem anno orabat dies, orabat noctes, etc.». Et hoc tempore tandem, orationis ac meditationis sub Sancto Ignatio, S. Philippum tyrocinium posuisse, asserere Venustius potuit.

Sed si, hoc dilabente dumtaxat anno MXXXVII, vel potius sequenti MXXXVIII, Romam primum S. Ignatius se contulit; nec alibi antea, nec Philippus Ignatium, nec Ignatius Philippum, videre alloquive se vicissim potuerunt. Si longe (inquam) ab invicem se juncti, neque hic ab alio discere, neque alter quivit illum docere; qua ratione, qua via, vel suscipere ab Ignatio Philippus, vel prima orationis rudimenta Philippo tradere Ignatius potuit? Si diu, priusquam Romam Ignatius veniret, ut ea quæ hucusque retulimus, abunde declarant, Philippus in oratione instructissimus fuit; quo pacto prima orationis documenta deinde ab Ignatio sumere debuit? Si præfato demum ingressi Romam Ignatii anno, nedum alicujus discipulus, sed aliorum potius magister Philippus evaserat; utpote, qui ad divinarum rerum perscrutationem, quantum mortali homini fas est, jam felicissime pervenerat: qua ratione, qui altissimum contemplationis apicem attigerat, retrogrado ordine, prima orandi elementa apprehendere necesse habuit?

493. Verosimilius atiquid tamen ad ambonum gloriam excogitari posse videtur. Sancti

Ignatii conversio anno salutis m^oxxxi passim tribuitur, neminemque latet singulari orationis dono statim fuisse a Domino decoratum. Agebat vero eo ipso tempore, vel sextum vel septimum aetatis annum S. Philippus, quem valde dilucendo (ut aliis plerisque sanctis concessum legimus), in benedictionibus dulcedinis, ideoque orationis etiam dono fuisse praeventum ex his quae de illo referuntur, facile enique elicere est. Incongruum igitur non videtur, si censeatur, utrumque eodem ferme tempore, in orationis vinariam cellam a Spiritu sancto fuisse introiectum, cœpissequem simul sanctorum scientiam ediscere; ita ut, quod ad tempus magisteriumque unum alteri, utpote ambo docibiles Dei, minime fuerit prælatum. Ad rem redeamus.

194. *Religiosorum familias noris munieribus ornat Pontifex.* — Novis etiam privilegiis hoc ipso anno Pontifex Magistrum Generalem ac alios sui Prædicatorum Ordinis prælatos auxit; dum sub die xx^o Martii, Diplomate ¹ concessit, ut ex ipsius Ordinis Fratribus illi creare ac deputare quosdam possent, qui pro Apostolicorum mandatorum executione notariorum munere fungentur. Quod quidem illis se concessisse fateatur, quod notarios, tam sacerulares laicos, quam clericos, ubi de mandatis, concessionibus, gratiis, privilegiis, indultis, aliisque Apostolicis rescriptis, tam ad publicam, quam ad privatam utilitatem, ac commodum pertinentibus, dominis temporalibus, sive potestatibus, regibus, ducibus, principibus, Marchionibusque, aliisque his similibus, intimandis ac insinuandis ageretur; variis confictis respectibus, sive humano timore præpeditos, contra eorumdem officii liberum publicumque exercitium, debituque, in non modicum publicæ ac privatae utilitatis detrimentum, ejusdem muneris sui partes nullatenus implere auderent. Quod quidem, se adhuc in minoribus constitutum, prudenter animadvertisse perspicue profitetur.

195. Iisdem sui Prædicatorum Ordinis Fratribus, privilegium etiam aliud indulsit, ex causis, quas ipse met prodit his verbis: « Exponi nuper nobis fecit dilectus filius prior provincialis provincie Hispaniae, Ordinis Fratrum Prædicatorum, quod cum in Bulla Cruciatæ sanctæ, et aliis privilegiis, quae ab Apostolica Sede concedi solent, detur facultas eligendi confessorem idoneum, ab ordinario approbatum, qui possit Christi fideles absolvere a casibus Ordinario reservatis, et a quibusdam etiam, quæ dictæ Sedi reservata sunt, religiosi dicti Ordinis, sive eorum nonnulli, etiam his facultatibus uti præsumunt, et illarum prætextu eligunt confessorem aliquando, præter eos, qui a suis prælatis, pro audiendis eorum confessioni-

bus deputati sunt: quod aliquando, in speciale eorum vergit detrincentum. Quare prædictus prior nobis humiliter supplicari fecit, quatenus in præmissis opportune providere, de benignitate Apostolica dignaremur.

« Nos igitur, hujusmodi obviare volentes, ac eundem priorem, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque sententiis, censuris et poenit, a jure vel ab homine, quavis occasione vel causa, si quibus, quomodolibet innodatus existit, etc. hujusmodi supplicationibus inclinati, talem concessionem Cruciatæ Sanctæ, et aliorum indultorum particularium, quantum ad predictum articulum eligendi confessorem, et absolvendi a casibus reservatis, cum fratribus et sororibus Monialibus totius Ordinis prædicti, tum provinciæ Hispaniæ hujusmodi, quam extra eam, ubilibet locum minime habere, nec censeri, sed nostræ intentionis existere, quod iidem fratres et moniales, quantum ad Sacramenti Pœnitentiaæ seu Confessionis administrationem, dispositioni suorum prælatorum subjecti sint Apostolica auctoritate, tenore præsentium perpetuo declaramus; eisdem tamen prælatis, ut in usu hujus potestatis, se cum subditis benignos et faciles exhibeant, præcipientes et mandantes.

« Et insuper, quia sacrum OEcumenicum generale Tridentinum Concilium concessit episcopis, ut absolvere possint in foro animæ seu conscientiae ab omnibus peccatis, et dispensare in irregularitatibus, prout Sess. xxiv, cap. vi habetur, ne prior conventionalis et superiores prælati dicti totius Ordinis, tam in dicta provincia, quam extra eam ubilibet, in hac parte deterioris conditionis, quam clerici aut sacerulares existant: eidem priori conventionali, et superioribus prælatis, ut ipsi per seipso idem omnino possint in fratres et moniales dicti Ordinis sibi subditos, quod possunt episcopi in clericos et laicos sibi subjectos, tam quoad absolvendi et dispensandi hujusmodi, quam alias quascumque facultates, eadem auctoritate et tenore, etiam perpetuo concedimus, etc. ». Data autem haec legitur, sub die xx^o Julii hujus anni.

196. At idibus ejusdem mensis, alio Diplomate ampliorem hac jurisdictionem prælatis Congregationis Cassinensis, alias S. Justinæ Monachorum Ordinis S. Benedicti contulerat: uti videre est ex ipso, quod in Bullario ¹ extat, ac ordine centesimum vigesimum nouum locum obtinet. Societatis Jesu presbyteros quoque, Constitutione altera ², septima die ejusdem mensis data, eorumque religionem ex Mendicantibus esse declaravit; eorumque privilegiis et gratiis, tam concessis, quam concedendis perfrui voluit. Ideinde paulo ante, nempe sub die xxx Martii fratribus Eremitis S. Hieronymi,

¹ Extat in Bull. Constitut. 144.

¹ Extat in Bull. Const. 129. — ² Ibid. Constit. 131.

Congregationis B. Petri de Pisis¹, præstilerat. El præler ea quæ præposuimus, suis Prædicatorum Ordinis Fratribus collata privilegia, aliud quoque clarginus est², quo Confraternitatem nominis Jesu, seu juramentorum, in ci-vitalibus, oppidis et locis, totius Christiani orbis, in quibus prefatorum fralrum Prædicatorum Ecclesiæ fuissent, in his dumtaxat instituti posse decrevit: in his vero locis, in quibus ejusdem Ordinis domus non extitissent, eamdem Congregationem, absque licentia prioris provincialis (in ejus districtu Ecclesia sita fuisset, in qua ipsa Societas esset instituenda) minime ut erigi lieceret, sub die xxi Junii hujus anni sancivit.

197. *Pius Mendicantium privilegia quoad sæcularium confessiones restringit.* — Sicut aulem religiosorum sacras familias, novis muneribus ornare ac amplificare Pius hoc anno studuit; sic ut iisdem Apostolicis muneribus sese dignas illæ exhiberent, curare minime prætermisit. Ad hoc igitur eam edidit Constitutionem³, qua electionis et officii Ministri Generalis aliorumque Superiorum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia, neconon in eundem Ordinem novitios recipiendi, rationem ac modum, sub die vigesima octava Maii præscripsit. Et cum antea, nimirum anno MDLXVII, plura indulta Ordinibus Fratrum ac Monialium Mendicantium, confirmasset⁴, et noviter concessisset, ac circa ea Concilium Tridentinum extendisset ac declarasset; re deinde melius considerata, juxta illud: *Sapientis est mutare consilium, hujusmodi extensionem ac declarationem, in iis, quæ ad excipiendas sæcularium Confessiones spectabant, revocandam censuit, sequenti altera⁵, in qua, inter alia, hæc dicit:*

« Nuper quasdam declarationes et moderationes, circa nonnulla Concilii Tridentini Decreta Regulares Personas Ordinum Mendicantium, eorumque instituta concernentia, edidimus et promulgavimus. Et quia, ut accepimus, illarum vigore sacerdoles Regulares prædictorum Ordinum (nempe Mendicantium aliorumque quorumcumque), quandoque minus idonei et inhabiles, Confessionibus sæcularium audiendis, ab eorum superioribus præpositi, absque aliqua episcoporum, sed sola Magistri Ordinis Generalis, aut Provincialium ministrorum approbatione admittuntur; nos super his, pro debito pastoralis Officii, prout tenemur, salubriter providere volentes, tenore præsentium, hac nostra Constitutione perpetua sancimus et declaramus, Decretum Concilii Tridentini, de approbatione regularium audiendis Confessionibus Sæcularium præpositorum, ab episcopis facienda, observari debere, eliam in

omnibus Regularibus, quorumvis Ordinum, eliam Mendicantium, etiam sub Regulari disciplina viventium, etiam sint lectores, aut in Theologia, etiam de superiorum suorum licentia, graduati vel promoti, vel a suis magistris Generalibus, vel Provincialibus ministris, sæcularium confessionibus audiendis expositi. Volumus tamen eos, qui semel ab episcopo in civitate et diecesis suis, prævio examine approbati fuerint, ab eodem episcopo, iterum non examinari. Ab episcopo aulem successore, pro majori conscientiae suæ quiete, examinari de novo poterunt, etc. Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno MDLXXI, octavo idus Augusti, Pontificatus nost. anno vi. ».

198. Hanc Pii Constitutionem, qui ei proxime in Pontificalu successit Gregorius Decimus Terlius pariter confirmavit. Const. 9. *In tanta: et Clemens VIII, Conslit. 113. Quarecumque.* Privilegia vero, et indulta omnia (ul adnotatur in Bullario¹) etiam per modum communicationis concessa militiis, hospitalibus, collegiis, capitulis, religionibus, societatibus, congregationibus, et Ordinibus, tam Mendicantibus quam non Mendicantibus, ceterisque locis piis, et eorum, sive earum respective personis sæcularium personarum, confessiones audiendi, absque ordinarii approbatione et examine, Urbanus Octavus Const. 29. *Cum sicut: omnimode revocavit.*

199. *Clericorum avaritia fortiter comprimitur.* — Plus tamen laborandum fuit Pio, ut sæcularium clericorum vilia corrigeret, ad quorum comprimentam in primis avaritiam, Constitutionem edidit centesimam trigesimam quarlam², que regressum, accessum, et coadjutoriarum quibuscumque ad Ecclesiastica beneficia concessarum, revocationem continei, hac de causa ab eo facta: « Volentes, inquit, omnem hereditarianum beneficiorum Ecclesiasticorum successionem de Ecclesia Dei tollere, ac libertati beneficiorum hujusmodi providere; et ut de persona magis utili et idonea, prout requiritur, facilius provideri valeat; omnes et singulos regressus, et accesus et ingressus, etiam eventuales aut pœnales, ac coadjutorias, etiam de consensu, aut alias quomodolibet, sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis elicacissimis, eliam motu proprio, et ex cetera scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, clausulis irritantibus; et alitis decretis quomodolibet per quosvis Romanos Pontifices prædecessores nostros, ad beneficia Ecclesiastica, cum cura et sine cura, sæcularium et quorumvis Ordinum regularia; etiam si sæcularies canonicatus et præbendæ, dignitates, personatus, administrationes vel officia in cathedralibus, etiam metropolitanis, aut collegiatis

¹ Ibid. Constit. 423. — ² Ibid. Constit. 130. — ³ Ibid. ut supra, Constitut. 28. — ⁴ Const. 41. — ⁵ Extat in Bull. Constitut. 133.

¹ Ibid. ut supra. — ² Extat in Bull. Constitut. 434.

Ecclesiis, et dignitates ipsæ in cathedralibus etiam metropolitanis, post Pontificales majores, seu collegiatis Ecclesiæ hujusmodi principales; regularia vero beneficia hujusmodi, monasteria etiam consistorialia, prioratus, præpositure, dignitates etiam conventuales, personatus, administrationes, vel officia, etiam claustralia, ac hospitalia: et præceptorias etiam hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani, etiam quarumvis aliarum militiarum, quibusvis personis, eujuscumque status, gradus, ordinis et conditionis existentibus, etiam episcopali, archiepiscopali, patriarchali dignitate, aut cardinalatus honore pollutibus concessos, etc. auctoritate Apostolica, tenore præsentium revocamus, easam et abolemus, etc. Datum Romæ apud S. Petrum, anno MDLXXI, prid. id. Septemb. Pontificie nostri anno sexto ».

200. In eamdem insuper rem incumbens, hoc anno pariter testandi et quovis alio modo, de acquisitis, ex Ecclesiasticis bonis disponendi, ac de aliis rebus proprio etiam labore partis, seu patrimonialibus, ad illegitimorum quamvis legitimatorum, non tamen hospitalibus expositorum, et orphanorum commodo, facultatem revocavit. Omnemque eorumdem illegitimorum habilitationem in bonis seu rebus feudalibus, et emphiteuticis, a piis locis profectis, succedendi, Constitutione¹ die v Martii hujus anni edita, abrogavit; quam etiam, die pariter quinta Martii sequentis anni, extendit. Ea tamen minime Pontificem illegitimis subtrahere voluisse alimenta, quæ quibuscumque filiis omni jure debentur; Romana Rota, in Bononien. Alimentorum coram Penia, sub die xxviii Maii postmodum declaravit.

201. Sed contra omnimodam avaritiam ac ambitionem quibus haud parum justitiæ in Ecclesiastica ditione detrahebatur, majori etiam conatu hoc anno Pontifex mucronem Apostolicum evaginavit: ut ex Constitutione illius centesima quadragesima patet, in qua inter cætera ista profert: « Sane licet alias, ne ordo justitiæ perverteretur, et ex certis aliis inibi expressis cansis, per civiles Constitutiones salubriter fuerit statutum, ut judices, et alii justitiæ administratores, sine quoquo suffragio fieri debeant, gravissimis etiam injunctis pœnis, qui præmissam Constitutionem transgredi ausi quoquomodo fuissent; accepimus tamen nuper, non sine animi nostri displicantia, nonnullos, pro consequendis officiis et dignitatibus, jurisdictionis exercitium habentibus, pecunias et alias res solvere, et promittere aliquibus curialibus, quorum intercessionibus et favoribus talia officia et dignitates obtinent; licetque nos, pro nostri pastoralis officii debito, præmissa coniventibus oculis pertransire nequeentes, om-

nem adhibuerimus diligentiam, ut tam ambitionis hujusmodi, quam pecuniarum hujusmodi receptores et stipulatores, tam publice quam secrete reperirentur; nihilominus exinde, nihil cerli expiscari haclenus potuimus.

« Cupientes igitur præmissis modum aliquem imponere, ac eos, quos civilium pœnarum timor a similibus non coereat, per canonicas sanctiones auctoritate Apostolica omnino deterrei, et avaritiae hujusmodi genus, juri et justitiæ hujusmodi tam obnoxium, de medio tollere: Constitutionis civilis ac pœnarum per illam statutarum tenorem et formam præsentibus pro expressis habentes; motu simili, etc., et ex certa nostra scientia, ac de Apostolicæ pœlastis plenitudine, omnes ac singulas leges, Constitutiones, statuta et deereta, contra delinquentes hujusmodi, tam a jure civili, quam a sacris canonibus facta, ac in illis contenta; punitiones et pœnas quascumque in tales infletas, harum serie innovamus, eosque idem robur eamdemque vim obtinere volumus atque statuimus, quod et quam habuissent et haberent, si haec tenus ad unguem observatæ fuissent, vel a nobis per præsentes emanarent.

« Insuper quoque, ut earum usus pœnarum multiplicatione stabilior efficiatur, hac nostra perpetua valitura Constitutione, quamque vim legis etiam inviolabilis habere sanctimus, legibus, Constitutionibus, statutis et decretis prædictis præjudicium non inferendo, quinimo illis addendo, decernimus et ordinamus, quod de cætero perpetuis futuris temporibus, nemini cujuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis et conditionis fuerit, liceat, mediante pecunia, vel solutione, et traditione, ac promissione aliarum rerum, etiam per interpositas personas, aut alias quovis modo faciendas; alias dignitates et officia, exercitium et administrationem jurisdictionis habentia, procurare, assequi vel obtinere; ac si quis his præsentibus contravenisse quoquo modo dici aut censeri potuerit; ipsum contravenientem eo ipso confiscationis omnium bonorum, degradationis et amissionis tam privilegii docto-ratus, quam quorumcumque per eum obtentorum officiorum, tam sacerdotalium quam Ecclesiasticorum, ac demum ultimi supplicii pœnas irremissibiliter incurrire volumus.

« Cæterum, ut fraudibus, quæ circa præmissa exoriri possent facilius occurratur; par modo statuimus, quod ubiunque et quandocumque compertum fuerit, per interpositam personam alias pecunias, seu alias res traditas, seu præmissas fuisse alicui curiali, familiari, vel euicunque alteræ personæ, pro officiis et dignitatibus jurisdictionis administrationem habentibus: is, qui officium hujusmodi obtinuerit, se a præmissis, attenta interpositione personæ hujusmodi, nullatenus excusare

¹ Extat in Bull. Const. 127.

queat : quinimo, nulla admissa ignorantiae excusatione, ipso jure presumatur solutionem et promissionem hujusmodi, de eorum, qui officia et dignitates similia obtinuerint, consensu et mandato penitus esse facta; iisdemque propterea pœnis subjacere, omnino intelligatur. Postremo, ne ii, qui in præterito talia officia seu dignitates, solutionibus seu promissionibus mediantibus, impetraverint, credant se, per præsentes absolutos esse, eisdem motu, scientia et potestatis plenitudine perpetuo declaramus, eos pœnas in tales a jure communi inflictas incurrisse, et contra eos ad pœnarum hujusmodi prosecutionem procedi posse.

« Eos vero, qui similibus mediis aliqua officia et dignitates, similiter jurisdictionis administrationem habentia, obtinent, si in futurum quidpiam unquam, vigore præcedentium promissionum, in assecutione officii hujusmodi faelarum, solverint: ipso jure et facto pœnas in hac nostra Constitutione contentas, incurrere, præsentesque nostras, tam eos, qui in futurum officia similia et dignitates, solutionibus et promissionibus præcedentibus obtinebunt; quam eos, qui jam obtinuerunt, si in futurum aliquid manutentionis in eis, aut alia causa solverint, ligare volumus, etc. Datum Roma apud S. Petrum, non. Decembbris, anno sexto ».

202. Sequenti autem anno, prid. id. Februarii, altera Constitutione edita, hanc, quam proposuimus, declaravit magis ac extendit; eodemque iustitiae zelo hoc anno quænam essent illicita cambia explicavit, ac quinto kalen. Februarii prohibuit; quia sæpe numero, ob illicili quæstus cupiditatem, eorum prætextu a nonnullis usurariam pravitatem exerceri animadvertit. Illam pariter justitiam exercens, qua cuiusvis operi debita merces rependenda est, et e contra neganda illis, qui quod debent, implere negligunt, contra habentes beneficia Ecclesiastica¹, ac canonicas Horas recitare prætermitterent, Lateranensis proxime celebrati Concilii decreta renovavit ac explicavit; decernens², ut qui Horas omnes canonicas, uno vel pluribus diebus intermisisset, omnes beneficii seu favorum suorum fructus, qui illi vel illis diebus respondissent, si quotidie dividerentur, perderet; qui vero Malutinum tantum, dimidiam; qui cæteras omnes Horas, aliam dimidiam; qui harum singulas, sextam parlem fructum ejusdem diei, amittere deberet. Et si aliquis choro addictus non recitans, omnibus Horis Canoniceis cum aliis præsens adfuisset, fructusque et distributiones forte aliter assignatas, sola præsentia, juxta statuta, consuetudinem, fundationem, vel alias sibi iurifecisse prætendisset: praeter fructum, eliam distributionem amitteret. Illum vero, qui

primis sex mensibus Officium non divisset, nisi legitimo impedimento evensatum, gravi se criminè obnoxium reddidisse, scire voluit: declarans insuper, præstmonia, præstmoniales portiones, et qualiacumque alia beneficia, etiam nullum omnino servitum habentia obtinentes, cum prædictis pariter convenire. Ac denum quemlibet alium, pensionem, fructum, aut Ecclesiasticas alias res, uti clericum percipientem, pari ratione ad recitandum parvum Beatae Mariae Virginis Officium teneri voluit; et pensionum, fructuum, aliarumque similiū rerum amissioni esse obnoxium.

203. *Officium B. Mariae Virginis, sed non nisi a se vel a S. Sede approbatum, edicatur.* — Et quia Officium parvum Beatissimæ Virginis memorare contigit, sciendum est, hoc eodem anno, quinto idus Martii, Constitutione¹ altera, illud nuper reformatum, recitandum Ecclesiæ Pium tradidisse, interdictis aliis quibuscumque, quæ antea recitari consueverant; illis tamen exceptis (dummmodo vulgari sermone non fuissent composita, quæ ab ipsa eorum institutione, supra tamen ducentos annos, assidue in Ecclesiis, monasteriis, domibus, et locis utriusque Ecclesiasticorum sexus, observatum fuisse constitisset. Quibus sie adstrictis et obligatis, sicuti inveteratum illum ritum recitandi ac psallendi Virginis Officium non admetit; ita eisdem, si forte, quod proposuit suum magis placuisse (dummmodo episcopus, vel prælatus, universumque capitulum in eo consensisset), ut illud etiam in choro recitare ac psallere possent, indulxit.

204. Præterea eis, qui ad ejusdem Officii Beatæ Virginis recitationem minime tenerentur, omnem etiam Officiorum, vulgari sermone quomodolibet compositorum, atque similis vulgaris idiomatici orationum, aliis etiam Latini sermonis Officiis insertarum, usum penitus interdixit; idque, ne fideles vanis superstitionum erroribus involverentur, quod multæ in iisdem Officiis, sub falsis et confictis Sanctorum nominibus, confitæ pariter Orationes insertæ fuissent; de quibus, sicut de Indulgentiis, peccatorumque remissionibus, quæ eas recitantibus, in appositis iisdem Orationibus rubricis, promittebantur ac concedebantur: nullam certe extare apud Ecclesiam rationem, fideles pro certo habere voluit.

205. Ut autem eorumdem fidelium pietati ac devotioni satisficeret, una cum eodem parvo Deiparae Officio, uno complexas volumine, alias insuper a se, et ab Ecclesia approbatas preces edi jussit; ac tom ipsum, tum has recitantibus, Apostolica liberalitate, de injunctis eisdem penis, misericorditer in Domino relaxavit: Verbi Dei concessionatoribus, atque confessariis

¹ Ibid. ut supra Constitut. 418. — ² Extat in Bull. Constitut. 135.

¹ Extat in Bull. Constitut. 122.

mandans, ut abolitionem a se factam Officiorum atque Orationum aliarum populis significarent: eosque, ad amplectendum suum, quod proponebat, Officium, quam maxime possent, hortari non prætermitterent.

206. *Pius animarum pastor.* — In Urbe Roma¹, plures etiam hoc anno custodes constituit, ut vigilias super gregem suum custodirent: nam undecim perpetuas vicarias in totidem Basilicis et Ecclesiis, cum portionum et obvenituum pro earum singulis assignatione, sapiens Pastor instituit: quod considerasset, animarum messem multam, operarios autem qui eidem colligenda insisterent, paucos esse; ac communiter eam curam, quæ capitulis earumdem Basilicarum et Ecclesiarum incurrabat, semper negligi consueisse animadvertisset. Nonis Novembris hujus anni, edita super hoc Constitutio² legitur: cum prius, nempe duodecimo kal. Aprilis, animarum simul ac corporum, tam Romanorum, quam Urbem devotionis gratia adventantium peregrinorum, utilitati ac bono prospiciens amplissimo altero Diplomate, cardinalem pro tempore protectorem archiconfraternitatis SSImæ Trinitatis, quam S. Philippus Neri, cum aliis, jampridem ad pauperes peregrinos atque convalescentes recipiendos pieque alendos instituerat, decorasset; ad hoc, videlicet, ne litibus ad varia tribunalia pertraeta, earumque impensis gravata, tam eximiis charitatis officiis exercendis minus studiose incumbere cogeretur.

207. Nec Venetiarum urbis minor eura fuit Pio hoc ipso tempore, ut divinus cultus in ea restituueretur, et animarum saluti totis viribus insisteret, clericorumque ac laicorum corrigendis depravatis moribus insudaret, ut patet, ex sequentis, quam ad Aloysium Moeenigum, Venetæ Reipublicæ dueem³ seripsit Epistola:

« Dilecto filio, nobili viro, Aloysio Moenigo, duci Reipublicæ Venetæ.

PIUS PP. V.

« Dilecte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Commissum nobis ab Omnipotenti Deo, quamvis indignis, Apostolicæ servitutis officium, ad ejusdem gloriam, ea, qua debemus, diligentia exequi volentes, prætermittere sine gravi culpa non possumus, quin de omnium Christianorum populorum, qui ubique terrarum fidei nostræ crediti sunt, incolumitate, paterno et sollicito animo cogitantes, omnia sedulo et conemur et agamus, quibus eorumdem primo quidem animarum saluti, deinde etiam quieti et tranquillitati consulatur. Quod cum aliis nos quidem temporibus, quantum in

nobis est, adjuvante Domino, præstare semper debemus; tum hoc præcipue tamen tempore, ad id præstandum tanto magis impellimur atque excitamur, quanto id tot tantarumque calamitatibus periculis Christianæ Reipublicæ imminentibus, magis necessarium esse cognoscimus. Quia vero semper existimavimus his tam multis, tamque magnis perturbationibus, quibus eadem Respublica Christiana, hinc ab hereticorum pravitate atque insidiis, inde ab infidelium armis vexatur, corruptos in primis sacerdotum mores, deinde populum quoque peccata causam præcipue attulisse, dicente Domino: *Justitia elevat gentem, miseros autem faciunt populos peccata;* et propter peccata labiorum, ruina proximat malo; effugiet autem justus de angustia; idecirco jam inde a principio suscepti a nobis Summi Apostolatus officii, diligenter studuimus. omnia, quæ divinæ majestatis oculos offendere posse videbantur, non modo ex hac Urbe, quæ cæteris pietatis, sanctitatisque exemplum esse debet; sed etiam ex aliis civitatibus ac locis, Ecclesiæ ditioni subjectis, removere. Quod idem, ut in aliis quoque orbis Christiani partibus fieret, ab his, qui in sollicitudinis nostræ partem vocati sunt, nunquam antehac paternis nostris monitis atque hortationibus apud eos instare destitimus. Nunc vero, cum non modo quidquam de populi Christiani calamitatibus imminutum, sed ad vetera mala, nova quoque incommoda accessisse intelligamus, magis magisque quotidie in eam curam cogimur incurrere, qua corruptis clericorum et laicorum moribus, ad veterem vivendi regulam disciplinamque ubique revoeatis, tot tantisque Reipublicæ Christianæ vulneribus mederi possimus. Quocirca nobilitatem tuam, atque inlytum istum senatum, in Domino vehementer hortamur, ut sine ulla hæsitatione fidem habentes his³, quæ venerabilis frater episcopus Neocastrensis, noster et Señis Apostolicæ apud vos nuntius, super emendandis, reformatisque clericorum laicorumque istius civitatis moribus nostro nomine vobis exponet, animum intendatis, ad opus tam pius, tamque animarum saluti necessarium, pro vestra parte adjuvandum: in quo illud in primis a vobis requirimus, ut venerabili fratri nostro Venetiarum patriarchæ, ad exequenda ea, quæ ejusmodi morum correctioni et reformationi accommodata erunt, omnem opem, favorem, auctoritatemque vestram præstetis: pro certo habentes, quanto vos majore studio morum honestati, religionisque Catholicæ cultui augendo, extirpandiseque vitiis, alqueabus tollendis incubueritis; tanto magis Omnipotentem Deum Reipublicam istam, ab omnium internorum externorumque hostium impressione atque oppugnatione defensurum; vobisque, ad immanissimi Turcarum tyranni

¹ Ibid. ut supra, Constit. 139. — ² Ibid. Const. 123. — ³ Ex Archiv. Vatic. Ibid. ut supra.

bellum propulsandum, majora in dies præsidia, unde minus expectatis, esse allatum. Cui quidem officio, vos defuturos non esse speramus, pro vestra in Deum Omnipotentem pietate, et erga nos sanctamque hanc Sedem Apostolicam observantia. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xxvii Martii MDLXXI, Pontificatus nostr. anno sexto ».

208. Et ad patriarcham Venetiarum¹, haud multo post :

« Venerabili fratri Joanni patriarchæ Venetiarum.

PIUS PP. V.

« Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Ad exequendum Apostolicæ servitutis officium, nobis, quanvis indignis, ab Omnipotenti Deo commissum, oportet nos omnium qui in sollicitudinis nostræ partem vocati sunt auxilio, tanto studiosius adjuvari, quanto Ecclesiæ graviora mala ac turbulentiora imminere perspicimus; ad cujus nos quidem statum commodiorem, tranquillioresque in locum redigendum, nullum unquam salutarius remedium esse judicavimus, quam his malis mederi, unde illa ipsa, quæ oculis cernimus, ejusdem Ecclesiæ tot tantaque incommoda profecta sunt. Constat autem ea, non aliunde magis orta esse, quam ex corruptis et depravatis clericorum moribus, qui nequiter et dissolute viventes, omnem sibi apud populos doctrinæ sanctitatisque auctoritatem abrogarunt. Ita enim, quod a Redemptore nostro multo ante prædictum fuit, factum est, ut evanescente, tamquam sale, eorum sapientia, qui celeris hominibus pietatis integratissime lumen præbere debebant; populi Christiani corda infatuata, ad nihilum aliud plus valeant, quam ad omnes veteris disciplinæ obedientiam abjiciendam, et gravissima peccata novis quotidie peccatis magis cumulanda. Quibus rebus non dubitamus, Omnipotentis Dei iram adversus nos communam, super veteres calamitates gemitusque nostros, quos, ob multiplices hæresum pestes populorumque discordias adhuc sustinemus; novo insuper majorum, ab immanissimo Turcarum tyranno periculorum metu, Rempublicam Christianam, hoc tempore affligere. Cui quidem crudelissimæ Christianique sanguinis avidissimæ genti, perniciem nostram molienti, ne prosperitatem multitudi nostrorum præbeat peccatorum; omni studio, ad ea remedia confugere debemus, quæ emendatis clericorum laicorumque moribus, eumdem Omnipotentem Deum, placabilem nobis reddere possint: ut quibus resistere viribus humanis non valemus, his divina indignatione placata, obsistere possimus.

¹ Ibid. ut supra.

Quocirca fraternalitatem tuam vehementer in Domino hortamur, et quatenus opus sit, ei præcipiendo districte mandamus, ut omni studio, primo quidem, ad clericorum sibi subditorum, deinde etiam laicorum depravatos mores corrigendos reformandosque incumbat. Audivimus enim (quod non sine magno dolore dicimus) clericos isthie moribus valde dissolutis vivere, sic, ut eos non pudeat, publice ac palam concubinas habere, in quos quidem oportebat jam pridem fraternalitatem tuam, penitus canoniceis animadvertisse. Quod, quoniam hucusque sponte non fecit; saltem nunc paternis nostris hortationibus excitata, facere quamprimum studeat; ne, quod ab ea prætermissum fuerit, id nos, ut fiat, pro officio nostro cogamur aliquam rationem inire. Id autem, ut commodius facere possis, damus fraternali tuae omnimodam potestatem, ut discolos incorrigibiles, aut alioqui dissolute viventes ac rebelles, pro eorum cuiusque delicto debitum canonicisque penitus afficiat; ut contra omnes et singulos, praesertim in criminibus publicis ac notoriis, summarie ac sola facti veritate inspecta, procedat. Speramus autem dilectum filium, nobilis virum, istius civitatis ducem, inclytumque istum senatum, ad opus tam plium, et animarum saluti tam necessarium adjuvandum, omne fraternali tuae auxilium, favorem auctoritatemque suam esse præstituros; eaque ipsa de re, ut cum nobilitate sua eodemque senatu, nostro nomine ageret, ven. fratri episcopo Neocastrensi, nostro et Sedis Apostolicæ apud istam Rempublicam nuntio, nupermandavimus. Igitur fraternalitas tua, hoc nostrum mandatum exequi studeat, ut et ipsa pro tam pio labore sua apud Deum merita augeat, et a nobis atque omnibus hominibus laudem promereatur. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xxviii Maii MDLXXI, Pontificatus nostr. anno vi ».

209. Nec frustra in hanc curam Pius intendit, si iis credatur fide dignissimis, quæ Gabutius¹ in ipsius Vita his verbis profert : « Acre porro studium ac diligentiam Pius adhibuit, tum Venetorum sacerdotum ordinande disciplinæ, tum in omni illa ditione Christianis moribus, et institutis, sive restituendis, sive etiam conservandis. Diligebat enim eam ipse Rempublicam, atque universis illius, vel decretis vel legibus fuendis, quatenus æquitas ferret, paratum sese semper præbuit. Cum igitur Joannem Antonium Fachinelum, qui postea Innocentius IX² appellatus, bimestrem Pontificatum sanctissime gessit, virum summo rerum usu, eximia juris prudentia et integritate ornatum, apud eum senatum internumtum Apostolicum (est hic

¹ Gabut. Vit. Pii V. lib. 3. cap. 13. pag. 113. — ² Ciaccon. Tom. 4. in Innoe. IX.

episcopus Neocastrensis, quem in praefatis suis Epistolis Pius commemorat), toto Pontificatus sui tempore decrevisset; ejus opera complura ibi, eaque praeclara et utilia confici negotia procuravit. Ut autem disciplinam ordinaret, Venetis considerandum proponebat haereticos, quemadmodum nullo certo pravitatis sue nituntur fundamento; ita depravatis quorumdam clericorum moribus objectandis, falsam et iniquam sectam suam praetexere solere, imperite multitudinis animis obsecratis. Cumque magno Italiae ornamento esset illa Respublica, in qua tamdiu Christiana religio floruisse, quoniam divinis legibus, ac sanctae Romanæ Ecclesiae antea Veneti obtemperassent; summo quoque studio curandum, ut pietatis in officio se omnes continerent, populorumque, in primis vero sacerdotum, mores ac disciplina recte sese haberet. Neque enim eujusvis Reipublicae satis esse, si princeps unus bonus ipse fuerit, subiectis interim sibi populis data peccandi licentia, ex qua demum Reipublicæ pernicies manaret et exitium. Cujus rei, cum aliae provinciæ complures, tum in primis Galliæ reliquas gentes, non sine magno suo malo, commonerent. Statuit porro, ut quod olim sacris legibus cautum erat, ne cum mulieribus habilarent sacerdotes, ac ne ita multi sacris initiantur Ordinibus; in eaque re major, et morum et eruditionis ratio deinceps haberetur. Satius enim esse, in ordinatione præcipue sacerdotum, paucos bonos, quam multos malos habere ministros; quia ¹ si cœcus cœcum dicit, ut ait Christus, ambo in foceam cadunt. Edixit præterea, ut adversus execranda in Deum sanctosque maledicta, publice constituti viri, in eos animadverterent, qui in sacrosanctam Romani Pontificis, Ecclesiæque, vel auctoritatem, vel dignitatem obloquerentur. Nam obtrectationes hujusmodi, argumenta quædam et initia quondam fuisse immutandæ religionis, ac rerum status convellendi. Hæc, et id genus alia complura Pius Venetis præcipiebat. quæ magno, et sacris, et profanis rebus pie componendis aut constitutendis adjumento fuere. Nam his monitis illi permoti, ad Pontificis juvanda consilia, jussaque facienda sese converterunt. Itaque sacrorum antistites sunt in sua quisque loca prefecti: abbates, et Ecclesiarum ministri, atique præterea sacrae Ordinis, Ecclesiasticam servare disciplinam, moresque componere, omnes jussi; alii quidem paruerunt, alii vero, qui contumaces, cæterisque præberent offensionem, per illam ditionem omnem, vel ad saniora consilia revocati, vel expulsi, vel alias propositas pœnas subire coacti sunt ». Hæc Gabutius.

210. Joannes, Austriae dux, summus imperator præficitur classi contra Turcas dirigendæ. —

Prae cæteris tamen, quibus summam suam erga Venetam Rempublicam dilectionem testatam Pius voluit, illud certe fuit, immensum prope studium, quod hoc anno ei Turcarum tyrannide oppressæ, omni prope conatu auxilio esse contendit, sacro ei fœderi, innumeris laboribus perficiendo incumbens, quod præterito anno, inter se, Philippum Hispaniarum regem, ac eamdem rempublicam percuti curasse vidi-mus; ex quo totius Christiani orbis satus pendere censebatur. Illud vero tantum eidem penitus constabiliendo deesse videbatur, ut totius classis summus imperator deligeretur, qui communiter decreta pro imperio exequeretur; enique omnes, ipsique summi præfecti dielo audientes essent. Fœderatorum enim singuli jam propriæ classi ducem creaverant: nam Pontifex Mareum Antonium Columnam; Philippus rex Joannem Austriam fratrem nothum; Venetus senatus Hieronymum Zanem, suæ unicuique præfecerant. Ex his igitur unus erat eligendus (ut diximus), cui omnes obtemperarent, vel alter querendus, cui id muneris demandaretur, ad quod plures nominabantur, omnes fere Italiae principes. Contendebant magnopere Hispani, ut iis prætermisis, Joannes Austrius omnibus præponeretur, qui recentis Granatensis belli egregie confecti præ aliis gloria fulgeret: quodve sumnum gerendarum rerum arbitrium ei esse tribuendum contendebant, qui summam sumptuum partem præ cæteris ferret. Quod Veneti initio prorsus recusarunt; sed cum Pontifex eis ostendisset regii sanguinis dignitati id tribuendum, ac demons-trasset Joannem Austriam, sine maxima ipsius ac regis fratris injuria prætermitti non posse; tandem datum est hoc, et Philippi gratiæ, et regii generis altitudini, ut supremus imperator Austrius crearetur. Eum vero tam enixe Hispani petierant, non modo, ut in suum principem honorem hunc collatum viderent, sed etiam ut eidem jus esset, quem vellet sibi, legatum cum imperio substituendi, quoties a classe belloque ipsum abesse contigisset; cerebro siquidem Austriam, a classe abfuturum existimabant; ideoque, ut omnis rerum potestas penes se semper remaneret, ubi primum Austrio locum impetrarunt, mox secundum appetere ea ratione aggressi sunt, insignem contumeliam tanto principi, regisque fratri fieri contendentes, si suum locum, suumque munus, cui libuisset, mandandi potestas ei eriperetur. Sic enim non modo Andreæ Auria, vel Aloysio Requesentio navale imperium struebant, sed etiam Columnæ, quem non rectis oculis aspiciebant, dignitatem impedire moliebantur. Verum tum Pontifex, tum Veneti nimis ab Auria (quem, ut anno præterito vidimus, sibi iniquum, totque signis, animo ab ipsorum causa et consiliis alienum experti fuerant), abhorrebant; imo a quovis

¹ Matth. 15.

altero Hispano idipsum sibi metuebant; quod non sincero animo rem eos agere saepius dubitassent. Nihilominus de hoc senatus Venetus consultus, ne ipsem et consiliorum cursus retardare videretur, simulque, ne Philippum tam alieno tempore sibi irritaret, Hispanorum voluntati se cessurum simulavit; tamen, quia ea re Pontificis auctoritas minui videbatur, ipsumque sciret sui juris retinentissimum; quasi nihil id sua referret, rem totam ad Pium rejectit: « At Pontifex, (ut narrat Folieta¹; Illi vero (inquit), quod ad se attinet viderint; et quidem citius mortem oppetiero, quam ut quidquam de sancti hujus soffi jure, ac de Pontificia dignitate imminuam », aeresque ac vehementes per tabellarium magna celeritate continuo ad regem litteras dedit, quibus ostendit, summi imperii mandandi jus suum esse, qui dignitatis primas, summuinque in Christianis locum, non omnium populorum dumtaxat et principum concessu, sed ab ipso Omnipotente Deo sibi traditum fuisset; ideo aequum extitisse, ut qui Pontificiae classi praefectus constitutus a se fuisset, summum etiam in federatorum classe jus haberet; se tamen augusto generi Austrio, ac tanti imperatoris filio, tantique regis fratri eum honorem cessisse; quem nihilominus, si a classe rebusque gerendis abfuisse contigisset, se non passurn, ut legatus aliquis al illo nominaretur, aut res per legatum administrarentur; sed alium se summum ducem, in absentis locum suffectorum, quem jam tune nominare in animo haberet: hanc sibi omnino stare sententiam, oleumque ac operam amissurum affirmavit, si ab obfirmato hoc animi sui proposito, quis se abducere posse existimasset. Quae res, si minus sibi probala fuisset, tum penitus instituta omnia de societate consilia esse interpellanda.

211. His Pontificis acceptis litteris, rex piissimus cedendum illius voluntati ratus, statim suis mandavit, ne rem ultra morarentur, et ad Pium respondens, cuius esse fatebatur, vel legatum, vel summum ducem, vel quem magis liberet, creare: tres ei significavit, quos tanto muneri aptos judicabat; Aloysium, nempe Requesensium, et Andream Auriam, quorum paulo ante meminimus: ae demum (ut Pontificis ejusdem gratiam iniret), Mareum Antonium Columnam. Reddidit autem Pius Philippi obsequio gratiam, Austriumque fratrem, non modo classis ac navalium rerum, sed terrestrium quoque copiarum, ac totius belli imperatorem creavit; quo absente, eadem munia a Columna obeunda esse decrevit.

212. Inter principes vero Italos, qui summa Austrio collata praefectura, digni habitu sunt, tum generis nobilitate ac vetustate, tum opibus

ac finium amplitudine, lateque patente populo- rum imperio, Emmanuel Philibertus Sabaudie dux, caeteros facile anteibat: quem præterea, bellicarum rerum usu et scientia commendatum, Pontifex nominaverat. Veneti etiam haud aliud cupiebant. At periculose Sabaudus, a veteri sua ditione recenter recepta, eaque hominibus novarum sectarum sensibilis circumfusa, ac rebus nondum stabilitis, abtuturus erat. Sed, præter haec, Hispani prepotenti principi, et quotidie incrementa capienti, tantum armorum ac belli arbitrium, non dissimulanter, ut scribit Gratianus, committere negarunt.

213. *Columna a Pio ad regem Hispanie mittitur, ut obstantia fæderi dirimat.* — His transactis, omnia que ad fœdus pertinebant jam composita credebantur, cum ab Hispanis, ut narrat Gratianus, illa rursus controversia mota est, (quod Africam spectarent, ut non in Turcas solum, sed adversus omne Mahometanum nomen id fœdus percuteretur. « Negarunt cardinales, (quibus de his agendi negotium a Pio datum fuerat) aqua eos postulare: regem enim Persarum (prælati scriptoris¹ sunt verba), qui Mahometanus esset, non solum hostem judicari (quod eo capite fieret) non debere, sed etiam conandum esse omni studio, ut in eamdem armorum societatem traheretur. Et Veneti, nisi vis omnis belti in Turcas, atque in Græciam intenderetur, nihil sibi fœdere opus esse, aperte denuntiabant. Nec regii quidem minus præcise fœdus abnuebant si ea Tripolis, Tume- tum, Algerium Africae urbes non comprehenderebantur: negantes alter Hispanie populis, quorum maxime ope gerendum id bellum esset, fieri satis posse, simul illud quoque tentare consilium sunt aggressi, ut arma Turcis non inferrentur, quando iis pares esse ipsi non possent, sed vis tantum eorum arceretur. Id vero a Venetis perinde est acceptum, ac si manifesto deprehensæ insidia in se Hispanorum essent »). Haec Gratianus.

214. At cum anno præterito idem consilium ineundæ contra Mahometanos omnes societatis, propositum ab Hispanis fuisse narraverimus, ac rejectum; ad res denuo turbandas, quas (sublatis obstaculis, aliis, quibus fœdus impediare connixi erant, jam demum perfici metuebant), nunc illudeos denuo revocasse censendum est. Quapropter Pius, cum nullum altercandi finem fieri videret, Pompeium Columnam, spe- etatæ virum industrie nec bellicæ modo rei, sed civilium quoque actionum prudentem, cum litteris ac mandatis in Hispaniam misit, mandavitque, utrumrum statum Philippum doceret, ac verbis suis demonstraret, ipsi quidem Pontifici illius pietatem ac virtutem, præstansque in tam justa et piacea studium, quod nullis stimulis geret,

¹ De sac. Fœd. lib. 2. p. 79.

¹ De bell. Cypr. lib. 2. p. 114.

perspectum ac minime dubium esse : cæterum bonam istam mentem, nisi pares administratorum suorum sensus comitarentur, inutilem plane futuram. Proinde illis imperare ne gravaretur, ne controversias alias, ab aliis quotidie serendo, spem conceptam suam dintius frustrarentur, sed inanibus disputationibus et captiosis præcisis, inchoata consilia ad effectum perduci paterentur. Quod nisi ipse fecisset, ac nisi illi sedulo paruissent, instituta colloquia jam demum omnino dirimere æquius esset.

215. Quid ad hæc Philippus responderit, his verbis refert Folieta¹ : « Quantum ac quam incensum suum sit in pietatis et religionis causa studium, eum præteritæ vitæ perpetuum cursum, tum vero postremum hoc bellum Flandricum declarare, quo subjectos suos, religionis in primis causa, ab ipso dissidentes persequatur. Quod bellum magni et ancipitis eventus, omnia regna sua immanibus et continentibus impendiis exhauiat, quibus parcere potuerit, ac cum subjectis suis in gratia et charitate esse, illosque bene obedientes, ac provinciam pacatam et tranquillam pacem agentem habere, si paululum modo illis de Ecclesiæ disciplina remittere voluisset, atque aliquid in religionis cultu indulgere. Sed optare ut divinum numen vitam ipsam atque omnia sibi prius adimat, quam optimum hunc sensum, a majoribus suis traditum, quem usque ad extremum spiritum, vel omnibus regnis suis profundendis retenturus sit. Id bellum sese excusare potuisse, a nova se societate alligando, omnesque sibi æquis animis fuisse daturos, si tanto bello implicitus nova ac tanta sese mole onerare noluisset. Cæterum religionis studium omnibus respectibus præponderasse : hocque se pietatis suæ cumulatum munus, et divino numini, et Pontificis gratiæ, ac voluntati, qui hac in re in illo tantum videat, persoluturum, cuius Pontificis adhortationes divinorum monitorum sanctitatem apud se obtineant. Quod ne verbis tantummodo facere videatur, sese jam præter triremum, quæ præsto sit, magnam oneriarum ac corbitarum vim, multis ex locis corrogasse. Præterea deceem Germanorum millia, atque octo Hispanorum, totidemque Italorum, in usum hujus belli scribi jussisse : Joannemque fratrem quamprimum in Italianum missurum, imperaturumque, ut copiis acceptis, ac classibus sociorum conjunctis, in bello acriter atque impigre gerendo, nihil de summa contentione remittat. Quod procuratores sui inutilibus controversiis extrahere dicantur; id illos, præter voluntatem suam facere : litteras se igitur acries et vehementes ad illos daturum, enixeque imperaturum, ut a supervacuis abstinent, Pontificisque voluntati atque imperiis

obsequantur. Sed invitum se nonnulla subiectum : neque enim libenter se de alienis factis detrahere, aut alieno crimine lætari, sed rem ita cogere. Vereri se vehementer, ne tot labores ac tanta sollicitudo, inutiliter a sancto et pio Pontifice capiatur. Non enim se credere Venetos sincere ac eum fide de societate agere. In hanc se opinionem adducere, cum Venetorum ingenium, illorumque perpetuum ab armis tractandis, et bellis gerendis abhorrens : tum quod cognitum, sibi compertumque sit illos instituta colloquia de pace, nunquam diremisse ; eaque de causa nuntios inter ipsos et Turcam continenter commeare. Putare igitur se illos hac societatis quærendæ simulatione abuti, ad Tuream, metu hoc injecto, ad æquiores pacis conditiones adducendum. Cæterum quacumque tandem mente illi utantur, quam optet a Deo immortali illis et omnibus optimam dari ; aut quodcumque tandem sit illorum consilium, se partes suas cumulate impleturum, enixurumque, ut neque Christianus populus in se pīt regis, ac digni Catholici nomine a parentibus tradito, neque ipse Pontifex obsequentis filii animum unquam desideret ». Ista Philippus, ex Folieta.

216. Venetos cum Tureis de pace egisse eodem tempore, quo contra illos fœdus inire Pius tot conatibus satagebat, in confessu apud apud omnes est. Verum id dumtaxat illos curasse scribunt, cum novis cavillationibus, fœderis ejusdem leges abrumpere (ut mox dicetur) Hispani rursus tentarunt. Nihilominus cum Gratianus, Folieta aliique asserant, ut audisti, Philippum per Pompeium Columnam monuisse Pium, ut caveret, ne Veneti simulando de societate agere pacis interea consilia coquerent, fœderisque nomine ad æquiores conditiones impetrandas abuterentur, sibique compertum esse occultos inter ipsos Turcasque nuntios commeare; non abs re censendum videtur id ab eis prudenter factum, quod Hispanorum artibus obstrusum nimis fœderis negotium considerassent; ideoque ejusdem incerti fœderis præsidiis, ad tam periculosum bellum prosequendum, minime fidere, suæque Reipublicæ causam credere, nullatenus deberent. Quibus addas, quod licet Venetorum plurimi fœderis studio tenerentur, potior tamen ac sanior illorum pars, ac inter alios dux ipse Mocenigus ab eo abhorreret, ut inferius dicetur.

217. *Cavillationibus cardinalis Granvellani impulsu Veneti a fœdere declinant, et ad componeundam pacem cum Turcis attrahuntur.* — Et revera jam omnia inter fœderatos tandem conventa pactaque erant, cum Pontifex cum cornu—dem fœderatorum legatis, nonis Martiis, quo S. Thomæ Aquinatis solemnitas agebatur, in Ecclesiam S. Mariæ supra Minervam sese constituit, rem divinam factorus, et junctam inter se,

¹ Ibid. ut sup.

Philippum regem, ac Venetam rempublicam adversus Turcas societatem populo ac aliorum regum oratoribus, qui in Urbe morabantur, denuntiaturus. Ibidem igitur, antequam ad sacra prodiret, Hispanos Venetosque legatos vocari jussit, ut de more fœderis capita uniuscujusque chirographo consignarentur : cum ecce cardinalis Granvellanus scriptum edidit, quod non modo consiliorum effectum retardavit, sed contentionum et certaminum causas renovavit; eoque prope factum est, ut in re tanti moliminis exhausti labores, ad effectum perducenda, irrili omnes atque inanes evaderent. Scripti autem hanc fuisse summam scribit Folieta : « Quoniam hoc anno, que inter fœderatos convenerunt, comparari nullo modo omnia possunt, et tamen adversus Turcam communem hostem, summa omnia facienda et tentanda sunt, legati et procuratores celsissimi regis Philippi denuntiant, regem suum, non plus quam septuaginta triremes hoc anno paratas habiturum, eas omnibus rebus ornatas et instructas quamprimum, atque, ut longissimum ante exitum appetentis Maii daturum; cupereque regem, ut fœderati nihil de summa contentione remittant, in quanto maximo tritemum numero possunt comparando et inserviendo ; Venetique, qui alveorum et omnis navalis instrumenti amplissima navalia referta habent, usque ad eum numerum enitantur, ut triremes fœderatorum omnino sint ducentæ quinquaginta. Regem enim omnem hominum, remorum, bellicorum apparatus, armamentorum, commeatuum faciendam impensam, pro portione conventa sese subitulum; ac Venetis refectrum spondere, quem etiam facultatem facere remigii, quantum necesse fuerit, ex regnis et provinciis suis corrogandi cum eo, ut rex instruere ipse quoque nave suas posset ».

218. Illoc scripto, reque praeter omnium expectationem nova, Veneti oratores perculti, primo obstuvere, deinde tam perfidiosam ludiificationem execrantes, cum paululum successissent, tandem responderunt, nisi pactis conditionibus staretur, senatum sibi per litteras consulendum, ejusque mandata expectanda. Ab initio siquidem cœptæ rei, inter fœderandos decretum fuerat, ut dum de fœderis legibus ageretur, prepararentur perinde omnia ac si perfecta res esset, ne quid bello inde gerendo moram alterrel. Sed, præ aliis inopportunum illud scriptum Pontificis animum vehementer offendit, et (ut Gratianus scribit), maxime a Granvellano alienavit, quem ad omnia evertenda, veluti insidiatum publicæ causæ, gravissimis verbis objurgatum ab se repulit, quanquam omnia sibi voranda statuisset, ne salutaris negotii actio abrumperetur. Hinc Venetos oratores consolatus, ad senatum scribere suis verbis jussit, curæ sibi fore, ut fœde-

ris legibus satis a rege fieret.

219. At priusquam cætera prosequamur, insignem Thuan¹ lapsum præterire nullatenus debemus, qui scribit, reverso a Philippo rege ad Pontificem Pompeio Columna, eo, quem retulimus, responso; alias difficultates ineundæ societati, non quidem ab Hispanis, sed ab eodem Pio, qui negotium tantopere urgebat, excitata fuisse, ratione sumptus quem in bellum conferre ipse debuisset. At incaute ipse ab Huberto Folieta id accepisse cognoscitur, qui de hac quidem re agit, post relatum ex Hispania Columnæ redditum, sed nulla prope habita temporis ratione, quo ista agitata fuere: unde, quoad tempus ipsum, dum Pontifici notam inurere nittitur, Folieta² narrationi ipse perpetuaram addit, quod nullatenus ipse Folieta scripsit, ac veritati minime consentaneum fuisse manifeste deprehenditur, cum de his, anno polius præterito actum fuerit; licet hoc quoque, quæstioneum ipsam forte Hispani (non vero Pontifex, commoverint, utpote qui ad negotium, ut vidimus, turbandum, omnem prope occasionem aucupaverint).

220. At Veneti, ubi oratorum suorum litteras, eaque quæ Granvellanus egerat ac scripto ediderat, acceperunt; animum a belli consiliis ad paciscedum cum hoste converterunt, procuratorum Philippi tot, ut dicebant, iniquitatibus offensi. Nam ea factio, quæ a fœdere perpetuo abhorruerat ac paci studuerat, in qua, ut innuimus, erat dux ipse Aloysius Mocenigus, ac plerique ex senatoribus, qui aetate et sapientia antecellebant, quæque adversus alterius factionis animorum ardorem, aperte tendere antea ansa non fuerat; occasionem hanc arripiendam rata, labantes illius animos, quo vellet impellendi, palam contra fœdus vociferari ac de pace consiliis tandem aquiescedendum suadere cœpit. Eiusdem componendæ peropportuna facultas tunc forte oblata visa est. Marcus Antonius Barbarus legatus siquidem, post bellum indictum, cum Bizantii domi sua non arctissime custodiretur, Nicosiae ditione auditæ, locum aliquem agendi de pace quarebat; quod unam hanc rationem esse putaret, qua et proprie libertati, et Reipublicæ suæ incolumitati consuleretur. Per Salomonem igitur quemdam Judæum, medicinae scientia Mahumeto charum, qui ventilare ad se solebat, cum Mahumete ipso, de captivis permotandis agere cœpit, ac dum de his ageretur, simul de pace meutinam injicere Judæo jussit; a qua cum Mahumetem, non modo non abhorrese, sed etiam operam ac studium suum in eam rem collaturum audisset; scribam suum ea de causa Venetias mittere (ut sibi lieceret), ac una cum eo unum ex Turcicis interpretibus venire impretra-

¹ Thuan. Histor., lib. 49, p. 722. — ² Foliet. ut sup., p. 84.

verat. Ili igitur, tum forte Venetias appulerunt, patribusque litteras ac mandata Barbari reddidere, cum de Granvellani et Hispanorum inopinata recusatione eo anno praestandi, que ex fœdere debebant, allatum est. Itaque decemviri, cuius magistratus summa est in civitate potestas, re cum senatu, quo occultior esset, non communicata, certum hominem ea de causa Constantinopolim mittere decreverunt; idoneusque rei bene gerendæ visus est eis Jacobus Ragazzionus, vir impiger atque ingenio promptus, quiue rerum Ottomanicarum magnum usum habebat. Cui idecireo, praeter ea, que palam de senatus sententia data fuerunt ad captivos permulundos, ocellis etiam instruxere mandatis in eas conditiones, quæ ipsi, et Barbaro magis e Reipublicæ et e fide corum visæ fuissent pacis conficiendie.

221. *His edictus Pontifex Venetias mittit Columnum qui persuadeat senatui ut fœdus accipiat.* — Hinc tamen inchoati fœderis colloquia minime omittenda censuere, sed mutandam tantum consiliorum rationem existimarentur. Unde cum Romæ quotidie, Pio urgente, conveniretur, Veneti oratores (ut sibi mandatum a supremo illo magistratu fuerat), nil aliud quam ad rem extrahendam multa opponere studebant, moras nectere, ac varia causari, quibus rei exitus, non quidem penitus præcluderetur, sed distraheretur. At Pontifex animo angi, ac Christianorum cæcitatem lamentari, qui privatuarum rerum respectu, Christiani nominis communem causam prodere minime vererentur, quiue viribus conjunctis, longe illis superiores futuri: separatis consiliis, singuli impiissimo tyranno, se conficiendos delendosque præberent. Nec eum latuit Ragazzoni legatio, imo illa, tum ejus sollicitudinem, tum suspicionem auxit, ne id, quod res erat, captivorum simulatione, pacis consilia a Venetis agitarentur. Ut autem erat animo excelsus, innumeris his difficultatibus minime fractus, ut cunctandi Venetis omnem prope viam præcideret, optimum factu judicavit, virum aliquem, genere, fide et auctoritate præstantem, reipublicæque acceptum, ad eos mittere, cum summa rerum potestate, ut præsens difficultates omnes dilueret, in quibus singulis transgendas et expediendas, frustra usque modo tempus tritum fuerat; visusque est in primis obeundo huic muneri aptus Marcus Antonius Columna, in quem proxime post Joannem Austrum Pium ipsum sumimum totius sacri fœderis imperium contulisse narravimus. Consilii hujus ac legationis, Pontifici cardinalem Commendonum auctorem fuisse. Gratianus scribil. Reperimus autem in Vaticano Archivo¹ fidei litteras, quas duci ac Veneto senatui porri-

gendas Columnæ tradidit, quas hic damus:

« Dilecto filio, nobili viro, Aloysio Mocenigo, Duci Venetiarum.

PIUS PP. V.

« Dilecte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Mandavimus huic dilecto filio, nobili viro, Marco Antonio Columnæ, qui nobilitati tuae has litteras reddet, ut quædam illi, inelytoque islius Reipublicæ senatui exponat, super fœdere, de quo a nobis, atque ab hac sancta Sede Apostolica, cum charissimo in Christo filio nostro Hispaniarum rege Catholicæ, et nobilitate tua, adversus communes Christiani nominis hostes Turcas ineundo, jamdiu actum est. Quocirca, a nobilitate tua vehementer petimus, ut illi super hoc ipso negotio perinde fidem habeat, ac si præsentes tecum loqueremur. Id erit nobis gratissimum. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die sexta Aprilis MDLXXI, Pontificat. nostri anno sexto ».

222. Columna igitur, cum his litteris ab Urbe profectus, cum per dispositos equos celeriter Venetias pervenisset, adissetque senatum, quæ in mandatis habebat exposuit. Ejus vero oratio (inquit Gratianus¹), nihil speciosi, ad eloquentiae ostentationem ab inani verborum apparatu habuit; sed naturali facundia de rebus ipsis ex usu disserendo, quæque in rem essent pollicendo, movere senatus voluntalem sluduit. Ante omnia Pii egregiam mentem, ardore inque ad id bellum, et ad rem Venetam tegendam, verissime prædicavit: hunc intueri Venetos debere, qui et auctoritate perducere ad aqua Hispanos et retrectantes præclare ulcisci; sed et eos in Ponlificis Maximi potestate futuros, et illum, quo magis sibi obnoxios beneficio faceret, quæ ad eam diem regis accuratissimis precibus pernegasset, de pecuniarum exactiñibus ex Hispaniae sacerdotiis; ea omnia in Venetorum gratiam, hujus belli causa concessurum; ipsum vero, Romanæ Ecclesiæ facultates hue omnes collaturum, pecunia, militibus, commeatu, et quibuscumque rebus posset, rem Venetam ajuturum. E Piceno et Flaminia frumenta exportari Venetias passurum: eorum præfectis, educendi e Romanis provinceis conductos pretio milites, quot vellent, potestatem facturum; et in præsentia, sua pecunia conscripta tria millia peditum, in Dalmatiam missurum, quibus, donec classes in Græciam convenissent, ad tuendos Reipublicæ fines, Veneti uterentur. Quinas decimas, quas postulassent, conferre eis sacerdoles Venete dilionis jussurum; nulla denique eis re, nullo officio virum ardentem Christianæ pietatis studio defuturum, cui insigne communis omnium parentis no-

¹ Ex Archiv. Vatic. ut supra.

¹ Gratian. ut sup. p. 119.

men, non magis ex fastigio honoris, quam ex animo in Rempublicam vere paterno, debetur. Ad haec omnem daturum operam, ut in eamdem federis societatem, Cæsarem quoque, Germanosque, et equitatu validam Polonorum gentem, et alias item reges adduceret, legatis ad id amplissimis viris, e cardinalium collegio missis. Ad haec alia plura adjecisse Columnam, idem Gratianus scribit; quibus in primis Venetorum animos in Hispanos sibi infensos ae exuleeratos leniret, et demum ad amplectendum foedus provocaret.

223. Quod vero, inter alia Venetae Reipublicæ prefectis pollicitus sit Columna, Pontificem potestate facturum, quot vellent, conductos milites e Romanis provinciis educendi, id ab eo dictum scire operæ pretium est, quod jampridem Pius, e suis ditionibus quemquam exterorum principum militiae nomen dare, gravi edicto prohibuisset. Cujus rei causam, his verbis prodit Maurocenus¹: « Galliarum regis parentem imperio, ac beneficiarium quemdam, religionis causa careeri Pius mancipaverat; neque, per nobilem e suis Romanum missum, ejus liberationem petenti, obsequi voluerat; quibus acciderat, ut ne quidpiam in se hostile reges (nempe Maximilianus Caesar, quem Pio iratum, ob collatam in Cosmum Medicæum Magni Hetruriæ Dueis dignitatem, et Carolus Francorum rex) molirentur veritus; e suis ditionibus neminem, in aliorum principum militiam adscribi, edicto veluisset ». Et haud multo post, frustra a Venetis oratoribus in hoc tentatum Pontificis animum referens, scriptor² idem subjungit: « His de causis, nihil de militum delectu in Pontificibus ditionibus habendo impetrari poterat, atque severa adeo edicta Pius pronuntiari jussarat, ut prefectos quosdam, qui facultate non impetrata, Reipublicæ nomine milites conscriperant, in vincula tradi præciperet: Agesilaumque Monaldescium, exilio ac bonorum publicatione mulcatum, ægre a senatu saepius rogatus, revocaverit, etc. ». Beneficiarium autem Galliarum regis, religionis causa careeri a Pio mancipatum, haud alium extitisse arbitramur, quam Galeatum Sanseverinum, pro quo inani studio Carolum regem, intercessisse supra narravimus. Ad componenda vero dissidia, allatis de causis, Pontificem inter ac praefatos principes, Venetos sui senatus scribam Joannem Formentium Romanum ad Pontificem misisse, scribit Bzovius³, additque Pium respondisse: ea sibi curae fore, quæ, vel ex Cosmi titulis, vel ex justa haeretici castigatione, Veneti ipsi ex vano metuerent; ideo sibi illa relinquenter. At Maurocenus, decretam quidem a senatu Formentii

legationem asserit, sed biduo post revocationem scribit, mandatunque oratoribus, qui Romam essent, ut officio, quod apud Pontificem Formentius obire debuisset, ipsi perfungerentur.

Sublata igitur severa ea in Ecclesiastica ditione conscribendi milites prohibitione, Pontificis nomine, aliisque pluribus, quæ ad rem egregie pronuntiavit Columna, in societatis sententiam Venetorum animos pertrahere coninxus est. Cum autem aincipiti deliberatione ipsi distraherentur, et totos dies consultando, nihil explicantes fatigarentur, Paulus Thempolis, unus e decemviris, cui non probabatur summum civitatis consilium de re tanta celari, ac de eo, in quo reipublicæ summa verteretur, non consuli, auctor fuit collegis, de pace belloque referendi ad senatum, ejusque judicio utendi. Ex quo factum (ut fusius Maurocenus, Gratianus, aliique harum rerum scriptores narrant) ut tandem omnium suffragiis, rejecta pace, Columnaque in curiam accito, coram eo decreatum initæ societatis recitatum fuerit; et princeps (quod Pio sociisque, ac Christianæ reipublicæ feliciter verteret), foedus senatum accipere remuntiaverit. Collaudatis autem Patribus, Columna ipse, atque affirmatis, quæ prius Pii nomine pollicitus fuerat, eadem qua Roma Venetas venerat celeritate, Venetiis in Urbem se contulit.

224. Non defuisse (scribit Gabutius⁴) qui objicerent Pio, cum de Columna ad Venetos mittendo cogilaret, nequaquam dignitate Pontificia factum videri, abs se aliquem ea de re illuc mitti: quibus, tanto Pontifice dignum hoc ipse reddidisse responsum subjungit: « Se pro communi Christianæ rei beneficio, indigna quæque perpeti velle, atque extrema virium experiri. Quod si Veneti sua explicare consilia noluissent, sacrallissimum Christi Sanguinem pro iis, quos Turea jam captivos tenebat, effusum, de illis penas repetitum ».

225. In consistorio solemniter foedus percuntitur: hujus foederis conditiones. — Veneto igitur decreto laetus Pontifex, cum jam obsignando foederi nil amplius obsistere cognosceret. Consistorium habuit, de quo ista in suo Diario Firmanus⁵: « Die Veneris, vigesima quinta Maii, Sanctissimus tenuit secretum consistorium, quod, auditis cardinalibus, statim fuit clausum. Sub ejusdem finem nos ceremoniarum clerici, oratores regis Catholicæ, et Venetorum, qui duo erant, ad consistorium perduximus, eosque in secessorum hiato, coram Pontifice genuflectere jussimus, hoc modo: videlicet, Hispano oratore a dextris, a sinistris vero Venetis oratoribus genuflectentibus. Reverendissimus cardinalis Paceccus, regis Catholicæ

¹ Mauroc. Histor. Venet. — ² Ibid. ut sup. — ³ Bzova Ann. sub hoc an.

⁴ Gabut. Vit. Pii, lib. 4, cap. 3, pag. 135. — ⁵ Ex Diar. Firman. an. 1571, pag. 159.

procurator, capite detecto in loco suo stetit. Datarius similiter sletit prope solium sive sedem Pontificis. A sinistris, gubernator Urbis, auditor Cameræ Domini nostri, de Torres clericus Cameræ, et multi familiares Suae Sanctitatis, aliquæ nobiles steterunt retro scaenam cardinalium diaconorum. Tunc datarius legere ceperit instrumentum Ligæ, et paulo post SSimus dominus noster jussit Rmo Paceo, ut sederet, prout fecit, semper tamen capite detecto, et omnibus aliis praedictis, ut starent, uti fecerunt. SSimus Dmns noster, pro observatione contentorum in Instrumento Ligæ, juravit tacto pectore; idem fecit Rmns Paceus. Ad instantiam datarii vero, juraverunt tactis sacrosanctis Evangelij in libro meo juramentorum. Testes fuere gubernator Urbis, auditor Cameræ, clericus Cameræ de Torres, praefectus cubiculari Suae Sanctitatis, D. Florentius de Auximo cubicularius secretus, et nos clerici ceremoniarum. Et haec omnia Datarius publicis tabulis commendavit. Ista Firmanus.

226. At lusiora de hoc per celebri Consistorio, ex praedicto cardinalis S. Severinæ Diario, prout in eo jacent, dare non pugnat:

« Die xxv Maii, feria sexta MDLXXI.

« Fuit Consistorium in Sala Magna de more aestivi temporis, in quo SSimus D. noster egit, et dixit de fœdere, divina gratia concluso, inter charissimum ejus finum regem Catholicum, et illustrissimum Dominium Venetum, et Sanctitatem Suanam: et quod desperat sunt conficiendie debitæ cautelæ, atque instrumenta, et obligationes honorum; cumque ipse nulla habeat bona, nisi quæ Ecclesiæ oportet illas facere, de consensu et consilio venerabilium fratrum; sperans et rogans Deum, ut per hoc fœdus ineundum, communis hostis immanissimus Turcarum tyrannus reprimatur, cuius potentia et crudelitate, regna atque provinciæ invasa et capita sunt atque direpta, fideles occisi vel in captivitatem adducti, Ecclesiæ destructæ, etc. Et quia principaliter intendunt everttere religionem Christianam. Et quia relictus est locus aliis regibus, et principibus, intendit mittere legatos ad regem Romanorum, electum imperatorem, ad Christianissimum regem Galliarum, et regem Poloniæ, aliosque reges, invitatus eos, contra communem, et Christiani nominis hostem. Et quanvis a seipsis id facere deberent, nihilominus ipse vult eos horrari, rogare, et obsecrare, et invitare, opportune et importune, atque etiam præcipere. Quod si ipsi convenienter in commune bonum Christianæ Reipublicæ, bene quidem; sin autem minime, Sanctitas Sua erit excusata omni populo Christiano, quod fecerit quod ad se spectaverit. De personis autem mittendis, tractabit in alio consistorio, et alia multa in hanc sententiam dixit, quæ non audivi, rogans patres, si placaret,

« Cardinalis Tridentinus, episcopus Portuensis cum esset caput Ordinis sui, laudabil propositum Sanctitatis Suae, atque mirifice commendavit labores, pietatem et prudentiam Suae Sanctitatis, in conficiendo hoc opere; atque sibi placere conclusionem et stipulationem, necnon missionem legatorum ad reges, et alios etiam principes Christianos inferiores, et præserium Italiae, qui essent invitandi; imo censuit mittendum esse etiam ad principes rebelles, et inobedientes hujus Sanctæ Sedis, id est, haereticos, ut quaque via invitarentur ad pacem, atque concordiam, et alia multa dixit, quæ non audiui, et gratias agendas esse Deo, pro tanta gratia.

« Cardinalis Augustanus probavit sententiam Sanctitatis Suae, et gratias egit; sed verba non fuerunt ab omnibus auditæ, et de Deo gratiis reddendis.

« Cardinalis Farnesius probavit obligacionem bonorum, et missionem legatorum; sed ad principes tantum Christianos, laudans et gratias agens: asserens rogandum esse Deum pro diuturna Suae Sanctitatis incolumitate atque felicitate.

« Cardinalis Pisarum gratias egit, laudans Sanctitatem suam de laboribus et patientia propter ea susceptis, et probans sententiam suam, et Deo gratias esse agendas. Sic et cardinalis Sabellus, et Cornelius paucis verbis.

« Cardinalis Paceus in idem, de gratiarum actione et oratione pro salute papæ; et probavit sententiam.

« Cardinalis Amilius in idem, sumens thema ex Apostolo: *Omnis anima subditæ sit potestatibus: et qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.*

« Cardinalis Gambara similiter omnia collaudavit atque probavit: sed quod legati mittantur ad reges, sed ad alios principes alii prælati.

« Cardinalis Gesualdus submurmuravit nescio quæ, sub lingua, quæ non..... quod credo idem.

« Cardinalis Sermoneta in idem probans stipulationem, et missionem legatorum.

« Cardinalis de Aragona similiter sub lingua nescio quæ murmuravit: credo in idem.

« Cardinalis Columna in idem; laudans Summi Pontificis diligentiam, prudentialm, et probans, etc.

« Cardinalis S. Crucis plura in idem, probans omnia.

« Cardinalis Ursinus quædam, in idem probans.

« Cardinalis Cribellus pauca quædam in laudem papæ, et approbationem propositorum.

« Cardinalis Lomellinus aliqua, in idem similiter.

« Cardinalis Sirletus plura alia in eam sen-

tentiam, et de missione legatorum, et de omni conatu adhibendo in conjugendis istis principibus, et in eis invitandis, precibus, obsecrationibus et praecepsis, atque poenis; ut saltem sit excusationi omni populo Christiano, ut Sua Sanctitas dixerat.

« Cardinalis Alexandrinus, et Aleciatus quædam pauca in idem.

« Cardinalis Maffiæns laudavit Summi Pontificis industriam in conficiendo hoc opere, et probavit omnia.

« Cardinalis ab Ecclesia dixit simpliciter: Omnia mihi placent.

« Cardinalis Cervantes dixit, placere sibi omnia dieta a Sanctitate Sua, veluti angelico ore proposita.

« Cardinalis S. Severinæ dixit: Placet confatio Instrumentorum tam sanctissimi fœderis; placeat etiam consilium, de legalis mitten-
dis; sed juxta distinctionem Rui domini mei cardinalis de Gambara, ut legati ad reges, inferioris vero gradus persona, velut prælati, ad alios principes. Cæterum summae et immor-
tales gratiæ habendæ sunt Deo et Sanctitati Vestrae, quæ pro singulari sua providentia atque sollicitudine, et prudentia, opus tamdiu ab universa Republica Christiana exoptalissi-
mum, confecit.

« Cardinalis Cæsius laudavit Sanctitatem Suam in suscepto hoc opere, et commendans de laboribus patientia, et probavit omnia.

« Cardinalis Rambovillieetus dixit sibi pla-
cere omnia.

« Cardinalis Theanensis dixit: Placent om-
nia; sed quod legati mittantur ad hæreticos.

« Cardinalis Montaltus idem; sed quod non mittantur legati ad hæreticos, propter anathema, ac involvantur Catholici peccato eorum, et irascatur eis Deus; ut Josue iratus est, propter anathema Achab.

« Cardinalis Piacentinus probavit omnia, commendans Sanctitatis Sue pietatem atque prudentiam.

« Cardinalis Aldobrandinus idem; testans se scire Sue Sanctitatis zelum, atque pietatem, et optimam mentem.

« Cardinalis Justinianus in idem pauca, sugerens esse mittendum ad regem Porlu-
galliae, de quo non est facta mentio. Sed Sancti-
tas Sua dixit, in primis ad eum mittendum esse.

« Cardinalis Rusticuccius facite omnia.

« Cardinalis Albanus plura in idem, et Sue Sanctitatis commendationem.

« Cardinales de Medicis et Acquaviva, dia-
coni, facite omnia.

« Tunc SSmus Dnus noster egit de pla-
cando Deo, et de cura adhibenda, ut illum pro-
pitium habeamus, et de agnoscendis nostris
peccatis et culpis atque criminibus, et de vita et

morum emendatione, ut Eccl. 3, 1. 2. pro-
pitum habere mereamur; ut praesertim de
proposito bene vivendi, et descendendi malam
vitam, et de convertendis erratis in bona et pi-
opera, in orationes et penitentiam, et deplo-
randis excessibus, et divino auxilio implorando
contra sui nominis hostem, qui ex nostris
peccatis et culpis est effectus potentior; non
solum ut alias anno præterito ordinavit fieri in
Ecclesiis Urbis, et a nobis ut rogetur Deus pro
praesentibus necessitatibus, sed etiam ut spe-
cialiter nunc ad eum conversi recurramus, ut
non solum non potiamur fructu hujusmodi
federis, sed etiam percamus, et perdamus
reliqua, ab immanissimis hostibus superati.
Unde horfatus est cardinales, ad emendationem
vitæ, ad sanctos mores instituendos, ad pia
opera prosequenda, ad alios bonum exemplum
dandum, et ad attrahendum et alliciendum, et
monendum familiares nostros, servitores et
alios ad penitentiam, et ad deploranda peccata,
et ad implorandum divinum auxilium, precibus,
lacrymis, confessionibus, usu sacramentorum,
et aliis pietatis operibus, et fusius in haec lo-
cutor est.

« Tum (inquit) ut Deo de concluso fœdere
gratias agamus, et ut effectum ipsius, et execu-
tionem tribuat, rogemus ejus divinam bonita-
tem. Die Dominicæ erit cappella in S. Petro,
ubi celebrabitur Missa. Die Lunæ erit processio
ad S. Spiritum, ubi etiam Missa celebrabitur.
Die Mercurii erit processio ad S. Jacobum
Hispanorum, veluti qui fuerit patronus et pro-
tector adversus hujusmodi infideles et Mahu-
melanos Christianis sæpius. Die vero Ve-
neris a Minerva ad S. Marcum protectorem
Venetorum; et cardinales possunt convenire in
S. Maria supra Minervam, et hoc dierum or-
dine: nam Sabatho sequenti, cum sit Vigilia
Pentecostes, cleris esset impeditus propter
Fontium benedictionem, et alia, etc. Et dabitur
Jubilæum, et plenaria etiam plenissima Indul-
genzia, et facultas absolvendi ab omnibus easi-
bus, et commutandi vota, religionis dumtaxat
exceptis, de more, etc. Bemum pulsato tintin-
nabulo, accesserunt magistri cærimoniarum,
venit datarius stipulaturus instrumentum fœde-
ris, ingressi sunt auditor camere patriarcha
Alexandrinus, et gubernator Urbis Mons Valens,
et quidam alii, ac familiares Sanctissimi, ejus
nepotes, Hieronymus et Michael; Prosper Co-
lumna, duo magistri camere, et cubicularii
secreti, et assistentes, et Cæsar Glorierius se-
cretarius Apostolicus.

« Intromissi autem sunt DD. Joannes de
Zuniga orator regis Catholici, cum Antonio
Barba secretario legationis, et ambo oratores
Veneti cum eorum secretariis, et filio Senioris
Senatoris, ac nobili Veneto canonico Paduano.
Quibus genitlexis ante Sanctissimum, ex

adverso datarius cepit legere proemium, et loco Pii Quinti, dixit Pii Quarti, et de anno Pontificatus, etc.

« Tunc fecit Sanctissimus eos surgere, et secuta est stipulatio, altero secretario Veneto copiam aliam habente, et secreto legente. Sanctissimo Domino Nostro jurante in pectore, cardinali Paceco, uti regis procuratore itidem faciente; et, tactis Scripturis, oratore regio et oratoribus Venetis jurantibus, in manibus magistri Ceremoniarum. Sed ego curavi, ut jura rent in manibus suis, prout postea fecerunt, lectis mandatis. Deinde lecta sunt mandata, instantibus cardinalibus Cesi et Aldobrandino; nam aliqui pro fectis haberri votebant.

« Quibus completis, atque rogatis testibus, praedicti cardinales Paceus et oratores osculati sunt pedes Sanctissimi respective.

« Et dimissum est Consistorium quod duravit per tres horas ». Sic ibi.

227. At jam in medium producatur, ex ipsomet Vaticano Autographo¹ acceptum tanti federis Instrumentum :

« Invocato Dei Omnipotentis nomine, Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen.

« Anno ab ejusdem Domini nostri Iesu Christi Nativitate millesimo quingentesimo septuagesimo primo; Pontificatus vero beatissimi in Christo patris et domini nostri D. Pii divina providentia Papæ Quinti, anno sexto; die vero xxv mensis Maii Romæ in Palatio Apostolico, in aula residentiæ sacri Consistorii ejusdem Sanctissimi D. N. papæ, ac reverendissimorum DD. S. R. E. cardinalium infrascriptorum ibidem presentium atque adsistentium, quorum nomina sunt, videlicet: Christophorus episcopus Portuensis, Tridentinus nuncupatus. Olio episcopus Prænestinus, Augustanus nuncupatus. Alexander episcopus Tusculanensis, Farnesius nuncupatus, S. R. E. vicecancellarius. Scipio tit. S. Mariae in Transtiberim presbyter, de Pisis nuncupatus. Jacobus S. Mariae in Cosmedin presbyter, de Sabellis nuncupatus. Aloysius tit. S. Marci presbyter. Cornelius nuncupatus. S. R. E. camerarius. Franciscus tit. S. Crucis in Jerusalem presbyter, Paceus nuncupatus. Marcus Antonius tit. S. Marcelli presbyter, Amulius nuncupatus. Joannes Franciscus tit. S. Priscae presbyter, de Gambara nuncupatus. Alphonsus tit. S. Cæciliae presbyter, Gesualdus nuncupatus. Nicolaus tit. S. Eustachii presbyter, de Sermone neta nuncupatus. Innius tituli S. Laurentii in Lueina presbyter, de Arragona nuncupatus. Marcus Antonius tit. SS. XII Apostolorum presbyter, de Columna nuncupatus. Prosper tit. S. Mariae Angetorum presbyter, de S. Cruce nuncupatus. Flavius tit. SS. Petri et Marcellini presbyter, de Ursinis nuncupatus. Alexander tit. S. Mariae in

Aracæli presbyt., de Cribellis nuncupat. Guilielmus tit. S. Laurentii in Pane et Perna presbyt., Sirletus nuncupat., Fr. Michael tit. S. Mariae supra Minervam presbyter., Alexandrinus nuncupat. Franciscus titul. S. Mariae in Porticu presbyt., Ateiatus nuncupat. Joannes Paulus tit. S. Panerati presbyt., de Ecclesia nuncupat. Marcus Antonius tit. S. Callisti presbyt. Maffaeus nuncupat. Gaspar tit. S. Martini in Montibus presbyter, Cervantes nuncupat. Julius Antonius tit. S. Bartholomæi in Insula presbyt., Sancta-Severinæ nuncupat. Petrus Donalus tit. S. Vitalis presbyter, Cesius nuncupat. Carolus tit. S. Eupheniæ presbyt., Rambovilliettus nuncupat. Fr. Archangelus tit. Sancti Cæsarii presbyt., Theanensis nuncupatus. Frat. Felix tit. Sancti Hieronymi Illiricorum presbyter, de Monte Alto nuncupat. Paulus tit. S. Pudentianæ presbyt., Placentinus nuncupat. Joannes tit. S. Simeonis presbyter., Aldobrandinus nuncupat. Fr. Vincentius tituli S. Hieronymi inter Imagines, presbyt., Justinianus nuncupatus. Hieronymus tit. Sanctæ-Susannæ presbyt., Rusticenius nuncupat. Jo. Hieronymus tit. S. Joannis ante Portam Latinam presbyt., Albanus nuncupat. Ferdinandus Sanctæ-Mariæ in Dominica diaconus, de Mediceis nuncupat. Julius tit. S. Theodori diaconus, de Aquaviva nuncupatus.

« Cum idem SSmus D. noster, accepto nuntio, quod inmanissimus Turcarum tyranus, magno belli apparatu, Cypram insulam, omnibus locis Christianæ ditioni subjectis, Terræ-Sanctæ, in qua Dominus noster Jesus Christus natus, passus et mortuus est, propinquorem, barbara quadam immanitate invadere minaretur: juxta Ezechielis propheta vocem, venientem gladium annuntians populo, principesque Christianos ad resistendum communibus hostibus, communī consilio atque ope excitare studuisse: ob eamque causam serenissimo Philippo Catholico regi, illustrissimo duci, senatuique Veneto auctor fuisset, ut secum, pro reipublica Christianæ defensione, ac ejusdem sævissimæ Turcarum gentis offensione fœdus inirent; utrosque ad hoc hortatus, tum ex eo quod uteque Omnipotenti Deo fideique Christianæ ac religione Christianæ deberet; tum etiam gravissimi communisque periculi et utilitatis nomine. Cumque præfatus serenissimus rex Catholicus, majorum suorum inelytæ memoriae regum vestigiis insistens, et a veteri suo erga commune Christianæ religionis bonum studio, prompte admodum ad reverendissimos DD. cardinalem Antonium Granvellanum nuncupat., et Franciscum cardinalem Paceum, et illustrissimum D. Jo. de Zuniga, suum apud illius Sanitätatem oratorem mandatum misisset, quo eis, vel altero eorum legitime impedito, duobus ex eis, de eo ipso fœdere agendi, illudque concludendi potesta-

¹ Ex Autog. Vatic. Arch.

tem fecit. Similiterque idem illustrissimus dux ac senatus Venetus, de reipublicæ Christianæ salute ac dignitate, in maximum discriumen adductæ, pro antiqua eorum erga Deum Omnipotenter pietate solliciti, ejusdem fœderis tractandi, concludendique mandatum, illustribus equitibus Michaeli Suriano, et Joanni Superantio, suis apud eamdem Sanctitatem oratoribus misissent. Cumque per aliquot dies ea de re actum esset, inter Sanctitatem Suam, et ab ea deputatos et præfatos dominos procuratores et oratores; tandem, juvante potissimum Omnipotentis Dei auxilio, ad hanc conclusionem et conventionem deventum est; hoc est, quod prædictus serenissimus rex Catholicus, per eosdem dominos procuratores; vide licet, Ruum dominum Franciscum Pacecum cardinalem, et illustrissimum D. Joannem de Zuniga, absente in regno Neapolitano illustrissimo D. Antonio cardinale Granvellano; ipsius ac successorum suorum nomine contrahentes, seque obligantes, et ad maiorem firmitatem, ac sine præjudicio præsentis puræ stipulationis et obligationis, ejusque executionis, pro eo promittentes, illum pro se successoribusque suis: omnia quæ in præsenti Instrumento continentur, infra tempus qualuor mensium rala habiturum; et publicum ratihabitionis Instrumentum, cæteris confœderatis traditum. Et præfatus illustrissimus dux, senatusque Venetus, per eosdem clarissimos oratores, procuratoresque suos, ejusdem illi ducis et senatus, successorumque suorum, ac reipublicæ nomine contrahentes, seque obligantes, pro quibus similiter promittunt eos, euncta, quæ hoc Instrumento continentur, infra idem tempus, rata habituros, et publicum ratihabitionis Instrumentum, cæteris confœderatis tradituros; virtute diclorum suorum mandatorum, quæ ibidem in publica et authentica forma, in manu mei datarii ab eis exhibila, et eoram eodem Sanelissimo domino nostro, ibidem lecta fuerunt; quorumque tenores inferius inserentur una cum sanelissimo D. nostro Pio divina providentia papa Quinto præsente et assidente, volente et consentiente, sacro reverendissimorum dominorum S. R. E. cardinalium collegio, nomine Sedis Apostolice successorumque contrahente: ad gloriam sanctissimæ et individuæ Trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti, et ad ejus sanctæ fidei Catholicæ exaltationem, tale inter se fœdus inierunt, eo modo, iisque conditionibus, quæ infraseriplis capitulis continentur:

228. « I. Et primo, quod hujusmodi fœdus, quod ad ejusdem Turcarum immanissimæ gentis vires, Deo Omnipotente adjutore, destruendas, prædicti contrahentes inter eos initum esse voluerunt, sit perpetuum, et non solum ad ipsorum contrahendum, et eorum qui eidem

conventioni ac fœderi adhaerebunt Statuum dominiorumque, ab eadem Turcarum gente defensione: etiam ad ipsius gentis, ab omni terræ marisque parte offensionem atque invasionem, Algerio, Tuneto et Tripoli etiam comprehensis.

« II. Ad ejus autem fœderis exceptionem et observationem, inter eos convenit, ut copiae tam maritimæ quam terrestres, quibus in hac expeditione utendum sit, ducentis triremibus, centum onerariis navibus, pedibus Italos et Hispanos et Alemannis quinquaginta millibus, equitibus levis armaturæ, quatuor millibus et quingentis constant, et constare debeant; adjuncto idoneo bellicorum tormentorum numero, una cum munitionibus reliquisque rebus necessariis: utque singulis annis mense Martii, vel ad summum Aprilis, in mari Orientali prædictæ copiae omnes comparatae, coactæque omnino inveniantur: quibus copiis carum duces, ad ea, quæ illi, pro occasionum temporumque ratione expedire magis videbuntur, utantur, ad communis hostis majus damnum et detrimentum, vel ad maiorem contederorum principum et reipublicæ Christianæ utilitatem. Quoniam autem fieri posset, ut dum expeditio adversus aliqua hostis loca instituetur, aliunde Turca suas vires, contra aliqua contederorum loca mittat; teneantur duces hoc easu, vel de copiarum parle necessaria defensione eorum locorum providere; vel etiam, si opus fuerit, relicta expeditione, vires omnes convertere ad ea loca defendenda, quæ a copiis Tureicis invaderentur.

« III. Teneantur autem principes confœderati, per suos oratores, Romæ cum Summo Pontifice, singulis annis, Autumnali tempore statuere, de expeditione sequenti anno suscipienda, et de copiis sequenti Vere comparandis, majoribus vel minoribus, vel de eo, quod pro statu rerum agendarum videbitur.

« IV. Super communem vero impensarum faciendarum collationem, inter eosdem fœderatos, ita convenit; quod prædictus sanctissimus D. noster, et sanctæ Apostolice Sedis nomine, una cum reverendissimorum DD. cardinalium consilio et assensu, pollicetur in hanc ipsam expeditiōnem, tam defensionis quam offensionis causa suscipiendam, duodecim triremes, omnibus rebus necessariis instructas, ut inferius dicetur, conferre; adjunctis pro sua portione terrestrium copiarum tribus millibus, equitibus ducentis septuaginta.

« V. Præfati vero procuratores et oratores serenissimi regis Catholicæ, majestatis suæ suorumque successorum nomine promiserunt, illum totius impensæ in eamdem expeditiōnem faciendæ, tres sextas partes collaturum. Oratores vero reipublicæ Venetæ, qui supra nominati sunt, illustrissimi ducis, senatusque Veneti, ac

successorum, et Reipublicæ nomine, promiserunt eos totius prædictæ impensæ, duas sextas partes collaturos.

« VI. Præterea iidem prædictorum regis et Venetorum procuratores, eorumdem principum suorum, ut supra, nomine, promittunt se alterius sextæ partis impensæ, cui conferende Apostolica Sedes in fœdere anni mcccxxvii obligata erat; residuum illud esse collaturos, quod, sanctissimus dominus noster et Sedes Apostolica supra propriam collationem supra positam conferre non potest; ita videlicet, ut eo residue in quinque partes diviso, serenissimus rex Catholicus partes tres, Venetorum Respublica duas solvere teneantur: hoc modo, videlicet, quod prædictis duabus partibus Respublica viginti quatuor triremes, omnibus rebus necessariis instructas contribuet, ea conditione, ut si hoc ad integras illas duas partes impletandas non sufficerit, teneantur id, quod defuerit supplere: si vero superaverit ipsis, a prædicto serenissimo rege Philippo, aliis in rebus reficiatur.

« VII. Ad hoc iidem oratores Veneti pollicentur, eundem illustrissimum ducem, senatumque Venetum, Sanctissimo D. nostro ac Sedi Apostolice, si Sanctitatis Suæ ejusque successoribus placuerit, prædictas duodecim triremes, omnibus navalibus instrumentis formentisque bellicis, et aliis ad eorum tormentorum usum necessariis rebus instructas, commodaaturum, quas idem Smus D. noster eis restituere debeat, prout salvæ fuerint.

« VIII. Item quia in prædictarum triremium naviumque numero, aliisque rebus expeditioni necessariis, a rege Catholicus et Respublica Venetorum comparandis, quemlibet illorum plus conferre oportebit earum rerum, quarum illi major copia et facultas fuerit; idcirco inter eos convenit, ut quidquid quisque illorum plus harum vel illarum rerum contulerit, quam pro rata parte impensæ ad eum spectantis tenetur; id ei, ab altero, aliis in rebus reficiatur.

« IX. Item victualia, quæ quotidie consumuntur, si ea defuerint in aliquo loco aliquibus ex confederatis, possint capi ex terris et locis illorum, apud quos fuerint; honesto tamen pretio: et teneantur extractiones aperte, ad beneficium expeditionis, quatenus necessitas ipsorum locorum, unde pro provisione suarum copiarum confederati extrahere volent, ferre potuerint: præsertim eum quilibet confederatorum statim majorem copiam, quam pertulerit victualium hujusmodi, comparare debeat. Ne autem aliud, quam vera necessitas ab hac obligatione excuset; nulli concedi debeat extrahere ex illis locis, in quibus ejusmodi necessitas prætendatur, aliquam victualium quantitatem, nisi prius confederatis ex eisdem locis provisum fuerit pro suarum copiarum maritimorum

et terrestrium indigentibus; ita tamen, ut Catholicus regi liberum sit, ex regno Neapolitano et Siciliae victualia Goletæ, Melitæ, et sua classi providere. Quibus autem in locis, pro exportatione certum aliquod veetigal pendi solitum est, id, ne in præjudicium exportationis confederatorum augeri possit. Quibus vero in locis certum esse non solet, sed arbitarium, id certam quamdam honestam pretii summam, ne exceedere possit; sicut in regno Neapolitano, non amplius pro curru solvant, quam dueatorum quindecim monetæ illius regni, quantumvis hanc summam impositio, quæ alii fiat, exceedat; si vero minor impositio erit, minorem tantum, sicut alii, solvant confederali. In regno vero Siciliae, pro extraordinaria impositione, non amplius pro qualibet Salma solvant, quam aureos duos illius monetæ, quantumvis major impositio alii imponatur, si vero minus, minorem, sicut alii, solvant, neque eorum causa provisione suarum copiarum eo ire, vel mittere contigerit.

« X. Item, ut quotiescumque prædictus serenissimus rex Catholicus a Turcis, et nominatim etiam ab Algerio, Tunetio et Tripoli, eo videlicet tempore, quo aliqua communis fœderatorum expeditio non fiat, invasus fuerit: prædictus illustrissimus dux, senatusque Venetus, majestati sua Catholicæ quinquaginta triremes bene instructas, atque armatas, subsidio mittere debeat: sicut majestas Catholicæ anno præterito eidem illustrissimo duci, senatusque Veneto subsidio misit. Quod idem serenissimus rex Catholicus pari casu facere debeat, quotiescumque ipsi illustrissimi Veneti invasi fuerint: ita tamen, ut invaso, cui ea de re credi debeat, petenti hoc subsidium, negari non possit, dummodo pro sua defensione, majores auxiliaribus, quas petierit copias, suis sumptibus habeat; neque tamen hujus capituli provisione, his, quæ de generali defensione in primo capitulo continentur, derogatum esse intelligatur.

« XI. Præterea, si ita contigerit, ut prædictus serenissimus rex Catholicus, Algerinam, vel Tunetanam, vel Tripolitanam expeditionem suscepit, aliquo anno, quo, neque aliqua communis fœderatorum expeditio suscepta sit, neque Turcarum classis talis extiterit, ut verisimile sit prædictam Venetorum rempublicam sibi ab invasione Turcarum timere debere: prædicto serenissimo regi quinquaginta triremes bene instructas atque armatas subsidio mittere debeat; sicut majestas sua Catholicæ anno præterito, eidem illustrissimo duci, senatusque Veneto auxilio misit; et viceissim idem serenissimus rex Catholicus pari casu, et conditionibus idem auxilium reipublicæ Venetorum præstare teneatur, quandocumque res publica aliquam expeditionem intra sinum

Adriaticum, ab Apollonia vulgo Valona nuncupata, Venetias usque suscepit; primo tamen loco auxilium debeatur regi, deinde Republicæ; nisi, si rege non petente Republica petierit: quo casu sequenti loco auxilium regi debeatur.

« XII. Item, si contigerit terras, et loca quæcumque Sanctissimo domino nostro, et sanctæ Sedi Apostolicæ subiecta, invadi; prædicti confederati teneantur, omnibus eorum viribus, predicta loca, et Sanctissimum D. nostrum juvare et defendere; salvis tamen aliis quibuscumque eorum erga Sanctitatem suam sanctamque Sedem Apostolicam obligationibus.

« XIII. In belli administratione omnibus consiliis habendis, et deliberationibus faciendis, tres generales duces confederatorum convenire ac interesse debeant; quodque ipsorum trium major pars probaverit, hæc communis omnium sententia censeatur; et per eum, qui federis dux generalis fuerit, etiamsi eum unum ex illis ipsis tribus esse contigerit, ad effectum adducatur.

« XIV. Sit autem generalis dux classis, et copiarum terrestrium, que classi inservituræ sint, illustrissimus dominus Joannes de Austria, qui voto suo cum volis generalis triremium Sueæ Sanctitatis, et generalis triremium illustrissimorum dominorum Venetorum adnumerato, id exequatur, quod majori eorumdem parti visum fuerit expedire; juxta ea, quæ in capitulo proxime antecedenti præscripta sunt. Quod si ille, quocumque impedimento, et causa, aut non venerit, aut eo tempore, quo classis jam instructa navigatura fuerit, absens sit, auf alia quacumque de causa expeditioni præsens non adfuerit; sit generalis illustrissimus dominus Marcus Antonius Columna dux Palliani, a majestate Catholica nominatus, et ab aliis confederatis approbatus, etiamsi eundem, vel Pontificie, vel Catholici regis, vel illustrissimorum dominorum Venetorum classis generalem esse configerit: ea cum auctoritate atque imperio, quod in Apoca omnium Confœderatorum manu subscripta plenius continetur. Quicunque autem federis hujus dux generalis fuerit; is proprio vexillo non utatur, sed tale quale ejusdem federis generalem ducem nominet. Si vero expeditio aliqua particularis, eo modo, quo supra conventum est, fiat, ejus expeditionis dux generalis sit is, quem volent esse ii, in quorum favorem eadem expeditio fiet.

« XV. Item hujus incundi federis honoratissimus locus, serenissimo Maximiliano electo imperatori, Christianissimo regi Francorum, Portugallæque regi relinquatur; quibus huic federi adhaerentibus, ea pars impensa, quæ ad ipsos adhaerentes pertinebit, in augendas federis vires conferatur.

« XVI. Item ut Sanctissimus D. N. paternis exhortationibus excitare debeat serenissimum Maximilianum in imperatorem electum, Christianissimum Francorum regem, Poloniæ regem, cæterosque reges et principes Christianos, qui sanctissimam hanc expeditionem juvare possunt, ut omnibus eorum viribus illi adesse, communique Christianorum saluti consulere velint. Quam quidem ad rem, serenissimus quoque rex Catholicus, ac senatus Venetus omnem operi, operari auctoritatemque suam conferre debeant.

« XVII. Item quod partitio eorum locorum qui hujusmodi federis armis acquirentur, fiat inter confederatos juxta id, quod in federe anni MDXXXVII conventum est: dictis Tuneto, Algerio et Tripoli exceptis, que ad prædictum serenissimum regem Catholicum pertineant. Tormenta vero bellica, ubicumque acquirentur, pro rata eujusque federatorum parte, inter eos dividantur.

« XVIII. Item Ragusium, cum universo ejus territorio, locis rebusque omnibus, nullo damno, molestiave a confederatis, eorumque copiis maritimis, vel terrestribus affici, neque aliquod ab eis detrimentum pati debeat; nisi ex aliqua justa causa Sanctissimo domino nostro ejusque successoribus videbitur.

« XIX. Item sanctissimi hujus federis stabilitati providentes conveneront, ut nulla controversia, quæ ex quavis causa ad hujusmodi fedus perlinente, inter prædictos confederatos oriretur oriri posset, impedimento esse possit, quoniam hæc ipsa expeditio fœdusque continuetur: quarum quidem controversiarum omnium, et quarumcumque arbitrium et judicium, ad Sanctissimum dominum nostrum ejusque successores pertineat.

« XX. Eademque ratione convenerunt, ut nemo ex principibus confederatis, per se vel alium possit agere de pace, aut de induciis, aut alia de concordia cum Turcarum tyranno incunda, sine cæterorum confederatorum scientia, participatione et consensu: utque omnia, quæ in singulis supradictis capitulis continentur, a principibus confederatis, bona fide observari debeant, ut reges et principes Christianos decet; et adversus ea, vel aliquid illorum, a nemine fiat. Quas omnes et singulas conventiones, et capitula, prædictus SSinus Dnns noster, suo et sanctæ Sedi Apostolicæ nomine, mandatarii vero et procuratores prædicti, suorum quisque principalium nomine, bona fide, omni dolo et fraude semotis, exequi et inviolabiliter observare, et a suis principaliibus observatum iri, solemni stipulatione intercedente, promiserunt et promittunt; ac jurejurando Sanctitas Sua, manibus pectori appositis, in verbo Romani Pontificis: mandatarii vero et procuratores prædicti, in anima

snorum principalium, videlicet prædictus Rmus D. Franciscus cardinalis Paceus, facto manibus pectore; prædictus vero illustrissimus D. Jo. de Zuniga, et prædicti clarissimi equites DD. Michael Surianus et Joannes Superanzius, tactis ad delationem mei datarii sacrosanctis Scripturis, confirmaverunt, et confirmant: obligantes ac hypothecæ supponentes propterea mutuo et vicissim; videlicet SSmus D. noster, de consilio pariter et assensu prædictorum reverendissimorum S. R. E. cardinalium, omnia et singula S. Romanae Ecclesiæ, et cameræ bona temporalia, stabilia et mobilia, præsentia ei futura. Mandatarii vero et procuratores prædicti serenissimi regis Catholici, omnia et singula regna, status et bona stabilia et mobilia prædicti serenissimi regis; et mandatarii ac procuratores illustrissimi dueis, et dominii Venetorum, bona quæcumque stabilia et mobilia; et in horum fidem et testimonium fœdus hujusmodi, et capitula, quæ supra continentur, propriis eorum manuum subscriptionibus, suisque sigillis confirmari voluerunt: ita ut hujusmodi subscriptiones cum sigillis, vim publicæ scripture et contractus solemniter stipulati habere censeantur, atque ita inviolabili obseruentur. Super quibus omnibus et singulis petierunt dicti contrahentes a me Antimo Marchesano, prædicti Sanetissimi domini nostri papæ datario, unum vel plura confici Instrumenta. Acta fuerunt hæc in aula Consistorii, ut supra, præsentibus ibidem reverendis patribus, dominis Monte de Valentibus almæ Urbis gubernatore, Alexandro Rario electo patriarcha, et cameræ Apostolicæ auditore, Ludovico de Torres, ejusdem cameræ Apostolicæ clero, Alexandro Casalio magistro Cameræ, et Theodosio Florentio cubiculario secreto ejusdem Sanetissimi domini nostri: ac magnificis Antonio Barba Osorio, Catholicæ Majestatis apud Sanetissimum dominum nostrum legationis secretario: Marco Antonio Donnino, et Francisco Vianello, illustrissimi Venetorum dominii secretariis: et reverendis dominis Cornelio et Ludovico de Firmanis magistris cæremoniarum ejusdem SSmi Dni nostri, testibus ad præmissa omnia et singula habitis, vocatis et rogatis. »

229. Leguntur post hæc in eodem authographo inserta, tum Venetæ Reipublicæ, tum Catholicæ regis mandata; et hujusmodi quidem, ex Hispanico in Latinum idioma conversi tenor hujusmodi est:

« Philippus Dei gratia rex Castellæ, Arragonum, utriusque Siciliæ, Hierusalem, Hungariae, Dalmatiae, Croatiae, Legionis, Navarræ, Granatae, Toleti, Valentiae, Galliciae, Majoricarum, Hispalis, Sardiniae, Cordubæ, Corsicæ, Murciae, Giennæ, Algarabum, Algeziræ, Gibraltaris, insularum Canariae, insularum Indiarum,

et Terræ firmæ, maris Oceani: archidux Austriae, dux Burgundiæ, Brabantiae et Mediolani: comes Barchinonis, Flandriae et Tirolis: dominus Cantafriæ et Molinæ: dux Athenarum et Neopatriæ: comes Cilionis et Cerdaniæ: Marchio Oristani et Gotiani, etc. Quandoquidem pater Sanctissimus noster Pius Quintus, servitii Dei nostri, honoris sui sancti nominis, incrementi sua tidei, publici Christianitatis beneficij zelo addictus, intelligens, quam sit necessarium, ut principes et potentatus Christiani in unum conjungantur, uniantur et colligentur ad resistendum et se opponendum, et offendendum et invadendum Christianitatis ipsius communem hostem Tuream, ac cæteros infideles qui tam continuis tamque magnis classibus et exercitibus eam infestant et damno afficiunt: nos tuit hortatus, et a nobis petit el injunxit, ut ligam et confederationem, et unionem cum illustrissima Venetorum republica iniremus; Nos perspecto sancto fine, et intentione, atque ipsius juxta exhortatione, in hac parte convenimus et condescendimus, ut de dicto feedere atque unione perfractetur, atque ad ipsius conclusionem deveniatur; et ut hoc majori brevitate fieri possit, et evitentur dilationes quæ possint incidere, si ea de re in nostra curia ageretur, aut ex ea ad id persona mitteretur; et propter fiduciam, quam habemus, de prudentia, dexteritate, Christianilate, de singulari animo, et devotione, de voluntate, quam erga nostrum servitium habent multum reverendi in Christo patres D. Antonius Perenottus, cardinalis Granvellanus archiepiscopus Mechliniensis, ex nostro consilio rerum status; et D. Franciscus cardinalis Paceus de Toledo episcopus Burgensis, et ex nostro consilio, nostri multum et nullum dilecti amici. Et D. Joannes de Zuniga, ex nostro consilio, et noster orator Romæ: decrevimus eos constituere, et facere, prout per præsentes litteras constituimus, creamus, ac facimus noslros procuratores, ac actores legitimos ac veros; et eis damus nostram commissionem et facultatem, ac nostrorum mandatorum, plenum, integrum, sufficiens in amplissima forma, quanto majus et melius de jure possit ac debeat esse: ad hoc, ut convenientes omnes tres aut ex ipsis duo, existente altero juste et legitime impedito, cum deputatis et commissariis prædicti illustrissimi dominii, et aliis personis, quæ ab ejus Sanetitate fuerint constitutæ; cum ejus sancta auctoritate atque interventu, res tota transigenda est; possint pro nobis, et nostro nomine, ac si nos ipsi possemus, tractare, capitulare, concordare, resolvere, ac concludere id, quod ad ipsum fœdus, unionem, ac confederationem attinuerit, cum ipsa Illustrissima Venetorum Republica, aut cum aliis personis, cum conditionibus, legibus, pactis, constitutionibus, et sub

obligationibus, firmatibus, et vinculis, et pœnis, que eis videbuntur ac bene visa fuerint; etiam si sint tales atque ejus qualitatis, ut expressa aut speciali mentione egeant; quia in omnibus et ad omnia, volumus quod habeant et teneant, utantur et possint uti prædicto mandato et commissione: ac promittimus in nostro verbo regio custodituros nos, impleturos et observaturos id, quod per prædictos nostros procuratores et actores, nostro nomine erit contractum, capitulatum ac concordatum in eo, quod attinet ad dictam ligam, unionem et confederationem; ac non itios, neque venturos, sed neque consensuros, ut eatur, aut veniatur pro nostra parte, contra prædicta, in toto neque in parte; et quod ratificabimus, approbabimus, et ratum, gratum et firmum habebimus totum, quod sic per prædictos nostros procuratores fuerit tractatum et stabilitum; ac de eo mandabimus, si necesse fuerit, confici solemne instrumentum, et scripturam manu nostra subscriptam, et nostro sigillo signatam. In quorum fidem mandamus dari has nostras litteras, nostra itidem manu subscriptas, et nostro sigillo signatas. Datum in civitate nostra Hispali, xvi Maii MDCXX.

Ego Rex.

Antonius Perez.

Loco Sigilli, etc. ».

230. Reipublicæ Venetæ mandatum aliud:
« Aloysius Mozenigo, Dei gratia dux Venetiæ.

« Cum magis magisque in dies animadverleremus Turcarum tyranni vires atque audaciam augeri, remque Christianam in maximum vel dignitatis vel salutis sua discrimen adduei, cum ad ejus perniciem, suas ille omnes cogitationes intendat, eamque aggredi modo ex una, modo ex alia parte nunquam desinat, ut eam hoc pacto debilitatem facilis erueret; et quod uno iectu non potest, multis vulneribus ad interitum, quoad ejus fieri possil, redigeret: statuimus, ab antiqua reipublicæ nostræ in Dei Opt. Max. pietate non discedere, atque animum omni cogitatione ad rempublicam nostram defendendam atque angendam transferre; ut communis hostis omnes conatus irritos faceremus, et facilius ipsius nimis structæ et exaggeratæ opes everti deprimitique possint, qui nulla pacis, quam nobiscum confecerat nuperrime sanctæ, nulla jurisjuriandi sui habita ratione, nostra loca illico multo milite invadere, Cypriunque insulam nostram, instructissima classe atque ingentibus copiis aggredi ausus est; quam, omni pudore remoto, tanta est ejus regnandi libido, prius a nobis petiit, et ultiro ei dare vellemus. Itaque, cum Sanctissimo domino nostro Pio V, divina providentia Pontifice Maximo, qui nos, ob ejus incredibilem Rempublicam Christianam stu-

dium, prudenter sane atque amanter est adhortatus; cum serenissimo potentissimoque Philippo Hispaniarum, etc. rege Catholicæ, quem ad bellum pro religione nostra gerendum, egregie excellenterque animatum esse scimus, cumque cæteris principibus Christianis, qui nobiscum societatem inire volent, Iodus inire instituimus; quo non solum reprimere possimus acerrimi hostis impetus atque conatus, sed etiam injurias ab eo illatas ulcisci, et aliquando Christianam rempublicam, in eum, unde temporum iniquitate delapsa est, amplitudinis et dignitatis gradum restituere. Quamobrem, de senatus nostri sententia, dilectissimos nobiles nostros Michaelem Sorianum, et Joannem Superantium, equites oratores nostros apud Pontificem Maximum, quorum virtus et integritas perspecta nobis jampridem cognitaque est; pro nobis nostrisque successoribus, ac Venetorum republica, procuratores nostros, syndicos, ac legatos fecimus et creavimus; hisque litteris facimus et creamus, ut cum Sanctissimo Dno nostro Pio Pontifice Maximo, vel ejus procuratoribus legitimis: et cum iis, qui a Catholica majestate potestatem idoneam habebunt; cumque cæteris Christianorum principum procuratoribus, hujusmodi fœdus, tam ad defensionem quam ad offensionem contra Turcas tractare, firmare, sancire confirmareque possint: etiam si fuerint ejusmodi, ut de his singulatim mentio facienda esset; eisque in animam nostram jurandi, nos successoresque nostros, quibuscumque conditionibus obligandi, facultatem damus. Pollicemur enim quæcumque ab eis, in ejusmodi fœderis consensione pacta, approbata, firmata fuerint; nos ea rata, grata et firma habituros, et quidquid denique ii promiserint, esse praestituros. Datum in nostro ducale palacio, die octava Septembris, Indictione XIV, MDCXX.

« Nos Aloysius Mozenigo, Dei gratia dux Venetiæ, etc. ».

231. Post ista mandata, haec statim in autographis præfatis tabulis subjiciuntur:

« Quod quidem mandatum erat in unitum plumbo appenso cordula canapina. Et quia ego Antonius Marchesanus, prælibati Sanctissimi in Christo patris et Dni nostri Pii, divina providentia papæ Quinti datarius, præmissis omnibus et singulis, dum sic, ut præmittitur, fierent, agerentur, et promitterentur, una cum prænominalis testibus, præsens fui; et de eisdem supradictum Instrumentum alterius manu scriptum exinde publicavi, in fidem, robur et testimonium omnium et singulorum præmissorum.

« Ita est M.

« F. Cardinalis Paceco.

« Don Juan. de Zuniga.

« Michael Surianus, orator.

« Joannes Superantius, Eques orator.

« Annulus Piscatoris.

« Sigillum cardinalis Pacechi.

« Sigillum oratoris serenissimi regis Catholicici.

« Sigillum oratoris Suriani.

« Sigillum oratoris Superanli ».

« His completis (verba sunt Firmani in suo Diario¹) reverendissimi duo diaconi cardinales iverunt ad assistentiam; deinde reverendissimus Pacecus ivit ad oseulum pedis, manus, et oris Suae Sanctitatis: idemque post eum fecerunt predicti oratores, quo Consistorium compleatum est ». Sic ille.

232. Priusquam tamen adeo publica solemnitate fœdus id percuteretur ac firmaretur (uti etiam ex allatis tabulis apparet); Apoca, in qua fœderis ejusdem capita continebantur, a fœderatis omnibus, quarto decimo kal. Junii hujus anni subscripta fuerat. Fuit autem hujusmodi, ut ex autographo:

« Pius V Pontifex Maximus, Philippus Hispanorum rex Catholicus, et Veneta Republica fœdere perpetuo junguntur, tum ad inferendum bellum, quam ad illatum quoque propellendum adversus Turcam, et omnes, quas ille possidet, ditiones, Julia Caesarea, quæ nunc Algeria appellatur, Tuneto ac Tripoli etiam comprehensis.

« 2. Bellicus apparatus fœderatorum sit, triremes ducentæ, onerarie centum; Italorum, Hispanorum et Germanorum peditum quinquaginta millia; equitum levis armaturæ quatuor millia et quingeni; bellicis tormentis, tum majoribus, tum minoribus, commeatu, ceterisque rebus necessariis instructi.

« 3. Opes et apparatus ejusmodi, quotannis mense Martio aut Aprili ad summum in promptu sit in Orientali mari: ut iis rebus belli duces, ad fœderatorum, et Christianæ Reipublicæ utilitatem, pro opportunitate rerum ac temporum uti possint.

« 4. Quod si hostes adversus sociorum loca bellum suscepient, classum præfeci, vel cum omnibus copiis, vel cum earum parle, ante suscepta expeditione relicta, opem ferant, omnesque vires ad auxilium vexatorum convertant.

« 5. Fœderatorum principium oratores, quotannis per Autumnum, de suscipienda in annum insequentem expeditione, ac de copiis comparandis, cum Summo Pontifice deliberent decernantque.

« 6. Pontifex Sedesque Apostolica, duodecim triremes, rebus omnibus necessariis ornata, ac tria millia peditum equilesque ducentos et septuaginta præbeat.

« 7. Pontifex sextam, Rex Catholicus

semissem, Veneti triremem totius sumptus bellici tribuant.

« 8. Sumptus, quos Pontifex facere non possit, pro ratione suarum partium, rex et Veneti suppleant. Si quid Veneti plus sua portione dederint, id rex compensare teneatur.

« 9. Veneti commemoratas duodecim triremes, bellicis tormentis et armis præmunitas, Pontifici commodent; quas ipse remige, milite et commeatibus instruat, et confecto bello instructas Venetis reddat, nisi quid belli vis absumpserit.

« 10. Et quoniam fieri polest, ut rerum bellicis usibus necessariarum, major uni, quam alteri copia suppetat; si quis plus sua portione contulerit, ab alio ceteris in rebus compensetur.

« 11. Si commeatus fœderatis deessel, eum sibi e locis suis, aut aliunde, prout commodius fuerit, capere liceat moderato pretio: sintque rei frumentariae exportationes, sociis omnibus liberæ, ad usum copiarum. Nemini vero fas sit, ex his locis commeatum exportare, in quibus inesse contigerit, nisi prius fœderatorum classibus copiisque provisum fuerit. Liceat tamen Catholicæ regi, commeatum, arbitrari suo Guletanis, Melitensibus, classisque sue necessitatibus, ex Neapolitano Siculoque regnis de vectum providere.

« 12. Ubi vero certum vecligal exportantibus est impositum, id in sociorum detrimentum augeri non possit; at, ubi ordinarium portorium non existit, id medioerem summam non exsuperet.

« 13. Quod si Turcæ, præsertim ab Algerio, Tuneto, Tripolive regem Catholicum bello petant, quo tempore fœderatorum nulla fieret expeditio: tum Veneti quinquaginta triremes bene munitas, regi subsidio mittant; quod ipsum fiat ab eo rege, si Turea Venetos aggredieretur: atque id auxilii negari non possit, dummodo qui bello premuntur, majores non habeant vires, quam si fortasse, quod petunt subsidium.

« 14. Si vero contra Algerium, aut Tunetum, aut Tripolim, Hispanus bellum suscipiat, quo tempore, nulla sociorum communis fiat expeditio, vel nullum a Turea Venetis grave periculum immineat; tunc Veneti quinquaginta bene validas et instructas triremes ei mittant auxilio. Idipsumque pariter auxilium Hispanus Venetis simili conditione submittat, quando ipsi, in Adriatico sinu, ab urbe Appollonia, quæ nunc Velona dicitur, Venetas usque bellum gererent.

« 15. Si quis Ponificiæ dilionis locus bello lentaretur, reliqui fœderati nitantur periculum averttere, ad ejusque tutelam et defensionem conspirent.

« 16. Omnibus rebus, et consulendis, et decernendis, et administrandis tres fœderato-

¹ Firmam, Diar. ut supra.

rum principum summi duces intersint: ramique sibi, quod, vel tres communis consilio, vel duo decreverint:

« 17. Bellicæ societatis hujus, et totius Christianæ classis, maritimamque et terrestrium copiarum omnium summus imperialis sibi Joannes Austriacus; qui, vel de communis cum ceteris federatorum praefectis, vel saltem unius de consilio, rebus omnibus moderetur. Quo absente vel impedito, summa cum potestate præsit Pontificia classis dux Marcus Antonius Columna.

« 18. Summus imperator in communis expeditione, federatorum vexillo utatur. In propria vero expeditione, cum proprio vexillo præsit is, qui illam suscepit.

« 19. Honorificus porro Iocas Caesari, et Gallorum, Poloniae, et Lusitanorum regibus pateat ad hanc belli societatem ineundam; qui pro sua singuli portione, federis vires adaugant.

« 20. Hos, et ceteros Christianos principes, Pontifex, pro sua auctoritate palerme adhortetur, ut hoc in illo sociali fœdere, viribus et armis Christianæ reipublicæ consultant. Quod ut fiat, ceteri quoque federati, operam omnem et auctoritatem adhibeant.

« 21. Loca, communibus federalorum armis recepta, inter ipsos distribuantur, ut in fœdere anno MXXXVII, Tunet, Algerio, Tripoli exceptis, quæ oppida sunt Philippi regis. Tormenta vero apparalusque bellie, ubivis gentium venerint in potestatem, pro ratione sumptuum, inter federatos dividantur.

« 22. Epidaurum, Ragusium nunc appellatum, ejusque ager, nullum a federalis detrimentum aut incommodum accipiat; nisi aliqua justa de causa, vel Pio Pontifici, vel ejus successoribus visum fuerit.

« 23. Neque vero, per ullam causam, inter federatos controversia objici possit, aut impedimentum, quominus vel expeditio, vel fœdus continetur; alque hujusmodi controversias quælibetque dissidia judicare, tollere vel compонere, sit Pii Pontificis, ejusque successorum.

« 24. Nec cuiquam ex federalis licet, aut per se, aut per alium, ceteris sociis inconsultis, ac non approbanibus, agere de pace, aut de induciis, aut de illo amicitiae genere, cum hoste communi. Atque haec quidem omnia, bona fide plene et integre, ut Christianos principes decet, servari studeant federali.

« 25. Maximilianum Cæsarem, Carolum Galliæ, Sigismundum Poloniæ, Sebastianum Lusitanæ reges, in belli societatem adsciscere Pontifex nulet».

233. Fœdus igitur, his conditionibus firmatum, sacro cardinalium collegio præsente ac consentiente, Pontifex cum Hispano ac Veneto percussit; iisque servandis quæ proposuimus

(ul ex aliatis Diariis audistis) Pius idem, manu pectori admota, se obstrinxit; quod pariter fecit cardinalis Paceus; Zuniga, Soriano ac Superantio, tactis sacris Scripturis, ad idem præstandum se obligantibus. At hanc parum miramur Bzovium¹, postquam de his egit, firmatumque fœdus quardecimo kalend. Junii hujus anni, hac èadem ratione scripsit, paulo post subjunxit, tert. dec. kal. Junii concutus est stabilitas ejusmodi fœderis conditiones fuisse; addidisseque, id a se, ab authenticis actis acceptum: in eo ad majorem rei confirmationem hoc anno diem vigesimam Maii, qua haec facta sunt, in Dominicam iucidisse, ac sequenti die Veneris, ejusdem mensis vigesima quinta, consistorium deinde quod relulimus, Pium coegisse.

234. Praeler idcirco illa, que ab eo sibi ipsi contrario affiri possunt, ut adstrinatur, non quidem die vigesima, sed decima nona Maii fœderis capita a federatis fuisse conscripla: hoc etiam evidentissime ostendit Epistola, quam sub eadem die decima nona Maii Pontifex ad Aloysium Venetorum ducem dedit, qua eum Venetumque senatum commendat, quod voluntati sue fœderis conclusionem commisserint; ac respondet super quadam exorla controversya, inter Venetos ac Hispanos oratores, ob sumplius militum, quos Veneti ipsi coegerant, qui lamen, neque classi, neque aliis a federatis suscipienda hoc anno expeditioni, deservire posuissent. Illa siquidem hujusmodi fuit²:

« Dilecto filio, nobili viro, Aloysio Moecenigo, Duci Venetiarum,

PLIUS PP. V.

« Dilecte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Cum dilecti filii nobilitatis tuæ oratores nobis exposuerint, nobilitatem tuam, inelytumque istum senatum, praeter triremes a se coaelas, pedilatumque illis deservitum, jam præscriptum, magnum præferea pedilum numerum variis in Dalmatiae Albaniæque locis, Coreyrensi, Crebensique, et aliis insulis depositum habere; qui omnes, vel classem ipsam consensuri, vel ad alia loca profecti sunt, earum expeditionum causa, quæ necessariae judicabantur. Cumque inter eos, et a serenissimo rege Catholico deputatos, orta esset dissensio, de sumpli illorum pedilum, qui, neque prædictæ classi, neque aliis expeditionibus, a confederatis suscipiendis et exequendis essent hoc anno deservituri; ob quamque causam, cum iisdem nobilitatis tuæ, amplissimumque istius senatus oratores, a nobis denique postulavissent, ut hanc ipsam rem in nos suscipientes, de ea id statueremus, quod nobis justum æquum-

¹ Bzov. Annal. sub hoc anno. — ² Ex Archiv. Vatican.

que esse videretur: non solum prædictam rem, sed conclusionem ipsam foderis facultati voluntatique nostre permittentes. Nos, haec illorum permissione libenter accepta, multis vi gentibus de causis adducti, judicamus non esse, ipsam foderis, et capitulorum, quibus vires hoc anno comparanda, ceteraque ad idem pertinentia comprehensa sunt, conclusionem et subscriptionem propterea omittendam: prout in nomine Omnipotentis Dei factum est. De ea autem ipsa re, qua supradicta est, id faciemus, quod nobis convenire et rationi consentaneum esse videbitur. Quibus de rebus nobilitatem tuam certiorem facere subito voluimus, cui illud simul persuasum esse cupimus, Deum ipsum, qui post tot difficultates in hoc negotio superatas ei prosperum exitum, pro sua misericordia concessit; hujus sanctissimi foderis progressu, in dies magis magisque aucturum, si quod de tua, inclytique istius senatus pietate, et erga Rempublicam Christianam studio sperandum est; omnes suas actiones, et consilia, ad ejusdem Dei gloriam, religionisque Catholicæ propagationem conservationemque direxerint. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xix Maii, anno MDCXXI, Pontificatus nostri anno VI ».

235. Sed quia, inter cælera foderis capita, unum commemoravimus, quo Raguseorum reipublicæ indemnitatæ cautum fuit; scire operæ pretium est, id Pontificis jussu factum, quod ipsamet Respublica, ut suo loco narravimus, ad suum potissimum præsidium configisset, ipseque vicissim Hispaniarum regi enixe illam commendasset. Caput idecirco illud, quo ad ipsam spectaret, inter foderis cætera, Pii (inquam) mandato inserendum est, minime obsistentibus Hispanis, Venelis tantum reluctantibus, quos animadvertisse Surianus orator asseruit, Raguseos a Turcis blande tractari, et una bene convenire, esequæ ipsorum exploratores, quippe quod nihil dici, ant fieri, imo cogitari inter Christianos posset, quin per eos Turcis inno tesceret, quibus in omnibus gratificantur. Quapropter rite timendum erat, ne nova securitate ista ac fidejussione, insolentiores evaderent. Nihilominus cum Pontifex professus esset, se minime posse populum illum non valde protegere, quem semper, et Catholicæ fidei, et Apostolicæ Sedi addictissimum comperisset; inter alia foderis capila illud pariter, quo Raguseorum incolumitati prospiceretur, appossum fuit.

236. *Promulgatur fœdus coram populo.* — Postridie autem diei, qua in Consistorio (ut diximus) solemniter fœdus percussum est, in Vaticana Basilica Missa celebrata, universo populo fœdus idem promulgatum fuisse, Bzovius scribit; at erroris convincitur a Firmano in suo Diario: nam cum die Veneris vigesima

quinta Maii (ut ipsem Bzovius haud diffitetur) consistorium prædictum habitum fuisse asserat, addit deinde: « Die Dominica, vigesima septima Maii, Sanctissimus dominus, cum pluviali pretioso ac mitra, delatus descendit ad Basilicam S. Petri, interfuitque Missæ, quam celebravit reverendissimus cardinalis Augustanus, episcopus Prænestinus de Spiritu-Saneto, quadraginta duobus cardinalibus cum cappis rosaceis intervenientibus, assistentes qui supra. Completa Missa, et data benedictione rev. dominus Nicolaus de Aragonia dictæ Basilicæ canoniens, et referendarius enim rocheto et cappa, Pontificis osenlatu pede tantum, obsignato se signo crucis, recitataque secreto *Ave Maria*, habuit orationem de liga inita inter Suam Sanctitatem, regem Catholicum, et dominium Venetorum contra Turcas. Deinde capite detecto, legit instrumentum ligæ stipulatum ut supra, ac mandata prædictorum regis et Venetorum senatus contra Turcas; postea abiit, et Sanctissimus dominus stans sine mitra incepit: Te Deum laudamus, etc. Quo completo, duobus acolytis cum candelabris adstantibus, dixit versiculos, et orationes infrascriptas V. G.

« *V. Pater noster.*

« *¶ Et ne nos inducas in temptationem.*

« *¶ Sed libera nos a malo.*

« *V. Date magnificientiam Deo nostro,*

« *¶ Dei enim perfecta sunt opera.*

« *V. Dies sanctificatus illuxit nobis.*

« *¶ Venite, gentes, et adorate Dominum.*

« *V. Magnificate Dominum mecum.*

« *¶ Et exalteamus nomen ejus in idipsum.*

« *V. Gloriemur, Domine, in virtute tua.*

« *¶ Et repleatur terra gloria tua.*

« *V. Non nobis, Domine, non nobis.*

« *¶ Sed nomini tuo da gloriam.*

« *V. Domine exaudi orationem meam.*

« *¶ Et clamor meus ad te veniat.*

« *V. Dominus vobiscum.*

« *¶ Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

« Deus, qui pretiosissimo Sanguine dilecti Filii tui humanum genus redimere, et per Apolos ejus jacentem in tenebris mundum, ad Evangelii lucem reducere dignatus es: tribue quæsumus, ut adversus impias Turcarum gentes, eunctasque nationes, vivificæ Crucis ini micas, fideles Christianorum principes ita uniantur, et uniti semper permaneant, ac potenter arma suscipiant: ut pro tui nominis gloria militantes, virtutis tuae brachio sublevati, ad Ecclesiam tuam victoria signa reportent. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum, etc. ».

Post ista statim etiam addit Firmans.

« Die præcedenti (nempe xxvi Maii) fuerat notificatum per affixionem cedularum in locis solitis Urbis, quod prædicta die debebat cele

brari Missa ut supra, et publicari Liga, et dari benedictio solemnis in Lodi; et hoc ex mandato reverendissimi vicarii Suae Sanctitatis. Signa Iustitiae in arce S. Angelii, et aliis locis consuetis die sabbati predicto de sero tantum facta fuerunt; sic mandante Sanctissimo domino ». Sic ille, ex quo magis Bzovii lapsum compertum habes.

237. *Divinam opem implorat Pontifex.* — Sic autem promulgato fœdere, tum ad agendas divinæ majestati gratias, tum ad cœlestem opem implorandam, ut ea res bene ac feliciter eveniret, ut in consistorio se facturum spônderat, publicas in Urbe Pontifex supplicationes, et amplissimum per universum Christianum orbem jubilæum, hoc Diplomate¹ in-dixit:

« Pius episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

« Universis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis, salutem et Apostolicam benedictionem. Cum præsentem reipublicæ Christianæ statum, et imminentia nobis undique quofidie malorum pericula consideramus; magno dolore afficiimur, ac de salute omnium fidelium Christi popolorum sollicito animo cogitantes excubamus, hujus obscurissimæ noctis, in quam nostri Pontificatus tempora inciderunt, vigiliam super gregem Domini, fidei tutelaque nostræ, ab Omnipotenti Deo commissum vigilantes. Sed, ex omnibus calamitatibus, quarum, vel præsentium dolore affligimur, vel impendentium metu terremur, nihil æque nos sollicitos habet, atque extremum disserimus, quod tanquam ea que oculis cernuntur, ab immanissimo Turcarum tyranno sanctæ fidei, Christianoque nomini cernimus imminere. Reputantes enim nobiscum, et veteres itas superioribus temporibus, et hasce recentes aetate nostra ab atrocissima gente acceptas clades: intelligimus magno cum animi nostri dolore, illius vires atque potentiam, et proprio furoris impetu, et Christianorum principum, quibus peccata nostra causam dederunt, discordiis eo progressam esse, ut non jam quodammodo superiorum Pontificium prædecessorum nostrorum temporibus, de recuperanda Asia, sanctoque Redemptoris nostri sepulchro, de infidelium potestate eripiendo; sed de his miserrimis Christianæ reipublicæ reliquiis, ab atrocissimum hostium crudelissima servitute vindicandis agitur. Horret animus noster meminisse, quot ditissimas Asiæ atque Europe provincias, quot opulentissima regna, quot nobilissimas nationes, incredibili quadam celeritate, ferro atque armis in turpis-simam servitutem redactas impotentissimo dominatu, tyrannidique suæ parere coegerit;

quibus tantis progressibus usq; Asian magnam ex parte tenet, Lybiæ plerisque possidet, Graeciam et Hungariam, quarum altera mōri Italiæ, altera terræ Germaniæ, ad hanc usque tempora propugnaculum fuit, fere omnes in potestate babet; nec unquam in expletibili dominandi cupiditati finem factura esse videtur, donec ennetis Occidentalibus regnis sublati, delecto-que, si possit, Christiano nomine, nefarium ac detestabilem Mahometis sectam ubique ter-rarum constituat; quod, ut omnibus Christianis principibus notum esset, superiori anno saevissima ac fœdissima rupto palam fœdere, quod ad eam usque diem ipsi cum inclita Venetorum republica fuerat, cuique ipsius tyranni manus propria subscripserat, ingenti-bus maritimis terrestribusque copiis coactis, Cyprum, ejusdem amplissime reipublice insulan atque regnum, occupare aggressa, ingenti peditum equitumque numero in terram expo-sito, Nicosiam ejus insulæ urbem, maxima vi expugnavit. Et quidem horresemus, adhuc memoria recolentes ea, quae in ea civitate ab effera-ta gente, Turcicæ atque adeo barbaræ crudelitatis exempla sunt edita: liberos a pa-rentum complexibus abstractos, in miserrimam servitutem abduxit; Sanctissimi Redemptoris nostri, ejusque Sanctorum templo spoliavit; sacerdotes interfecit, domus diripiuit, denique ululatu, Christianoque sanguine omnia replevit; quibus nostris malis nondum contenta, adhuc majora molitur, jamque totius populi Christiani cervicibus imminens, Italiæ vastationem, urbibus incendia, omnibus Christifide-tibus exitium minatur. Cui quidem apertissimo reipublicæ Christianæ disserimus succurrere, et quantum in nobis est, adjuvante Domino obviam ire cupientes, cum intelligeremus id, quod experientia sœpe jam comprobatum est, nullius Christianorum principum vires, scor-sum ab aliis acceptas, Turcarum potentiae pa-tes esse posse: jam inde ab initio superioris anni, per litteras et nuntios charissimum in Christo filium nostrum Philippum Hispaniarum regem Catholicum monere hortarique pro officio nostro pastorali non destitimus; et initio nobiscum Aloysio Mozenigo Venetiarum duce, inelytoque Venetæ Reipublicæ senatu fœdere, communibus armis atque animis, ad propul-sandos saevissimi tyranni Draconisque impetus incumberet. Quibus ille paternis monitis, hortationibusque nostris, prompto alacrique animo, pro sua eximia erga Deum pietate cum morem gessisset; eumque simili Christianæ religionis, communisque utilitatis studio, Ve-netorum respublica ad nostram anoritatatem, voluntatem suam accommodasset; placuit Omnipotenti Deo, in ejus manu sunt omnium regum et principum voluntates, ut fœdus, quod votis omnibus expetiveramus, inter nos sanc-

¹ Ex Archiv. Vati. ut sap.

tamque hanc Sedem Apostolicam, et majestatem suam Catholicam, inelytamque Venetorum Republicam, in ejus nomine tandem uniretur utque conficeretur. Quia vero certum est, ejusdem federis felices prosperosque successus nihil magis adjuvare posse, quam si populus Christianus, in humilitate cordis ad Deum conversus, ea removere studeat, quæ divinae sua majestatis oculos offendentia, tot tantisque rei publicæ Christianæ cladibus causam attulere, eodem Domino, per Prophetam suum dicente: *Iniquitates vestre diriserunt inter vos, et Deum retrahunt;* et peccata vestra absconderunt faciem ejus a vobis, ne evadiat; hoc autem si fecerit, sperandum est, Deum, ut est benignus, multisque ad ignoscendum, et præstabilis super malitia; qui non vult mortem peccatorum, sed magis ut convertantur, et vivant; quique non obliviscitur misereri, sed ipse nos ad pœnitentiam invitat, dicens: *Convertimini ad me, et ego convertor ad vos;* fidelibus suis affuturum, neque ab infidelibus haereditatem suam occupari dissiparive passurum: idecireo, ex parte Omnipotentis Dei, et per viscera misericordiae illius, omnes et singulos utriusque sexus Christi fideles, foto orbe Christiano, et ubique locorum, in quibus Christum colentes habitant, consistentes; monemus atque hortamur, et enixe requirimus, ut in tali tantoque Reipublicæ Christianæ discrimine, ad Dominum Redemptoremque nostrum humiliiter foto corde conversi, conscientiam suam diligent studeant examine discutere, jejuniisque et orationibus et eleemosynis, qui potuerint, pro eorum devotione vacare; qui non potuerint, hæc ipsa aliis, quæ potuerint, suorum confessorum, ut infra approbandorum arbitrio, bonis operibus compensare studeant; quod, ut eo libentius faciant, quo ejusmodi conversionis fructus ubiores noverint se esse percepturos: nos, de Omnipotentis Dei misericordia, ac BB. ejus Apostolorum Petri et Pauli auctoritate confisi, et pro illa, quam nobis, licet indignis, Deus dedit ligandi ac solvendi, et thesauros Ecclesia aperiendi potestate; prædictis omnibus et singulis utriusque sexus Christi fidelibus, qui postquam harum litterarum notitiam habuerint, proxima vel secundæ immediate sequentis hebdomadae Quarta et Sexta feria, et Sabbato jejunaverint; et eadem, seu subsequenti hebdomada confessori idoneo peccata sua contitentes, devote primo quidem Omnipotenti Deo, pro felici prædicti federis conclusione gratias egerint; deinde vero pro ejusdem prospero successu, majorique in dies Christianorum principum unione, expeditionisque adversus communes hostes Turcas susceptæ victoria, pias ad Deum preces fuderint: et pro sua devotionis affectu, sicut supra dictum est, in pauperes eleemosynas erogaverint, sacram-

que Eucharistiam postera die Dominica devote perceperint, plenissimam omnium suorum peccatorum indulgentiam et remissionem, quæ Christi fidelibus Ecclesiæ alma Urbis, et extra eam ad id deputatas, anno Jubilæi visitantibus concessa est, in Domino misericorditer elargimur; dantes eis potestatem, pro hac vice tantum, eligendi quem voluerint confessorem, sæcularem presbyterum, vel cuiusvis Ordinis Regularem, ab ordinario loci, vel ab hac sancta Sede Apostolica approbatum: qui, eorum audita confessione, ipsos, et quemlibet ipsorum (quibuscumque haereticis, et libros damnatos, sine auctoritate nostra ex Sedis Apostolicae, scienter quomodolibet legentibus, aut in domibus suis tenentibus, aut imprimentibus, aut portantibus, seu disseminantibus, aut Officium S. Inquisitionis, sub quocumque praetextu, vel colore impedientibus exceptis) a quibusvis peccatis, vel criminibus, ac delictis, ac excessibus quantumvis gravibus et enormibus, etiam Sedi Apostolicae reservatis, et in Bulla, quæ in die Cœna Domini legi consueverit, contentis; et a sententiis, ac censuris Ecclesiasticis, ac pœnis, in quas quomodolibet incurrerint; injuncta eis pro modo culpæ salutari pœnitentia, in foro conscientiae ac pœnitentiali dumtaxat absolvere; et quæcumque vota ab eis emissa castitatis dumtaxat ac religionis exceptis, in alia pietatis opera commutare valeant. Praeterea eisdem Christi fidelibus, qui aut adversa valitudine, aut aliquo alio impedimento detenti, præmissa omnia vel alia implere nequiverint; ut illa in alia pia opera, arbitrio suorum confessorum commutare possint, quibus super hoc facultatem impartimur; similiterque iis, qui in itinere fuerint, si cum primum iter perfecerint, præmissa, ut dictum est, adimplerent; de ejusdem Omnipotentis Dei misericordia, ac BB. Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, plenissimam, et eam, quæ Christi fidelibus Ecclesiæ, ut præfertur, ad id statutas, anno Jubilæi visitantibus concessa est, indulgentiam, et omnium peccatorum suorum remissionem, tenore præsentium, misericorditer in Domino concedimus et elargimur. Quia vero, ad Dei iram placandam, et eam, quam cupimus, victoriam obtinendam, nihil efficacius esse potest, quam ut populus Christianus universus, non solum indictis a nobis his Apostolicis litteris, diebus, sed reliquo etiam tempore, eadem aliaque bona, et pia opera, toto animo amplectantur: nec fieri potest, ut universus talis sit, nisi unusquisque ad suæ vitæ emendationem correctionemque incumbat: idecireo, et ipsi omnes præfatos utriusque sexus Christi fideles et singulos paterne monemus, et ut a singulis locorum ordinariis, et quarumlibet Ecclesiæ rectoribus, per se et alios ad id idoneos frequenter moneri mandamus, ut

mores suos emendantes, et peccata corrigentes, vitam Christianae professioni convenientem, posthac ducere velint. Eosdem, qui in hac alma Urbe sunt, plurimum in Domino hortantes, ut solemnis processionibus, quas cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus, Christianorumque regum ac principum oratoribus apud nos existentibus, omnibusque praelatis et Romanæ curie magistratibus, die Lunæ, quæ erit xxviii Iunii mensis, a Basilica S. Petri usque ad Ecclesiam S. Spiritus in Saxia: et deinde die Mercurii subsequenti, ab eadem Basilica S. Petri, usque ad Ecclesiam S. Iacobi, Hispanorum nuncupatam: ac deinde Veneris subsequenti, ab Ecclesia S. Mariæ supra Minervam usque ad Ecclesiam S. Marci facere decrevimus. Reliquos vero alibi consistentes, his, quos post missarum solemnia ab Ecclesiasticalium, metropolitanarum, cathedralium, ceterarumque particularium rectoribus, postquam harum nostrarum litterarum notitiam habuerint, vel earum transumpta, etiam impressa ad eos deferri contigerit; diebus ab eis illorum arbitrio statuendis, celebrare, presentium tenore mandamus, devote interesse velint. Cupientes autem has litteras primo quoque tempore ad omnium notitiam perferri, universis et singulis venerabilibus fratribus nostris, patriarchis, primatibus et archiepiscopis mandamus, ut cum primum poterunt, eas sive earum transumpta, sine ulla fraude aut iure, et promulgent ipsi in civitatibus suis, et a suffraganeis suis promulgandas curent. Ipsi vero episcopis, ut primo quoque tempore, per parochos suæ enjusque civitatis ac diocesis, eas faciant publicari. Quod, ut facilius fieri possit, harum ipsarum litterarum transumptis, etiam impressis, manu tamen alicujus publici notarii subscriptis, signoque munitis alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, fidem sine ulla dubitatione haberi volumus atque decernimus. Prædictis omnibus et singulis notariis Ecclesiasticisque personis, sub excommunicationis pena districtius precipientes, ne ejusmodi publicationis, subscriptionis, ob-signationisque praetextu, quicquam, etiam a volentibus et ulti offerten-tibus, pecunia exigere, aut aliquod iuerum vel minimum facere audeant. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum, sub annulo Piscatoris, die xxiv Maii MDCXXI. Pontificatus nostri anno vi. Prædictarum autem supplicationum modum, his verbis refert præfatus in suo Diario Firmanus¹:

238. « Die Lunæ xxviii Maii, hora octava, Sanctissimus dominus, accepta faldæ in parva camera consueta, cruce præcedente, et cardinalibus subsequentibus, descendit ad S. Pe-

trum, oratore Cæsaris caudam faldæ portante: et cum orasset aliquantulum ante Sanctissimum Sacramentum, cantores incepérunt Litanias, et dixerunt usque ad versiculum S. Maria, et tunc Sanctissimus dominus dixit: S. Maria, Sancta Dei Genitrix, Sancta Virgo Virginum; cantoribus respondentibus, qui postea reliqua ecceinerint usque ad versiculum: Ut regibus et principibus Christianis initam conoriam donare digneris. Te rogamus, etc. Ut Turcas, et tuæ sanctæ fidei hostes perdere, et ad nihilum reducere digneris. Te rogamus. Quibus dictis Sanctissimus dominus noster perrexit processionaliter, semper legens in suo parvo Diurno, et aliquando populo benedicens, ad Ecclesiam S. Spiritus, cum societatibus, religionibus, et clero Urbis. In præfata vero Ecclesia oravit ante Altare maius, a quo remotum iuerat Sanctissimum Sacramentum, ivit ad sacellum, in quo cepit paramenta, interfuitque Missæ, quam celebravit reverendissimus Cribellus, qui dixit Missam de Spiritu Sancto, cum Collectis de B. Virgine, et contra Paganos: intulato tamen verbo *Paganorum* in aliud *Turcorum*: interfueruntque Missæ quadraginta cardinales, assistentes qui supra, et indulgentia iuerunt decem annorum. Missa completa, et data benedictione, Sanctissimus dominus descendit ad Faldistorium, et sine mitra genuflexit, et tunc cantores voce flebili et mæsta dixerunt Psalmum: Exaudi te dominus: deinde Sanctissimus dominus stans dixit versiculos et Orationes, ut infra:

« V Pater noster.

« V Et ne nos inducas in temptationem.

« Á Sed libera nos a malo.

« V Domine, non secundum peccata nostra facias nobis.

« Á Neque secundum iniquitates nostras tribuas nobis.

« V Ne respicias peccata nostra, Domine.

« Á Sed fidem Ecclesiae tuae.

« V Exaudi, quæsumus, Domine, supplicum preces.

« Á Et confitentium tibi parce peccatis.

« V Concede, quæsumus, populo tuo, ut sit,

« Á In observatione, cor unum, una fides, et anima una mandatorum tuorum.

« V Fiat misericordia tua, Domine, super nos.

« Á Que nadmodum speravimus in te.

« V Aperi, Domine, manum tuam supernos.

« Á Et reple nos benedictione tua.

« V Ad nihilum redige inimicos nostros.

« Á Gentes, quæ non neverunt nomen tuum.

« V Domine exaudi orationem meam.

« Á Et clamor meus ad te veniat.

« V Dominus vobissem.

« Á Et cum spiritu tuo.

¹ D. ar. Firman., p. 161.

Oremus.

« Pientissime Domine, qui iniuitates etc.
ut supra.

« Concessit Sanctissimus Dominus Jubileum, ad exorandum Deum pro liberatione populi Christiani, de manibus Turcarum, qui magnam undique minabantur perniciem.

« Die Mercurii xxx Maii, sanctissimus Dominus cum folla de panno, et stola, ut antea die Lunæ praecedenti, venit ad S. Petrum; oravit ante Sanctissimum Sacramentum, et omnia fecit, ut in altera Processione, perrexitque ad Ecclesiam S. Jacobi Hispanorum, in qua Sanctissimus dominus oravit, accepit paramenta in sacello, et interfuit missæ, quam celebravit Rmus Tarragonensis, de S. Jacobo, cum Collectis omnium Sanctorum, mutato verbo *celebritate*, in aliud *commemoratione*; et tertia Collecta, contra Turcas. Interfuerunt quadraginta duo cardinales. Assistentes qui supra. Indulgentia decem annorum, quam publicavit Rmus celebrans. Missa completa, Sanctissimus dominus descendit ad faldistorium, et cantores dixerunt Psalmum: *Deus noster refugium et virtus etc.* Postea ipse Sanctissimus Dominus dixit versiculos, et Orationes, ut in die Lunæ. Depositis deinde paramentis, ad Ecclesiam S. Marie supra Minervam se contulit, ibique mansit usque ad diem Veneris subsequentis; quod inde processionaliter procedere ad Ecclesiam S. Marci deberet.

« Die Veneris prima Junii, Sanctissimus dominus discedens ab Ecclesia B. Mariæ supra Minervam processionaliter, ad Ecclesiam Sancti Marci se contulit; ibi paramenta accepit, interfuitque Missæ, quam celebravit Rmus cardinalis Amulius, cum Collectis contra Turcas, et pro Sanctissimo domino nostro. Intervenerunt quadraginta duo cardinales. Assistentes, ut supra. Missa completa, Cantores dixerunt Psalmum: *Dens, venerunt gentes in hereditatem tuam etc.* et Sanctissimus Dominus in faldistorio recitavit versiculos, et orationem ut supra ». Ista fidelissime Firmanus.

239. *Invigilat Pontifex ut quam primum unusquisque fœderatorum suas partes impleat.* — Dum vero tanto tamquam enixo studio Pontifex divinis vacat, ut initio fœderi cœlestem opem imploret, eidem adjuvando humana consilia minime prætermittit; imo tanta diligentia his incumbit, ut nil eorum facere videretur: statim enim ac primam a fœderatis, quam memoravimus, tandem capitum fœderis subscriptionem obtinuit, de expeditione hujus anni sollicitus, ad cardinalem Granvellanum¹ regni Neapolitanii proregem, sequentes litteras dedit:

« Dilecto filio nostro Antonio, cardinali Granvallano nuncupato.

PIUS PP. V.

« *Dilecte fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem.*

« Cum placuisset Omnipotenti Deo, pro sua misericordia, ejus nos rei compoles facere, quam omnibus animi nostri votis expetiveramus, ut fœdus contra Turcas, de quo inter nos, serenissimum regem Catholicum, et inelytam Venetorum rempublicam incundo, quod tu quoque non ignoras, multum diuque actum est, aliquando tandem confectum cerneremus. Visa nobis res digna est, de qua circumspitionem tuam etiam certiores faceremus, eique de ea ipsa re, quemadmodum facimus, gratularemur; pro comperto habentes ejus ipsius fœderis confetti voluptatem tibi, pro tua erga Deum pietate, et Reipublicæ Christianæ studio, nobiscum, et cum toto populo Christiano esse communem, quem universum ex unius hujus Urbis gaudio conjicimus, magnam ex eadem re in Domino laetitiam esse accepturum. Quia vero ejusdem fœderis execuendi, nos in primis initium facere volumus, ob eamdem causam dilectum filium nobilem virum Marcus Antonium Columnam, classis nostræ generalem, una cum duodecim triremibus nostris Hydruntum primo quoque tempore mittere decrevimus; ut ictius celeritas cœteræ fœderatorum classis, eodem serius navigatione tarditatem compensare possit; idecirco circumspitionem tuam vehementer in Domino hortamur ac requirimus, ut et ipse, pro communis expeditionis utilitate paratas instructasque habere eures, saltem octo triremes, quibus prædictus Marcus Antonius, postquam isthuc appulerit, ad nostram classem adjunetis, tuto Messanam in Siciliam navigare possit: et ad ejusdem Siciliæ proregem scribas, ut et ipse cum triremium numero, quem majorem habere potest, paratum instructumque habere euret; eo consilio, ut omnibus simul conjunctis, eadem nostra classis Messana Hydruntum tuto deinceps navigare possit. Hoc enim, ut fiat, necessarium esse videmus, propter piratarum navigia, quæ mare ipsum jam diu infestum reddere incœperunt. Quam quidem ad rem, pluribus verbis circumspitionem tuam hortari idecirco superseedemus, quia, ut res, communisque expeditionis utilitas, pro nobis, ipsa ad te loquitur; sic tuum erga Rempublicam Christianam studium, nobis jampridem perspectum, nullam majorem hortationem requirere videtur. Datum Roma, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xxii Maii MDLXXI, Pontificat. nostri anno vi ».

240. Scripto seorsim confecto, a generalibus quæ attulimus fœderis capitibus, statutum inter fœderatos fuerat, ut præsenti anno, quamprimum (non tamen toto mense Maii (ut scribit Bzovius) quod id fere impossibile esset, cum jam pene Maius elapsus fuisset, cum id decretum

¹ Ex Arch. Vatic. ut sup.

firmatum fuerat) octoginta Hispanicae triremes, viginti naves, praeter Pontificias, Sabaudas et Melitenses, cum classe Veneta Hydruntum se conferrent; sed quia, ut infra dicetur, et ex allata ejusdem Pii Epistola apparet, mare infestum Turcae pirata reddabant: ideo, ut classi sue tunc Hydruntum petendi iter esset, juxta condicium, ac ipso tempore sollicitudinis in hac expeditione exemplum federatis aliis, ac praeceps Hispanis, quorum segnitiam ac artes adhuc metuebat, praeberet; prefata Epistola Granvillanum ad opus urgere et excitare Pius voluit, sibique una ac sue classi consulere.

Et certe eodem animo suspicaci, studiaque ac consilia eorumdem Hispanorum metuente, Philippum regem crebris litteris sollicitasse, perspicuum est. Desunt ea, quae triduo post subscriptum foedus, ad eum scripsisse adnotatum reperimus. At ex illis, quae sub die xxvi Maii ad ipsummet et ad Joannem Austriam¹ scripsit, quae asserimus, manifesta redduntur. Sunt enim hujusmodi:

« Charissimo in Christo filio nostro Philippo, Hispaniarum regi Catholico.

PIUS PP. V.

« Charissime in Christo fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Triduo ante, majestati tuae litteras dedimus, quibus ei gratulati sumus de foedere, quod in nomine Omnipotentis Dei, inter nos, sanctamque hanc Sedem Apostolicam, majestatem tuam, et inclytam Venetorum Rempublicam, adversus communes Christianorum omnium hostes Turcas, tandem aliquando confectum fuit. Eisdem litteris, majestatem tuam vehementer in Domino hortabamur, ad id, ad quod etiam his litteris item eam hortari voluimus, ut classem, scilicet, suam, una cum dilectissimo filio nobili viro Joanne de Austria fratre suo, ad has nostri maris oras, primo quoque tempore mittere velit. Opus est enim celeritate, quae si ab his, qui eam praestare debent adhibebitur, speramus aliquid adversus communes hostes posse profici: sin minus multa timenda sunt, quae M. tuae, pro sua prudentia non ignota esse arbitramur. Quocirca illam majorem in modum rogamus ac requirimus, ut quod fieri oportet, id, ut quamprimum fiat, opem det; nihilque prætermitti patiatur earum rerum, quas ad sue classis in hæc loca trajectiōnē accelerandam necessarias atque accommodatas esse intelliget. Quod M. tuam facturam esse non dubitamus, pro sua prudentia, et erga Rempublicam Christianam studio. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xxvi Maii MDLXXI, Pontificatus nostri anno vi. »

Et ad Joannem de Austria:

« Charissimo in Christo filio nostro Joanni de Austria. »

PIUS PP. V.

« Charissime in Christo fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Quamvis biduo ante nobilitatem tuam certiore fecerimus, de foedere inter nos, sanctamque hanc Sedem Apostolicam, serenissimum Hispaniae regem Catholicum fratrem tuum, et inclytam Venetorum Rempublicam, in nomine Omnipotentis Dei confecto; eaque ipsa de re, nobilitati tuae gratulantes, magnopere jam eam hortari fuerimus, ad trajiciendum primo quoque tempore, cum ejusdem serenissimi fratris tui classe, in has oras nostri maris, ut conjunctis omnibus maritimis copiis, communium hostium impetus facilis propulsari possit; tamen cognoscentes, quantum Rēpublica Christiana intersit, expeditionis adversus Turcas communiter suscepti Christianorum confederatorum classes unum in locum quamprimum congregari: idecirco nobilitatem tuam his nostris litteris hortari iterum voluimus, ut in trajiciendo, quam maximam potest, ablibere celeritatem velit. Quod ut facial, non solum ob eam causam desideramus, quia eam ipsam celeritatem magno ad rem bene gerendam adjumento fore cognoscimus; sed etiam, quia nobilitatem tuam videre et alloqui vehementissime cupimus; ob eamque causam de sua in hæc loca nostra trajectione quamprimum audire desideramus. Cui etiam eo nomine gratulamur, quod hanc illi Dens priuam contra infideles expeditionem obtulerit, in qua militaris ejus virtus splendescere potest. Ejus autem desiderii, quo nobilitatis tuae videnda et alloquenda lenemur, ut nos, pro sua misericordia compotes faciat, eundem Deum Omnipotentem rogamus. Datum Roma apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xxvi Maii MDLXXI, Pontificatus nostri anno vi. »

241. *Pius Sorianum, foderis egregium pro-pugnatorem, apud se retinet: signa laetitiae apud Venetos et Hispanos.* — Ut autem fœderatorum nemo speciem aliquam rite obtendere posset, qua excusaretur, quo minus partes suas imple-re posset; statim quæcumque potuit, ac ab eo expeti quibant, illis subsidia Pius praefixit. Hinc cum intellexisset Venetos, ferme supra vires, bellicorum sumptuum magnitudinem, bello contra Turcas gerendo sustinere; clementer illis induxit, ut in universa Veneta ditione, ab sacris viris aureorum nummum centena millia, in annos quinque, durante fœdere, per sacros administros colligere possent. Cum So-rianus vero Venetus, apud Pontificem orator,

¹ Ex Archiv. Vatic. ut supra.

¹ Ibid. ut supra.

vix firmato fædere, in patriam redditum, vel cogitaret, vel cogitare compulsus esset (quod jam ab anno superiore, ut vidimus, utpote nimis belle ac fæderi studiosum, cum Veneti Patres offendit haberent) : societasque jam inita, utilitati, opportunus nimis Soriani discessus ab Urbe¹, Pio illecreo videretur, ad senatum ipse litteras sequentes dedit², quibus virum summo ingenio, admirabili rerum usu insignem, per aliquot meuses apud se manere petiit, ut si quid, quod ad fœdus ipsum attineret pertractandum foret, ab eo, qui ab initio ad exitum usque virtute ac prudentia in Reipublicæ egregiam operam navasset, conficeretur.

« Dilecto filio, nobili viro Aloysio Mozenigo, Venetæ Reipublicæ duci.

PHYS. PP. V.

« Dilecte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Cum exposuisset nobis dilectus filius Sorianus, tuus ad nos orator, se a nobilitate tua, inelytoque isto senatu isthuc revertendi, quam petiebat licentiam obtinuisse: magnam ex illius præpropere discessu molestiam accepimus. Itaque magnopere ab eo, et pro officio pastoralique nostra sollicitudine, contendimus, ne omnino ex Urbe ante discederet, quam nobilitas tua, ad has nostras litteras rescriptsset; quibus ipsam eundemque senatum vehementer rogamus, ut illum adhuc aliquot mensibus apud nos tantisper morari jubeant, donec ea, quæ pertinent ad fœdus superioribus diebus contra Turcas initum, eo, quo eupimus, certius maturiusque dirigatur. Nam quoniam rebus his, que majoris momenti fuerunt, hucusque semper interfuit, æquum videtur, illum etiam non prius ex Urbe discedere, quam reliqua ad idem negotium spectantia, progressum aliquem accepisse agnoscantur. Est enim judicio nostro vir, ob ingenii dexteritatem et prudentiam, valde idoneus ad quælibet negotio tractanda, et ad id, quorum id fœdus interest, satisfaciendum. Quocirea in hoc, quod a nobilitate tua impetrare volumus, non aliam ob causam petamus, nisi quia id, et communiter omnibus fœderatis, et privatim tibi, reique isti publicæ utile esse intelligimus; justum videtur, te una cum amplissimo isto senatu, in ea re judicii voluntatisque nostræ rationem, quam par est, habere. Quod vos facturos esse non dubitamus, pro vestro erga Rempublicam Christianam studio, et erga nos sanctamque hanc Sedem Apostolicam observantia; erit id certe nobis gratissimum. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die prima Junii MDLXXI, Pontificatus nostri anno VI ».

Haud gravale id Pontifici a Venetis conces-

suum, quod certe non aliud quam commune fœderis bonum spectare cognoscerent. Mauroccus¹ scribit; qui etiam refert initæ societatis Venetas nuntio allato, vix dici posse quanto omnes civitatis illius ordines gaudio perfusi fuerint, cum toti orbi Christiano summa tantæ rei expectatione defixo, quo tempore minus sperandum videbatur, diu exoptata lux affulisset. Hinc illius eximia lætitiae signa edita fuisse narrat, eumque præco, senatus seriba perlegente, ingenti voce fœdus Romæ ictum in hæc fere verba pronuntiasset: « Deo Opt. Max. Beattissima Virgine votis Pii Summi Pontificis annuentibus, perpetuum inter Apostolicam Sedem, Philippum Hispaniarum regem Rempublicamque Venetam fœdus, adversus Turcas fuisse percussum, Maximiliano imperatori, Carolo Christianissimo Galliarum regi locum in eo amplissimum relatum. Deum Opt. Maxim. ab omnibus subnixe exorandum, ut sociis hisce principibus prospera cuneta, ad Venetorum incrementum, totiusque Christianæ Reipublicæ commune bonum largiretur. » Verba hæc summo silentio audita, ingentibus acclamationibus, ac innumeræ fere multitudinis, quæ forum, publicas privatasque ædes compleverat, plausu excepta fuisse, idem asserit.

242. *Sumptibus belli Pius providet.* — Nec minoris, tum publice, tum privatim lætitiae signa edidit Philippus Hispaniarum rex, utpote qui firmissimo animo ac reela mente, (quidquid fuerit, quod, aut segnitie aut malitia administrí ejus saepè interpellasset) fœdus exoptasset. Ad illius autem ferenda onera, multiplicem Pius cogendæ pecuniae ei facultatem attribuit: ipsique centum triremes, quæ ad maritimam Italiam tutanda præsidia, Pii IV concessu, Ecclesiæ vectigalibus sustenabantur, confirmavit. Nec prætereundum memorabile quoddam, quod inter hæc a Pio diculum, Gabutius² refert: subjacentibus enim nonnullis, opportune factum iri, si per eam occasionem, optimos proventus, aut alia commoda consanguineis suis apud regem ipse procuraret: « Se sacrarum facultatum mercatorem nequam esse, respondit; sed ejusmodi subsidia, ad Christianæ Reipublicæ salutem, se gralito ac libenter concessisse, ut fœdus ictum, eo liberalitatis vinculo sanctius devinciret ». Et quidem id verum: neque enim ea, ut prius concederet, adduci unquam potuerat, quod nullam ejusmodi causam subesse existimasset.

243. Qua vero ratione, ad bellum ipse gerendum pecuniam cogere instituerit, Gabutius ipse his verbis dicit: « Et quoniam, propter multa, eaque maxima, quæ, et Melitensibus et Cæsari in Pannonia contra Turcas, et Gallorum regi, et Belgis Britannisque Catholicis adversus

Murocen. Hist. lib. 10 p. 400. — ² Ex Archiv. Vatic. ut supra.

¹ Ut supra. — ² Ut Vit. Pii lib. 4. c. 7. p. 139 Nota.

haereticos pugnantibus, tum pecuniarum, tum vero copiarum auxilia saepe miserat, exhaustum erat aerarium Pontificium: ex Urbanis magistratis nonnullos, bellici hujus subsidii causa vendere, ut moris est, prope cogebatur. Quare cardinali Alexandrino sororis sua nepoti, camerarii munus, quod ei superiore anno contulerat, abrogare, venaleque fribere constituit. Id vero cardinali minime ingratum accidit; quin etiam is, Christianae Reipublicae causa, in gratiam Pontificis, tali munere libentissime sese abdicans, Pio id postulanti respondit: Si vellet, eo genere subsidii ad ejusmodi occasionem uti; id majoris se in beneficii loco positurum, quam eo ipso recipiendo posuisse. Hunc igitur magistratum, qui snapte natura venalis erat, vendidit Pius septuaginta millia nummum aureorum: eademque de causa camerare Apostolicæ clericorum numerum, cum antea septem essent, adauxit ad duodenarium: e quibus centum et viginti quinque millia nummum aureorum collegit. Dodecim dittoribus cænobitarum Ordinibus, qui postea tringita duo aureorum millia in annos singulos se collatueros esse transegerunt, quadrigentorum millium aureorum tributum imperavit. Ex quibus *Fidei Montem* instituit, eumque *Religionis montem* appellari decrevit. Atque eisdem Ordinibus ipsius subsidii causa nonnulla bona sua vendendi fecit potestatem. His et aliis præterea cænobilis, senas decimas imposuit: habitaque Mendicantium Ordinum ratione, illorum tributum, ad tres decimas, ex antiqua aestimatione revocavit. Super alios itidem sacros fructus ac pensiones, per Italiam, excepta Venetorum dictione, sex decimas indixit. Ad haec, usus quoque semel est monstruo fructu nonnullorum Romanæ curiae magistratum. Statuit demum, ut exules, tum clerici, tum laici, de exilio revocarentur; in eos imposta muleta, per viros ad id idoneos definienda». Sic ille, qui lamen erroris convincitur in eo, quod hoc anno camerarii munus cardinali Alexandrino abrogatum fuisse scribit; nam, id superiori factum, minusque idem, quo se Alexandrinus abdicavit, cardinali Cornelio collatum fuisse, suo loco narravimus, patetque ex ipso abdicationis originali Diploma, quod nostris ipsi oculis legimus.

244. Fuisse autem, qui per hanc occasionem belli, ac initi fœderis Pio proponerent, ex usu maxime futurum, si ad Ecclesiastica beneficia regressus sacerdotibus concederet; (idem Gabilius¹ tradit): nam inde deies fere centena aureorum millia colligi posse, monstrarunt. Verum horum consilio minime acquiescendum sapienter Pontifex existimavit: «Quod ea res, ad alia multa, et indigna, et indecora viam patet faceret. Sic enim fore, ut Ecclesiastica bona,

que viris probis ac sapientibus, Pontificium arbitrio essent distribuenda, sensim ineplorum et indignorum hominum fierent quasi patrimonium; atque ita, non virtuti, atque Ecclesiarum utilitati, sed carni ac sanguini, atque adeo impuris interdum administris consuleretur. Denique nullam tantam esse posse necessitatem, que principi quenvis bonum, nedium Pontificem Summum, ad ea, que vel divinis vel humanis legibus minime consentanea sunt, publice concedenda inducere possit». Hinc est, quod hujusmodi consilio non modo non adhesit, sed adeo illud aversatus est, ut paulo post, nempe idibus Septembribus hujusmet ambi, Constitutione edita, hujusmodi regressus et accessus, et coadjutorias ad Ecclesiastica beneficia quibuscumque concessos, revocaverit, ac districte, ut alibi diximus, inhibuerit.

245. *Hortatur litteris Pontifex imperatorem, necon Galliæ et Poloniæ reges ut ad fodus initum accedant.* — Memor vero ejus, cui se in fœdere præcipue obstrinxerat, ut nempe Christianos alios principes, pro sua auctoritate paternæ cohortaretur, ut huic ipsi fœderi nomen darent, haud multo post ab illius publicatione, eo sibi injuncto munere perfungi cœpit, ut appareat ex his, quas ad Maximilianum Cesarem, et ad Galliarum regem Epistolis dedit. Et ad primum quidem hoc modo:

«Charissimo in Christo filio nostro Maximiliano, Hungarie et Bohemiae regi illustri, in Romanorum imperatorem electo!»

PIUS PP. V.

«Charissime in Christo fili nostro, salutem et Apostolicam benedictionem.

«Arbitramur ad M. tuam jam allatum esse de fœdere, quod in nomine Omnipotentis Dei, superioribus diebus, contra immanissimum Turcarum tyrannum initum fuit inter nos sanctamque hanc Sedem Apostolicam, serenissimum Hispaniarum regem Catholicum, generum sum, et amplissimam Venetorum Rempublicam. Quia vero, peccatis nostris facientibus, ita erexit Turcarum potentia, ut ad eam debilitandam, non nisi coactæ in unum Christianorum regum ac principum vires sufficiant videantur; idecirco M. T. principem inter eos locum obtinentem, hortamur in Domino, ut ad hoc tam necessarium Reipublicæ Christianæ fœdus se adjungens, nobiscum Redemptoris nostri causam adjuvandam suscipere velit. Quod quidem M. T. ob eam non solum rem facere debet, quia ei in primis Christianæ religionis, ac sanctæ Ecclesie contra infideles tuendæ, patronium a Domino commissum est; sed etiam quia exemplo suo reliquos Christianos principes, ad idem faciendum proculdubio est impulsura.

¹ Ibid. ut sup.

¹ Ex Archiv. Vatican.

Sicut autem nemo est illorum omnium, te uno, charissime in Christo fili, excepto, qui vel opportunitate locorum, vel pedestrium equitumque copiarum numero ac robore, communem Christianorum contra Turcas expeditionem magis juvare possit: ita etiam majorem hae occasionem ipse habere non potes, sive ad res ipsas Transylvaniae constituendas, sive ad eam partem Hungariæ, quæ superiorum temporum cladibus amissa est, recuperandam; sive ad vires ferocissimæ atque avarissimæ gentis imperii tui tinibus periculose admodum imminentis labefactandas; quod quidem, adjuvante Domino nostro, arbitramur difficile non fore, si tu, cuius auctoritatem, ut diximus, ceteri Christiani principes secenturi sunt, intrare volueris illud fœdus, quod a confederatis omnibus ea spe initum est, ut pro certo haberent te simul, atque illius confecti occasio tibi oblata esset; neque religionis causæ, neque communi Reipublicæ Christianæ, cum tua propria utilitate conjunctæ, pro Catholicæ imperatoris officio, ullo modo esset defutatum. Quo sit, ut omnium Christi fidelium, nostrisque paterni oculi in te potissimum conjecti sunt, cui te communi opinioni expectationique respondere, vel ob unam eam causam, æquum est. Quod si hoc Christianæ Reipublicæ bene gerendæ tempus amiseris, periculum est, ne posthaec aliam id faciendi occasionem frustra sis desideratus. Nec vero nobis res est cum hoste, ut multi existimant, invicto; sed cum eo, qui et superiore aetate, a Christianorum exercitibus sœpe vicius, et nostris temporibus, ut cetera sileamus, ab uno Hierosolymitanæ religionis Ordine, magna cum ignominia repulsus est. Hanc autem ipsam potentiam, ob quam plerisque formidolosus videtur, non tam militari virtute, quam perfidia, et fallaciis, nostrisque discordiis collectam habet. Dum enim singulis Christianis regibus ac principibus bellum infert, cum aliis interim pacem simutat; facile illi fuit, nemine, qui ejus conatibus resistere posset, repugnante, ad hunc potentiae gradum pervenire; ad quem, sicut non propria virtute, sed Christianorum principum inter se dissidentium discordiis aseendit; sic non difficile futurum est de illo ipso, eorumdem concordia, adjuvante Domino, cuius justam causam loyemus, disturbari. Quod si ab hoc consilio, M. T. induciae ipsæ fortasse deterrent, quas cum Turcarum tyranno habet; cogitare debes nullas esse posse Christianis cum infidelibus tam firmas inducias, nulla fœdera tam stabilia, quæ illi omnium gentium perfidiosissimi violare non audeant. De quo, ut vetera omittantur, dubitare nos vetat reconsensum exemplum fœderis, ab eacum Venetorum Republica nuper impudentissime violati. Ad quod illud quoque accedit, quod Turcae domestici tui hostes sunt, qui veterem Christiani

imperii ditionem, ejusdem domicilio, ac sede per summum scelus occupata, sibi injuste vindicarunt; e quorum manibus, ejusdem fœderis auxilio illa quæ tui juris sunt eripere, non minus tibi in posterum gloriosum, quam in præseus utile futurum est. Quæ eum ita sint M. T. iterum eo, quo majori possumus, animi nostri studio hortamur, ut tam opportuno tamque necessario Reipublicæ Christianæ tempore, communem Christianorum omnium causam deserere nolit; sed quemadmodum sua majorumque suorum inclytæ memoriae regum atque imperatorum gloria dignum est; ad illud se fœdus primo quoque tempore adjungat, in quo communis salutis consilia, adversus immunitissimos Turcas inita sunt. Hoc enim si feceris, et in hoc sæculo regnare, et in altero æterna perfici beatitudine poteris. Si vero quod absit id facere omiseris, cogita tibi cum celeris, ad aeterni Regis et Judicis tribunal veniendum esse, qui unicuique reddet secundum opera sua; cui te nunquam excusare poleris, si ejus honori, et populi sui saluti, occasione tam idonea oblata, defueris. Qua de re, quæ plura dici possunt, ven. fratri episcopo Torcellano, quem nostrum, et hujus S. Sedis Apostolicæ nuntium ad M. T. mittimus, exponenda mandavimus; cujus orationi fidem habebit M. T. ac si nos ipsos secum loquentes audiret. Datum Romæ apud S. Petrum sub anno Piscatoris, die ultima Maii M.DLXXI, Pontificalis nostri anno VI.

Præcipuum nihilominus ad Maximilianummittendi episcopum Torcellanum causam fuisse arbitramur, quod paulo ante, nempe sub finem Aprilis, Melchior Bilio, quem multoties memoravimus, Apostolicus in aula Caesarea nuntius, extremum diem obierat; ulti evidenter coligitur ex altera Epistola Pii, die nona ejusdem mensis Maii ad ipsum Maximilianum; qua illius litteris, sub vigesima octava Aprilis scriptis, respondet, in eaque Biliæ jam vita funeti meminit; quæ in Regesto Vaticano habetur, ut supra etiam meminimus.

246. Sed, ut ad rem redeamus, frustra Pius per Torcellanum nuntium ac prefatis litteris in suam sententiam Maximilianum perlrabere coninxus est. Maximilianus enim, icti fœderis nuntio accepto, licet magnam lætitiam præ se tulisse visus esset, attamen Venetorum oratori, qui et ipse sui senatus nomine, ad fœdus subeundum invitaverat, multisque ad egregium capessendum opus hortatus fuerat, nihil aliud responsum dederat, nisi Deum Omnipotentem fœderatorum rebus, propitium futurum. In magna siquidem (ut refert Maurocenus¹⁾) consiliorum ambiguitate ac perplexitate versabatur; Turcarum arma, quæ jam pridem expertus fuerat

¹⁾ Mauroc. Histor. bb. 10. p. 400.

veritus, ægre in gravissimas belli curas ac sollicitudines se demissurum videbatur; cum præsertim Transylvaniæ res, quæ bellum portendere olim existinabantur, Joanne principe modo extincto, Stephano vero Bathoreo, generis nobilitate ac propria virtute insigni, a primoribus illius provincie principe nuncupato, tunc interquiescerent. Ista Maurocenus; at nos probabilius forte censemus, diversis ab his cogitationibus Maximiliani animum divexatum fuisse, quippe qui Bathorei (ut diximus) electioni minime faverat, ac ad principatus apicem a Turcis evectum sciret; in quos idecirco haud facile arma, sed in se potius, si contra Turcas eosdem bellum intentare aggressus fuisset, conversurn Bathoreum ipsum existimaret; ut prætereamus consilia, quæ Maximilianus idem tunc commoliebatur, de Polonico regno, in familiæ sue aliquem adsciendo. Quidquid fuerit, certum est, nec Pii litteras, nec cardinalis Commendoni legationem apud eum, ut infra dicetur, profecisse, ut sacro fœderi nomen daret.

247. Cum Carolo Francorum rege, ut innimus, de hoc ipso egit etiam Pontifex¹ hac Epistola :

« Charissimo in Christo filio nostro Carolo, Francorum regi Christianissimo.

PLVS PP. V.

« Charissime in Christo fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Cum placuerit Omnipotenti Deo, omnis sanctæ conjunctionis concordiaque auctori, charissimum in Christo filium Hispaniarum regem Catholicum, et inelytam Venetorum Rempublicam, nobiscum et cum sancta hæc Sede Apostolica, mutuo adversus communes Christianorum hostes Turcas, superioribus diebus fœdere conjungere; non dubitanus majestatem tuam, pro Christianissimi regis officio, ejus rei nuntium lætissimo animo accepisse. Cum enim intelligamus, et pro suscepto a nobis, quamvis indignis, Apostolicæ servitutis mune-
re, et pro ejusdem fœderis executione, præcipuas nostras partes esse, reliquos etiam Christianos reges, ac principes, ad id fœdus intrandum hortari M. T., quam pro certo habemus, nemini illorum pietate et erga Rempublicam Christianam studio concedere, ad hoc ipsum excitare nostris litteris in primis voluimus: quæ quidem, et si regnum suum nulla cum Turcis finium propinquitate conjunctum habeat, ob eamque causam, ab eorum impetu remotius esse videatur, quam ut illorum armis vexari facile possit; cogitare tamen debet, non esse dignitatis suæ, in communī cæterorum Christianorum periculo, privata sibi consilia quærere; et aliis

cum infidelibus bellum gerentibus, ipsam solam cum eis pacem habere, præsertim cum, quod M. T. parum decet, idem etiam securitati sit inutile; cui quidem parum certe consules, si vicinorum populorum, ac principum tectis, Turcicis bellis ardentibus, dum ad te flamma perveniat, expectabis. Noli enim putare, charissime in Christo fili, immanissimum Turcarum tyrannum, tot opulentissimis Christianorum regnis, in Europa, Africa, atque Asia, te unum præcipuum, cuius regno parcat, esse habitum. Simulat ille interdum amicitiam cum aliquibus Christianis principibus, privati cœmodi causa; revera autem omnibus infensus est. Tibi vero, regno tuo, eo quam cæteris infensor, quo magis virtutem Francorum novit, et ex rerum ab eis in Asia contra infideles gestarum magnitudine, illorum fortitudinem, magnitudinem, ac rei militaris gloriam perspectam habet. Ad hæc illud quoque accedit, quod si nobiscum et cæteris Christianæ Reipublicæ regibus ac principibus, quos pro certo habemus, hujus fœderis atque temporis opportunitati non defuturos, communem hanc contra infideles expeditionem suscepereis; non parum, hac etiam ratione, regni tui tot hæreticorum perturbationibus afflicti, quieti tranquillitatique prospicies. Nihil enim accommodatius esse potest, ad exhausti-
dam ex tuo regno seditionis perniciosa sentinam, quam si procul ab eo, in diuturnam ac longinquam militiam mittantur. Sed faciamus haec, (qua, ut ipse quoque intelligis, non parvi momenti sunt,) nullum aut exiguum admodum pondus habere, et ad ea jam veniamus, quæ sunt maxima, quia cum anime tuae salute conjuncta sunt. Vocat te ad hoc sanctissimum fœdus intrandum, ratio communis Reipublicæ Christianæ salutis, in extremum fere jam disserimen adductæ. Vocat te Christianissimi regis cognomen, cuius proprium est semper cum infidelibus bellum gerere. Vocat Deus, qui te suo pretiosissimo Sanguine redemit, de cuius religione ac fide agitur contra communes hostes tuenda. Vocamus et nos, qui et si indigni, divina tamen dispensatione illius vices in terris gerimus. Dei voces si homo neglexerit, quis præterea audietur? Sui patris monita si filius aspernatus fuerit, quis ei obtemperabit? Quæ cum ita sint, M. T. hortamur, monemus, et per Omnipotentem Deum obtestamur, ut publicæ saluti subveniat, quæ ob communium hostium potentiam nimis anctam, non nisi communibus omninn Christianorum principum armis defendi potest; quos quidem et ipsos vehementer speramus, tum proprio officio, tum etiam auctoritate tua adductos, communem Dei causam non esse ullo modo deserturos; seque primo quoque tempore ad illud fœdus, prompto alacrique animo esse adjuncturos, in quo communis salutis adversus imminentia pericula pro-

¹ Ex Archiv. Vatic. ut supra.

pulsanda, consilia juncta sunt; quod Majestatem quoque tuam, pro Christianissimi regis officio, facturam esse non dubitamus. Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die ultima Maii MOLXXI, Pontificatus nostri anno VI^o.

248. Quae ad haec Carolus responderit, nobis incomptum; verum ex iis, quae Maurocenus narrat Venetorum oratori ab ipso dicta, elici posse videntur, quae Pontifici responsa reddiderit: « In Carolo Galliarum rege (ejusdem Mauroceni¹ sunt verba) qui saepius ad pacem senatum cohortatus, ob id nuper Aquensem episcopum legalum Bizantium designaverat, cum pereussi fœderis a Venetorum oratore certior factus, ne se a communibus Christianæ Reipublicæ rationibus sejungeret, incitaretur; aversus a communi societate animus non obscure conspiciebatur, quippe qui, bellis civilibus in Gallia laborante, omnes cogitationes et consilia ad gravissimas sedandas tempestates contulisset, neque rebus suis conducere existimaret, si præpotentem principem, cuius amicitiam Galliarum reges semper coluerant; ejusque viribus, ad æmolorum sese efferentium potentiam opprimendam, usi fuerant, nulla illata injuria, bello laeckeret. Itaque legato respondet, quod in fœdere ineundo Respublica sibi proposuerat, id, ut consequeretur summopere exoptare; quod in concordiam incubuisset, totius Reipublicæ Christianæ causa permotum, fecisse. Si fœderati cœptis insistant, ac reliqui principes in societatem nomina dent, Venetis præsto futurum; interim suis rebus minime conducere arbitrari, cum a Turcarum finibus longe absit, quidquam ab Ottomannorum potentia sibi pertimesendum sit, eorum amicitiam, vel negligere, vel abrumpere ». Sic Mauroenus. Nihilominus Pium omnem movere lapidem non destitisse, ut, ex obfirmato eo animi proposito, quo Galliarum rex Turcicam amicitiam sibi colendam statuerat, abduceret, mox dicendum erit. Et licet frustra, ut amo præterito videmus, ad sumenda contra Tureas arma Sigismundum Augustum Poloniae regem impulisset, tamen perculso, quod diximus, inter se, Hispanum ac Venetos sacro fœdere, rursus illius animum tentandum censuit; si forte fœderatorum aliorum principum exemplo commotum, in suam sententiam pertrahere potuisset sequenti Epistola²:

« Charissimo in Christo filio nostro, Sigismundo Augusto, Poloniae regi illustri.

PIUS PP. V.

« Charissime in Christo fili nostro, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Non dubitamus M. T. pro sua pietate, et

¹ Maurocen. ibid. ut supra. — ² Ex Archiv. Vat. ut sup.

erga rem publicam Christianam studio, magnam accepisse laetitiam, postquam certior facta sit de fœdere, quod contra immanissimum Turcarum tyrannum, inter nos, Sedemque Apostolicam, serenissimum Hispaniarum regem Catholiceum, et inclytam Venetorum Rem publicam, superioribus diebus, in nomine Omnipotentis Dei initum confectumque fuit. Quamvis autem, eo inito, fundamenta quædam publicæ Christianorum omnium salutis jaeta esse videantur; tamen eamdem M. T. pro sua prudentia intelligere arbitramur, ad impetum potentissimæ gentis vel sustinendum vel frangendum, majoris adhuc vires necessarias esse, quam quæ conferri possint ab his, qui in eodem fœdere hucusque comprehensi sunt; et revera ita est, ut nisi ad repellendum dejiciendumque communem hostem, omnium Christianorum principum voluntates viresque consentiant; omnis noster conatus vel debilis vel vanus futurus sit. Itaque illa nobis nunc, pro sollicitudine pastorali reliqua cura est, quomodo reliquos Christianos reges ac principes, qui nondum hujus fœderis socii facti sunt, ad illius societatem adjungamus. Quam quidem ad rem, quia compertum habemus, magno nobis adjumento fore, auctoritatem majestatis tuæ, idecirco eam in primis, ad tam gloriosam sanctissimamque fœderis societatem nobiscum ineundam excitare atque hortari voluimus; ad quam, præter illas officii sui partes, quæ sibi cum cœteris Christianis principibus communes sunt, religionis fideique nostræ adversus intideles tuendæ: illa præcipue res M. tuam impellere debet, quod illa in hanc causam aperte descendente, quæ locorum opportunitate et invicto fortissimi equitatus robore communem expeditionem juvare plurimum potest; verisimillimum est, nullam moram facturos esse cœteros Reipublicæ Christianæ principes, ac statim omnes concordibus animis ad idem esse consilium consensuros: quod etiam si ita futurum non esset, ipsum tamen commune periculum, quod ab avidissima imperandi Turcarum gente omnibus regibus Christianis impendet, animum tuum sollicitare deberet, ad eamdem nobiscum expeditionem suscipiendam, qua, et communis Reipublicæ Christianæ saluti, tantopere periclitanti succurrere, et tibi, tuoque regno privatim prospicere possis. Neque enim existimare debes, ejusdem sævissimæ gentis atrocissimum tyrannum soli Venetorum Reipublicæ esse infestum, propterea quod illius opulentissimum Cypri regnum, superiore anno oppugnare aggressus, nobilissimam urbem Nicosiam, brevissimo tempore, magna cum eorum clade vi expugnaverit. Non ita est, charissime in Christo fili, sed quod ille bellum,rupto impudentissime fœdere, cui ille manu sua subscripserat, adversus eam Rem publicam, altero iam anno, re ipsa

gerit; hoc jam inde ab initio tyrannidis a se susceptæ, omnibus regibus principibusque Christianis animo induxit, nec unquam quieturus est, donec Orientalibus regnis omniibus fere in potestatem redactis, Occidentalia etiam impotentissimo dominatui suo cogat obtusare. Quanto igitur præstat M. T. occasione hac utendi, tam præclaræ Christianorum principum consencionis justum bellum, cum inimicissima sibi gente gerere, quam vicinorum tectis ardenteribus, dum ad seipsum quoque flamma perveniat, expectare. A quo quidem gerendo M. T. deterrere non debent induciae, quae illi cum eadem gente sunt; primum, quia non est dignitatis suæ, cæteris principibus, tum his, qui prædicto federe comprehensi sunt, tum his, qui in ejusdem societatem venturi sperantur. cum Turcis bellum, sive gerentibus jam, sive adjuvante Deo, gesturis, ipsam in communi periculo, privata sibi consilia quarentem, cum eis inducias habere: deinde, quia nullæ satis firmæ induciae, nulla satis stabilia Christianis cum infidelibus federe esse possunt. Qua de re, ut vetera omitamus, dubitare nos vetat recens exemplum fœderis, quod cum Venetis habebant, nuper ab eis impudentissime violati. Quod igitur ipsi facere semper parati sunt, propriæ tyrrnidis propagandæ vel conservandæ causa, ut quascumque cum Christianis principibus inducias ac fœdera violare non pertimescant; id M. T. tuendæ religionis causa facere dubitat? Nec vero res futura nobis est cum hoste invicto, sed cum eo, qui, et superiori atate, majorum tuorum inelytæ memoriæ regum, cæterorumque Christianorum principum exercitibus sæpe vicius; et paulo ante, ut cætera sileamus, ab uno Hierosolymitanæ religionis Ordine, magna cum ignominia repulsus est. Hanc autem ipsam potentiam, ob quam plerisque formidolosus videtur, non tam militari virtute, quam fallaci quadam perfidia, nostris insuper discordiis, collectam habet. Undecim singulos Christianos reges scorsim aggressus cum aliis interim simulavit; facile illi fuit, nemine adversante, ad hunc in quo nunc est potentiae gradum pervenire; ad quem, sicut non propria virtute, sed Christianorum principum inter se dissidentium discordia ascendit; sic non difficile futurum est de illo ipso, eorumdem concordia adjuvante eo, eujus justam causam defendimus, deturhari. Quæcum ita sint, speramus M. T. non commissuram esse, ut in tanto Christianæ Reipublicæ discrimine, sola Omnipotentis Dei causæ ac publicæ saluti defuisse videatur; pro quibus, quævis pericula subire et proprium sanguinem fundere M. T. non minus apud Deum fructuosum, quam apud homines gloriosum esse futurum. Quod si, oblata tam præclara fœderis occasione, facere nunc prætermiserit; non videmus quomodo æterno illi Judici se excusatura sit, ante

cujs tribunal, omnibus simul veniendum est, et eorum, que quisque bene ac secus gesserit aut prætermiserit, vel præmia accipienda, vel supplicia subeunda sunt. Datum Roma apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die vii Junii, an. M.DLXXI. Pontificat. nostr. anno vii.

At expectandum non erat a principe tunc temporis temineis cogitationibus penitus addicto, ut arma capessendi consilium caperet. Debuit nihilominus Pontifex, pro suo dignitatis munere, tam turpiter jacentem ac delicias inter obdormientem excitare, ac officii sui admonere, non per litteras modo, sed quacumque alia ratione, ut intra dicetur.

249. *Messanam conuenire præscribitur caris navibus Christianar classis.* — Inter haec autem Columnæ celere expeditionem, pro qua, ut vidimus, statim percusso federe, ad cardinalem Granvellanum Neapolis proreget Epistolas de derat, urgere Pontifex ipse minime prætermisit. Quapropter Columna, militibus classique die ad Centumcellas conveniendi dicta, inde id. Junii solvit. Mercede autem conduverat Pius a Cosmo Magno Betruriae Duce duodecim longas naves, pro quarum singulis quingentos nummos aureos mense singulo solvere pepigit. Armis erant haec, milite, et omnibus rebus optime instructæ. His quatuor Melitenses, ac totidem a Sabaudia Duce acceptas, adjecit: et omnes Pontificiam classem efficiebant; quæ tertia die, postquam Centumcellis solvit, Neapolim appulit. Inde, paucos post dies, cum vigenti dumtaxat triremibus Siciliam Columnam petiisse, seribit Gratianus; ex cujus relatione facile intelliges, apud Granvellanum frustra Pontificem egisse, cum, ut audisti, saltem octo triremes instructas habere monuit, cum Columna Neapolim appulisset, ut Pontificia classi eas adjungere posset, quo tutius Messanam in Siciliam haec pergere valeret. Alia igitur ratione, ubi Granvelli segnitie, ne dicamus iniquitate, eo præsidio classis ejusdem securitati provideri non potuit, eidem ipsi consulendum fuit, jam Turcica classe mare tenente. Exploratoria igitur navigia duo Columna præmisit, quibus imperavit, ut custodias turrium quæ speculando propugnandoque adversus prædones per Calabriæ oram sunt constitutæ, adirent, singulisque præcipierent, ut intente mare observarent, si pauciores xx naves conspexissent, unico igne signum ederent, sin plures, usque ad xxv binis ignibus; ac sic deinceps, pro conspectæ classis magnitudine.

250. Triduo postquam Neapoli egressus fuerat, ac Tropeæ classis appropinquasset, Columnæ desertur ad LXX triremes, quas Turcicas verebantur, conspectas fuisse. At sequenti die cum speculabundus progrederetur, obviam ei fuere due Venetæ triremes, quibus Catarinus Maliperius, et Nicolaus Lipomanus præerant, a

quibus Columna accepit Venerium cum Veneta classe in Siculum mare se contulisse, alque ad Spartiventum sociorum adventum præstolari. Ubi igitur Messanam applicuisset Columna, ad Venerium misit, ut si ei videretur, Messanam transiret, ubi, et rerum copia major afluxeret, et de rebus agendis commodius colloquia misere ac instituere liceret. Quod cum Venerius probasset, honorifice ipsum acceptum Columna Messanam deduxit, ubi pari consensu Joannem Austrum expectare decreverunt.

251. *Consistorium in quo legationes ad Christianos principes decretæ, et hæreticorum consortium repulsa.* — Pius vero, Columna dimisso, licet litteris jam, ut vidimus, Maximilianum imperatorem, Carolum Francorum, et Sigismundum Augustum Poloniae reges, ac sacrum fœdus invitasset, ne aliqua desset officii suis pars, quam non impleret, die decima octava ejusdem mensis Junii (ut habet in suo Diario Firmianus¹) secretum consistorium coegit, in quo duos, e cardinalium numero, legatos creavit, nempe Michaelem Bonellum cardinalem Alexandrinum, ex nepte sua, ut suo loco diximus, genitum, et Joannem Franciscum cardinalem Commendonum, multiplicibus legationibus, prudentia ac rerum usu insignem. Ille licet tunc Roma absenti, ad Maximilianum Cæsarem, et ad Augustum Poloniae regem, quos maxime in hujus belli societatem adducere, ut vidimus, Pontifex exoptasset; alleri vero, ad Philippum Hispaniarum, et ab Sebastianum Lusitaniam reges legatio demandata est.

252. At de hoc Consistorio, ac legationibus in eo decretis, audire præstat, quæ S. Severinæ cardinalis his verbis in suo Diario adnotavit:

« Die XVIII Junii fer. II, MDCXXVI.

« Fuit consistorium, in quo Sanctissimus D. N., post audienciam cardinalium proponentium, proposuit causam mittendorum legatorum ad imperatorem et regem Poloniae, et ad regem Catholicum et regem Lusitanie seu Portugallie, scilicet, pro fœdere contra Turcas, et bello gerendo adversus eos.

« Cardinalis Tridentinus, Portuensis episcopus, pro decano comprobavit; et quia ipse in præcedenti consistorio dixerat de mittendis legatis ad principes discolos, et invitandis hæreticis, et hanc suam sententiam improbaverant aliqui ex reverendissimis cardinalibus; nunc intendit assignare causas, et rationes, quibus ad eam dicendam fuerat motus, et propter distantiam loci, non intellexi omnia, sed paucissima quædam, quarum summa haec erat:

« Quod in sacra Scriptura non erat prohibitum, ut opera infidelium in gerendo aliquo bello; et quod Machabæi, viri strenui, miserant legatos ad Romanos et Spartiatas, qui erant

Gentiles, et infideles, et alias auctoritates sacrae Scripturæ, ex libro Regum adduxit: unde non censem absurdum esse mitti nuntios et legatos etiam ad hæreticos et schismaticos principes, et præsertim, qui sunt Confessionis Augustanæ, qui non sunt ita perversi, sicut Sacramentarii, et alii, ut Comes Palatinus; et ad eos, qui sunt discoli vel schismatici, ut dux Moscovitarum; et quod ad istos possent mitti non in habitu et pontificalibus, sed privatim, quia haec esset occasio eos luerificandi, et redeundi, et deveniendi ad aliquam concordiam cum eis: et quod ad Sanctitatem Suam pertinebat cura illorum salutis, quam procurare debebat omni via et modo; et quod ex hoc veniebat, ut vel reducerentur ad unitatem fidei, vel destrui facilius possent. Nam aut nos erimus victores contra Turcas, et ipsi, si perfidaces essent, possemus etiam eos debellare; aut si Turcae nos vinecerent, et ipsi quoque perdili et cæsi essent; nam scriptum est: *J'indicabo me de inimicis meis*, et plura alia peroravit in hanc sententiam, ut invitarentur hæretici per legatos, et per medium aliorum principum.

Cui Sanctissimus D. N. respondit: « Nullam concordiam vel pacem debere vel posse esse inter nos, et hæreticos, et cum eis nullum fœdus esse ineundum vel habendum. Nam, et Josaphat rex justus, a Propheta redargutus est, quod suppetias tulisset Achab regi Israelitarum impio. Illud autem, de legatis missis a Judæis ad Romanos et Spariatas, fuit, quia ipsi erant socii Romanorum. Præterquam quod verissimum sit, deteriores esse hæreticos Gentilibus, et quod sunt adeo perversi et obstinati, ut proprium infideles sint, nam in multis perditissimas hæreses pervenerunt traditi in reprobum sensum. Et quantum ad eos, qui sunt Confessionis Augustanæ, Sanctitas Sua credit cum B. Augustino, esse magis vitandos et periculosos, qui in aliquibus nobiscum conveniunt, ut in fide Trinitatis et similibus; et in cæleris dissentiant, quam qui in omnibus veluti infideles seu hæretici perditissimi, ut est Palatinus, Sacramentarius, Impurii, Trinilarii, et Anabaptiste: nam isti, non tantum nocere possunt, cum ab omnibus vitentur, veluti, qui impii, et manifeste infideles existimantur; sed illi, qui in aliquibus sunt hæretici, plus nocere possunt, ex eo quod nobiscum in pluribus ritibus convenient. Eo quod si venirent in auxilium, possent alios inficere contagione hæretica, et potius Denm irritaremus, quam placatum redderemus.

« Cardinalis Augustanus dixit plura, quæ non audivi, etc.

« Cardinalis Farnesius probavit causam legationis propter hujusmodi fœdus, et dixit Sanctitatem Suam prudenter agere, et ita fieri consueuisse a majoribus, ut propter hanc cau-

¹ Firman. Diar. p. 464.

sam legati mitterentur; et ita fecit Leo X et Paulus III. etc. Sed quod ad principes Catholicos mitterentur.

« Cardinalis Politianus pertransivit. Pisarum S. Georgii, et Sabellus idem.

« Cardinalis Varmiensis, denuo submissa voce locutus est, ut percipi non potuerit, nisi a proximis: sed videbatur dicere, de non aspernandis aliis principibus Germanis, et quod haeretici et alii essent invitandi, et quod ipse Summus Pontifex teneretur illorum salutem et reconciliationem procurare, et alia id genus similia, exemplo Apostoli dicentis: *Factus sum omnibus omnia, ut omnes lucifaciam.*

« Cui Sanctissimus D. N. respondit, ut supra. Et eidem cardinali replicanti super his, et plura disserenti, et quod saltē ageret cum eis per medium Catholicorum, et ut invitarentur Catholicī principes, et dux Bavariæ: et quod dux Bavariæ, et imperator possent tractare cum prædictis principibus haereticis, et agere de eorum conversione, occasione hujus belli et fœderis. Sanctitas Sua respondit hoc mandare, ut legatus ad Cæsarem agat cum principibus Catholicis, et cum imperatore, et duce, pro eorum conversione; sed non cum illis, quia perditū sunt.

« Cardinalis Paceus, quod legati mittantur ad principes Catholicos, et non ad haereticos, nisi esset spes eorum conversionis.

« Cardinalis Gambara laudavit omnia dicta a Sanctitate Sua, et fere omnes iverunt in eamdem sententiam, ut mittantur legati ad principes Catholicos.

« Cardinalis Sirletus plura in idem et auctoritate et exemplis.

« Cardinalis S. Severinæ: Placent omnia dicta per Sanctitatem Vestram, et quod legati ad principes tantum Catholicos mittantur; nam cum infidelibus fœdus iniri, conjunctiones, et amiciliæ, et affinitates contrahi, non solum humanis legibus, verum etiam divino jure prohibitum est, ut saepius legere est in Pentateuco. Quod non solum de infidelibus et gentilibus, sed etiam de haereticis et schismaticis cautum esse censeo. Ubi: *Recedite inquit a tabernaculis eorum, scilicet Chore et Abyron rebellantium Dei sacerdoti; ne insinuā eorum iniquitatibus involvamini.* Quæ verba etiam Apostolus Paulus repetit. *Quæ enim conventio luci ad tenebras, et Christi ad Belial?* ut idem inquit; quod et pluribus posset exemplis confirmari, nedum redargutione Josaphat, quod tulisset auxilium impi regi; sed illo, quod Heraclius imperator, dum Catholicus et pius esset, exemplo ostendit et docuit: nam accersitis auxiliis Turcarum, victoria potiti nequivit, nisi illis abeuntibus, cum adversus Persas plena Victoria politus est: unde dixit: Deum Christianis suis reservasse viatoriam, et nolle

cum eis infidelium auxilium, ut nomini suo, et non humanis auxiliis victoria tribuatur.

« Cardinalis Cæsius dixit: In praeterito Consistorio actum est de causa, et legatis mittendis; nunc non restat, nisi ut personæ disignentur. Idem cæteri.

« Cardinalis Montaltus, improbans sententiam cardinalis Tridentini, docuit ex sacra Scriptura et saecris Canonibus, cum haereticis non esse ineunda fœdera, nec matrimonia, neque amicitias, et cætera.

« Cardinalis Albanus, nescio quæ de fœdere cum haereticis. Et diaconi per nutum.

« Hoc acto, Sanctissimus D. N. proposuit cardinalē Commendonum, pro legato ad imperatorem et regem Poloniae.

« Cardinalis Tridentinus, probavit, et quod cum eo sit expediens mittere aliquem de natione, ut auditorem Rotæ Gropperium; nam alias, cum legato destinato in Germaniam mittebatur aliquis de natione, qui esset in curia, et auditor.

« Sanctissimus D. N. dixit, quod Commendonus legatus non indiget, et cardinalis replicavit.

« Cardinalis Augustanus idem.

« Cardinalis Farnesius idem, et quod posset mitti dietus auditor, quia vere consueverant mitti, et alias missi sunt hujusmodi.

« Polianus idem.

« Pisarum idem, probans personam et omnes per placet, idem dixerunt.

« Tunc Sanctissimus D. N. deputavit ipsum cardinalē Commendonum absentem legatum de latere ad imperatorem, et ad regem Poloniae, et ad alios Catholicos principes, cum facultatis etc.

« Deinde mandavit exire foras cardinalē Alexandrinum, et egressum de camera consistorii, dixit se destinasse, et velle mittere cardinalē Alexandrinum, ejus nepotem, ad regem Philippum Catholicum, et regem Lusitanie: et Deus testis, quod hoc non agit, nisi pro publica causa, quamvis aliqui possint alias interpretari.

« Cardinalis Tridentinus probavit et laudavit. Ita cardinalis Augustanus, Farnesius, et cæteri per placet, vel idem, præter cardinalē Sirletum, qui collaudavit. Cardinalis S. Severinæ, non ferens tacite, et sine laude legationem hujusmodi committi in Alexandrinum cardinalē nepotem suum, dixit:

« Quod Sanctitas Vestra illustrissimum et reverendissimum D. meum singularem cardinalē Alexandrinum, tam maximo munere legationis ornare dignatur, gratias ago Sanctitati Vestrae ingentes et immortales, certo sperans, quod ejus opera Vestra Beatitudinis expectationem non fallet: jamdiu enim agnovi illius animi candorem et vitæ innocentiam, et ad

commune bonum pia vota ; ac perspectissimam habeo probitatem et integritatem, quod extra adulationem omnem dictum velim. Cæterum est, ut illi incolumitatem, felices successus, rem confectam, et celerem redditum, Sanctitati autem Vestrae diuturnam vitam omnes deprecemur.

« Cardinalis Cæsius collaudavit : Et quod videntes principes Sanctitatem Suam mittere nepotem suum charissimum, et tam alieno tempore, cognoscent desiderium Sanctitatis Suea pro bono publico. Unde gratias egit. Cætri idem.

« Cardinalis quoque Aldobrandinus gratias egit Suea Sanctitati ; et hoc idem Albanus, qui collaudavit etc.

« Deinde Sanctitas Sua deputavit, et fecit cardinalem Alexandrinum de latere legatum ad regem Catholicum et Lusitaniæ regem, cum facultatibus et auctoritatibus, juxta tamen Concilii Tridentini reformationem ; et ipse osculatus est pedes, et eidem tradidit crucem cum precibus, et deinde venit ad oscula cardinalium.

« Tum papa abeunte, venimus in regiam aulam, ubi de more cardinalis Alexandrinus salutavit omnes, et nos singuli salutavimus eum ». Huensque Diarrii verba.

253. « Alexandrino autem proficiscenti (inquit Gabutius) complures lectissimos sacros preores, virosque præstantissimos comites esse Pius voluit. In his fuere præcipni Hippolytus Aldobrandinus, jam ab ipso Pio primum Romanæ Rotæ lectus auditor, hujusque legationis ac negotiorum omnium moderator, postea Clemens VIII, Pontif. Max. Alexander Riarius, Apostolice Cameræ auditor, patriarcha Alexandrinus. Hippolytus Rubeus episcopus Ticinensis. Joannes Franciseus S. Georgius, Comes Blandratæ, mox Urbis præfectus, et episcopus Aquensis. Matthæus Contarellus legationis hujus, deinde Gregorii XIII datarius. Franciseus Maria Taurusius (nostræ Congregationis Oratorii Urbis, ac ipsius S. Philippi Nerii alumnus) mox Avenionensis, nunc Senarum archiepiscopus, omnes postea cardinales. Cæsar Specianus, post Novariensis, nunc Cremonensis episcopus. Gulielmus Bostonus, nunc episcopus Ticinensis. Vincentius Hærculanus, et Bartholomæus a Lugo, ambo ex Dominicano Ordine theologi ; ille ad Sarnensem primum, inde ad Forocorbeliensem, mox ad Perusinum ; hic ad Interamnensem episcopatum, assumpti. Franciseus Borgia, ex Gandiæ duce religiosus, tunc præpositus generalis Societatis Jesu (ob insignes virtutes, merita ac miracula, postea a Clemente papa Decimo inter sanctos relatus.) Annibal Crassus, Cameræ Apost. clericus, post episcopus Faventinus. Pyrrus Tarus, et Jo. Petrus Gislerius, presules Romani. Omnes viri pietate, rerum

usu, integritate, sapientia, cæterarumque virtutum splendore conspicui, ut præclarum hunc comitatum, Romanæ aulæ florem, et episcoporum, cardinalium, Summorumque Pontificium, quasi seminarium fuisse, nec iusserito dixerimus.

« His et aliis omnibus Pius eautum esse jussit, ne ullum omnino donorum genus, seu a principibus, seu ab aliis acciperent; neque pro se ipsis, neque pro aliis legati gratia apud ipsis principes uterentur; suum enim esse, meritis præmiis eorum quemlibet auctiæ. Neque vero moram ullam interponere legatum passus est, summa diligentia maturandæ profectionis primum ad Catholicum regem, in quo majora earum momenta rerum posita esse videbantur ». Sic Gabutius. Verum vix percipi posset, cur tanta sollicitudine Pius Alexandrinum ad Philippum regem mittere vellet sacri fœderis causa, cum jam fœdus ipsum, uti Pontifex concupierat, percutsum fuisset; nisi Gratianus ejusdem Pii animum detexisset his verbis : « Ineunte Junio, proficisci ab Urbe M. Antonium Columnam, et jungere se Venetorum classi jusserat, ut sic Hispani, quod apparebat facturos, (ita segniter ab iis cuncta agebantur) abire gerenda rei tempus sinerent, ipsi Rempublicam tuerentur. Consenserat cum Venetorum voluntate Pius, ut protinus, postquam conjunctæ fœderatorum classes essent, peteretur hostis, nec ulla pugnæ mora fieret. Nam et Veneti quo-cumque modo finire bellum festinabant, cuius oneri ferendo non erant, nec adversæ pugnæ vulnus lethalius sibi, quam ipsum bellum, si protraheretur, ducebant; et Pius partim celestis opis fiducia, partim metu, ne non diu illa duraret societas, aequæ rem decernendam prælio dari cupiebat; idque ante omnia proficiscenti ab Urbe Columnæ imperaverat ». Ista Gratianus, ex cuius verbis necessitas agnoscerit, quæ Pio incubuit sollicitæ decernendæ ad Hispanum legationis, quod, nempe ministrorum artibus, primum hoc anno infici, ac demum penitus abrumpi initum fœdus rite permisceret.

254. *Cardinalis Alexandrinus aulam Hispanam petit, et cum rege agit. tum de rebus ad bellum contra Turcas pertinentibus, tum de causis dissidiorum tollendis.* — Pridie kal. Julii, Roma igitur profectus Alexandrius, et in itinere, cum ab aliis Italiae principibus, tum in primis a Sabaudiæ duce magnis acceptus honoriibus, apud eum biduo commoratus, atque ejus et principis Gulielmi Jojosæ, Galliæ Narbonensis proregis ductu, per medios Galliarum hæreticos, Avenionem usque incolumis deductus est ac tandem tert. kal. Octob. hujus anni Mantuam Carpetanorum, (vulgo Madritum) pervenit; ubi a rege, qui honoris causa, regio cum comitatu ei obviam processerat honorificentissime et

humanissime exceptus fuit. Ei legatus, sequentes Pontificis litteras¹ porrexit :

« Charissimo in Christo filio nostro Philippo, Hispaniarum regi Catholico.

PIUS PP. V.

« Charissime in Christo fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Mittimus ad M. Tuam, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium consilio, in nomine Omnipotentis Dei, nostrum el Sedis Apostolice de latere legalum, dilectum filium fratrem Michaelem, tit. S. Marie supra Minervam presbyterum cardinalis Alexandrinum, nostrum secundum carnem pronepotem, qui cum omnium nostrorum consistorum particeps, atque intimi nostri senatus conseius sil, ex eo existimare poterit M. T. illo mittendo, quasi nosmetipsos a nobis ad eam missos fuisset. Quamvis autem illius praesentia, qui inter ceteros, minus praeципue labores nostros substinentes solitus est, non sine magno simus incommodo carituri; tamen hoc non solum nostra erga se paterna benevolentia, sed etiam negotiorum, de quibus secum acturus est, magnitudini libenter dedimus; ut ipsum ad majestatem tuam potissimum mitteremus, quo nobis conjunctiorem mittere non poteramus. Qua ex re intelligere potest, quantae nobis illae res curae sint, quarum gratia eum, cuius opera tam necessaria utebamur, mittendum esse decreverimus. Quibus de causis, suaque maxima erga nos sanctamque hanc Sedem observantia adiucti, non dubitamus majestatem tuam, non solum eo ipso honore, charitateque esse acceptum, qua Deus ipse ministros suos accipiendo esse praecepit; sed etiam illi in omnibus rebus, perinde ac nobis ipsis fidem esse habitaram. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris die xx Junii MDLXXI, Pontificatus nostri anno vi ».

Personarum habita ratione, eodem exemplo scriptum quoque a Pio fuisse ad Isabellam Catholicam Hispaniarum reginam, ejusdem Philippi uxorem, ad Joannam principem Portugalliae, ad cardinalem Spinosam, ad commendatorem majorem de Alcantara, ad Antonium de Toledo, ad ducem Feriæ, ad ducem de Sessa, ad ducem de Francavilla, Italici consilii praesidentem, ad Joannem de Cerdæ, Medinæ Cœli ducem; et Joannem de Zuniga, Castellæ majorem commendatorem; testatur Vaticanus Regestus.

255. Habemus autem a Gabutio, praecipua quedam rerum capita, de quibus legatus Alexandrinus, cum Philippo egit : « Redditis (inquit) a Pontifice litteris, legatus ostendit, tam ardenti communis salutis studio Pium teneri, ut si per ultatem licuisset, ipse ad haec

cum rege peragenda ventorus fuisset; sed quoquo modo posset, id absentem agere, quod coram priestare impediretur. Summo Dei beneficio, socialis belti foedus in Turcam sanctum esse; nunc intenidam esse rationem, non modo ne auxilia que pepigissent minuerentur, sed ul nova, eaque majora, si fieri posset, adderentur. Regi, ad rem Christianam tuendam et conservandam nato, omnia tentanda et conanda esse, ut furentem Christiani nominis hostem, reprimere, ejus opes et imperium quotidie magis augescere, Christianorum imminui: nisi conando, audiendoque rex aliquid pro viribus moliretur, periculum imminere, ne, ut cœpisset, res Christiana laberetur. Si bellum contra Turcam rex ardenter suscepisset, eum non modo illata ab eo vulnera uleisci, sed etiam tola Africa poliri posse. At si Venetorum vires frangerentur, regi graviora impendere pericula: cladi bus, quas Pannonie et Austriae ejus cognatis passim hostis intulisset, plus satis ostendi, quo in discrimine res Hispana et Italica versarelur. Ceteris quidem principibus Christianis minus turpe fore, si alienis periculis neglectis, sua tuerentur; Philippum vero, qui opibus et auctoritate tantum valeret, ut merito columnæ Christianæ reipublicæ religionisque præsidium haberetur: vix quod pace tanlæ Majestatis dictum velle] effugere virtuperationem posse, si quos principes aut nationes, a Turca opprimi pateretur. Omnium sive existimatione sive efflagitatione, neminem magis decere quam Philippum, libertalis Christianæ vindicem se præbere. Illi ergo, ut Christianæ rei, sibique consuleret, difficillima quæque superanda esse. Ieti namque foderis viam, quæ a primis rerum agendarum consiliis duxisset, ad deliberationes magnas difficiitates habuisse; sed illam majores habituram, quæ a deliberationibus ferret ad exequenda absolvendaque ea quæ decreta fuissent. In primis igitur diligentiam adhibendam esse, ut, statutis rebus ac temporibus, rerum bellicarum apparatus et copiæ præsto essent; cum plerisque in rebus tarditatem et procrastinationem obesse, tum hoc bellum celeritate indigere. Consilia, ut rex ipse optime nossel, esse temporum quæ in horas mutarentur; cum negolorum maturitates prælerissent, rerum opportunitates sero et nequaquam queri. Ad rem igiturbene gerendam, magni interesse, belli rationes ita constitui, ut ex re et tempore consilia capi possent: ne in rebus subitis et angustiis, cum maturato opus esset, rex semper consulendus, interjectoque longo terrarum spatio, ex Hispania deliberationes semper essent expectandæ. Omnia priuete regem experiri et tentare oportere, ut Maximilianus Cœsar, et Carolus Galliae rex, in hanc belli causam descenderent; omnia autem pospere processura, si hostis terrestribus Christianis

¹ Ex Archiv. Vat. ut sup.

norum et navalibus copiis urgeretur. Hæc, in quibus, secundum Deum, spes salutis consistet. Pium non solum petere, et obtestari, sed etiam quasi debita ad eo rege poscere, cuius, Deo bene juvante, quam maximæ in orbe terrarum opes essent.

« Legatum hæc et alia referentem, benignus rex audivit. Pio, qui de Christiana republica nunquam, nisi divine cogitasset, se maximas gratias agere, majores etiam habere; primum, quod tali mente esset, quale caput et summum columnen rei Christianæ esse deeret; deinde quod Alexandrinum cardinalē, consiliorum et pietatis avunculi effigiem ad se misisset. Pii mandata sibi curæ futura, omniaque, prout tempus et res sineret, se diligenter acturum. In primis enim Joanni Austriaeo, in eam expeditionem prefecturo mandavit, ut expleta ejus anni navigatio, cum triremibus cunctisque bellicis opibus in Italia subsisteret: quamvis, paulo ante eidem jussisset, ut hibernatum rediret in Hispaniam. Deinde, ut nulla de re ad initam societatem pertinente, ex Hispania dehinc Romæ aut in classe expectanda deliberatio esset, liberam potestatem cognoscendi et decernendi quæ ex usu essent, Granvellano et Paceo cardinalibus, Zunicæque oratori suo permisit. Quidquid illi Romæ constituisserit, id ratum firmumque, perinde ac si apud se actum esset, futurum. Præterea jussit, ut præscriptis temporibus, decreta subsidia præberentur: denique per litteras, et Cæsarem, et Galliarum regem, ad ineundam fœderis societatem, ut legatus Pii verbis postulaverat, graviter cohortatus est ».

256. Hactenus Gabutius, qui statim narrationem subjungit de aliis, de quibus Pii jussu legatus cum eodem rege egit; quæ et si non ad belli rationem, ad causas tamen dissidiorum tollendas, Apostolicam Sedem inter ac Hispanicam aulam pertinenter. Pio enim (Alexandrinus dixit), semper id animi fuisse, ut amicos, et Sedis Apostolicæ studiosos reges, non modo nihil sui juris deperdere, sed etiam dignitate, gratia et honore auctiones esse vellet. Quæ cæteri Summi Pontifices, in Neapolis Siciliaque reges olim contulissent, ea ita firma esse deberet, ut ne quid de sacrosanctæ Sedis jure derogetur. Sed in eorum regnorum administracionem multas corruptelas irrepssisse, quæ sacris legibus ac Pontificiæ auctoritati repugnarent; ut, inter alia, quod regii, constituta in Sicilia monarchia, quæ ad Apostolicæ Sedis patrimonium pertinet, in sacros viros jus sibi vindicarent, et in Neapolitani regni finibus, Concilii Tridentini decretis non obtemperaretur; Pontificiisque litteris et Constitutionibus, quæ deeret regii, quod *exequatur* appellant, immunes esse deberent, obsisteretur. De his et aliis, legatum Pii verbis, ne a superiorum temporum institutis,

et ab jure tamdiu retento recederetur, regi petuisse, prefatus scriptor asserit: quod non magis id Apostolicæ Sedis, quam ipsius regis interesset, ut iis malis occurreretur. Quia, ubi Ecclesiastica jura violarentur, ibi, nescio quo divino consilio, fieret, ut turbulentæ seditiones pestiferæque hæreses exorirentur: populique, communicatis consiliis, in caput et in fortunas principum conjurarent. At ubi principes cuncta post religionem habuissent, et humana imperia saeræ auctoritati submittenda probe pieque sensissent; ibi eos, pulsis curis atque periculis, solido ac tuto rerum statu frui: idque tum vetustis, tum recentibus exemplis constare. Ceterum Pio curæ esse, non modo, ut sine querela res administrarentur. Eum præterea postulare, ut controversiæ Mediolanensis Ecclesiæ, finis imponebatur, et jus amissum, veterum archiepiscoporum culpa, qui diutius abfuerant, restitueretur. Electionem economi ipsius Ecclesiæ, quam sibi regii usurpaverant administristi, Summo Pontifici, ad quem unum id jure spectaret, relinquendam esse. Regem, qui ad æquitatem omnia referre vellet, Pio pergratum facturum, si suis præcepisset, ne se alieno juri immiscerent. In regno Neapolitano, et in Mediolanensi ditione, ad sustinendum bellum Turicum, sex decimas Pium induxisse: eam collationem meram esse Ecclesiasticam, eamque pecuniam veteri instituto ab Ecclesiasticis administris exigendam esse: neque vero quicquam regiis impertiendum; si quid eis antea tributum esse, id Summorum Pontificum indulgentia factum fuisse, neque ejus rei certam ac perpetuam legem posse constitui. Nunc vero Pium postulare, ne pecuniam ad bellicos usus erogatam, ad suorum luerum revocari rex patetur.

257. Illud etiam haud minorem Pontifici curam attulisse, Alexandrinus Philippo fassus est, quod de Cosmi Medicæ Magni Hetruriæ Ducis titulo, nonnulli per invidiam, securus ac res esset, regi detulissent, multaque affinxissent, quibus a Cosmo regis ejusdem animum alienarent. Sed non esset, cur id regi, aut ægre ferendum esset, aut æmulis credendum putaret. Princepem Italum esse neminem, qui afflita Christiana republica, se ad omnes casus paratiorem ac constantiorem probuerit, quam Cosmus. Officia ejus et studia eum aliis occasionibus, tum præcipue proximo bello Gallico perspicie potuisse. Praclarum hunc virum, et de Ecclesia optime meritum, consilioque et pietate florentem, dignum judicasse, quem Magni Ducis titulo pro potestate decoraret. Testem esse Deum, se neque ambienti, neque petenti, sed ultra hunc honorem detulisse. Quo consilio, et qua spe hunc æmuli oppugnassent, regem conjectura assequi posse. Cosmum, qui in eam rationem semper incubuisset, ut æqui

et inqui intelligerent, se fide et observantia erga regem ceteros anteire; etiam in potestatem omnia facturum, cum ingenti significacione sua erga tantam majestatem propensæ voluntatis.

258. Ad haec illud Pio pariter molestum accidisse, legatum subjunxit, quod de Marco Antonio Columna, Philippo delatum esset, eum, nempe a Pio delectum, quem Pontificia classi praeficeret, summique foederatorum imperatoris vicarium constitueret, non ut quidam per invidiam querebantur, quod alios ab Hispanis propositos, minus quam par esset, vel astimaret Pius, vel privatis rationibus ductus quemquam posthaberet: sed quod Columnam clarissimi nominis ducem, et bellicæ virtutis gloria præcellentem, Catholici regis studiosissimum cupidissimumque perpetuo cognovisset. Haec omnia ea mente constituta fuisse, ut regi gratificaretur. Alios præterisse, qui principum quidem opibus et studiis commendarentur, sed minus multa virtutis suæ documenta dedit. Superiores Summos Pontifices, vix aut nunquam adduci potuisse, ut hujusmodi honores intimis regum clientibus deferrent. Quod igitur Pontifici, pro sua in regem charitate, gratiam conciliare, vel angere debebat, id Columnæ invidiam conflasse. Sed quod gloriae esse par erat, id vitio verti minime oportere. Denique, non ut Pii gratia Columnæ prodesset, sed ne obessel regem rogari.

259. Pontificem insuper (adjecit legalis) magnum aliud opus conari, eumque spe quadam obtentari, fore, ut Uchialius Calaber, Christianæ religionis desertor, tunc Algerii præses, archipirata notissimus, idemque terrestrialium ac navalium certaminum usu insignis, ad pristinum veræ religionis cultum reverteretur, si ei de ditione aliqua, vel certo stipendio in Italia provisum esset: ea namque de re, Pium recentibus litteris factum esse certiorem. Itaque regem optime Reipublicæ Christianæ consulturum, si tam bellicosum ducem, et tam multa audentem, Turcis detraxisset. Quod si conatus irriti cedissent, tamen id boni sua sponte securum, ut ob eam rem, Uchialius Turcis invisus et suspectior ad omnia redderetur. Et quidem (Pio) nec inanis spes injecta esse videbatur, si inter Christianos principes illud teneretur institulum, ut huic hominum generi opportuna et commoda degendæ vitae subsidia tribuerentur, fore, ut non modo Catholice fidei desertores, sed ex ipsis quoque Turcis non pauci, ad Christi castra configerent.

260. Demum posse Rempublicam inclinatam erigi, Alexandrinus asseruit, si quæ præclare inchoata essent, constanter ad exitum perducerentur. Pontificem spem omnem rei bene gerendæ, secundum Deum, in spectatissima regis pietate positam habere: quam si iis miseris

temporibus præslisset, imminentia pericula longe fore leviora. Spe impetrandi, se laetum ad talē tantumque regem venisse, laetiorem discessurum, si responsum super tantis rebus, quale magnifica et generosa regis instituta sponderant, retulisset.

Ad haec regem, non minore quam antea benignitate respondisse, idem Gabutius scribit: regni Neapolitani Siculique ditiones, eo se jure tenere, quo a majoribus traditas accepisset; et, ut aliena occupare non vellet, sic haereditarias et justas possessiones tueri æquum judicare. Et quamvis possessione et causa se superiorem existimaret, tamen Pontifici se morem gesturum, hominemque rerum peritum ex suis Romanis missurum; id, quod ante recusasset, qui in re præsentि, de iis controversiis disceptaret. Ista ex Gabutio.

261. *Singula capita quæ inter regem Philipum et cardinalem Alexandrinum tractata fuere.* — At his fusiora invenimus in schedis felie. recordat. Cæsaris cardinalis Baronii, qui ipsas sub anno MDLXIV ab Antonio SS. Quatuor Coronatorum cardinali Faclinetto, summe probitatis ac doctrinæ viro, ac Innocentii pape Noni pronepote, refert accepta: quæque, licet inseruerimus in Opere tribus tomis comprehenso, quod præcipiente Clemente XI Pontifici Max. de Siciliensi Monarchia, ejusque titulo, possessione, ac excogitata quadam concordia, legationis, de qua loquimur, cardinalis Alexandrini occasione, composita, omni, quavaluimus, sedulitate elaboravimus, cum videlicet de ipsa monarchia est quæstio iterum revocata: hic tamen, ex illis præcipua nonnulla, ut in proprio loco, ponenda, propriisque verbis, ut consuevimus, fidelissime duximus referenda ac inter ea in primis, ab Alexandrino proposita, regisque nomine redditâ illis responsa, ut sequitur:

Legati propositio.

« Instat legatus, quod quia majestas sua, non æquo titulo, gaudet auctoritate monarchiae in Siciliæ regno; cum alium titulum non habeat præler illum, qui ei a Bulla Urbani II Ruggerio olim Siciliæ Comiti concessa tribuitur. Qui quidem titulus, quamvis bonus legitimusque extiterit, tamen hujusmodi esse desiit, cum Bulla ipsa ad solum Ruggerium Comitem, ejusque filium, vel alterum haeredem, se extendit, iisque limitibus circumscribatur. Precatur ideo M. S. ut præcipiat, ne contra conscientiam suam atterius progrederi sinat hujusmodi abusum, minuitque jurisdictionem auctoritatemque Apostolicam, decernatque statim quid agere velit; ne, ut anteacto tempore, in longum res protrahatur; cum videlicet regia eadem majestas, super hoc a Sanctitate Sua conventa fuit.

Responsum.

« Monarchia privilegium adeo velut existit, et in in praxim adductum, ac inviolate in eo

regno custoditum, a papa Urbano II regibus
ae successoribus eorum, ob tam justas rationes
concessum est, ut qui eas non intelligat, nemo
reperiatur. Sie enim propter bonum regimen,
subditorumque quietem necessarium agnoscitur;
ut sine praeeminentia hac, ex sui natura
regnum id ægre gubernari, conservarique
posset. Quapropter, cum res ita sit in morem
inducta observataque, quæque habetur et ab
Apostolica Sede refertur accepta, nullo ob
illam, Majestas Sua serupulo afficitur. Et qui-
dem, si incumbatur, abusibus tollendis, ut
inferius dicelur, qui hie proponuntur; quorum-
que indicem scripto consignatos, jam cardinalis
Justinianus exhibuit; quosve modo etiam rever-
rendissimus legatus in medium profert; in quo
quidem omnium summa consistere videtur,
quæ corrigenda videatur: certe ipsa Sanctitas
Sua serupulum omnem deponet. Matriti die xxx
Octobris MDLXXI.

«Quæ contra Ecclesiasticam jurisdictionem
libertatemque, in regno committuntur, ac
sacræ Catholice majestati consideranda propo-
nuntur, hujusmodi sunt:

Primum.

262. «Nomen id Monarchiæ, quod unius
tantum principatum significat, in Sicilia regno
tum novum, tum scandalosum.

Responsum.

«Hoc nomen in regiis provisionibus, nun-
quam usurpatum est.

II.

263. «Monarcha in eo regno, unus est, ex
presbyteris preregi famulitio adscriptis, ab
eoque, sine aliquo personæ delectu, eo nomine
insignitus, quique eo munere ab eodem detur-
bari potest. Ad hunc omnes Ecclesiasticæ causæ
et tam appellationis, quam recursus, et aliæ,
per supplices libellos diriguntur, qui hunc
præferunt titulum; *Sanctissimo et beatissimo
Domino nostro etc.* Et tandem, ab hoc presbyte-
ro, vel polius a judicibus mere laicis, sub
hujus nominis velamine, ediela legesque pro-
mulgantur, omniaque judicia contra episcopos,
archiepiscopos proferuntur: imo res multoties
eo pervenit, ut in ipsos supremos inquisitores
procedatur: et quod prope indignum est, con-
tra etiam cardinalium personas. Quod quidem
publicum Christianæ religionis scandalum, ac
Ecclesiastici Ordinis vilipendium esse nemo
non videt.

Responsum.

«Præcipiet M. Sua personam Ecclesiasticam
eligi, dignitate et litteris, ut convenit, prædi-
lam.

III.

264. «Ecclesiasticus ordo in hoc regno, ob
hanc monarchiam confunditur; viaque recta
rerum cunctarum subvertilitur, nam ibi a plebe
ad episcopum provocari non potest; neque ab

episcopo ad archiepiscopum, et tandem, ad
Apostolicam Sedem; ideoque unicuique declin-
andi jurisdictionem liber aditus patet; et id
etiam in prima instantia, ab Ordinariis ablatis
causis. Et hac abntuntur auctoritate, ac si alter
papa monarca existeret. Nec papa hujusmodi
malo occurrere potest; quia, nec primas quidem
citaliones. Roma missas admittunt. Et insuper
quamlibet Ecclesiam, monasteriumque indis-
tinete, nulloque privilegio muniti, visitandi
rationem usurpant: quod certe regnante bon.
memor. Carolo Quinto, ausi non fuerunt.

Responsum.

«Præcipiet majestas sua, primas secundas-
que instantias, libere ordinariis ac metropoli-
tanis, juxta ordinem et Concilium dimitti: quo
ad alia, quæ ad visitationem Ecclesiarum mo-
nasteriorumque pertinent, intelligere studebit,
quoniam modo sese res habeant, ut inconvenien-
tia tollantur.

IV.

265. «Illud vero, quod manifeste temera-
rium videtur, est quod idem ipsi, qui Sedis
Apostolice auctoritatem habere jaent, ac
Pontificis legati vocantur, appellations ac pro-
vocationes a suis decretis sententiisque, quæ
ad ipsum Pontificem haberi possunt, dene-
gant. imo appellantes hujusmodi severe pu-
niunt.

Responsum.

«Id quod peragitur, ex titulo Apostolico
et immemorabili more fit.

V.

266. «Monarchia haec in pluribus negotiis
ita se gerit, itaque circa ea rescribit, ut in
omnibus videri possit, vel æqualem, vel etiam
Summo Pontifice superiore se esse; nam
litteras et Apostolica rescripta, vel gratiosa,
vel commissionis, imo indulgentias et Jubilæa
plenaria executioni mandari non permittit;
et multoties accedit, ut ipsa moderetur, ac
circumscribat, ita ut in una parte scribat,
Exequatur, in altera vero: *Non*. Quæ quidem
non tantum æqualitatis, sed etiam superioritatis
sunt argumenta. Evenitque aliquando, ut plena-
ria Jubilea, quæ a Pontificibus Summis, ob
gravissimas causas, toto orbe vulganda mittun-
tur, quæ passim Jubilea trium jejuniorum
nuneupantur, vulgari ob aliud non permittan-
tur; nisi ne mercatores nonnulli perturbenlur,
qui conductas habent Cruciatae Bullas, ut facilius,
videlicet, Bullas easdem distribuere possint.

Responsum.

«Ut facilius intelligatur, quod circa hoc
peragitur, et cur scribatur ad proregem, ut
doceat quid sit, ac provideri possit præcipique
quod convenit, ut inconvenientia auferantur.

VI.

267. «Cum executoriae litteræ conceduntur;
hæ, nisi soluta pecuniæ summa, non dantur.

Responsum.

« In hoc pecuniam solvi rex non vult : nihilominus, si pecunia aliqua intercedit, M. S. inhibebit, ne fiat.

VII.

268. « Monarchia præfatus, contra episcopos et præsules, consilio et jure Canonico licet prohibentibus, in causis criminalibus procedit; omniq[ue] reverentia posthabita, ad regiam curiam personaliter eos vocat; imo, contra easdem procedens personas, illos in carcerem conjiciendo; et absque causæ declaratione aliqua eos advocat, dicens, ut veniant ob regis servitium.

Responsum.

« In hoc, juxta Apostolicam Bullam, ex immemorabili proceditur: nihilominus M. S. ad suum proregem scribere faciet, ut in hoc Concilii dispositio observetur.

VIII.

269. « Vi etiam, in animarum perniciem, episcopi coguntur ad excommunicandum, vel absolvendum, ad laicorum judicium nutum.

Responsum.

« Uthis provideatur, ad proregem scribetur, ut doceat quomodo sese res habeat.

IX.

270. « Vectigalia insuper iis imposuerunt, qui beneficia obtinuerunt ab Apostolica Sede; quæ quidem interdum centum vel bisecentum scuta non excedunt.

Responsum.

« Non sic se habere hujusmodi vectigal intelligitur; et quando aliquid esset, tolli mandabitur.

X.

271. « In hoc regno plures sunt leges, atque Pragmaticæ contra Ecclesiasticam libertatem; inlerque eas una, quod præsules, et Ordinarii, Officiales, Barones, regiosque ministros excommunicare non possint; quod quidem ad omnes fere jam extenditur.

Responsum.

« Id, ob particulares causas, ad custodiam et defensionem illius regni mandatum est.

XI.

272. « Et quamvis in impositione subsidii ejusdem regni, in quo presbyteros etiam comprehensos volunt honestis verbis, summas presbyteris ipsis impositas contegere studeant, dum facultatem sibi a Summo Pontifice datam asserunt: revera tamen, nec facultas, nec consensus aliquis requiritur; et si aliquando requisitus fuit, id tamen effectum, vera causa et veritate suppressa; et ita pauperes presbyteros, ad Ecclesias, quæ juri patronatus subjectæ sunt, onerant: ita ut, nec pia legata, nec Missarum eleemosynæ, nec ipsa patrimonialia bona pauperum, ab hujusmodi gravaminibus libera sint.

Responsum.

« Ad proregem scribetur, ut quæ circa haec aguntur, referat. Et quoad dispensationem, quæ requiritur, quatenus aliquid opus sit, a Sanctitate Sua suppliciter postulabitor.

XII.

273. « Provincia Concordia in Sicilia regno non celebrantur, ob metum manifesti damni, quod Ecclesiastice libertati inferretur: nam monarcha contendit sibi convenire, ut iisdem nomine suo quis intersit, ac præsules omnes præcedat, et alia insuper, quæ rite ab episcopis timentur.

Responsum.

« Plurimas ob causas, convenit haec interessentia, ideoque Sanctitas Sua ipsam ratam habere debet.

XIII.

274. « Spolia episcoporum, abbatum, priorum, aliquorunque præbendariorum, et fructus Ecclesiarum vacantium, a regiis ministris ita exiguntur, ut nec sacris vestibus, neque calicibus, nec quibusvis aliis ornamentiis Deo dicatis, in cappellis et oratoriis parcant.

Responsum.

« Huie jam responsum redditum.

XIV.

275. « Ordinariorum litteras ad presbyteros defendendos missas non admittunt, neque illas notificari sinunt; imo eas lacerant, et qui eas deferunt vexant, ac in carcerem conjiciunt.

Responsum.

« Id fieri minime intelligitur: nihilominus, ad pleniori satisfactionem, ad proregem scribetur, ut studeat ne id committatur, nec litteræ lacerentur, neque qui eas deferunt incommodum ullum patiatur.

XV.

276. « Presbyteros ad proprios judices non remittunt, neque declaracionem ab illis fieri permittunt; nisi primum interposito corporali juramento, deponant in interrogationibus iisdem factis: et si hoc praestare recusant, in carcerem conjiciunt, comminanturque torturam.

Responsum.

« Ad proregem scribetur, ut provideat, ne circa haec vexatio fiat, nec male ii tractentur, qui ad notificandas et præsentandas litteras se conferunt, judicium Ecclesiasticorum Ordinariorum. Quod ad juramentum spectat, illo in regno a reis non accipitur.

XVI.

277. « Cum presbyter aliquis ante illos, ut capitalium criminum reus delatus est, nisi compareat, contumax reputatur, reusque declaratur ultimæ pœnæ capitalis; nihilque ei prodesset excusatio vel per procuratorem vel per alium potest.

Responsum.

« De hoc etiam informatio requisita est, ut

provideatur quidquid conveniet; iterumque præcipietur, ut quamprimum mittatur.

XVII.

278. « Consideret etiam rex Serenissimus quam incongruum videatur, ut post primas regales Epistolas, Matriti sub die duodecima Julii anno MDLXXIV datas, quibus insigni tanta devotione ac pietate præcipit, ut Concilii Tridentini decreta recipierentur ac observarentur; aliae eodem loco et anno, sub die XXI Octobris datae fuerint, quibus prioribus, non modo robur omne ablatum fuit; sed ex eis causa præstata ministris fuerit, ut sacri Concilii eadem de cetera contemniant.

Responsum.

« Imperavit majestas sua, imperabitque ministris suis, ut observantiam executionemque Concilii eurent. Madrili XXX Octobris MDLXXI ».

279. *Mera fabula, concordia a Roccho Pirro excogitata.* — Haec ex præfatis monumentis. Ut habemus ex Diario legationis, quod in per celebri Chisiana Bibliotheca asservatur, Matriti cardinalis Alexandrinus usque ad decimam octavam Novembris diem mansit: quo temporis spatio, præter ista, quæ proposuimus, nil aliud ab aula Hispana illum elicere potuisse, certum est. Quæ scribunt Catena et Gabutius, confirmare videtur Thuanus ipse, cum relatis Philippo factis ab Alexandrino propositionibus dicit: « Ad quæ Philippus jura majorum suorum, quæ in illis regnis acditionibus fuerunt, uti ea accepterit, ita per suos magistratus hactenus servasse: cæterum ad eos scripturum, et si quæ sint, quæ juxta Pontificis desiderium corrigi possint ac debeant, pro ea, qua ipsum ac S. Sedem colat observantia in vero, se sedulo facturum ». Et statim addit: « Cum hoc ambiguo responso, dimissus legatus ».

280. Et haec quidem necessario præponenda, ut deliramenta delegantur eorum, qui Alexandrinæ legationis occasione, *Concordiam* quamdam in re Siculæ monarchiæ compositam fuisse confixerunt; fabulam hanc nimis, præcipue a Roccho Pirro abbe Netensi, in sua Sicilien sium Ecclesiarum Notitia¹ mutuati. En ejusdem verba: « Non omiserim hic, anno circiter MDLXVI, Pium Quintum Pontif. Maximum, cardinalis Alexandrinus in Hispania legati opera usum, cum rege Philippo, de tegationis Apostolica munere, seu *Monarchia*, ut vocant. Regis, in Sicilia convenisse: illudque D. Garzia de Toledo, ab rege injunctum, ut in eo munere Ecclesiastice personæ, dignitate auctæ, constituerentur; neque laici homines jus dicerent in posterum ». Et alibi²: « Jam vero scribit, ab anno MDLXX, circiter, Pio Quinto rem promovente, per cardinalem Alexandrinum legatum,

constitutos est judex ordinarius, qui judex regiæ monarchiæ dicitur. Is vero esse debet in dignitate Ecclesiastica constitutus: deligitur autem a rege, sed sufficit a prorege, si ille, vel obeat, vel in suspicionem veniat, ob quam index sedere in quaestione aliqua haud posse videatur. Et judicii dati sunt provenitus Abbatia S. Mariæ Torranæ, de jure patronat. Reg. » Additque: « Non pigebit ordine recensere, quotquot haec tenus hujusmodi fuere judices: nam ad rem meam pertinet; saepè ad hunc judicem disceptanda veniunt, quæ ad antilistes spectant ». Inter autem hos judices primum recenset Nicolaum Stizia, quem non nisi sub Gregorio XIII, anno MDLXXIV judicem agere coepisse, scribit.

281. Verum in his, quæ scriptor hic asserit, plura errata quam verba contineri perspicuum existit: sciscitandus siquidem in primis ipse est, si ab anno circiter MDLXX, legato Alexandrino agente, constitutus est judex ordinarius, a Philippo rege; cur tamen judex hic, et quidem omnium primus, non nisi anno MDLXXIX esse coepit? A concordia inita, cur quæso, diurna adeo intercedendo? Cum enim cardinalis Alexandrinus in Hispaniam, sub die XXIX Septembris anni MDLXXI pervenit, Garzias de Toledo, non modo Siciliæ prorex non erat, sed neque, qui ei suffictus fuerat, Piscariæ Marchio, eo munere fungebatur; nam hic, Thoma Costo teste¹, sub finem Julii ejusdem anni MDLXXI, extremum diem obierat, ejusque munus Terrænovæ dux obtinuerat; ita ut sic Pirrus de proregibus agit, ut non gesta modo, sed personas etiam confundat.

282. Quod autem hujusmodi gesta, modo sub anno circiter MDLXVI, modo vero MDLXX referat, ac æque in utroque erret, non mediocris et ipse lapsus habendus est; sed præ cunctis, quæ penitus fuisse conficiam *Concordiam*, a Pirro eodem, vel relatam vel suppositam ostendunt; ea ipsa, quæ proposuimus, postulationum Alexandrinii capita, illisque reddita, Philippi nomine, ab Hispanis responsa, demonstrant: nam cum in illarum pluribus, se velle a prorege doceri Philippus edicat, quoniam modo sese res haberent; de illis qui non videt, nihil fuisse cum Alexandrino statutum, ut ea prætereamus, quæ penitus leguntur ab ipso rejecta? Cum vero inveniamus Philippum regem de his Terrænovæ ducem, litteris ad ipsum sub die XXVII Decembris hujusmet anni MDLXXI datis, interpellasse, ac circa eas de sententia rogasse: ac vicissim Terræ-Novæ ducem, non nisi sequenti anno MDLXXII, sub die VI Septembris eis respondisse: quis adeo demens erit, ut putare possit præcedenti anno, ac coram Alexandrino ista fuisse composita? Verum, qui de his plura

¹ Notitia Eccl. Panormit. p. 182. — ² In Not. Eccl. Trojens. p. 457.

¹ Hist. Noæ.

desiderat, que praediximus prolixa satis nostra Commentaria consulat, in quibus plenissime habentur, ea etiam que in sequentes annos sunt rejicienda. Ric interim praeterire nequivimus, ad maiorem rerum explicationem, utpote ad annum hunc (ut immunitus) pertinentem, ad Terræ-Novæ ducem Philippi regis Epistolam, licet nil fere continere videatur, nisi que ab Alexandrino ac cum Alexandrino jam acta, in Hispania aula retulimus, que sic se habuit¹:

283. « Illustris dux Terræ-Novæ, primus noster preses, et capitaneus generalis etc.

« Inter alia, quibus cardinalis Alexandrinus Sanctitatis Suæ legatus, ejusdem nomine se gravatum doluit, unum fuit illud, de ratione a modo, quo ibi monarchia exercetur, contendens hujusmodi præminentiam, solido titulo non innixam; et licet, quod decebat, huic fuerit redditum responsum, nihilominus cum accepterimus in dicto regno, qui hoc munus exerceat, unum ex presbyteris esse, qui famulatio preges addicti sunt, et his quidem, absque defectu, huic oneri præpositum, ad eumque Ecclesiasticas omnes causas, tam appellationis quam recursus, et alias per supplices libellos deferri, hoc titulo inscriptioneque ob-signatas, nimisrum: *Sanctissimo et beatissimo patri domino nostro;* ac tandem quod presbyter præfatus, vel potius judices mere laici, sub hujusmodi monarchiæ nomine, edicta, ac leges, cunctaque judicia promulgant; quinimo etiam censuras, contra episcopos et archiepiscopos, eo usque rem pervenire, ut contra inquisidores et ipsas cardinalium personas, magno scandalo religionis, ac Ecclesiastici Ordinis vilipendio, procedatur. Nobis vobis præcipere visum est, ut in posterum summo studio curetur, ut hujusmodi monarchæ officium, personæ Ecclesiastice, sic litteris ac dignitate insignitæ demandetur; ut Sanctitati Suæ, tam ipsa, quam modus, quo eo in regno hac via proceditur, placere queat.

« Nobis insuper significavit, quod hujus monarchiae præminentiae causa, non modo eo in regno Ecclesiasticus Ordo confunditur, sed etiam rerum omnium recta via evertitur; nam neque ab episcopo ad archiepiscopum, neque ab hoc ad Apostolicam Sedem recurritur: quinimo cuique ejus jurisdictionem effugere volunti janua patet; et hoc quidem etiam in prima instantia, ordinariis causis eruptis, ac si alter papa, monarcha existeret. Cui quidem malo, nec ipse Pontifex ocurrere valet, cum nec primæ citationes, Roma missæ, admittantur. Sibi quoque monarcha vindicat, indistincte, et nullo certe munitus privilegio, ut quamlibet Ecclesiam ac monasterium visitet. Et quia, quoad primum, excessus omnis non approban-dus, curabitis, ut primæ secundique instantiae,

libere apud ordinaries et metropolitanos, ut decet, præcepitque Concilium, fiant. Quo vero ad Ecclesiarum et monasteriorum visitationem spectat, docebitis quomodo sese res habeat, cuique fundamento initiatur, ut ei sic consulatur, ut inconvenientia desinant, que ex his oriri possent.

« Idem ipse retulit nobis, quod itli ipsi, qui se habere jactant Sedis Apostolicae auctoritatem, et papæ legati nuncupantur, appellationem ac recursum, qui ad eundem papam haberi potest, ab eorum sententiis decretisque negant, ac severe castigant, qui ab illis appellant. Cumque hec magni ponderis existat, quæ merito summa consideratione examinanda est, idcirco scire volumus, quomodo vere sese habeat: familiarique nostro pergratum erit, si nobis significabitis, qua ratione, quove titulo id agetur, ac in proxim exerceatur; et insuper, ut suggeratis quod circa hanc rem peragi possit.

« Retulit etiam, quod qui monarchæ munus exerceat, pluribus in negotiis, et gerere, taliterque in eis rescribere consuevit, ut quilibet, vel æqualis vel Summo Pontifici superior videri possit: persépe non permittens rescripta, et Apostolicas litteras, vel haec graticæ, vel sint commissionis, utpote vel Jubilea, vel indulgentiarum executioni mandari; et sepe saepius eas moderatur, ex una parte rescribens *Exequatur*, in altera vero *Non*. Quod quidem non æqualitatem modo, sed superioritatem significat. Ali quando etiam, que in universo mundo vulgari plenaria jubilea indicit Pontifex Maximus, ac passim trium dierum jejunii nuncupantur, prohibita sunt, non alia ex causa, nisi ob id, quod iis impedimento sint, qui Cruciatæ Bullam conductam habent; ut illo tempore illam clargiri distribuereque valeant. Et quia intelligere cupimus, quid revera agatur, speciali modo famulatum erga nos vestrum exhibebitis, si de hoc plene docebitis, ut id quod convenit fiat, et inconvenientia tollantur.

« Significavit insuper, quod quoties Executoriæ dantur, haec minime conceduntur, nisi prius pecunia summa quedam persolvatur: et quia id minime decere videtur, curabitis, ut in posterum pecunia nulla, ob id non intercedat, sed gratis executoriæ concedantur, ut in regno quoque Neapolitano fieri mandavimus.

« Questus est etiam, quod monarcha, contra episcopos præsulesque, absque ulla reverentia procedat; contra canonum Conciliique statuta in causis criminalibus, personaliter ad regiam aulam eos vocando, contraque easdem illorum personas procedendo, ac in carcere conjiciendo: ac causa non explicata, illud tantum edicat, eos ob nostrum servitium accersiri jussos. Et tunc Bulle Apostolice virtute, et ex immemorabili consuetudine id fieri arbitremur; nihilominus cupientes Sanctitati Suæ morem gerere,

¹ Ex Ms. Cod. card. Bar. ut sup.

quoad hoc caput, quod Concilium statuit, observari mandabitis.

« Doluit insuper, ab ipso cogi episcopos, juxta voluntatem judicium laicorum, in animarum peraiciem, ut excommunicent, vel absolvant. Et quia huic rei providendum esse cognovimus, ideo speciali ratione de illa a vobis doceri imperamus : et quam exactiorem dabitis de his quae geruntur, magis famulatui vestro partes implebitis.

« Veetigal quoque super Ecclesiastica beneficia, ab Apostolica Sede impetrata, impositum dicit, quod quidem centum ac duecenta scuta excedit. Et quia id penitus ignoramus, plene nos de hoc edocebitis, ut si aliquis in hoc excessus reperitur, convenienter ei remedium aptari possit.

« Refutit praeterea, quod quamvis in impositione subsidii illius regni, in qua etiam clericos comprehensos volunt, rem verborum lenocinio honestare studeant, ad solutionem provocantes, quod id sibi a Pontifice Summo concessum fuerit : revera tamen concessio hujusmodi ac facultas ab ipso minime requiritur : et, si aliquando requisita fuit, id effectum est, vera causa, et facti veritate, vel simulata vel silentio pressa : ex quo enascitur, ut pauperes clerici, juripatronati non subjecti, sic importabilibus oneribus opprimuntur, ut nec pia legata, et nec quidem patrimonialia pauperum sacerdotum bona, ab oneribus hujusmodi sint immunia : et quia nos cupimus speciatim hæc intelligere, distinctam de hoc relationem mittetis, et dispensationis, qua petitur ; ut, quantum opus sit Sanctitatem Suam exorare, id efficiatur.

« Illud etiam significavit, Epistolas ab Ordinariis pro suorum clericorum defensione scriptas, rejectas esse, imo laceratas, illisque modis ipsas deferentes vexari. Et quia æquum non est sic eos male haberi, easdem litteras admitti, nec lacerari, nec earum latores concuti curabitis.

« Dicit pariter ad suos judices, nisi interrogationibus ipsis factis, interposito corporali juramento, non respondeant : quod si præstare recusent, in carcерem trudunt, comminanturque torturam. Et quia æquum non est hoc excessum committi, curabis ne ita clerici vexentur, nec male tractentur, cum ad notificandas præsentandasque ordinariorum Ecclesiastico-rum judicium Epistolas se conferunt : quo vero ad juramentum, in isto regno a reis minime extorquetur.

« Cum (dicit) clericus aliquis accusatur de capitali delicto ; ni compareat, contumax pronuntiatur, atque a regno ejectus, excusatione qualibet vel perintermedium personam, vel per procuratorem rejecta : qua de re, cum seiseatus fuisset Piscatoriae Marchio, cum cardinalis

Justinianus hic morabatur, ut doceret, quomodo res vere sese haberet, verosimile est, de hoc jam actum fuisse : nihilominus, id vobis significare voluimus, ut enretis plenius nos de his instruere, et de illis quæ istie geruntur, ut plenius ac distincte instructi, super hæc, aliaque capita decerni possit, quod convenit, ac Sanctitati Sua rationabiliter satisfacere, ut toto animo optamus, possimus : idque tamē moneamus, ut majori quæ potest brevitate efficiatis.

« Cum vero adeo expresse præceperimus, ut simul cum observantia deeretorum sacri Tridentini Concilii, sic eorumdem specialis cura, ut justum est, et ipsorum qualitas postulat, habeatur : putandum idcirco est et id jam factum fuisse, et nunc quoque fieri, cum id, ut nobis relatum est, adeo sit necessarium. Cumque apud nos de hoc Sanctitas Sua rursus institeret, præsentibus in hanc potissimum curam incumbere denuo voluimus, ut intelligatis gratum animo nostro futurum, ut in hoc Sanctitati sua vere pergratum faciamus, ea exceptioni mandantes, quod Concilium ipsum decrevit. Matriti xxviii Decembris MDLXX.

Ego Rex. »

284. Ab eodem rege Philippo, sub ipsa die xxviii Decembris hujus anni, Epistolam invenimus ad cardinalem Granvellanum scriptam, in qua ad quadraginta rerum capita inserit, in quibus Alexandrinus secum ipso conquestus fuerat, sacras leges, ac Tridentini Concilii decreta in Neapolitano regno violari ; et Granvellanum eumdem superiisdem de sententia rogat. Quid vero is responderit, sequenti anno dicendum erit.

285. *Constitutio pro utriusque Siciliae regnis.* — Longe tamen antequam Alexandrinus legatio decerneretur, ac de his cum Philippo ipse ageret, nempe kalend. Martii hujusmet anni ; pro regnorum utriusque Siciliae episcopis, Constitutionem⁴ Pium edidisse reperimus, cuius hæc sunt verba :

« Muneris nostri est, aditum prohibere quem salubris delictorum animadversio perperam disturbatur. Nefarium etenim facinus, in plerisque episcopatibus regni Siciliae citra et ultra Farum audivimus exoriri, quod cathedralibus Ecclesiis præsule viduatis, vicarii a capitulis constituti, gratia, timore, odio vel sordibus, quas volunt inquisitiones, et testimonia rerum et causarum criminalium violent, subripiunt et lacerant, ne delictorum cognitio vel vindicta uspiam consequatur.

« Hos ad hoc malum qua potest industria coereendum, pro nostro officio intenti præcipimus omnibus archiepiscopis et episcopis diœci regni præsenlibus et futuris, ut deinceps inven-

⁴ Exstat. in Bul. Const. 131.

tarium authenticum omnium et quarumcumque sua curiae querelarum, accusationum, inquisitionum, denuntiationum, testificationum, instrumentorum, processuum, ceterorumque actorum, causarum, et negotiorum criminalium, etiam mixtorum, quae apud curia sua notarium fuerint, quotannis in perpetuum contificant; confectum, et dicti notarii manu subscriptum, penes se custodiunt, donec super its fuerit judicatum etc ». Quam quidem Constitutionem, pro ulrisque Siciliæ ut diximus regnis factam, nobis in memoriam revocavit futilis nonnullorum exegitatio, qua adstrinere comixi sunt obsidente sibi monarchia, nil penitus Pium in Sicilia regno agere statnereque potuisse.

286. *In quibus rex Hispaniæ æquum se præbuerit legati postulationibus.* — Quo ad alia vero rerum capita, uti de Mediolanensis Ecclesiæ jure, de œconomatu, de decimarum rationibus, in auctorilate se summi Pontificis penitus futurum, respondit Alexandrino Philippus. Uti etiam de Cosmo, licet alii secus scripsissent, aut coram locuti essent, tamen se Pio crediturum potius, nec solum in Cosmum se eum futurum, quem Pius esse voluisse; sed Maximilianum Cæsarem, qui ei, ob novitatem honoris valde succensuisset, lenitum, pollicitus est. De Columna quanti eum faceret, cum res terret, operibus comprobalurum; ac non modo de conservanda, sed de amplificanda etiam illius dignitate, libenter cogitaturum. De Lucialio tamen vereri, ne medicina morbo esset inferior; nam et si ea Pontifici sapientia esset et auctoritas, ut ipse ab eo, non Suimus Pontifex ab se deberet admoneri, tamen indicandum quid vere sentiret ab hujusmodi hominum ingeniosis, qui ad omnia auram spei mobiles essent et infidi, nullambonam frugem esse expectandam; se tamen cogitaturum quid commodius fieri posset. Denique (concludit Gabulius) omnibus in rebus rex promisit, officium, fidem et pietatem præstaturum: et Pio Pontifici, quem ipse unice diligeret et coleret, quibuscumque in rebus posset, obsecuturum. Quod certe uti Catholicum regem decuit, semper prestitit; licet optimam illius mentem administratorum suorum artes persæpe anteverterint. De Lucialio scribit Calena, optimum quidem fuisse Pii consilium, verum non ea, qua oportebat dexteritate, illum cui res demandata fuerat in eam euram incubuisse; ac experimento comprobatum deinde fuisse dicit, quam opportune ac necessario Pontificem id eurasse.

287. *Cardinalis Almandrinus Lusitanum regem adit, a quo nile nisi raras promissiones obtinet.* — Rebus in Hispanica aula hac ratione compositis, die decima octava Novembris, legatus Madrido discessit, et ad Sebastianum Lusitanum regem progressus, Olyssiponam die tertia Decembris pervenit: ubi honorificentissime ex-

cepimus luit. Epistola vero¹, quis regi eidem Pontificis obtulit, hujusmodi fuere:

« Charissimo in Christo filio nostro Sebastiano, Portugallie et Algabiorum regi illustri,

PIUS PP. V.

» Charissime in Christo fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem. Non dubitamus M. T. pro sua pietate magna letitia affectam esse, accepto ejus fœderis nuntio, quod superioribus diebus, adversus immanissimum Turcarum tyrrannum initum est inter nos, sanctamque Ianc Sedem Apostolicam, serenissimum Hispaniarum regem, et amplissimam Venetorum Rempublicam, magno certe cum gaudio hujus Erbis; ex cuius unius magnitudine, non difficulter est ceterorum quoque Christi fidelium, quanta ejusdem rei nomine futura sit voluptas, conjicere. Quod cum ita sit, unum jam nobis illa cura incumbit ceteros Christianos reges ac principes, eodem tendere nondum comprehensos, ut ad illud, primo quoque tempore, se adjungant, paternis nostris vocibus ac monitis excitare atque hortari. Nam, ut nunc se res habet, communis Reipublicæ Christianæ salutis hoc federe ineundo, quasi fundamenta quadam esse videntur, parum tamen ad reliquum publicæ securitatis ædificium statuendum firma futura, nisi ceterorum Christianorum principum, ad idem consentientium, animi viresque accesserint: quippe usque adeo nostris discordiis nostraque socordia crevit Turcarum potentia, ut non nisi communibus omnium illorum armis, atrocissime gentis impetus sustineri frangique possent. Quæ res nos impulit, ut ad majestatem tuam dilectum hunc filium Fr. Michaelem fit. S. Mariae supra Minervam presbyterum cardinalem, Alexandrenum nuncupatum, nostrum ex sorore pronepotem, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium consilio et assenso, nostrum et Sedis Apostolicæ de latere legatum, mitteremus; ut is eam de cuius præcipuo erga rempublicam Christianam studio, omnia nobis egregia pollicemur, nostro nomine vehementer hortetur in Domino: et quo maiore potest, animi sui studio requirat, et obtestetur, ut huic fœderi adjutor, quamprimum accedere velit. Magna enim, si hoc feceris, rei Christianæ publicæ spem in tua virtute, tuorumque militum fortitudine, repositam habere poterimus: quos quidem in pœliis adversus Tureas gerendis exercitatissimos, magno ad communem expeditionem adjumento futuros esse intelligimus. Ut autem M. T. id prompto animo facturam esse speremus, non solum ea causa adducimur, quia suum in propaganda religione Christiana studium perspectissimum habeamus, sed etiam quia proprium esse vide-

¹ Ex Athl. Vitie, m. sc. 1.

tur Portugalliae regum, pia bella libenter suscipere, et cum infidelibus praelari; quod ex rerum ab ipsis contra eos gestarum magnitudine, facile quivis potest cognoscere. Quam quidem ad rem, si unquam opportunitas affuit, maxima certe adesse cernitur hoc tempore, quo majores Christiani principes, nullis dissensionibus discordes, sed polius fere omnes mutuis inter se atfinitatum vinculis adstricti, ad impelum saevissimi tyranni frangendum, magna ex parte conspirare jam coeperunt; ut nisi per alios steterit, ineunda inter se contra communis hostes concordia initium fecisse videantur. Quod quidem initium, te, charissime in Christo fili, potissimum deceat adjuvare, cui haec ipsa communibus armis suscipienda adversus Turcas expeditio, non solum in posterum gloriosa, sed etiam in praesens utilis est futura. Cui enim dubium est, si undique communis hostis, consociatis omnium principum Christianorum armis et viribus urgeatur, M. T. facile fore regnorum suorum fines in Africa sibi vicina propagare: quod lametsi ita non esset, ipse tamen communis hostis metus, deberet M. T. ad hoc foedus instandum excitare. Neque enim arbitrari debet, eum, qui omnium regum Christianorum regna, spe atque animo jam devoravit; non etiam de lui regno excidio atque pernicie cogitare. Ad haec omnia accedit ratio communis omnium Christi fidelium salutis, quae te ad hoc vocat, et proprium T. M. officium, cui nisi oblata tibi, tam praeclara sanctissimi federis occasione hoc tempore satisfeceris, nullo modo te Redemptori nostro excusare poteris in illo extremo judicii die, cum ante illius judicis tribunal veneris, cui omnia nuda et aperta sunt. Accedunt etiam paterna nostra monita, et hujus S. Sedis Apostolicæ voces, quibus, quo nobis atque illi fidelior et obsequientior existimaris; eo magis te obtemperare deceat, ut auctoritate exemplo tuo, reliqui etiam Christiani principes commoti, ad idem faciendum excitentur; quemadmodum idem legalius M. T. praesenti praesens copiosius exponet; cuius orationi super hac atque aliis rebus eandem fidem adhibebis, quam nobis ipsis adhiberes, cum nosse possis illum, omnium nostrorum consiliorum et cogitationum participem esse; qua ex re intelligere potes, quantæ nobis curæ sit id, de quo tecum acturus est, cum tali adjutore, qui nostros labores et curas levare solitus est, curare maluerimus, quam reipublicæ Christianæ saluti, ea qua magis expedire putavimus ratione deesse. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die prima Junii, anno MDLXXI, Pontificatus nostri ann. vi ».

288. Juxta has Pii Epistolas, luere verba Alexandrini legati ad regem, apud quem omnem argumentorum vim adhibuit, ut illum in suam

ac Pontificis sententiam pertraheret. Verum cum eadem fere rex audisset (inquit Gabutius¹) superiori anno a Ludovico de Torres internuntio, eadem ferme ac ille a Sebastiano etiam responsa legatus retulit: Pontificis nempe benevolentiam, paternam charitatem atque prudentiam, non solum diligere, verum etiam admirari. Quæ vero causæ ante obstilissent, quominus auxilia preberet, easdem etiam nunc manere; et, ut nunc se res haberet, non solum mansuras, sed ad veteres difficultates novas etiam accessisse; multo majores copias, quam singulis annis in Indian miserit, transmittere oportere. Ibi quoque, bono publico, sibi cum Turcis bellum gerendum. In illis item regionibus ubi omnia infesta essent et hostilia, ubi incolæ insociales advenas pejus omnibus malis odissent, portus imperii magnis operibus praemunierdos esse: et quanquam appeteret Hyems, tamen classem instruendam esse, et contra haereticos quosdam piratas educendam, qui, oppressis plurimis navibus, cum multos alios, tum sacerdotes nonnullos obruncassent. Sibi præterea compertum esse Seriphium Mauritaniae regem, qui proximo superiori anno insulas Canarias depopulatus esset, nunc magno conatu classem aedificare, ad terrestres copias maritimæ addere, et vires angere; non cunctandum videri, quin huic hosti occurreret. Ingentem præterea classem parandam, et ita distribuendam, ut alia pars Minæ, alia Congii regno, alia insulis tuendis sufficeret. Porro famam percerbuisse, haereticos, pace facta, ex Gallia et Britannia piraticas naves deducturos, et Lusitaniam maritimam oram populaturos; hos aliarum triremum apparatu coercendos esse. Itaque circumspicilis regni viribus, nihil superesse, quo amicis principibus auxilio esse posset; sperare tamen se Pium hæc in bonam partem accepturum.

289. Hoc a Sebastiano (ut diximus) Alexandrinum r̄sponsum retulisse scribit Gabutius¹; istaque palam et aperle ostendisse asserit, quod secreto, ut postea magis compertum est, bellum Mauritanum meditaretur. Verum rem aliter narrare videntur Gralianus et Foliela; quorum alter seribit: « Sebastianus juvenili, nec satis consulto ardore laudis elatus, non intensus modo Turcis Maurisque erat, sed armis eos persequendi cupidine flagrabat. Ergo quantas posset navales copias, magna voluntate vel ultro consociaturum fuisse respondit, nisi Hungunotorum insidias vereri cogeretur: (hoc nomine Gallia haereticos appellant, qui licentia religionis, tantum opum collegere proximis auni, atque ita seditionibus armisque cuncta miscere sunt aggressi, ut scelere atque audacia

¹ Gabut. Vit. Pii Lib. 4. Cap. 9. pag. 146. — ² Grat. de bel. Cyp. Tolet. de Sac. Fid.

perciti, vexandam sibi Christianam rempublicam desumpsisse videantur) hos non solum infesta classe regni sui oras populabundos circumvehi solere, sed Mauros Africam contra Lusitaniam insolentes, in se sollicitare. Se tamen in Pii potestate futurum, suasque vires ei fœderi, quod pro Christiana religione contractum esset, hand dubitanter sequenti anno adjuncturum; nam tum quidem, ad classem ornatam satis aestatis non superesse; quam quidem classem in Graeciam ne mitteret, an per se circa Rubri Maris oras bellum cum Turcis gereret, atque ita eorum distineret vires, cum ipso Pontifice consilium habiturum; eaque de re mandata legato suo, qui esset Romæ apud Pium, daturum, omniaque ab eo ita fieri, quemadmodum maxime Pius yellet, *jussurum* ».

290. Eadem fere (ut innuimus) habet Folieta, qui eamdem animi promptitudinem, ad arma in Tureas converlenda, in rege Sebastiano, ab Alexandrino legato repertam fuisse refert; que quidem minus convenire rite putarentur ut diximus¹ cum his, quæ Gabutius narrat, nisi adjiceret ipsemet, ex negatis auxiliis (videlicet contra Turcas), adeo contristatum legatum, ut conceptum animo merorem, etiam tristi vultu præ se ferret; addereturque hanc Alexandri tristitiam, rem prolapsam aliqua ex parte restituisse. Quibus autem legibus Sebastianus se in Pontificis potestatem futurum dixerit, ex inferioris suo loco ponenda ejusdem regis ad Pium responsiva Epistola, perspicuum erit.

291. *De legatis in Persiam mittendis agitur.* — Postulatum quoque a Sebastiano est, ut legatos in Persiam mitteret, ad concitandam in Tureas eam gentem, quæ ipsius regis finitima regnis, amicitia et societate inter se attinebantur. In eamdem sententiam Alexandrinus, tum Antonius Teupulus Venetorum legatus, etiam cum Philippo Hispaniarum rege, egerant. Ideoque utrique a Philippo responsum, nihil videlicet in se passurum desiderari, quod sibi, aut dignitas sua, et perpetuum in Christianam rempublicam studium, aut fides initi fœderis imponeret: Pontificisque auctoritatem antiquissimam semper habilirum, que fanti esset sibi, ut hand minori cupiditate parendi, gratificandique Pii voluntati, quam Reipublicae quod deberet, præstandi consulendique tenetur. Sebastianus etiam de ipsis legatis in Persiam mittendis respondit se facturum, quod Pius postulasset; ostendit tamen exiguum spei in Persa, propter ignaviam ac senium regis, se intelligere esse ponendam.

292. « Miserant et Veneti (inquit Gratianus) initio belli ad Tammasum regem Persarum Vincentium Alexandrium, qui per Germaniam et Poloniam itinere facto, Moldaviamque inde emensus, ad Monastrum navem consecderat, trajectoque Eoxino Mari, Sinopi in terram

egressus, inde per Armeniam regionesque hostium, Turcico entu ac Turcae linguis guarus, coque fatus, inter barbaros, Taurum regiam Persarum urbem pervenit. Sed a rege inertissimo, ac fœminis simillimo, in quarum gregibus vitam agebat, piene sine responso dimissus, nihil inde spei Venetas retulerat. Nam Tamiasus, patre natura Ismaele, cui Sophio cognomen fuit, clarissimo ejus gentis rege, ac Turcis infestissimo, adeo Turcarum formidabat arma, turpi otio ac pecuniae deditus, ut Ismaelem filium, virum acrem et bellicosum, et ut nominis, ita odii in Turcas aviti heredem, virtutisque annulum, degener ipse, complures annos in diligentè custodia habuerit, verens, ne ferocia ejus Turcum sibi bellum conflaretur». Sic ille.

293. Nihilominus, vel quod horum ignarus esset, vel quod, que fere impossibilia aliis videbantur, Pii zelo fieri posse viderentur, certum est ipsum, antequam certior fieri posset de Sebastiani super hæc re sententia ab Alexandrino, datis ad Persam aliosque ethnicos principes litteris suo loco recitandis, ad arma in Tureas capessenda horlatos eos esse.

294. *De nubendo Lusitano rege Pontifice irriti conatus: an reipsa Jesuitæ juxta severorem normam hunc principem educaverint?* — Praecipnam autem legationis ad Sebastianum rationem fuisse, ut cum eo ageret Alexandrinus de ducenda uxore Margarita Valesia, scribit Folieta: quod quidem facile suadent, et ea, quæ præteritis annis narravimus, summum videlicet de hujusmodi nuptiis Pii studium, et Epistole, quas hoc ipso anno ante hoc tempus scripserat, ut, et dissidia, inter regem ipsum, et reginam Catharinam ejus aviam componeret, et connubium, quod diximus, tandem aliquando contraheretur. Ad Sebastianum siquidem has Epistolas dederat:

« Charissimo in Christo filio nostro Sebastiano, Portugallie et Algarbiorum regi illnstr.

PIUS PP. V.

« Charissime in Christo fili nostre, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Cum dilectus filius M. T. apud nos orator, superioribus diebus nobis exposuisset, charissimam in Christo filiam nostram, Portugallæ reginam, ejusdem T. M. aviam, de suo ex isto regno discessu, atque in Hispaniam profectione cogilare; adiecissetque etiam Serenissimum regem Catholicum, et ipsi amite sue voluntati cogitationique vehementer favere, deque eo negotio ad M. T. scripsisse; incredibile est quantum ex ea re animi molestiam doloremque acceperimus. Intelligimus enim propter summam in rebus istius regni gubernandi ipsius prudentiam et experientiam, magnum illius discessu M. T. regnoque tuo detrimentum all-

tum iri; periculorumque esse, ne ex hujusmodi profectione multa accidant, quae nollemus, quæque non minus sibi quam nobis molesta essent futura. Quibus justissimis causis illa quoque accedit, quod ne ipsa quidem M. T. æquo animo, ac sine magno dolore caritura est aspectu et consuetudine charissimæ avie nutricisque suæ, quæ ob eam quoque causam parentis locum apud ipsam obtinere, et ab se magna pietate reverentiaque coli debet; quod M. T. non solum educandæ, sed etiam regiis moribus virtutibusque instituendæ laborem magna ex parte perfulit. Quocirca M. T. vehementer in Domino hortamur, ut ad ea officia, quibus sponte sua antehac foncta est, ut illam ab hujusmodi consilio menteque revocaret, nostra causa alia adjiciat posthac quæcumque ad eam in isto regno retinendam, utilia accomodataque esse judicaverit. Quod quidem M. T. ea potissimum ratione efficere poterit, si singularem quemdam amorem, reverentiam, gratique animi memoriam ob illius in se beneficia susceptam illi declarabit; si in omnibus actionibus suis, tum privatis, tum publicis præ se tolerit illius consilia, opiniones omnes magni apud se ponderis esse, quando nemo preferat eam, amplius M. T. aut fideliora aut amantiiora consilia dare posse existimandum est. Si denique, ut illi obsequatur moremque gerat, præsertim in extremo vitæ sua curriculo jam constitutæ, nonnunquam de propria voluntatis studio aliquid remittendum, et multa contra animi sui sensum agenda esse decreyerit. Quæ, si M. T. fecerit, præterquam quod pro certo habemus illam nihil sibi super mansione sua petenti negaturam, nos ipsi præterea, maximam ex ea re letitiam in Domino sumus accepturi. Judicamus enim tales serenissimæ avie tuae tractande rationem, non solum officio, existimationi gloriæque tuae vehementer convenire, sed etiam tuorum regnorum quieti et tranquillitati esse utilissimam.

Et quoniam hæc nobis ad M. T. scribendi occasio semel obdata est, ne illud quidem in præsentia prætermittere voluimus, nos, postquam dilectus filius Aloysius de Torres de isto regno reversus est, idcirco nihil de tuo cum Christianissimi regis sorore matrimonio ad ipsam scripsisse, quia justis de causis nobis visa est M. T. ab ejusmodi negotio tam cito concludendo abstinuisse. Verumtamen illud, quod nullo modo dissimulare debet, M. T. quæque meminisse volumus, ejus ipsius matrimonii celerem conclusionem, nobis in Domino latitiam esse allaturam. In quam quidem sententiam, non solum iisdem causis impelli- mur, de quibus antea ad M. T. scripsimus, sed etiam, quia eam virginem, eximia pietate præditam, et omnium virtutum genere præstantissimam intelligimus, non solum ex ordinariis

nuntiis, ministrisque nostris, quos in eo regno jamdiu habemus; sed etiam ex his, quos illuc dedita opera ad hoc investigandum misimus; quod ad M. T. scribere voluimus, non solum, ut sciret nobis in tali negotio eas curas fuisse, quæ esse debuerunt, sed etiam, ut intelligeret nobis, ob nostram erga M. T. paternam benevolentiam, gratissimum futurum, talēm conjugem tibi potissimum, quemadmodum optavimus, contigisse. Datum Romæ apud S. Petrum, die prima Maii m^{lxxxi}. Pontificatus nostri anno vi ».

293. Ad Catharinam vero Sebastiani aviam litteræ hujusmodi fuerunt:

« Charissimæ in Christo filiæ nostræ Catharinae, Portugalliae et Algarbiorum reginæ illustri viduae.

PIUS PP. V.

« Charissima in Christo filia nostra.

« Non facile verbis consequi possemus, quantam nobis admirationem simul ac dolorem attulerit, id quod superioribus hisce diebus intelleximus M. T. de suo ex isto regno discessu, atque in Hispaniam profectio cogitare; idque ob eam potissimum causam, quia persuasum habemus, aliquid molestiae ex rebus istius regni susceptis in animo M. T. penitus insedisse, quod eam in ejusmodi mentem sententiamque impulerit. Nisi enim de hoc ita esset, nullo modo fieri posse existimavimus, ut M. T. aetate jam propemedium decursa, vellet ex his locis discedere, in quibus tamdiu valetudine integra firmaque usa est, eosque populos relinquere, a quibus omni amoris reverentiaque culto, sic diligitur atque observatur, ut nullibi magis diligi observarique posset. Et quod omnium caput est, eum nepotem, vel filii charissimi filium deserere, cuius solatio omnes perturbationes atque incommoda, quibus senectus laborare solet, consolari ac lenire deberet. Errat enim vehementer M. T., si existimat se sine magno valetudinis incommodo, animaque perturbatione ac molestia, ejusmodi a serenissimo rege nepote alumnoque suo discessum absentiamque perferre posse. Quocirca M. T. quo majore possumus animi nostri studio obsecramus, ut si cause, quibus ad tale consilium capiendum impellitur, ejusmodi sunt, ut ipsis aliquam medicinam ac remedium afferre valeamus, de his nos ceteriores facere velit, illud sibi pro certo persuadens, nihil nos earum-rerum esse prætermissores, quas M. T. desiderio ac voluntati satisfacere posse judicabimus. Interea vero M. T. in eodem Domino majorem in modum hortamur, ac per Redemptorem nostrum obtestamur, ut omne discessus profectionisque suæ consilium ac voluntalem deponat atque abjiciat; quippe, quod multis periculis atque incommodis plenissimum est,

que nos prudentiae sue consideranda relinqueremus, quam litteris committere maluimus. Illud certe reticere non possumus, M. T. cogitare debere, consilium, auctoritatem praesentiamque suam, quandiu serenissimus rex nepos tuus, tam flexibili est aetate, isti regno valde necessariam esse; nec posse M. T., sine gravi Omnipotentis Dei offensione, illum auxilio solatioque suo spoliatum deserere. Quibus justissimis honestissimisque causis, illa etiam accedit, que non solum propter paternam nostram erga se benevolentiam, sed etiam ob suam erga nos, sanctioraque hanc Sedem Apostolicam observantiam, apud M. T. non parvum pondus habere debet, quod si M. T. paternis nostris monitis hortationibusque, quemadmodum aequum est, acquiescens, discedendi consilio abjecto, serenissimum regem nepotem sumus, ut hucusque fecil, consilio juvare, populosque istos, sui studiosissimos, praesentia sua fovere perseveraverit; et nos ipsi ex ea re magnam in Domino laetitiam sumus accepturi, et M. T. hujus sui tam pii fructuosoque laboris, aeternae beatitudinis praemium a Deo consecuta. Tali autem erga nos M. T. devotionis atque obedientiae obsequio, parati semper erimus, his omnibus paterna nostrar voluntatis officiis indicisque respondere, quacumque cum Domino M. T. praestare poterimus. Datum Romae apud S. Petrum, die 1 Maii 1571, Pontificatus nostri anno vi».

296. Delatum fuerat Pontifici, e regno Lusitanico abscedenti consilium, a Philippo Hispaniarum rege Catharinæ injectum: et licet Philippus se ejusdem rei nescium omnino, alibi, ut vidimus, probare contendisset, eoque nomine ab eodem Pio plurimum commendari meruisset; tamen aliter quam Philippus assereret, vere sese rem habere cognovisse Pontificem postmodum facile educere est ex Epistolis, quas hoc eodem tempore, imo sub ipsa die, qua ad Sebastianum et Catharinam, quas proposuimus litteras dedit, ad illum scripsit; quibus regem ipsum enixe deprecatur, ne studium Catharinæ regno Portugallæ excedendi fovere, neve magni hujus criminis auctor esse velit, deprecaturque insuper, ut operam det, ut tandem aliquando, ad ducendam uxorem Margaritam Valesiam, Sebastianus animum inducat. En Epistola ad Philippum scripta:

« Charissimo in Christo filio nostro Philippo, Hispaniarum regi Catholicæ.

PIUS PP. V.

« Charissime in Christo fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Allatum est ad nos M. T., sive sponte sua ad hoc commotam, sive aliena suasione compulsam id agere, ut serenissimam Portugallæ reginam amitam suam, ex eo regno, in quo per-

tam multos annos commorata est, ad se in Hispaniam revocet; eaque de re ad charissimum in Christo filium nostrum Portugallie regem nepotem suum jam scripsisse. Ea res magnam nobis admirationem doloremque simul attulit. Arbitramur enim illius ex Portugallia discessum, neque Omnipotentis Dei obsequio, neque tua suaeque maiestatis utilitati et existimationi convenire; idque ob multis variisque causas, quas facilius erit M. T. pro sua prudentia considerare, quam nobis litteris committere. Ex quibus illa est præcipua, quod quandiu rex ipse tam flexibili est aetate, non videtur regnum illud tam prudentis et in eo gubernando exercita consilio, praesentia, atque auctoritate, sine magno periculo carere posse. Quod enim ita sit, M. T. in Domino vehementer hortamur ac rogamus, ut non solum ipsa in ejusmodi negotio, si modo verum est, quod accepimus, longius non progrediatur; sed etiam, ut omni conatu omnibusque officiis eamdem serenissimam reginam, ab ea sententia et consilio, auctoritate sua abducere ac revocare contendat: quin potius illi persuadere conetur, ut hujusmodi consilio abjecto, velit regis nepotis sui, atque adeo totius regni, de ipsa optime meriti, salute ac tranquillitate praesentia sua consulere. Quia in re, præterquam quod M. T. rem factura est prudentia suaque in Deum pietate, et erga regem illum nepotem suum charitate dignissimam, nos ipsi præferea magnam ex eo laetitiam in Domino sumus accepturi. Illud etiam, quin ad maiestatem tuam scribamus prætermittere noluimus, videri nobis non alienum futuron M. T. ejusdem regis nepotis sui animum, super matrimonium cum Christianissimi regis sorore contrahendo, iterum tentare, idque, ut quamprimum faciat, valde illam hortamur ac rogamus. Neque enim diffidimus, accidente ad nostras paternas hortationes suasione sua, illud negotium ex nostra et M. T. sententia confici posse. Quod nos, quia Reipublicæ Christianæ tranquillitati utile esse existimamus, non possumus non vehementer in Domino desiderare. Datum Romæ apud S. Petrum, die prima Maii 1571, Pontificatus nostri anno vi».

297. Henrico cardinale Infante potissimum suadente, has litteres, tum ad Philippum Hispaniarum, tum ad Catharinam et Sebastianum Portugallæ reges dedisse Pium, patet ex Epistola, quam ea ipsa die ad ipsum scripsit Henricum; inter quem et Catharinam, præcipua licet dissidia ferverent, quae totius Lusitanicæ aulae statum pacemque perturbarent, cardinalis tamen eo rem perduci noluisset, ut propterea regina regno exceederet, utpote qui id in maximum regni regisque perniciem fulurum prudenter animadverferet, suspectaque idecirco merito haberet Hispaniarum regis studia, qui

cum adhuc ex eo tempore forsitan eidem regno inhibaret, eique adipiscendo nervis omnibus callide incumberet, domesticas Lusitaniae discordias propterea aleret, ac Sebastiani ingenium a maliis abhorrentis, non improbaret. Epistola Pii ad cardinalem, a quo de his per Antonium Pintum, ac per ejusdem litteras, certior factus fuerat, sic se habet:

« Dilecto filio Henrico, Tit. SS. Qualuor coronatorum presbytero cardinali, Iulanti Portugalliae nunupato, de latere legato.

PIUS PP. V.

« Reddidit nobis dilectus filius Antonius Pintus circumspetionis tuae litteras, xvi die Februarii datas, ex quibus et ex illius sermone, non solum cognovimus ea, que serenissimae reginae causam dedisse videntur, ut de suo ex isto regno discesset, alque in Hispaniam profectione cogitaret; sed etiam illa, que circumspetio tua, non minus sapienter quam amanter fecit, ut ab hujusmodi illam mente consilioque revocaret, quibusque et incommoda perturbationesque prudenter admodum consideratas, et tu adjecisti, et praedictus Antonius orator suus diligenter est subsecutus, que ex tali ejusdem serenissimae reginae discessu accidere possent. In his omnibus prudentiam operarique tuam vehementer in Domino laudamus, quodque nos de omnibus rebus singillatim certiores feceris, in eo tuam erga serenissimum regem nepotem tuum benevolentiam, et erga nos sanctamque hanc Sedem fidem observantiamque cognovimus. Super eo scribimus, ex consilio tuo, ad charissimum in Christo filium nostrum Portugalliae regem, nepotem tuum, et ad serenissimam reginam S. M. aviam, itidemque ad serenissimum Hispaniarum regem Catholicum. Scribimus autem in eam sententiam, in quam circumspetio tua scriendum a nobis esse judicavit. Magnam autem in Domino spem habemus, omnes pro spectatissima illorum pietate, et erga sanctam hanc Sedem Catholicam reverentia, hunc Deo et nobis honorem esse habituros, ut in eo, quod ab illis petimus, honestissime voluntati desiderioque nostro gratificantur. Te autem horlamur, ut eisdem, quibus hucusque functus es officiis, posthac lungi perseverans, non solum serenissimae reginae persuadere coneris, ne regem nepotem suum, regnumque istud, quod de majestate sua optime meritum est, solatio praesidioque suo destitutum deserere velit; sed etiam serenissimum regem, pro ea quam habere debes apud eum auctoritate, monere ne desistas, eamdem reginam aviam suam omnibus rebus sic tractet, ut ipsa se ab eo tantum, quantum illius erga ipsum merita postulant, amari honorisque cernens, nullam habeat justam causam de discessu cogitandi. Utrique autem nos-

tris verbis significare te volumus, nos, siue ex ultraque re magnam in Domino laetitiam sumus accepti; sic tantum de utriusque erga personam nostram studio ac reverentia nobis polliceri, ut pro certo habeamus, nos, in re presertim justissima, illorum obsequium non esse frustra desideralnos. Circumspectionem autem tuam requirimus, ut quidquid successerit, de eo nos suis litteris, quam primum commode poterit, certiores reddat. De negotio vero, de quo chirographo suo in iisdem litteris inclusio, ad nos scripsisti; gratum fuit ea nobis cognovisse, et quamvis in eo procurando deflagati essemus, faciendum tamen esse existimavimus, quod a nobis postulasti, quemadmodum cognoscet ex litteris, quae ad serenissimum ipsum regem nepotem tuum scribimus. Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die prima Maii MDXXI, Pontificatus nostri anno VI.».

298. Pii officiis palernisque monitis commotum Sebastiani animum, omnem paene lapidem movisse certum est, ut aviam Catharinam deliniret, atque a consilio abscedendi a regno revocaret. Verum cum illa se nulla alia ratiōne acquieturam pronuntiaret, nisi a regni administratione longe illi ablegarentur, quibus ipsa, et regis, et regni ejusdem incommoda omnia tribuenda esse persuasum habebat, Patres, videlicet, Societatis Jesu, et hi viceissim, plus aequo forsitan, ut innuimus, ab Henrico cardinali colerentur ac foverentur, hinc inter illam et ipsum dissidia majora exarsere.

299. Assueta sollicitudine occurrit Pontifex, ut hanc quoque discordiarum flammam compimeret, que priorem non tam extinxisse, quam auxisse videbatur, ad regem Sebastianum sic scribens:

« Charissimo in Christo filio nostro, Sebastiano, Portugalliae et Algarbiorum regi illustri.

PIUS PP. V.

« Charissime in Christo fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Laudamus M. T. quod quemadmodum illam superioribus diebus hortati fuimus, serenissimae regiae aviae sue animum mitigare, et eam apud se retinere, modis omnibus conatur; id quod tibi maxime et rebus tuis conducere existinamus. Sed illud nobis nuper non mediocrem altulit molestiam, quod, dilecto filio oratore apud nos tuo referente, cognovimus, ab eadem regina fuisse quedam M. T. proposita, quibus rerum istius regni administratio parum probari videretur, non sine magna dilecti filii nostri Henrici cardinalis infantis offensione. Quamobrem considerantes, si aliqua inter eos oriretur dissensio, non parva illa incommoda et damna tibi et regno afflatura

esse : M. T. hortandam duximus, ut ejusmodi zizaniae semina, antequam altius radices agant, extirpare omnino et tollere studeat, ad idque potissimum animum suum intendat, ut reginam et cardinalem, concordibus animis et mutua benevolentia conjunctos, in regni cura et custodia apud se contineat. II enim sunt, quibus tum propter arcam sanguinis conjunctionem, et summam erga te charitatem, tum ob eximiam prudentiam, fidem et rerum istius regni usum maxime confidere, et tanquam vite tue ac regni firmis columnis ac praesidiis inniti debes. Quod si aliqua illorum concordiae ac mutua benevolentiae officere videntur in tuis ministris aliisque personis, ei rei ut provideas, suademus. Hortamur præterea eamdem M. T. ut in removendis, cum oportere judicaveris, a publicis muneribus et honoribus iis, quos claræ memoriae rex avus tuus, aut regina ipsa præfecerunt et ornarunt, ea circumspectione agas, ut reginam in primis, non sine justa causa id fieri certiorem reddas, cæterisque in rebus, quibus recte poteris, ejus voluntati ac desiderio prompto animo satisficias. Illud iterum, ac sœpius te pro eximia nostra, et vere palerna erga M. T. benevolentia hortari non desistemus, ut Matrimonium cum Christianissimi regis sorore Margarita contrahere ne diutius differas. Cum enim de præstante illius virginis religione, probitate ac virtute certa indicia ac testimonia habeamus, sicut etiam aliis litteris nostris ad te scripsimus, tale conjugium maxime aptum M. T. et Christianæ etiam reipublicæ salutare existimamus; idque, ut ad optatum effectum, primo quoque tempore adducatur, eupimus et optamus. Quam ad rem operam etiam et auctoritatem nostram, si opportunam esse censueris, promptissimo animo deferimus ac pollicemur. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die III Augusti MDLXXI, Pontificatus nostri anno VI.

300. Ad reginam Catharinam vero, sub eadem die sic scripsit :

« Charissimæ in Christo filiæ nostræ Catharinæ, Portugallæ et Algarbiorum reginæ illustri.

PIUS PP. V.

« Charissima in Christo filia nostra, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Superioribus diebus scripsimus ad M. T. de iis quæ ad nos delata fuerant, de tuo ex isto regno discessu, et in Hispaniam profectione, hortantes maxime atque petentes, ne ullo pacto, tam necessario tempore, serenissimum regem nepotem atque alumnum suum, tenera adhuc et flexibili alete, regnum præterea et populos, adeo M. T. devotos, deserere velles. Eas litteras M. T. redditas esse, teque earum, et auctoritatis

nostræ, quam debes, rationem habituram esse confidimus. Sed tamen, quia M. T. et regem regnumque, ac totam nationem præcipua in Domino charitate prosequimur, atque de vestra omnium quiete, assidue solliciti sumus, illud nobis nuper molestum admodum fuit, quod est ad aures nostras perlatum, M. T. quedam ipsi regi proposuisse, quibus significavit, publica se rerum istius regni administratione parum contentam esse, non sive dilecti filii nostri Henrici cardinalis infantis offensione. Quamobrem, eum persuasum habeamus, cardinalem, summa fide, probitate, prudentia, integritate, religione, regni istius curam habere, et erga M. T. semper studiosissimum et observantissimum eum cognoverimus, ac sciamus illum habere alium neminem praeter regem, cuius amplitudini, commodis et saluti magis inservire, et possit, et debeat; ac præterea meminerimus, regni regimen abs te dimissum, M. T. procurante, illi traditum fuisse; valde mirati sumus ullam justæ querelæ seu culpæ causam adscribi ei potuisse. Itaque illud existimamus M. T. ad id aliquorum suasu fuisse impulsam, qui animum tuum a cardinali alienatum cupiant, ac per discordia vestrae occasionem, rege firmioribus fidelioribusque consiliis destituto, aditum sibi ad ea exercenda patefactum sperent, quæ ipsi regno et regi parum utilia essent futura. Sed M. T. pro sua prudentia, talibus suasoribus, si qui sunt, aures occludere debet, sicuti facturam eam confidimus, et cardinalem, quo debet loco habituram. Hoe enim a nobis persuasum tibi omnino cupimus, expedire maxime regi ac regno isti, M. Tuam isthinc non discedere; sed eam, et cardinalem concordibus animis et mutua charitate, in regis cura, et regni administratione procedere, multaque ex hoc bona, auxiliante Domino, esse proventura. Quod cum facies, sicut speramus, et dignum Omnipotenti Deo pietate tua obsequium præstiteris, et eo regi ac regno optime consules; nobis vero qui prospicimus, si aliter factum fuerit, multa ex eo mala ori posse, nihil gratius facere poteris. Si qua vero hinc concordia vestra, et bono regni regimini, ac publicæ utilitati obstat videantur, aut si qui ministri, vel consolatores regis et cardinalis, minus tibi grati, aut parum probati sunt; opportunum ei rei remedium, a serenissimo rege et cardinali adhibitum iri, eosque omnibus in rebus, quibus recte poterunt, voluntati ac desideriis M. T. satisfacturos esse non dubitamus, quemadmodum illis scribimus. De his autem, deque aliis rebus propediem, Deo dante, tecum nostro nomine pluribus loquetur dilectus filius Michael cardinalis Alexandrinus legatus noster. Officium, quo M. T. funera est apud regem, ut non maneat solus, sed uxorem ducat Christianissimi

regis sororem, valde nobis placuit, atque eo magis quod eam virginem, sicut alias seripsimus, singulari probilate, ac religione, ac dignis inclyto genere suo virtutibus, ornatam esse compertum habemus. Nos quoque idem regi suadere conamur, et si nostra ad id auctoritate opus erit, libenter eam interposituri sumus. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die tertia Augusti MDLXXI, Pontificatus nostri anno VI».

301. Quam vero seripsisse ad cardinalem infantem Pontifex innuit Epistolam, non habemus. Ex allata nihilominus ad Catharinam educi posse cognoscimus, Pium ejusdem querelas postulataque non satis forte rationi æquitatique innixa existimasse. Quod quidem multis argumentis adeo comprobare Sacchinus¹ contendit, ad Societatis sue alumnorum famam honoremque tuendum; ut prudentissimæ reginæ nomini (eujus petitionum querelarunq; justitiam deinde exitus abunde retexit) quodammodo detrahere videatur. En ejus verba: «Tres erant, ex quibus administratio regni pendebat: Sebastianus rex adolescens decimum septimum annum agens; ejus pater magnus, cardinalis Henricus, et Catharina regina avia. His singuli erant e Societate confessarii, Sebastiano Ludovicus Consalvus, ejusdem inde usque a puero institutor. Henrico cardinali Leo Henricius, Catharine regine Michael Turrianus, viri consilio, pietate, muneribus iis pares. Regina Catharina regalibus precibus extorsit, ut Consalvus ab Urbe Roma, et assistentis munere evocatus, summe licet obductans, et quæ evenere prædicens, pueritiae regis formanda, magister apponetur. Et quidem usquedum sub tutoribus puer Sebastianus fuit, rerumque summam moderata ipsa est, mirifice Ludovicus ei et cardinali satisfecit. At ubi tutela sua factus est, et administrare Sebastianus regnum cœpit, cardinalis, ut qui interius norat res incorruptiusque estimabat, nihil unquam nisi summe laudavit Ludovici operam: quin etiam cum ageretur de removendo eo ab confessoriis regis, ne id fieret, acerrime decertavit; et paulisper amotum, ut revocaretur effecit. Regina vero, postquam ab gubernaculis vacationem accepit, ægre ferens (ut evenire solet) quemadmodum se abjectam, conqueri de nepote cœpit, et interdum etiam de Ludovico, eujus consilio agi Sebastianum opinabatur, etc.». Sic ille.

302. Verum, quis sanæ mentis notam hanc, quam Sacchinus Catharine infert, veram existimabit; quem non latuerit ipsam adeo a studio dominandi alienam animo fuisse, ut ultro de latam regis tutelam regnique administracionem contempserit, nec totius regni Ordinum

magnis precibus acquiescere voluerit, nunusque illud sponte in cardinalem rejeerit; ut quod in regni administratione se abjeclam cognoverit, propterea in regem nepotem ac Jesuitas exarsisse dicenda sit? Quis rite censembit adeo ægre ferre potuisse, se a regni gubernaculo semotam, eum regere principarie jam non licet, quæ, eum licuit, seipsam regni administratione sponle abdieavit? Sit, quod semel avulsa ex corde dominandi libido, denuo pullulare possit; at unde probare id valet Sacchinus, asserereque hinc commotum Catharine animum, quem justissima perturbatione actum, immunita soleque clariora alia argumenta asserunt! Nam quod ipse scribit¹ his verbis: «Porro quod perfinet ad obtrectationum iniquitatem, haud difficile est fontem intelligi. Nam in rege, si quod exemplum spectabatur rarioris virtutis, offendebat oculos mundi sapientum. Levissimi porro homines, qui voluissent irreperere ad animum adolescentis corrumpendum, interclusos sibi aditus, rabie in custodes versa, querebantur. Ad hæc, cum ad antiquam multa severitatem redigerentur, et Ordinum Militarium disciplina etiam regerentur, et bona eorum Ordinum, quæ jam tenebantur, a multis velut hereditaria assererentur; nimirum, pro intoleranda injuria, qui damnum faciebant justitiae vigorem duecebant. Hinc linguae in Jesuitas acuebantur, hinc totum per orbem terrarum, famosæ litteræ volitabant». Quæ (inquam) ille sic narrat, Sebastiani educationem a Societatis Patribus factam magnificare contendens, ex superius relatis facile rejiciuntur. Licet enim plurimum commendanda illorum opera fuerit, quod juvenem a vitiis illecebrisque abstractum servare sategerint; nihilominus (uti exitus oslendi), illorum certe non fuit principem erudire, neque ea quæ principis essent, ut opportuisset, docere.

303. Quo vero ad leges, quibus (ut ipse loquitur) multa ad antiquam severitatem redacta sunt, audiendus est Hieronymus Conestaggius: «Corruptelam et debilitatem regni, quæ ex deliciis Asiaticis nata erat, in educatione regis Sebastiani animadverterunt, et fugare studuerunt Patres Jesuitæ, qui in sanando hoc morbo non mediocreiter laborarunt: sed nesciverunt adhibere remedia corpori tam languido convenientia:

«Neque enim considerarunt fieri non posse, ut gens adeo corrupta, a summa licentia qua utebatur, subito ad rigidam majorum suorum innocentiam et parcimoniam rediret, id quod in angusto monasteriorum suorum circuitu (nedum in regno universo), difficulter obtinuissent. Tulerunt leges sumptuarias ita

¹ Sacchin. Hist. Soc. Part. 3. l. 7, a. 1571, pag. 352 et seq.

Eid. ut sup.

severas, et in primis de cibis, ut olim vix in veteri illa Sparta receptae fuissent. Exprimebant leges nominalim genera ciborum, qui, vel permittebantur vel vetabantur : item quibus rebus comparandis, quamque pecuniam suam impendere fas esset : adimebant ipsi usum omnium, que ex aliis regnis importantur, que, vel deliciis vel commoditati hominum inserviunt. Itaque remedia tam violenta, non solum iniuria fuerunt et ridicula, verum etiam confirmarunt opinionem illorum, qui statuunt homines Ecclesiasticos, non esse aptos ad Reipublicæ administrationem, non magis quam sint magistratus civiles, ad tractanda Ecclesiastica idonei ». Sic Conestagius.

304. Ad enjus narrationem comprobandum, mirum est, quod Sacchinus ipse inter alia ista referat :

« Denique, nec generali præposito (erat is S. Franciscus Borgia) nec cuiquam omnium Societatis præsidum probabalur ea consuetudo atque conjunctio (quod nimurum Lusitanicam aulam Societatis Patres, regalesque personas pro libitu agerent) seminarium vulgi rumorum, seges invidiae apud omnes, mali apud domesticos exempli. Nec pigebit litterarum caput inserere, quas hoc anno Laurentius Magius, Austriae provincialis, ad Borgiam, mense Martio Praga dedit; unde constet, quanta res gravitate, quantaque libertate traclaretur. (Hic, inquit, multus est sermo, et ex Hispania scribitur, Lusitanie regem multa facere cum regni dolore : et nostros qui eum regunt auctores esse et velle eum Jesuitam efficere. Nec deest, qui dicat, eos obstarere, ne regis Galliae sororem ducat. Nihil dubilo, quin paternitas tua omnia norit, et quam optime prospiciat. Nam res est ejusmodi, quæ, ut materiam sermonum et invidiae subdit : ita magnam Societati perniciem, cum publici boni jactura creare potest. Nec vero crediderim quicquam nostros suscipere, quod non ei rationi consenlancum, et præsentí tempori maxime conveniens sit. Ceterum summe dolorem, si qua per eos occasio, aut justa causa obtrectationi et malevolentie præberetur. Habeo enim compertum, nihil esse, quod odiosius acquirere Societati nomen queat, quam si videamus in principum ac regnum administrationem velle nos immittere, et negotia eorum tractare. Per Deum, pater, etiam atque etiam hæc cura vigilet : observeturque decretum, de non tradendis nostris in aulas principum. Nam liberalitas hac in re, maximo nobis damno erit.) Talia, non Magius modo, sed alii gravissimi Patrum scribent, et aliunde, et ex Lusitania ipsa ».

305. Haec Sacchinus, qui addit ad querelas, quas iniquas vocat, (licet et a Magio, et a gravissimis Societatis Patribus prolatas dixerit, ut audisti) tollendas, editum etiam hoc anno fuisse

in provinciali ejusdem sue Societatis conventu decretum, ut quam fieri posset, paucissimi in aula versarentur : et per provinciam edictum, ne quod cujusquam negotium Patribus iis commendaretur. Quod si quid ad pietatem magnopere censeretur referre, præpositus provincialis admoneretur, et adjicit¹ : « Ita sapienter consulebantur. Verum quid ageres? Neque impestrari ab Sebastiano, ut Ludovicum, neque a Catharina poterat, ut Turrianum dimitteret ». Enimvero, si tam immerito Jesuite communibus probris afficiebantur, quod Lusitanam aulam incolerent ; quæ, quæso, necessitas ostendendi Sacchino fuit, invitos eos in eadem aula retentos, neque illis ex ea declinare permisum? Ulterius, ad quid, decretum illud, ut quam fieri posset, Societatis paucissimi in aula versarentur, si ejusdem Patres hoc quasi remedio, malo occurrendum non aestimassent? Delicata certe nimis fuisset, (ut verbis Bernardi² utamur) medicina, prius alligari quam vulnerari ; membrum non percussum plangere : needum suscepto ictu, admoveremanum, fovere unguento, ubi non doleret, amplastrumque adhibere, ubi caesura non fuisset.

306. Subdit vero Sacchinus, mortuo Borgia, decretum aliud a tota provincia editum, cum quæsumus est rursus, an expediret, ut duo ex Societatis Patribus, quorum alter regi erat a confessionibus, alter cardinali, id muneric deponere deberent : tum quod multi ipsius Societatis alumnos, de sæcularibus negoliis assidue convenirent, efflagitantes, ut sibi licet per eos Patres apud regem vel cardinalem hujusmodi negotia confidere ; quod quidem a tranquillitate regularis vite, et a proprii instituti ratione, omnino abhorreret. Et addit : « Provinciali Congregationi visum esse, non solum id muneric non esse detrectandum, sed etiam ingentes gratias Deo Optimo Maximo agendas, quod eorum Patrum labore totum regnum illud, et universa Christiana religio plurimum utilitatis perciperet ». Si regnum totum, ex illorum Patrum labore tantam utilitatem percipiebat, quis negabit regnum igitur illud adeoque etiam regem, pro libitu Jesuitas moderatos esse, ac de hoc ideoreo, non injustas, sed veras querelas fuisse motas? Si quidem eorum ope (sequitur ex Sacchino decretum præfatum) et consilio, fides, justitia, morumque integritas, non modo in toto regno conservaretur, sed etiam apud exteris nationes longissime propagarentur. Nec vero imperitie multitudinis, aut impiorum hominum detractiones hac in re esse curandas : quippe que ex eorum improbitate noscerentur, quod tantum bonum impedire niterentur.

307. Et quidem haud alia rationis specie, nisi summæ pietatis ac religionis adductos

¹ Ut supra t. 40. — ² D. Bern. Apol. ad Guliel. par. 2. pag. 990.

Societatis Patres, deinde probasse, quod antea improbare visi fuerant, censendum est. Verum ex eo quod optima intentione ducti id existimaverint, non sequitur ideo decipi nequivisse, cum præcipue melius regis et regni bono utilius fuisset, quod Catharinae videbatnr, ut nempe a regni ipsius administratione præfati Patres se temperarent, sicut res ipsa exitusque comprobarunt; ideoque, tantæ Societatis salva bona mente, Sacchini intemperantiam reprehendendam semper censemus, qui posthabita quavis ratione, ex qua justissimæ Catharinæ querelæ processissent, id totum optimæ ejusdem reginæ, aliorumque qui eadem ac ipsa existimassent, vitio tribuit.

308. Cæterum, postquam ipse plurimi argumentis ostendere connixus est, e regis regnique Lusitani, imo fortius fere e bono Christianæ Reipublicæ fuisse, ut Societatis suæ patres in Lusitana eadem aula residerent; de S. Francisco Borgia, qui cardinali Alexandrino in legatione, de qua est sermo, ut diximus, additus fuerat, agens, haec scribit¹: «Quanquam pater generalis, quod absens nunquam conari destiterat, jam præsens cum aliis Lusitanis patribus, omnes co vires intendit, ut reginam placaret, et bonam patribus ex aula missionem impetraret etc ». Qui quidem sanctissimi generalis conatus, non alii procul dubio tribuendi sunt, quam ei spiritui, quo ducti ceteri sanctissimi viri, sæcularia hujusmodi commercia, pro viribus religiosi cujuslibet instituti hominibus, declinanda seniper duxere; inter quos mirificus ille Bernardus Abbas Claramvallensis², præcipua licet benevolentia pientissimum Xampaniæ Comitem Theobaldum prosequeretur, hic tamen ab eo nullis precibus extorquere potuit, ut aliquos ex monachis suis, secum in aula retineret, qui proprias facultates in pauperes erogarent; quod tam sanctum, tamque religioni conveniens munus, improprie tamen exercendum a monachis Bernardus arbitraretur, si in aula residerent. Acceptum enim, sine controversia, sancti omnes id retulere ab Apostolo; qui ad Timotheum³, quamvis episcopum scripsit, quod *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat, cui se probarit*. Quod quidem (inquam) si episcopum non decet, qui sapientibus et insipientibus debitor sit, quemve præesse in sollicitudine convenit; et qui demum, pro animabus ipsorum regum, uti cæterorum, rationem est redditurus: quo pacto cujusvis alterius generis ac instituti hominibus licere rite estimabitur? Sed ad legatum redeamus. Tristitia, quam præ se tulit, restituit ipse, ut diximus, aliqua ex parte rem prolapsam. Nam ipso (inquit Gabutius) Pii verbis, ut Margaritam

Valesiam sibi uxorem adjungeret vehementer hortante Sebastianum, iste demum, ut alicui ejus petitioni obsecutus videretur, se in potestate Pontificis futurum promuniavit, dotis nomine nihil aliud postulans, nisi ut Gallorum rex cum aliis Christianis principibus in Turcas belli societatem iniret; ut ex Epistola ejusdem regis inferius ponenda apparebit.

309. *Commendoni legatio ad Maximilianum de fædere in eundo: responsio dilatoria imperatoris.* — Dum in his, aliisque quæ diximus, cardinalis Alexandrini versaretur legatio, legatus alter cardinalis Commendonus, muneri suo haud defuit. Ipse, cum a Pontifice hæc ei provincia demandata est, ex superiorum amorum instituto, urbanos calores vitandi, æstatis initio Roma discesserat, nec minus, quam nova itinera, novasque legationes meditabatur. Cum (inquit Gratianus¹) Pius, paucis ante diebus, sexdecim præstantes viros, (ut suo loco vidimus) sacra purpura decorasset, superiorum Pontificum secutus morem, haud aliis, quam quos ipse amplissimo honore afficerat, mandatus tam claræ, tam exoptatæ legationis munus credebatur. Verum Pio omnibus rebus, antiquior Reipublicæ usus atque utilitas semper fuit; unde, præterquamquod Commendonum, haud secus quam si ab se cardinalis factus fuisset, in suis habebat, nec illi fidei, industriae, prudentialaque laudibus quemquam anteferebat; ipsum notitia illarum gentium regumque ad quos mittebatur, facile omnes antecellere intellexit.

310. Magnis igitur itineribus Commendonus Verona, quo ad æstatem agendam concesserat, mense Septembri, ut scribit Folieta, in Cæsaream aulam se contulit, ac Apostolica mandata Maximiliano explicavit. Duabus vero maxime de rebus cum Cæsare agere a Pio Commendonus jussus est. Illud scilicet primum, ut, quantum posset, vi atque arte orationis Maximilianum eumdem in belli societatem perducere contenderet; alterum vero de Cosmo Medicæo, a se decorato, de quo inferius.

311. Ad primum vero quod attinet, exploraverant ante Maximiliani animum Veneti, ut paulo ante innuimus, misso ad eum Jacobo Sorantio legato, qui, pertentatis Cæsarialis amicorumque ejus sensibus, exiguum spem Venetas retrulerat; nam ipse, vel nihil aliud respondit, ut Maurocenus² scribit, nisi Deum Omnipotentem fœderatorum rebus propitium futurum; vel, ut Gratianus adnotavit, transacto tempore induciarum, quæ sibi cum Turcis essent, tum demum, si quæ sibi a fœderalis conditiones offerrentur, ex iis consilia esse habiturum. Cumque omni studio contendisset Sorantius, ut promeret, quas conditiones optaret, exprimere

¹ Ut supra n. 149. — ² Vit. S. Ber. l. 2. c. ultim. — ³ Ad Tim. 2. c. 2. u. 4.

¹ Grat. Vit. card. Commend. lib. 3. c. 7. pag. 272. — ² Maurocen. Hist. lib. 10. p. 400. Gratian. de bel. Cypr. lib. 3. pag. 145.

nunquam potuisse idem asserit; qui in Vita Commendoni addit¹, Maximilianum, ne negotium id penitus cum eis interrumpetur, aliquando etiam spe factasse, se belli cupidum ferens, petensque idcirco, ut quae auxilia federati missuri ad se essent, si bellum susciperet, promerent.

312. Erat enim Maximiliano (eodem Gratiano² teste), dum corpus invalidum atque imbelli, dum ingenium haud ferme ullius magni discriminis capax; ideoque arte et consiliis, quam armis certare aptius promptiusque habebatur; nec ipsi tanto bello gerendo satis virium, nec Germanis movendis satis erat auctoritalis; qua gens, nec crescere Cæsarum opes creditur velle; et propulsando magis, quam inferendo bello, alacrior habetur. Venelorum præterea constantiae haud salis fidebat, utpote qui verebatur, ne ab iis in medio bello desereretur, cuius omnis inde impetus in se unum ingrueret: usu doctus, infirmas solutasque federari ac plurium societatis vires esse solere. Philippus etiam Hispaniarum rex, qui unus, et suppeditare ipsas vires, et impellere ad conandum posse videbatur; quique, ut diximus, precibus cardinalis Alexandrini legati, ad incundam federis societatem Maximilianum, per litteras graviter cohortatus erat, ut refert Gabrieli, clam retrahiebat, ideoque, fiele omnia ac simulate agebantur. Nam Philippi ejusdem orator, palam Maximilianum accendere, horlari, non defutrum ei regem polliceri; secreto, ne se in præcipitem rerum suarum dimicationem daret.

313. Quapropter Cæsar speciem cupientis bellum præ se ferens, quod animo aversabatur, Pium ac Venetos, ea ipsa spe alebat, qua illudebat.

“ Ad hunc itaque affectum, (inquit Gratianus³ cuius ipsissima verba dabimus) Commendonus cum venisset, missum se ait a Pio, non tam adhortatum, ut secum et cum Philippo rege ac Venetis bellum adversus Tureas susciperet, quam ut seirent, si capesseret impigre arma, omnia sibi expectanda ab eo esse, que a parente in filium proficisci in tali re possint. Etenim si ad id, quod, et imperatoris nomen munusque, et suum ipsius ac rerum suarum tempus ei imponeret, ac res ipsa perspicua atque ante oculos posita posceret, sua sponte non ferretur, ne alienas quidem adhortationes satis efficaces fore apud eum, quem tot proprii stimuli non moverent. Pium quidem in cogitatione imminentis Christianæ Reipublicæ a præpotente ac interneccino hoste periculi, cum ad conciliandos inter se, pro salute communis, reges mutuis odiis suspicionibusque laborantes, humanis consiliis destitueretur; inde ab initio

Pontificatu sape intimis animis precatum esse Deum, ut ipse nobis viam, sua sacra, suam religionem vindicandi, immanisque bellue vim atque impetum refringendi atque coercendi aperiret. Haud irritas fuisse preces videri, nisi nos exilio insistimus nostro. Tyrannum barbara vanitate atque arrogantia elatum, eundem voluptatibus, vino luxuque confectum, ex illo superbie ac luxuria solio ultro bellum aggressum non esse, ac non Cyprum modo se Venelis adempturum, sed Italiæ bellum illatum, minari. Hanc adeo menleni, atque hunc illi objectum a Deo furorem credere Pium, ut, quod a Christianis regibus jus ratioque impetrare ad id locorum nequivit, id aliquando necessitas exprimat, et pudor, si abs tam turpi ebriosoque vineanlur. Et id esse bellum hujusmodi, quo obrui dormientes, atque in pristino languore dissidioque manentes facile possimus, erectis animis, et consociatis viribus occasione incumbentes, victoram in manibus esse habitueros. Quante enim cunque sint Turcarum opes, imperante ignavissimo mortalium, desidiaque ac mollitia fluente rege, nullas profecto futuras: quin ipse, se ubi impulsæ fuerint, magnitudine collident ac frangent, ut navis, quæ vel egregie viris armisque instrueta, si imperito gubernatori pareat, ad primum tempestatis impetum evertatur necesse est. Atque hujus victorie, nec fructum majorem ad ullum perventurum, quam ad ipsum, nec tam exploratae spei, communis avertendæ pestis, reique Christianæ erigendæ deesse quemquam minus debere. Quippe ipsum, et dignitate honoris omnes anteire reges, et ejus maxime officii esse Christianum tueri noverint: ut si cessarel hoc tempore Pius, partes ipsius forent suscipere publicam causam, et reliquos excitare reges, atque ad gerendum pariter bellum adhorlari. Non se commemoraturum inflictas parenli suo sibiique a Turearum genle clades, ne communia cum Republica familie sue vulnera refricaret; ac ne assiduas quidem injurias atque incursiones, quibus in ipsa pace ab rapacissimis atque insolentissimis barbaris, quotidie carpitur. Neque enim incitandum esse, cum adversus illum hostem, a quo Hungariae pulsus regno, inducias intidelissimas, quotannis grandi pecunia emere cogatur, quem, nec sic quidem satis arcere paterni imperii finibus possit. Unum Turcis opprimendi Christianos viam singulos disjunctosque aggrediendi; eamdem nobis cladium causam semper fuisse. Dum enim quisque allerius damna ad se non pertinere existimat; omnibus simul per periculum esse contractum, scilicet præsenti olio gaudentes, peti nos per sociorum clades, pravis excitati studiis, non sentimus. Nunquam terra simul marique a Christianis bellum cum ea gente gestum, quo eorum deslineret vires potuerint, aut quiescen-

¹ Grat. Vit. card. Commend. lib. 3. cap. 7. — ² Idem de bell. Cypr. of supr. — ³ Gratian. de bell. Cypr. ibid. ut sup.

centibus Venetis, maritimo metu vacuos in Hungariam incubuisse, aut compositis Hungariae rebus, totusque ab terrestri bello impetum in Venetos avertisse. Societatis inter Pium ac Philippum Venetosque junctae eas facultates esse, ut si ipse sibi reique publicae non defuerit, haud dubiam spem percipiunt homines, everti Turcarum opes, aut certe accidi, atque enervari tyrannidem posse. Classem ccl longarum navium fore, quantam ne hostes quidem essent habituri; ad hoc L. M. peditum, quinque equitum, unde se ipse adjunctis Germanis paulum modo connixus, impressionem in Hungariam fecisset, unica profecto expeditione, non medo recepturum regnum, unde pater ipseque exacti essent, sed hostes imparatos immunitosque in Thraciam usque summoturum, atque Byzantio ipsi terrorum injecturum. Non Pium sociosque, non denique ullum regum principumque Christianorum, hæc conanti defuturum. Ne Polonos quidem, inclytam bello nationem, atque aequitatu pollentem, quicquam dubilaturos, quin Pontif. Max. auctore, Cæsare duce, in communem causam descenderent; quibus adjunctis non fugere eum, quanta accessio virium futura esset, ut si hanc unam oblatam divinitus occasionem elabi cunetatione aut socordia nostra patiamur, tum aestimare sit, iratum Deum mentem nobis consiliumque eripuisse ».

344. His plura alia a Commendono Maximiliano dicta recenset etiam Folieta, quæ quidem cum assensu Maximilianus ipse audiebat; sed cum animus ad conandum deesset, nullum certum responsum ab eo legatus exprimere poterat. Aliquotdemum diebus deliberando extractis, tandem, quod alias fere idem reddiderat responsum in hanc sententiam scriptum tradidisse, his verbis præfatus Gratianus refert:

« Vinci Turcas nemini aut optati, aut utilius esse, quam uni sibi, qui pestem illam lateri suo adhaerentem habeat; sed infenso animo, et adjuvare pium bellum armisque urgere perennem hostem cupienti, inducias cum tyranno manere, quarum cum tempus non exisset, fide se ac jurisjurandi religione obligatum teneri. Ad id cum maxime omnium periculo objectus esset, ne in se temere bellum irritaret, expectandum esse sibi, quid rex Poloniae, quid cæleri principes de eodem bello statuerent ».

345. Quid ad hæc legatus responderit, auctor idem subjungit, dicens:

« Præpostoram consilii viam ingressum, dicere Commendonus; nam ulros tandem incitare alios ac præire exemplo debere, qui perpetuis vexatus injuriis, prope faucibus hostis premeretur, an qui longe terrarum ab eo dissenti, nullo presenti dissermine urgerentur? Non ipsi aliorum expectanda de publico bello consi-

lia decretave esse, sed suam aliis auctoritatem, quam sequantur præferendam: et qui cæleros reges honore præfulgeat, eum dueem, et rei, et consilii, non comitem esse oportere. Quem si ipse cunctetur, aut hunc ardorem ad reliquos ciendos habiturum, aut si maxime habeat, tanti apud sua sponte retractantes futurum? An a seipso Pii verbis cum Polonis, aliisve populis agente, non idem omnes illico quæsituros? Quid Cæsar? Quæ consilia, quos apparatus belli habet? quibus si secuturum eum aliorum conatus narret: jam nunc intelligi posse, quid spei esset relaturus. Sed quid aliorum, quiescente eo, imanes spes agit? Ipsos Venetos, ubi scripta ejus hæc responsa legerint, ubi irrita promissa accendentis nuper eos ad arma esse, ubi cum integro, et omnes vires in unum navale bellum conferente hosle sibi certamen fore senserint; falli eum, si eadem constantia perseveraturos in bello, qua initum est ab iis, putet. Succumbent dimicationi, cui nisi terrestris ipse ab Hungaria hostis accedat, pares esse diu non possunt. Proinde si undequaque concedi Tureis tradique victoriam ante bellum placeret, atque illud fœdus dissolvi, quo nunc uno, veluti objecto clypeo, tegi viderentur, pergeret his responsis, non solum se fractum infirmumque fateri, sed aliorum quoque deterrire ac debilitare animos. Nam de induciarum fide, quam prætexuerit, supervacaneum esse refeltere: ipsum enim saepe apud se questum, saepe in Germanorum consiliis professum esse, sibi induciarum nomen cum Tureis, re continens bellum manere. Et Barbaris non ullo Dei metu, sed libidine animi stare fidem, et pacis jura ab his, non incursionibus modo in suum regnum, sed oppidorum expugnationibus, quotidie violari ac proteri. Itaque videret, ne, in quo universa proditur ac deseritur religio, in eo Cæsarem nimis religiosum esse, Christiani populi prædicarent. Se quidem, quod officii atque fidei suæ sit, non ultra dilaturum quin Pontificem de omnibus rebus faciat certiorem: quam ea in partem, et Pii ipsius, et maxime Venetorum animos motura sit, ipsum pro sua prudentia cogitare debere. Hæc ab se liberius, ut agantur, et suam fidem, et magnitudinem rei, et suum quoque vetustum in Cæsarem ipsum studium cogere: orare eum, ut æquo animo, et acciperet, et reputaret: quippe occasio ubi præterierit, seram pœnitentiam fore ».

346. Vim ardoremque Commendono addidisse præter religionis ac zeli Pontificis, quem hac in re vehementissimum compertum habebat, maximum etiam suum erga patriam studium, neminem latere posse arbitramur. At Maximilianus, « His percusus sermonibus (sequitur Gratianus¹ idem) verens, ne hæc Romam Venetasque nuntiata, quod facturum extemplo Commendonum videbat, vehementer consilia

belli ardoremque restinguunt, spatium novae deliberationi auxius postulat; in qua adeo aucti cura tortus et distractus est (eum neque rebus societatem dissolvere, neque viam elabendi, undique urgente atque instanti legato, cerneret), ut sequenti die vixdum orta luce, ad Commendonum Epistolam manu sua scriptam, auxii ac perplexi animi indicem, miserit, quam nos ipsi tum legimus, et quo magis perspicue omnia pateant, exemplum ejus subscrivere placuit:

« Maximilianus Caesar Commendono cardinali.

« Insomnem hanc noctem ab iesterno sermone egi: ita multa animum distinuere ac sollicitum habuere meum. Summa enim res est, neque ad me solum, sed ad universam Rempublicam pertinens, de qua deliberamus. Ad extremum adjutus cœlesti ope, videor mihi id cœpisse consilii, quod tibi, ut spero, et Pio facile probabilur. Sed ad te per amicitiam peto, ut Romam certi nihil scribas, antequam colloqui una fuerimus, quod dabo operam, ut ante biduum fiat; interea parvam hanc responso moram, moleste ne feras».

347. Triduo igitur in ea consultatione consumpto, ad extremum accito legato futurum se in Pontificis Max. potestate respondit. Caeterum ne qua vis ab repentina hoste in se ingrueret, et juvari se sociorum ope æquum esse, et quorum auxiliarum fiducia in tanti discrimen belli descenderet, exploratum sibi cognitumque prius esse debere, quam consilia emanarent. Edendum igitur Pio sociisque esse quas ad se copias peditum equitumque in id bellum missuri essent. Commendonus facturos vero socios ut valida ei auxilia militant, confirmavit, sed ea definire illius dixit esse, qui poslularer. Negante Maximiliano, et in eo perstante, ut socii, quæ sibi auxilia daturi essent, priores ederent. Ac sic quidem in easdem revolveris suspiciones, inquit Commendonus, quas novo decreto vitare voluisti: cui enim non appareat, moram ac dilationem queri, ut si res ad socios rejiciatur, cum e tam distantibus locis consulendi sint, tempus gerendarum rerum ante elabatur, quam eorum voluntates cognosei, nedum inter eos convenire possit? Qui, si quod tribui tibi æquum censes, simpliciter prompseris, sine recusatione omnia sis impetraturus. Quæ enim cupias, quæve opus habeas, et unus profecto optime nosti, et ea verius est a te ipso dici, quam judicari ab aliis. Cum din contendisset Maximilianus, demum Commendoni oratione victus cessit, ac, si xxm peditum, quatuor equitum sibi a foederatis mitterentur, quorum pars dimidia Germanorum esset; his auxiliis, copiis quas ipse esset effecturus additis, acre se bellum in Hungaria facturum dixit». Sic ille,

At non multo post discessum Commendo-

ni, de quo inferius, refixere promissa Cæsaris; et secuta Pii mors cuncta pervertit, ut suo loco dicetur.

348. *Querela imperatoris de titulo magni Ducis Cosmo Medicæo, absque ipsius voluntate, a Pontifice concesso.* — Quod pertinet ad appellationem Magni Etrurie Ducis, quam Cosmo Medicæo, Florentinorum principi, Pontifex tribuerat, de qua ipse cum Maximiliano agere legato, ut diximus, in mandatis dederat, prior Maximilianus Commendono, ut prefatus Gratianus¹ scribit, Cosmi mentionem intulit, enique vehementer accusavit, quod enim honorem a Pontifice potius, quam a se postulasset, cuius dumtaxat esset illum clargiri, nec ipsum ei detractasset, nisi indignum præceps ambitio, moræ impatiencem, et necessitudinis et officii immemorem, reddidisset. Muneris ac dignitatis sue se tamen minime oblitum, ideoque se Cæsare, Cæsareum jus, ulla ex parte labefactatum iri, minime permissurum. Reluctantem certe, ac nolentem se cum Pontifice in hanc disceptationem pertractum: verum in bonam partem accepturam Pium sperare, quod iis que sui essent minoris non decesset, eo magis quod hac ipsa de re haud leviter Hispaniarum regem cæterosque Germanos principes commotis, compertum haberet.

349. *Responsione molli, (ut Scriptura loquitur) primum sicut legatus Maximiliani iram ut frangeret; ostenditque, quam alieno, tum Reipublice, quam ipsi familiaeque ipsius, minime apto tempore, questio ea moveretur. Culpa deinde, ab ipso in consultores avertens, totum de legatione, (ut supra diximus) Romam missa, querelaque exposita, factum reprehendit. Digna est, quæ hic inseratur Commendoni oratio, iisdem ipsis verbis, quibus eam Gratianus² in ejusdem cardinalis Vita refert hoc modo :*

« Si querelas (inquit) ordiri volumus, ut tandem justius de altero queratur? Pius Cosmo, et viro, et principi ornatissimo, ac tibi ipsi animo ac necessitudine conjuncto, qui domi sue nurum sororem tuam habeat, merenti appellationem Magni Ducis tribuit: tu tributam ab illo abrogasti, legatosque, qui hoc Pontifici Maximo negarent licuisse, Romam misisti. Liberi juris esse Cosmus civilasque Florentinorum, ac se Cæsarum potestate pecunia emissæ dicebat, et Diploma remissi juris, a Rodolpho auctore gentis tuæ, atque hujus amplitudinis, qua inter omnes eminet familia vestra, conditore ostenditur: tui nuper legati omnem Etruriam ditioni tuæ subjiciebant, immemores prorsus magnam partem ejus provinciæ Pontificium Maximorum jure contineri. Quantum haec habent odiorum ac dissidii irritamentum, ni

¹ Gratian. V. Com. lib. 3. c. 8. p. 182. — ² Ibid. ut sup.

Pius Reipublicæ necessitates inanibus contentionebus præverteret, et te patrio animo complectens, patria quoque benignitate agendum tecum censeret? At tibi aut adeo his, quos in consilio habes, qui venit in mentem dicere, hoc Pio non licuisse? An dubia Pontificum Maximorum potestas est, non regum modo appellatione, sed ipsa quoque regna, atque imperia tradendi adimendique, ut eujusque meritum in rem Christianam fuerit? Huic ipsi Etruria, quam tui vindicant tibi, nomine Clemens IV Carolum Andegavensem, Neapolis regem, rectorem dedit? Nonne, quoties usus fuit, et visum e republica est, eam Pontifices Maximi ordinarunt? Caroli atque Etruria mentionem feci, quia de illa agitur. Sed ut a longinquis ad propinquaque magisque illustria exempla transeamus, in Hungaria neque obscura, neque vetustissima res est, ortam de regno contentionem inter Wenceslaum Bohemum et Dirachinos, Pontificem Maximum diremisse, qui cum judicium ad se totum advocasset, et sententiam tulit, et valuit jus, quod Pontifex dedit. Opponebas nuper, et Philippum regem Hispaniæ, eumque socium tibi causæ, adjungebas; at ille Navarræ regnum tenet, non alio scilicet jure, quam, quod Julius II Pontifex Max. Joanni Aliberto, quia se causæ impugnantium Romanam Ecclesiam junxit, adempsum dedit. Quod si Pontifici hoc licuisse neges, alterutrum sequi necesse est, ut aut reddat Philippus Vandomiæ familie Alibertorum hæredi, nunc maxime reponcenti, regnum: aut injustitiae convincatur, qui contra Christiani et boni viri officium, ac religionem, quod suum non sit, per vim atque invidiam occupatum possideat. Dies me deficiat, si memorare velim quoties, quibusve in locis Romani Pontificis supremæ potestatis jus suscepserunt: quoties ortas de regno contentiones litesque, non auctoritate solum composuerunt, sed jurisdictione ac judicio decreverunt. Verum, ut de his ipsis appellationibus, quarum scilicet tribuendarum facultate tui, si Deo placet, Pontifices Maximos privarunt, cognoscamus. Alphonsus Sextus Hispaniæ rex, Henricum Lotharingiæ Comitem, ob res præclaras adversus Mauros in Hispania gestas generum ascitum, et Lusitanæ parte donavit, que Portugallia dicitur. Hunc haud multo post Henricum, ob spectatam virtutem, et egregia in rem Christianam merita, Alexander III Pontifex Max. regem appellavit: neque Alphonsus, quanquam æquatum sibi dignitate generum æque ferret, adversari est ausus, aut de Pontificis jure disceptari ambigique est passus. In Polonia vero gente, cum amplitudine imperii, tum bellicæ laudis gloria imprimis nobili, utriusque rei, et adempti et redditii honoris exemplo. Romanorum Pontificum jus nascitur. Quo enim tempore maxime Cæsarum auctoritatem Poloni agnoscerent,

Boleslaum regem, quia Stanislaum episcopum Cracoviensem, virum innocentia et sanctitatis fama clarum, impie occidisset, non solum ipsum regno, sed regnum quoque, vetusta appellatione regis muletarunt Romani Pontifices, in perpetuumque ea abstinere jusserunt: eorumque imperio ita obtemperatum est, ut per ducentos inde et quadraginta annos, non aliter illi se quam Duce appellarent. Neque tum negligens aliquis aut socors, aut plus æquo Romanæ Ecclesie deditus Romano imperio præsidebat: sed vir acerrimus, Pontificibusque Romanis longe infensissimus Henricus Quartus; nec tamen aut ipse, aut qui ipsi successerunt eodem ingenio Cæsares. Pontifici Maximo id licuisse, aut negarunt unquam, aut factum infringere conati sunt. Post tot inde annos, cum præsei honoris desiderium rediisset Polonis, meritique egregiis pro Christiana re facinoribus essent, ut eorum ratio haberetur; missa in Galliam legatione, ubi tum Sedem Romani Pontifices habebant, impetrarunt a Joanne XXII ut dux eorum, de integro rex appellaretur. At quis tum quoque Romano imperio potiebatur? Nempe Ludovicus Bavarus, hostis atque inseparator perennis Romanæ Ecclesie. Is tamen non invidit Polonis restitutionem regii nominis, neque id ab se non petitum aut traditum a Pontifice Maximo est questus. Neque, ut arbitror, aut Pio V jus faciendi, quod Joannes, cæterique Romani Pontifices jure fecerunt, est ademptum, adimique ab ullo mortalium potest; aut tibi plus quicquam additum, quam Henrici, quam Bavari habuerunt: aut tua erga Pontifices Maximos fides et cultus, cum illorum odio et contumacia conferri potest. At in Germania, at in ipsa Austria tua, nonne idem juris Pontifices Maximi exercuerunt? Nec Rodolphus, nec Albertus, nec Fridericus Cæsares majores tui, qui quererentur Romam, sed qui gratias agebant, legatos miserunt. Verum, ut omissis aliis, ipsam aliquando juris tui radicem attingamus, Cæsaris ac imperatoris nomen, quo se tantum Germania, supra cæteras Christianas nationes extollit, unde tandem accepistis? Quis Romanum imperium, cuius Bizantium translati majestas, ac vis omnis in Orientem converterat, cum sua jam mole laborans, neglectas Occidentis provincias vastandas Barbaris reliquisset, divisit primum, deinde divisi partes, ad Germanos detulit? Nemo, ut arbitror, tam impudens, veri infector, nemo tam aversus a Romanæ Ecclesiæ dignitate fuerit, qui Romanorum Pontificum id beneficium esse neget. An ergo ademptam Græcis dimidiâ Romani imperii partem, vobis cum Cæsaris atque imperatoris appellatione tradere Romanis Pontificibus licuit, reges ac duces appellare non licet? An quod tradere vobis potuere ipsi non habebant? Evidem in eam interdum sententiam venio, ut suspicer, ne

qui tibi auctores, tam novi, tam intempestivi consilii sunt, aliud quam quod praeferunt et cupiant, et agitent animo, teque velint cum Pontifice Maximo, alienissimo tibi et Reipublicae tempore committere ». Sic Commendoni ad Maximilianum oratio.

320. Cesari ad hæc, haud sane quidquam, quod magnopere responderet succurrit, neque quod diceret habuit, nisi universalem nimis que latam sententiam eam, quam ab initio protulerat, nimirum quas sibi partes Cesaris nomen injungeret, ad eas tuendas, religione se atque officio cogi. Cui Commendonus : « Qui jus igitur imperii tui tantopere defendendum esse tibi existimas, idem certe concedere a quo animo Pontifici Maximo debes, ut ipse juris ac muneris sui negligens ne sit, quod quale sit, jam profecto intelligis ».

321. At cum Maximiliani animus eo spectaret, ut concessi honoris mercedem quamplurimum a Cosmo pecuniae exprimeret; cum finem (inquit Gratianus) haec tum disceptatio habuit, ut Cæsar velle se ac cupere ostenderet, ut Commendonus ipse viam rationemque exquireret, qua ea res componi, salva Cosmo Magni Ducis appellatione, posset. Verum, ne totum id tum transigeretur negotium, Commendoni discessus a Cæsare fecit; quod etiam aliud, ineundi nimurum contra Turcas fœderis, fere dejicit. Laetus siquidem eo, quod retulimus, Maximiliani responso legatus, omnia quæ egerat cum ad Pontificem illico perscripsisset, ac fœderis conditiones, quibus secum pepigerat, haud retractanter accepisse demontrasset; jussus est a Pio, ut quoniam res cum Cæsare transacta erat, sese e vestigio in Poloniam conferret. Ingemuit legatus incommodo imperio¹, fore prævidens, ut si ante res firmatas fœdusque perscriptum ac sanctum ipse discessisset, refrigesceret, ac Cæsar cuius languorem in consilio accipiendo perspexerat, rursus consiliis ducendis, ac variis rebus causandis, molesto negotio se eximeret; uti factum est.

322. *Turcarum tyranni minaces litteræ ad imperatorem.* — Ab ineundi fœderis studio, præter ea quæ diximus, abstraxisse quoque Maximilianum Selymi minas scribit Gabutius²: haud ignarus enim (inquit) Turcarum ipse tyrannus, Cæsarem legationibus fœderatorum ad arma sollicitari, scriptis minaciter litteris, eum fœderis secum initi admonens, hortatus est, ne pacem, quam tantopere expetisset, turbare aunderet. Quanto spes victoriae certior Tureis quam Christianis esset, denuntiavit; Maximilianum, et vim, et gratiam expertum, debere malle Turcam amicum quam inimicum habere. Hæc edicere voluisse, ne qua vana spe

erectus, in irrevocabilem casum incideret; non in ejusdem potestate, et initium belli, et finem futuron.

Subdit scriptor idem, Maximilianum his perterritum minis, dictis minus opportunis adjecisse; quod pactum nimirum cum Turca tributum, Constantinopolim deferendum curaverit; quo, ut nostris dolorem ac detrimentum, sic hostibus gaudium attulit et adjumentum, cum illis Germanici periculi curam et timorem ademit. Et hanc quoque rem impedimento Commendono apud Polonia regem fuisse, negantem se animum adversus Turcam nudaturum, priusquam motus et conatus Cæsaris vidisset, Folieta scribit. Quæ autem causa fuerit, ut inopportunius, quam opus fuisse, e Cæsarea aula seedere ac in Poloniæ proficiisci Commendonus præcipiteretur, supra diximus, cum de rebus Polonicis ageremus.

323. *Pii legationes ad Italie principes.* — Pontifex autem, qui tam sedula cura, per legatos, exteris principes ad fedus ineundum provocabat, nequaquam pulandus est segnus egisse cum Italie principibus, ut sacro ipsi bello nomen darent. Subsidium igitur ab illis impetraturus, Antonium Mariam Salviatum, qui jam ex Gallia (quo, ut diximus, a Pio eodem internuntius missus Tuerat), reversus erat; et Paulum Odescalchum (uterque erat episcopus), ad ipsos misit. Quam quidem legationem in sequentis anni initium rejecisse Gratianus¹ visus est; et verisimilius sub hoc anno ponenda, et præcipue Salviati, cum sub die in Februarii scripta Pii Epistola ad Galliarum regem adnotetur, in qua de hac legatione agit. Et ex verbis Gabutii² haud obscure colligitur, sancito fœdere, ac promulgato, inter se, Hispaniarum regem ac Venetiam rempublicam, e vestigio eam decrevisse; ita tamen, ut priusquam fœdus ipsum constabiliretur, Salviatum miserit, Odescalchum postea. Per hos igitur oratores suos Pontifex (inquit Gabutius ipse) rem aggressus a Guidone Ebaldo Urbinatum duce, cui tenue magis vectigal erat, pedites mille postulavit. Ab Octavio Farnesio, Placentiæ Parmæque Duce, pedites totidem equitesque ducentos: ab Alfonso Æstino, Ferrariæ duce, trecentos equites, pedites mille: a Gulielmo Gonzaga, Mantue duce, pedites mille, equites ducentos: ab Emanuele Philiberto, duce Sabaudiæ, bis mille peditem, equites quadringentos. A Genuensibus antem atque Lucensis simul, pro rata utrinsque reipublicæ viuum, bis mille peditem equitesque trecentos. A magno Etruriæ duce Cosmo, quatuor millia peditem, equites quadringentos. Ab omnibus vero bis benigne in speciem responsum, facili-

¹ Fol. de Sac. Fœder. I. 3. pag. 438. — ² Gabut. Vit. Pii, I. 4, c. 11, pag. 153.

¹ Gratia, de Bello, Cypr. I. 4, p. 239. — ² Gabut. Vit. Pii, I. 4, c. 12, pag. 154.

ros quod Pius imperasset. In primis vero Cosmum Magnum Ducem Salviato renuntiasse scribit idem Gabutius¹, se quidquid auxilii praeterea Pius adjiciendum decrevisset libenter præbiturum; modo Hispaniarum rex, quo cum pepigerat nullius principis bellicam societatem, ipso inscio, inire sibi licere, id prius receivisset. Quæ Cosmi responsa Pontifici fuisse sane gratissima, idem addit; eumque inter hæc dixisse refert, velle se in eam expeditionem proficisci, si modo prius maritimum imperium Turcis ademisset; turpe et indecorum fore edicens, domi se juvenes continere, confecto jam ætate viro principe, et eo quidem omnium summo, ad bella prodeunte. Hæc autem Pontificiem dixisse asserit, pro suo tuendæ religionis ardore, eoque pertinuisse, ut Galliarum regem, ac Cæsarem, qui piam hanc belti societatem inire cunetabantur, ad ejusmodi consilium promptius, et capiendum, et adjuvandum provocaret. Verum Gratianus², de Cosmo loquens, politicum fuisse scribit vi millia peditum, xvii equites, ea tamen conditione, ut a Maximiliano sociisque fœderis ejus, Magni Etruriæ ducis titulo, quo a Pio insignitus fuerat, decoretur. Lucensium autem rem publicam, pecuniam pro milite quotannis dare promisisse, aureorum nummum sex millia. Genuenses quatuor triremes, quas publice habebant, accomodasse Philippo, atque in ejus militare classe respondisse. Philibertum Sabaudiae ducem, quem equites quadringentos, ac duo millia peditum pollicitum fuisse narravimus, adjecisse tamen, ut statueret Pius, an iis militibus uti Turcio bello, vel retinere ad custodiam regni sui mallet, cui Gallos hæreticos imminere, ducimque eorum Gasparem Colignum ait, eujus tum terribiles erant opes: suspectumque Philiberto fecerat, quod illis ipsis diebus (ut suo loco diximus) Sabaudam nobilem ac prædivitem matronam, et ipsam hæretica pravitate imbutam, spreto ac nihil consulto eodem Philiberto, sibi matrimonio junxerat; intra eujus ditionem illa oppidis aliquot imperitabat. De Alphonso demum Ferrariae duce, nihil definito numero, quantum Pius imperasset, obtulisse narrat; sed idem ab æmulatione Cosmi (inquit), quo cum ei magna similitates et perpetua de dignitate contentio intercedebat, promissis ejus territus, ne per hæc cuncta ab sociis, atque Maximiliano impetraret, in Germaniam ad eum protectus est: « Quæ res (subdit) adeo alienavit ab Alphonso Pium, timentem, ne Cæsarem a fœderis consiliis deferreret, ut non lacitus eam offensam tulerit, et cum Alphonso acerrimis verbis, nec sine minis expostularit ». Verum de his alibi agendum.

324. *Venetorum insulas Turcæ vastant.* —

Cætera nunc ad bellum pertinentia prosequamur, de quo idem Gratianus¹: « Dum Christiani (inquit) jungendis fœderibus, altercandoque de singulis tempus terunt, Turcæ, ingenti confecta classe, Venetorum insulas orasque immaniter vastabant. Ineunte Aprili, Italus cum lxxx navibus Bizantio egressus, supplementum militum ad exercitum in Cyprum deportavit, reliquoque ibi Arpagmato cum xxx tremibus, ac multis navigiis, qui Mustaphæ rem ad Famagustam gerenti, quo usus posceret, præsto esset, ipse cum reliquis navibus Rhodum, atque inde prætervectus Cretam in Eubœam rediit: huic nunc insulæ Nigroponti est nomen. Ibi cum tota classe e Bizantio Pertavus aderat: is Pialeio ad navale imperium successerat. Pialeum ipsum rex Bizantii retinuerat, sive iratus ei, quod superiore anno, occasione proligandæ Christianæ classis uti nescivisset; sive filiæ indutgens, viri desiderium nimis fracto animo muliebrique ferenti. Venerant ad classem iisdem diebus duo archipiratae nobiles, Uccialis (quem supra memoravimus), et Caracossa, uterque Italus genere, is in Piceno, ille in Calabria natus. Uterque servitutem apud Turcas serviverat, exque ea, ejus ratis Christianis sacris, in libertatem ascili, audacia atque industria ad magnas sese opes extulerant, ut Uccialis in Africa procurationem regni Algerii, concessu Turcarum, obtineret. Is naves longas novem, minora navigia tredecim; Caracossa xl naves fere biremes adduxit, ac magno uterque in honore ab Italo et Pertavo ob virtutem habebatur. Erat omnis Turcica classis ccc navium, quarum cc longæ, c minoris generis erant. Cum hac classe Eubœa profecti Tinem Venetorum parvam insulam, ex itinere depopulati sunt: adoriri oppidum, aut operæ pretium non rati, aut non ausi, discessere. Nam et in colle edito, atque ascensu arduo situm erat, et Paruta Venetus præfector, armatos in mœnibus cum fiducia virium hostibus ostentaverat. Hinc Cretam dirigere cursum Pertavus jussit: noctu ad insulam, ne videri a speculantibus longe posset, accessit, ac repentinus Sude portum peramplum, et in multos ac tutos curvatum sinus, intravit. Ibi expositi milites capto oppido flammas injecere; progressique longius, magno agrestium numero oppresso, aliquot vicos incendere. Effuse ferro atque igne grassantium impetum Lucas Michaelius, Canæ magistratus, cum octingentis militibus Corsis, qui cum Justiniano nobili Januensi eorum præfector commodum Caneam appulerant, addita oppidanorum manu, obviam egressus, repressit.

325. « Uccialis inde cum quinquaginta triremis latus insulæ, quod Aquilonem aspi-

¹ Ibid. ut sup. — ² Gratian. de Bell. Cypr. l. 4, p. 250.

Gratian. de Bell. Cypr. l. 3, p. 174.

cit, circumire, ac teclis ignes, populationem agris inferre jussus; illum imperata impigre facientem, etiam fortuna juvit. Erat Rethimus frequens nec ignobile oppidum, sed intutum atque apertum invadentibus, neque moenibus firmum, neque milite munitum. Itaque ad famam stantis ad Euboeam hostium classis commoti Barocius ac Hieronymus Justinianus, et Sagredus Veneti magistratus, a Marino Caballo legato summis precibus postularunt, ut d saltem milites mitteret ad se, qui urbem a repentina excensu hostium tutarentur, metuque perterritos Rethimatum animos eo subsidio substantarent. Quibus negatis, quod Caballus, tanto impendente discrimine, minui Candiae praesidium, quae caput rerum erat, nolebat, tantus terror oppidanos incessit, ut cum paventes ad singulos nuntios sollicitum illud omne tempus egissent, ad primos appulsae ad Sudam Turcicæ classis rumores, omnis se civitas, nequiequam retinentibus magistratis, in fugam effuderit, tanto pavore atque tumultu, sine ulla cura suarum rerum, corpora tantum sua liberorumque ac conjugum a servitute ac cæde eripere properantes, in montes se ac loca tuta proripuerint. Quos ad extremum ipsi quoque magistratus, publica pecunia, tabulisque ablatis, et magno exlati argenti pondere, quod e privatorum adibüs raptim comportari jusserant, in profundum immerso puto secuti, oppidum deseruerunt. Uccialis igitur, cum exustis late agris, per inopem ac miseram rusticæ supellectilis, ac vilium mancipiorum prædam pervasisset, Rethimum non tam tentandi oppidi, si paratos modo ad defensionem vidisset, quam injiciendi terroris causa, vacuum hominibus repertum, diripiuit, predaque ingenti, ac magni pretii ditato milite, oppidum magnis fortunis exhaustum incendit et diruit. Ferunt barbarum effusum in risum, et Christianorum ignavie illudentem, anum, quam unam in deserto oppido invenit, conservatam, ac suis donatam rebus, reddere ab se gratia jussisse Rethimatibus, pro tant opimis muniberibus sibi relictis. Atque inde onustis navibus, ad classem rediit.

326. « Ea populatio, et Rhetimi indignum excidium agrestes et montanos homines, ante ob tributa et exactos acerbius remiges alienatos; et tum ex Cretæ cladibus, perditas Venetorum res interpretantes, ad spem novarum rerum concivit; ac si Turcæ paulo diutius in insula morati essent, ut ad externum terrorem, intestina quoque fraudis accederet, sisti Cretensis res non posse videbatur. Saluti fuit matus hostium ab insula discessus. Erumpentem eam deflectionem nobilis juvenis, pulsato per lasciviam ac licentiam eorum sacerdote, acceleravit. Arreptis veluti in ultionem contumelie armis, concursu undique ex agris facto, non solum

ipsum injurie auctorem occiderunt, sed fratres parentesque ejus immaniter trucidarunt, domumque in sceleris cumulum diripuerunt; atque eo incitati facinore, nobilium cædem faciunt, fortunasque eorum, velut justo raptas bello, inter se dividunt. litteras inde ad Pertavum scribunt, seque in ejus fidem dedunt. Missus qui litteras ferret, classem ad Sudam non invenit: quo renuntiato, percutitis omnibus metu suppliciorum, plerique dominum dilabuntur: alii ad legatum mittunt, fidem in sex menses purgandis criminibus petentes. Caballus, quanto magis cum malum timuerat, tanto promptius ultro venientibus ad se cuncta concessit. Verum cum insula excessisset hostis, misso in ea loca Petro Avogaro cum mille pedestribus, adjuvante Mattheo Calergio nobili Cretensi, quem magna amicorum et clientum manus sequebatur, coacti ponere arma, questionibus subjecti, meritas poenas reipublicæ dederunt. De multis supplicium sumptum, plures in nave longas ad remum damnavi.

327. « Turcæ e Suda profecti, cum Caneæ injecturi terrorem ad scopulum, cui Turluro est nomen, accessissent, sæva tempestate vexati, tres naves amisere, novem afflictæ littori agre servatae sunt. Inde relicta Creta, Cerigum (Cythera haec veteribus fuit) petiere, populisque agrum, ab oppugnatione oppidi abstinuere. E Gerygo Zacyntum Pertavus invasit; et quia oppidani in arcem egregie tutam sese receperant, in aedificia atque arbores sævitum. Maxima clades vinearum fuit, cæsis late vitibus, quibus tota consita est insula, nec minor doliorum; quorum ingenti numero incenso, ubi insequentium anuorum vina reconderent, non habuere. Pertavus inde Cephaloniæ trajecit, majorem insulam, et agri fœcundioris: eo præda nberior hominum pecundumque fuit. Ea vastata insula, Coreyram petere classem jubet. Facturum id ante præviderat Aloysis Georgius et Franciscus Cornelius, qui Coreyram administrabant, atque ad se oppugnandum venire Pertavum rati, non omnia solum ad defensionem cum cura comparaverant, sed perceptis mature frugibus, eneta in oppidum comportari ac demigrari ex agris jusserant. Itaque in terram cum excedissent Turcæ, nulla inventa præda, incendiis grassari, non arborem, non ædificium ferro atque igne intactum reliquerunt. Veneti milites, ut non temere cum pluribus congregebantur, ita palantes passim Turcas excipientes, multos eorum occiderunt, aliquos etiam vivos ceperunt: ex quibus, non eo consilio Coreyram venisse Turcas hæli cognoverunt, ut oppidum præceps atque tuto loco situm aggredierentur. Quod indicium mox ipsa res comprobavit: nam inde profectus Pertavus ad Sopotum recipiendum, classem avertit. Id oppidum initio

belli, Veneti, non tam vi quam metu ac fuga Turcarum cœperant, ejusque custodiam Manolio tradiderant, quo maxime auctore, ea suscepta expeditio fuerat. Qui in presidio erant Itali milites, tanta classis fama appulsaque territi, pari flagitio oppidum deseruere, atque anno superiore a Turcis relictum fuerat, seque per aversam portam præcipites fugæ mandarunt; tanto majore cum dedecore, quam Turcæ, quod Manolius ipse, cui præcipuum periculum ab iufenso hoste impendere videbatur, cum Epirotis, quos circa se habebat, fidem ad ultimum Reipublicæ præstítit, ac, donec vires suffecere, hostium impetum, audacia magis quam spe sustinuit. Postremo, superante hostium multitudine, cum oppido in potestatem Turcarum pervenit ».

328. In Illyrico et Dalmatia, ne quieta quidem acta Hyeme, ubi ute appetit, omnia Turcarum excursionibus infesta pariter fuisse, ipse Gratianus ¹ tradit. Quo tempore magnæ rei oblatam Venetis facultatem, socordia eorum, qui negotium administrabant corruptam fuisse, idem scribit. Occultos siquidem a Turcis nuntios ad Alexandrum Donatum Antibari præfectum venisse scribit, ab Epirotis deductos, qui miscendo colloquia cum Barbaris, eorum aliquot ad voluntatem prodendi Scutaram permunitum oppidum, ejusque regionis caput, perduxerunt. At rei magnitudo cum levem Donati animum perstrinxisset: exemplo litteras ad senatum dedit, non tam auctoritatem ejus aut opem quærens, quam gloria elatus, ut se, ad tam insignem laudem delectum, Patribus ostentaret. At, ubi ab illis consilium cum Zaccaria Salomonio, Catari prætore, communicare jussus est, indignatus laudis sibi socium dari, dum ægre senatui parens sese, in patrato facinore immodice jaclat, rem palam facit, quæ statim ad Turcarum aures perlata, et ab ipsis proditoribus occisis, e Christianorum periculo urbs eripitur. Vicissim vero Catarum, Siculo quodam centurione portam, eujus custos erat, prodeute Tureis, præfatus Salomonius eripuit; cum re cognita strangulatum altero pede proditorem, e mœnibus suspendi jussit. Haud procul tamen ab ipsa urbe Jacobus Malatesta inconsultæ ferociæ pœnas luit; Christianisque, quorum dux erat, ab hostibus, partim cæsis, partimque in fugam conversis, ipse magni lapidis ictu prostratus, capitur, ac Constantinopolim deportatus, inde non nisi biennio post, Galliarum rege petente, dimissus fuit.

329. Olchiniūm deinde Turcæ capiunt diripiuntque, atque haud multo post Antibarim etiam tenuere, non jam vi, vel armis, sed Æmiliani præfecti, et Alexandri Donati, eujus paulo ante meminimus, iguavia, qui metu hostium consternatus, non auctoritate solum, sed etiam

¹ Ut sup. p. 160.

imperio, victori, ut portas aperirent cives coegerit. Tam Olchiniensibus quam Antibarenibus a Barbaris nequaquam servata fides pactorum, quibus se dederant. Joannes Brunus Antibarenſium archiepiscopus, spectaculæ religienis vir, quod magna tota Epiro gratia auctoritateque polleret interfectus. Donatus ac Æmilianus incolumes evasere, quod auctores deditioſis fuissent, illos veritos domi judicium, iramque civium, voluntario exilio, damnationi sese, meritoque suppicio, exemisse, Gratianus ¹ scribit. Et revera Donatum ob rem perperam atque ignave gestam, bonorum publicatione, perpetuo exilio, nobilitatis amissione, a Decenviris mulctatum fuisse, Maurocenus ² narrat: qui etiam scribit repentinam ac turpem Donati ejusdem deditioñem, inter alios præcipue detestatum fuisse præfatum archiepiscopum Joannem Brunum: vir (inquit) summa in religionem pietate, magna in Venetos fide, qui ad hostium impetum fortiter sustinendum, neque per metum atque ignaviam, hosti se deditioñem facerent, vehementi dicendi ardore incitaverat.

330. Antibari modico præsidio munita. Pizanum frequens castellum Turcæ solo aequant, occupantque Butuam, ab Augustino Paschalico prætore, militibus atque incolis relictam, sed deditibus oppidanis: iisque minime servatae leges, quibus se dederunt, sed omnia ferro igneque vastata. Tot autem funestis cladibus atque incendiis minime exsaturati impiissimi homines Ucchialim et Caracossam, cum parte navium se in Adriaticum inferre, atque ad Pharum usque pertingere voluerunt. Curzolam, quæ olim (ut notat Maurocenus) Coreyra nigra dicebatur, quæque prima occurrit, mirabilis casus (inquit Gratianus ³) servavit: « Antonius Balbus, qui præerat, ad primam classis famam, muliebri percitus metu, clam aufergerat, et sequuti eum habitatores oppidum, quod insulæ nomen habet, deseruerunt. Uxores eorum domi relictæ, portas clausere, et sacerdos quidam Antonius Rosoneus nomine, qui cum retinere ab timida fuga cives Balbumque nequisset, in oppido permanserat, auctor iis fuit, ut vivorum ornatu, armisque sumptis, in muris consistenter, fore ostendens ut, illa armatorum specie procul visa, hostis ab oppido tentando abs lineret. Non fecellit hominis astum fortuna: et una mulierum, virilis audaciæ, cum Turcicarum classem applicantem vidisset, bombardam, quæ forte in mœnibus loco idoneo constituta erat, igne admoto, in hostes explosit, unde excussus ingenti sonitu ferreus globus, in navem allatus malum perfregit. Turcæ fiduciam virium eam esse, et firmo præsidio teneri oppidum rati, nullo mi-

¹ Gratian. ut sup. p. 163. — ² Maurocen. Hist. Venet. l. 10, p. 405. — ³ Ut supra, p. 165.

lum in terram exposito, discessere ». Ex quo apparet quantum Reipublicæ intersit sacerdotum opera ac studium, dum unius sacerdotis voce excita mulieres, tam strenue viriliterque, propriæ imbecillitatis oblite, sese gessere; ubi, e contra, ut vidimus, Antibaris summo dedecore amissa, quod sacerdotis consilio, qui præerat, non acquiecerit. Simulque aliud humanæ prudentiae commentum, fallaxque ingenium dignoscitur, quo reipublicæ consultum optime creditur, si e rerum administratione publicarum sacerdotes penitus arecantur, ut solis laicis eorum cura demandetur; dum ab his, quibus credita, turpissime proditores, decusque Reipublicæ noseuntur; a sacerdotibus vero, ad quos id munera minime pertinere contenduntur, mirabiliter servata. Sed ad mulierum, quod prædictimus, egregium facimus redeamus.

331. Gratianum Venetis (inquit Gratianus¹) tam felix ausum feminarum fuit, adeo ut cum, finito bello, prope ultima inopia trumenti Curzolani laborantes, Venetas ad opem petendam venissent, ac senatores aliquot, de suis rebus adiissent, responsum tulerint: non ita eos, de patria, deque Republica meritos esse; facilius impetratoros, si ab uxoribus suis legati venissent, quarum virtute incolumem patriam haberent. Aliud excepit vero muliebris fortitudinis addit pariter Maurocenus² sic scribens:

« Antonius Balbus prætor, quod oppidum hosti reliquisset, a decemviris Pharam deportari jussus est; iisdem cladiis Turcæ suburbis exustis, compluribus, vel caesis, vel captis Curzolam affecere: in Lissam et Scoltam insulas crudeliter quoque, nisi vento repulsi fuissent, debaechaturi. Illud sane hoc loco, non absque piaculo praetermisserim, ex Phari incolis, qui in saltus ac montuosa loca se receperant, mulierem extitisse, quæ cum leniore cæteris gradu, Barbuscam montem, ex Turcis quodam insecente, peteret; prominentiorem rupem concendit, quod tuto loco consistere sibi videretur, neque ob saxonum procellam, quæ ab ea jaciebantur eo sese tollere posset hostis, qui contumeliosis verbis atque conviciis illam est agressus: irarum astu mulier percita, funda circumacta impetu lapidem in Turcam excusit, ut fronte ictum prosterret, statimque desiliens, ipsiusmet gladio caput impavida præcideret ». Sic Maurocenus, qui maritimis Christianorum oris illatas a Turcis clades alias, ex quibus haud modicus pavor ipsam Venetorum urbem incessit, longo prolixoque dictamine prosequitur; ut videre est apud ipsum.

332. *Famagustæ excidium; Turcarum perfidia.* — Sed quod anxios trepidosque fideles præ omnibus perculit, Famagustæ amissæ

¹ Ibid. ut sup. — ² Ibid. ut sup. pag. 406.

nuntius fuit, quod in ea totius Cypri regni jactoram, Christianus orbis pertulerit. Tristem Historiam, a capite usque ad calcem, his verbis Gratianus¹ tradit: « Duxi Famagustam e Creta quatuor naves cum militibus et commilito negotium aestate superiore a Zanio datum erat Petro Trono: quo, in ipso apparatu protectio- nis, morte sublato, M. Antonius Quirinus ei succedere erat jussus. Is, per desidem metum diu enctatus, cum Creta extrudi non posset, et jam exiisset anno MDLXX, rogatur M. Quirinus, cognomento Stenta, ut cum delectis triremibus in Cyprum præsidio navibus iret. Is, cum idib. Jan. Candia solvisset, decimo die, secunda navigatione in conspectu Famagustæ fuit. Erant in statione circa oppidum sex hostium triremes, ad idipsum relictæ a Turcis, ut Famagustæ portum obsiderent. Quirinus longas naves ornatissimas duodecim ducebant, et quo Turcas longius in altum pelliceret, onerariis præmissis, ipse quam maxime potest occultus subse- quitur. Turcæ simul ac onerarias conspexere, ad invadendas eas e statione evolant: sed visis procul longis nostrorum navibus celeriter ad terram refugunt, seque formidans in littore localis tutarunt. Insecutus Quirinus, magnis bombardarum ictibus, duas hostium triremes demersit: reliqua beneficio noctis, cum Quirinus ad trahendas remulco in oppidum onera- rias abscessisset, fuga evasere. Sequenti die egressus ad persequendas triremes, in Turci- cam navem, ex his, quas illi Maltonas appellant, ab Nencurio Cilicie portu vestimenta ad exer- citum ferentem incidit: quam non sine certa- mine expugnatam (trecentos enim prætorianos milites, in quem non nisi strenuissimus quisque Turcia disciplina legitur, vehebat) Famagustam victos perduxit. Pari felicitate Gallicam navem cœpit, quam Turcæ abduclam Alexandria, com- meatus in Cyprum portare coegerant. In ea cum cc militibus Damasci præfectus erat, qui unus parva clapsus seapha, incolumis ad exer- citum evasit: reliqui capti catenisque vineti, remis admoti sunt. His actis, Quirinus, neque tam presenti ope (parum enim attulerat militum) quam spe majorum brevi auxiliorum, confirmatis Famagustanorum animis, profec- tus, æque prospero cursu in Crelam rediit.

333. « El Mustapha novis per hyemem tra- ductis in Cyprum copiis exercitum suppleverat, militesque labore ac vulneribus fessos, otio refecerat: et cum fama Nicosiensis prædæ, quam in omnes partes de industria dissiparat, supra sexaginta millia voluntariorum (Acan- gios Turcæ vocant, qui more antiquitus tradito, sine stipendio, una rapiendi licentia militant) ad spem, capta Famagusta, celebri per vicinas provincias emporio, novarum prædarum un- dique concivisset: principio Veris, ad intermis-

¹ Gratian. ut supra, p. 171 et seq.

sum bellum, spe conatusque majori, ex hibernis movit. Astor et Bragadinus, qui oppido praeerant, cum tantum belli in cervicibus esset, postquam hostis in hiberna abscessit, eam nacti relaxationem, mœnibus ubi opus esset sacerdoris augendisque ac firmandis munimentis urbis, et omnibus rebus instruenda defensioni, Hyemem consumpserunt: animis anle omnia suis militumque ad ultima experienda audendaque, pro fide erga Venetos, et pro gloria Christiani nominis, obfirmatis, et quod saluberrimum in tam dubiis rebus esse solet, et concordes inter se duces erant, et ducibus egregie obsequens miles, ut dubium non sit, quin defendi ac refineri id oppidum potuerit, nisi destinatis auxiliis, ignavia eorum, qui curabant, obsessi frustrati essent. Quod ipse senserat Mustapha, cum ab expugnata Nicosia, Famagustam accessit: contemplatus enim ex propinquo situm urbis, mœniaque ac genus munitionum, ea quidem elevans verbis, haud aquam Nicosiae parem oppugnationem fore, suis pronuntiavit. Ceterum animum ejus tacita cura incendit, quod quantum hæc murorum munimentis Nicosiae cederet, tantum virtute dueum præstaret, quam ipso statim initio expertus est. Nam tria millia militum, quæ obsidendi inter Famagustam et Nicosiam itineribus miserat, ab Astore excepta insidiis, cæsa prope ad unum atque deleta fuerant: atque abeuntium in hiberna Turcarum, illa extremo agmini idem institutus Astor, ut supra à eorum occisis, egregiam hosti fiduciam animorum ostentari; atque opera ab iis instituta, asportatis, quæ relicta erant destruxerit, ac dissiparit; ut Mustapha, non cum Dandulo Rocabioque rem sibi futuram intelligeret; eoque intentiori cura copias per Hyemem auxerat, et omnia ad oppugnationem comparaverat, nihil actum sibi expugnatione Nicosiae existimans, si maritimam urbem, et loco ipso opportunam repetendæ insulae, Veneti retinuisserint. Et quanquam ingentem spem animo fovebat: tantarum copiarum succinctus viribus, tamen quanta suorum cæde necesse foret constare victoriæ, quantumque laboris ac periculi exhaustum ea oppugnatione, intelligens, nunquam destiterat Christianorum ad deditiæ sollicitare animos, nunc pollicendo ultra cuneta, quæ optare ipsi possent, nunc ultima supplicia et Nicosiae casum intentando.

334. « Eque et minæ barbari et promissa a nostris rejecta sunt. Primo accessu ad urbem Hectorem Podocaterum, et Joannem Susomium e Cypriis captivis, qui suaderent obsessis, ut in Mustaphæ fidem se fraderent, cuperetque eum civitatis salutis consulum ostenderent, in oppidum misit. Haec quoque spela legatio est; coacto remainere apud se Sulsomino, quod munitionum operumque faciendorum peritus es-

set; Podocaterum, ne in conjugem, filiosque, quos fidei pignus apud hostes reliquerat, barbari sævirent, tristem sine responso dimisere. Et perstrinxerat animos hominum miseratio viri inler Cypriam nobilitatem nuper florentissimi; venerat enim veste servili, eaque squalore obsita teclus, aliqua quoque corporis parte nudata: barba capilloque horridus, mæstusque, vulnere etiam in capite vili fascia sordidaque obligato; pallore macieque ita deformata specie oris, ut vix noscilaretur ab amicis, commemorantibus pristinam viri fortunam ac principalem cultum. Mustapha redeuntem ad se, cum nihil sibi ab obsessis responsum esse retulisset, contumeliose inerepitum, in conspectu exercitus, et captivæ conjugis, liberorumque, quos Barbari ad spectandam necem patris produxerant, interfici, abscissis cervicibus capite imperavit, atque omissa spe per dedicationem oppidi poliundi, vim alque arma expediti.

335. « Famagusta in ea parte sila insulæ quæ Syriam spectat, mari alluitur. Portum per amplum ac tutum, scopuli a parvo promontorio, quod est ad dexteram urbis, porrecti in pelagus efficiunt. Horum a postremo binæ syrles oriuntur, quarum altera longius sese ultra urbem in mare extendit, allera ad mœnia atque arcem in ipso munitam littore subiens, veluti de industria jacta moles, sinum claudit, adeo angusto ore, ut vix spatium singulis navibus relinquat. Huic in ipsis fauceibus ab allera parle arx ita imminet, ut naves nisi propter ipsa propugnacula intrare portum non possint; ab altera castello ad idipsum fabricato communilar. Urbs ad duo millia passuum in circuitu palel; præalta fossa, muro quadrato, et lapide, crebris turribus vetustæ struclura opere eingitur, specie majori, quam munimento adversus nostri sœculi bombardas, quarum icibus longe facillime saxa perfringuntur. Ad diderant Veneti munitiones aliquot ex recenti usu bellandi, prout tempus et ingenium loci patiebantur.

336. « Mustapha, institula ad Nicosiam ratione, operibus aliis atque aliis claudere urbem, fossas agere, et insinuare se ad mœnia instituit. In his faciendis operibus supra quadraginta millia hominum versabantur: par numerus præsidio munientibus erat. Hoc modo, cum urbi appropinquasset, tormenta verberandis mœnibus prolata, idoneis locis constituit. Veneti recentibus animis viribusque quotidie oppido, ad impedienda opera hostium erumpabant, magnumque numerum eorum occidebant; auctaque successu audacia, sæpe sine ducum auctoritate, pauci incompositique porlis ad ferenda cerlamina egrediebantur, ut ægre ab Astore et Bragadino intra muros continerentur, intelligentibus gloria majori, quam

fructu victores eos in oppidum redire; quod neque Turcis in tanta multitudine ea jactura suorum magnopere nocebat, et in nostrorum pannitatem, ne singulorum quidem damna negligi poterant: donec ccc ferme Graeci, oblongis clypeis, gladiisque more eorum armati, ad turbandos hostes egressi, ac temere in locum iniquum proiecti, male a Turcis habiti, et ad eorum eesis, pluribus vulneratis, trepidi fuga in oppidum compulsi. Hic finis erumpendi fuit: et gravi pœna a ducibus interdictum, ne quis injussus, pugnandi causa cum hoste extra portam exiret. Turcae ex munitionibus, quas altiores mœnibus excitarant, ferreos globos tormentis adactos, in oppidum jaculabantur, ut ne domus quidem, viæque communitibus per urbem ad suas quibusque res muniaque, nostris satis tutæ, cunctaque infesta periculo essent. Verum id majori tectorum ac parietum damno, quam hominum fieri eum animadvertisserint, omnem inde oppugnationem in mœnia averterunt. Quorum eum pars magnis quatæfacta ictibus procidisset, non tamen ausi per ipsas succedere ruinas Turcae, producendis assidue operibus ad crepidinem usque fossæ illati, fossam implere aggrediantur, ut inde, veluti per patentem aditum integræ acies impetum in oppidum facerent. Cum super muro-rorum stragem vim magnam terræ dies noctesque ingererent, ne ea ab obsessis pari ratione in oppidum auferretur, quod fieri cœptum erat, muro ad ipsam crepidinem, pluribus locis perterebrato, inde missa majoribus scelopetis cerebra plumbatarum glandium procella, egredientes ad opus pugnamque incessebant nostros multosque eorum occidebant: ut nemo paulum modo prodire extra munimenta posset, quin pluribus simul ictibus, ex occulto collineantium appetitus, vulneraretur. Ita, nequicquam contra pugnantibus Christianis, fossa potiti hostes, eam humo repletam exæquarunt, lateraque fascibus, ac magnis saccis lana refertis, ne transversis obsessorum ictibus palerent tegentes, communiverunt; ac penetrare inde in urbem tentabant; nec caruisset effectu res, nisi nostri commento ignium lana sarmentisque incensis, hostes inde magna cum cede expulissent.

337. « Sed Barbari, nulla clade suorum, nulla rerum asperitate deterriti, incepto absistebant: iisdem iterum atque iterum reflectis munimentis, quibus ab hostili ictu in fossa tegerentur, cuniculos fodere, atque agere in urbem, et eo et aliis locis instituant. Quo intellecto, obsessi, captantes auribus sonitum sub terra molientium, adversis cuniculis occurrere hostibus satagunt. Aliquot tamen fefellere: quibus Turcae sulphureo immisso, pulvere, atque igne admoto, cum ad navalia, qua minime obsessi speraverant disjectam terribili fra-

gore turri prostravissent, multis oppressis militibus late muros aperuere. Vix satis desierant ruere, cum hostes ad ipsum instrueti paratiq[ue], edito ingenti clamore, per ipsam jacentis muri stragem scandentes, in mœnia evadunt, magno amittendie urbis periculo, si, qui in ea parte curabant, repentina re territi paulum modo cessissent. Sed illi corporibus animisque connixi, impressionem hostium tantisper sustinuerent, dum accursu ducum eo undique armatos rapientium, restituta res est. Et ipse Astor cum se in medium pugnam cum delectis intulisset, pepulit prius, mox præcipites ruinis egit hostes: qui ipsi a p[ro]fectis increpiti, quod a paucis plures semicpta urbe arceri paterentur, quinques trustra conatibus capti, ut locum tenerent, pluribus semper cum vulneribus rejecti atque deturbati sunt. Obsessi eo admoniti easu, novum introrsus murum, cum prominentibus propugnaculis congesta ad id e privatorum ædibus propere materia, extrunt, unde pugnare, anteriore dejecto atque amisso muro, possent. Tum iterum Turcae cuniculo, quem ad portam, quæ Imissi dicitur longe maximum suffoderant, ignem indiderunt, qui solito fragore atque impetu erumpens, data ingenti ruina, cum superstantium clademilitum, facilem hostibus ascensum in oppidum præbuit; nec illi cunctati sunt, sed ducum hortatu, hinc gloriam præmiaque spectatae virtutis, hinc prædam prædivitis urbis ostentantium incitati, magno impetu et clamore, per stragem simul saxorum simul corporum, vadunt; et ad nostrorum distinendas vires, eodem tempore ad navalia pari conatu atque ardore, mœnia adoruntur. Pugnatum utroque loco est, numquam remisso certamine, sex horas: et cum virorum fortium virtus urbem defendantium ea die insignis fuit, tum etiam feminarum, quas supra sexus naturam audaces, non tela modo militibus ministrando, sed offerendo se periculis atque vulneribus; saxaque et ferventis aquæ vim in subjectos profundendo, haud parvo pugnantibus auxilio fuisse constat. Praeberat eis Imissensium episcopus, e Dominicinorum familia, qui sublatam pro signo crucem gestans, qua maxime tela glandesque tormentis actæ volabant, impavidus consistens, pia aptaque oratione dimicantes accendebat. Mustapha, magna snorum coetus clade, receptui cani jussit, motusque numero tot præliis interfectorum, cum vijs parum procederet, opera angere, ac pluribus tormentis rem gerere et prostertere latius mœnia instituit; nec tamen interea ullam obsessis quietem dare: aut invadens, qua apertus ruina murus esset, aut invasuri speciem præbens, dies noctesque fessos fatigabat, ut quos armis non polerat, labore ac vigiliis conficeret. Prolatis deinde tormentis, ita crebris ictibus verberare mœnia instituit, ut una die

globos ferreos quinques mille, majoribus emissos bombardis, obsessi numerarint. Hanc tanta tormentorum vi ac tempestate quassata mœnia, cum proruissent, etiam interior murus perfractus ac dirutus est: nec refici a Venetis poterat, quod assidua glandium grandine ita infestus locus erat, ut magnus eorum numerus ingenti audacia ad restituendum opus prope certæ se morti offerentium ceciderit. Tum ipsi cuniculum sub propugnaculo ad finissi portam, de quo præcipua contentione utrinque certatum erat, perfodiunt, ut si, quod verebantur, defendi locus non posset, magna sua cum pernicie hostes eo potirentur.

338. « Igitur Mustapha, cum mœnia ingentibus ruinis multis in locis late aperuisset, a quatuor partibus totius exercitus conatu urbem aggreditur. Atrox pugna obsessos excepit, et vulneribus et vigilis fessos, et tot præliis attenuatos: sustinuerat tamen plures horas impetum inferentium se hostium, audaciaque majori, quam viribus undique a mœnibus reputere. Cæterum ad portæ propugnaculum, quo longe major moles belli incubuerat, ubi Mustapha ipse hortator atque inspector aderat, locum Turcæ, exactis e propugnaculo cum magno tumultu nostris occupavere, mixtique Christianis in oppidum irrumpabant. Tum Astor, animadverso periculo, incendi cuniculum, quem in hunc easum præparaverat, jubet: momentoque omnem Turcarum multitudinem, qui magna spe patrandæ victoriæ illo confertissimi ascenderant, (ad tria millia fuisse tradunt,) vis ignis absumpsit. Tanto enim impetu flamma erupit, ut aperto disjectoque ingentibus fragminibus propugnaculo, cuncta circa hominum et saxonum strage compleverit. Hausti eadem peste sent ad centum ferme Christiani milites, atque in iis aliquot note virtutis centuriones, qui turba cedentium impediti, serius se in tutum receperant. Tantis affectum detrimentis Mustapham, cum obsessorum constantia virtusque de exitu rei dubitare interdum cogeret, et angeret truecum animum, prope tertia pars copiarum variis casibus absumpta, ne in nihilum sibi capta Nicosiae gloria recideret, aut etiam in invidiam verteret apud regem, si inde irrito conatu abscessisset, insistere aerius cœpto, castigare nunc milites, nunc præfectos exprobare ignaviam a patefacta ita urbe, ut sub signis transcendit ubique posset toties reputorum: nunc spe incitare atque hortari, ut committeretur perrumpere, et domita armis hostium perlucacia, laborum præmia victis extorquerent, nec paterentur trahi rem, dum novis ad obsessos advectis auxiliis, ipsis quoque novus de integro exsudandus labor esset. Sic accensis quadridui quiete data, pergit porro disparita ex superiorum dierum instituto inter duces cura, qua recentibus ruinis apertum patebat

iter, magno tympanorum et tubarum strepitu ab omnibus partibus aggredi urbem. Ipse cum exercitus robore ad portam, quæ diruto propugnaculo, opportunior oppugnationi jam erat, accerrimam impressionem dedit. Aloysis Martinengus in eo loco curabat: qui, excepto hostium impetu, summa vi in arco obsistens, strenue locum est tutatus. Sed instante Mustapha, et majori conatu redintegrante certamen, graviter laborari est cœptum. Tum Astor cum virorum cuncio porta ingenti tumultu erumpens, perfractis hostium ordinibus, ac magna edita cæde, ittos terga dare atque in turpem verti fugam, coegit. Inde quod ipse vi, ex signiferi Turcæ manu eripuerat, præ se signum ferens, in urbem rediit. Eadem aliis quoque locis fortuna Turcarum fuit; multis suorum desideratis, undique a muris repulsi in castra rediere.

339. « Cum tam sæva oppugnatione, quæ sæpe dies noctesque nunquam intermissa continuabatur, Famagusta urgeretur, tamen sustinebant adhuc obsessi vini barbarorum, ad omnia consilio atque audacia occurrentes, variisque conatibus hostium, varia ipsi arte ac vi obviamibant. Hieronymus Magius ab Anglario, Hetruria oppido, erat bellicis operibus machinisque inveniendis solerti ingenio vir. Is cuniculis, ignibus vario artificio coulallis, novisque quotidie inventis, magna hostibus detimenta attulit: et duodeviginti muratia tormenta, certis e muro petita ieiibus, diffracto ore corrupti: et magno sæpe conatus eorum ac multorum dierum labores, parvo ipse momento elusit. Astor et Bragadinus et Theupulus, cum præfectis suam cuique mœniū partem defendendam assignassent; ipsi omnibus locis hortando, imperandoque, quæ in rem essent, et ubi res posceret, quam plurimus labor periculunque urgebat, sese hostibus objicendo, aderant. Et ne otto tempore ab statione atque custodia mœniū abessent, translati in ipsas turres dominiciliis, ibi cibum, ibi somnum capiebant. Praesidiariis ulti metu, aut periculo, cedere loco, aut commissum munus non impigre exequi, pro ingenti flagitio erat; adeo non tam conservandi vitam, quam honeste mortem appetendi, legem sibi quisque indixisse videbatur. Ab his animis sæpe promurosua pectora bombardarum ieiibus opposuerunt, nec qui ante se steterat, exanimatus terrebatur proximum, quo minus eundem continuo subiret locum. Ne oppidanorum quidem studium, atque opera in illo discrimine patriæ desiderata. Juventus armata haud segniter in mœniis præliisque versari: alii alia obiere munera: non pueri, non senes, non fæminæ expertes laboris bellique erant; pars quod usus posceret, ad opera ferre, pars ducibus militibusque, si quid jubendum, petendum ex oppido foret, præsto esse. Cibum miliili

vinumque, ne ulla decedendi ab statione necessitas esset, matronae, ducentibus sacerdotibus, afferebant, gratuitoque de publico præbebatur, conferentibus ad id libenter in medium omnibus, quod cuiquam privatim domi esset. Ad illud quoque est ilium, ne pecunia in stipendum decesset, ut æs certi ponderis cum reipublicæ signo cenderetur, quod deinde tinto bello, argenteum Veneti prestarent. Ut pro non dubio habitum fuerit, hac fide ac alacritate Graecorum, hac militum virtute et consilio, constantiaque ducum, hoc omnium non tam salutis tuendæ, quam vitæ cum laude profundendæ consensus atque ardore, quo qualior ipsos menses, occisis quinquaginta milibus hostium, prope continentem oppugnationem sustinuerunt, defendi oppidum magna cum clade atque Turcarum ignominia potuisse, nisi a Venetis in ferenda ope cessatum esset ».

340. Qua ratione vero id acciderit, secundumque ex hoc demum Famagustæ deditiōnem, adjicit Gratianus¹ idem sic scribens :

« Initio inde anni, Bragadini atque Astoris rogalu, elapsus noctu, inter hostilium navium custodias Hieronymus Ragazonius, Famagustæ episcopus, in Cretam atque inde Venetias venit, peculiari cura senatum ad consulendum civitati excitaturus : nec deslitit ipse assiduis precijs fatigare patres. Sed jam litteræ quoque a Bragadino atque Astore afferebantur, quæ in quanto discriminē res esset, docebant, nec sine novo commeatus ac militum subsidio, sustineri diu vim posse nuntiabant. Et Bragadinus desperabundus, desertum se ac destitutum, placate ac modice querens, qua adolescentulos filios senatui commendabat, qua pueros ipsos ardentibus patria pietate solabatur, monebatque, ut paternæ, et in Deum, et in patriam fidei et constantiæ exemplo, secundum Dei majestalem, rempublicam colerent; nullum periculum esse unquam tantum putarent, quod a senatu injunctum, non animo libenti fortique subirent. Hæc litteræ, multis cum lacrymis a cognatis Bragadini, et in senatu recitatæ, et primoribus palrum sæpe lectæ sunt. Sed tenui ambientibus patres Bragadini necessariis, qui plus miserationis quam studii movebant, longe acerrima Geneura Salviata, Astoris uxor, et suople ingenio vehemens, et effera dolore, ac periculo viri prope accusatorio spiritu urgebat, nunc segnitiem increpans, nunc exprobrans, fore posthac neminem, qui se pro eorum Republica, pericolo objiceret, si vir ea virile, ea fide, iis in Venetum nomen meritis, desertus ac proditus ab iis esset. Atque hæc in senatu, hæc apud singulos principum, quotidie ingerens, coegit magistratus de eo ad senatum referre. Cum consultantibus patribus nec facile rei-

expedientibus quod quidquid militum ubique esset, in classem ad spem navalis fortunæ imposuerant, et ne, quem mitterent, quidem satis constaret, nemine se in tam evidens discrimen offerre audente, Geneura, ut erat, non virilis modo, sed etiam militaris animi mulier, ipsam se cum subsidio ituram protinet, nec spernerent sexum, cui periculi capax pro salute viri animus esset. Impatiens deinde moræ, ac nimis lenta consultationis, Perusiam, ubi natus Astor e principe familia nempe Balionea erat, centuriones, ad scribendos milites clientesque et amicos cogendos mittit; privato consilio sumptuque, si senatus cunctetur, profinus ad feren-dam viro opem itura. Senatus frustra lenire Geneura impetum conatus, cessit tandem impotenti studio ejus, ac septingentos milites, qui maxime ad classem mittebantur, cum Honorio Scotto præfecto, deportandos Famagustam destinat. Duas ad id onerarias armari ornarique jubet, impositisque commeatis omnibus generis, Nicolao Donalo ducendas tradit, monito, ut caute atque explorate naviget. Cretam prius adeat, atque ibi de hostium classe percunctetur ». Sic Gratianus, quibus haud omnino consona Maurocœmū narrat, licet de duabus onerariis navibus militibusque super illas impositis eadem fere referat; nam dixit, sedulo rem a senatu curatam, ac Donatum quampri-mum in Cyprum contendere jussum. Sequitur Gratianus :

341. « Geneura hand minus nogotii in extrudendo Venetiis Donato, quam in subsidio impetrando fuit: ita remisse ac tarde omnia administrata sunt. Itaque id, quod accidit, verita, condescendere ipsa una, perferreque opem viro cupiens, senatus auctoritate retenta est. Haud celerius iter, quam profectio Donati fuit; pervenisset tamen, servassetque urbem sola fama adventus novi præsidii, si, aut non adire Cretam, aut exterius insulæ latus tenere, (quod et expeditius et a metu hostilis classis tutius iter erat) elegisset. Sed cum ille interiora insulæ legens, Candiam urbem petisset, quo certius cuneta de Venetis magistralibus, præfetisque, qui tum ibi cum parte classis erant, exploraret: diu in Creta, per alias atque alias causas a Marino Caballo relentus, rem omisit; cuius rei culpa, nec omnis in Donato, nec nulla fuit. Caballi prius cupiditatem, deinde M. Quirini contumacem animum obstitisse memorant: Caballo navium commeatui inhiant. Quirino, irato senatui, a quo sibi parvum gratiae, pro superiori præsidio deducto, atque in urbem illato habitum, indignabatur. Quare, cum a Venetis navarchis, ne desertam perire Famagustam, in qua retinenda prope summa totius belli verteretur; totque una insignes virtute et fide erga rempublicam viros fineret, inchoatamque gloriam suam simul perficere, simul datam

¹ Ut supra p. 483.

obsessis fidem exsolveret, rogaretur. Sentiant, (inquit) Patres, nonnihil et in nobis momenti esse: et dicant aliquid etiam militiae laboribus, et classicis viris tribuere, non omnia urbanæ ambitioni indufgere. Sunt, qui Quirinum, ex magna inopia dilatum eo bello segniorem ad pericula factum ferant, et frui partis opibus, quam eas novis decorare meritis matuisse ». Sic Gratianus; at rem aliter Maurocenus¹ narrat, nam postquam retulit a republica jussum Nicolaum Donatum, ut Famagustæ succurreret, addit illum statim itinere arrepto, ac in Ægeum delatum, turbato mari, tempestateque oborta, reluctante vento, quassatis ac prope disjectis vehementi procella navigiis, iter in Cretam flectere coactum fuisse; ibique, ex navibus altera itineri habendo minime idonea inventa, cum ante classis Turcieæ adventum in Cyprus sarciri non posse constaret: magistratus jussu exonerata, omnem subsidiorum spem Famagustæ ademptam esse.

342. At Gratiani narrationem folieta confirmat, scribens, Donatum expertem culpa penitus non fuisse, quod nimis supino errore lapsus, interiora insulæ (videlicet Creta) tenerit; qui si exteriorus iter cœpisset, Turcieæ classis metu liber, incolumis Famagustam pervenire potuisset; additque rem illi criminis et vitio datam, eaque de causa Venetiis in illum capite inquisitum. Qui tamen cum excarcere causam dixisset, dimissus tandem est, sive gratia, sive quod crimen purgarit, culpa in afios translata; qui fere potentiorum, (inquit in humiliores mos) eo pravo usu, et judicantium adulacione, gratiæ principum serviente.

343. Sed, ut ad rem redeamus: « Dum his deliberationibus tempus ferunt (Gratianus² sequitur), litteræ a Venerio Quirino redduntur, quibus in Siciliam ad se venire, omissis omnibus aliis rebus, jubebatur. Ita justam naelus causam e Creta discessit, Donato sine spe perducendi auxilii relicto. Sed obsessis ferro, igne, operibus afiis super aliis, terra marique, nullo laboris laxamento, oppugnatis, (nam et naves nunc tormentis eminus rem gerentes, nunc subeuntes ad mœnia terrorem ab ea quoque parte admovebant) diu, pro ipsa re, spes proinssi auxilii fuit, ad ultimaque toleranda obfirmavit.

344. « Producta in quartum mensem obsidione, exhausti jam cœdibus tam frequentium præliorum (ita ut ex quatuor millibus Italorum ad octingentos redacti esset), vulneribus, vigiliis, et diurno nocturnoque labore confecti, non tamen ante animos despondere, quam consumpto omni bellico apparatu, ne pulvis quidem ad explodendas bombardas superesset. Huic malo, fames quoque, eibariis omnibus absum-

ptis, accesserat; eoque inopiae ventum erat, ut plures dies jumentis asinisque, deinde etiam canibus ac felibus aliisque immundis animalibus vitam sustentarent. Jam neque vis hostium a paucis labore ac fame enectis, nec fames ipsa ultra tolerari poterat. Itaque Bragadinus atque Astor, qui nullam ante orationem oppidanorum de portis aperiendis, auribus admiserant, tum demum fleeti cœperunt, eorum precibus, orantium maxime Bragadinum, ut expleta ad ultimum fide, cum arma, viri, alimentaque, et spes auxilii defecisset, nec alia salutis via, quam tradendi per honestam aliquam pactionem urbem, cerneretur: antequam ultimam obsessorum necessitatem hostis sentiret, conservaret civitatem fidelem Reipublicæ, tantis experimentis cognitam: nec constantiae gloria efferriri se ita sineret, ut ipsos quoque præcipites super Nicosiæ easum daret: infestiorem habitueros hostem, quo majus fidei documentum erga Venetos dedisset: cogitaret, quid vi atque armis captis ab iratis, et Christiani sanguinis avidis Barbaris patiendum foret: nec diripi, atque exscindi urbem, atque omnia infanda et acerba in se liberosque ac conjuges videri, ac pati eos vellet, qui pari studio virtuteque, omnibus belli calamitatibus, pro Veneto nomine defuncti essent ».

345. Prolixa satis oratione narrat Maurocenus¹, quæ super hac re, inter Bragadenum, Balleonium, aliasque Christianos duces agitata consilia fuere; ostendereque connititur, a deditio[n]is sententia sic Bragadenum abhorruisse, ut illius auctorem fere non nisi Balleonium demonstret. Certum est, quod scriptores omnes, unanimi duecum consensu statutam deditio[n]em fuisse, testantur. Inter illos tamen præfatus Gratianus, postquam allata Famagustanorum ad Bragadinum orationem retulit², addit: « Vera dicebant: eo magis movere Bragadinum, cui cum Astor quoque, sæpe testans Deum, non abs se deditam urbem, sed se traditum hostibus a senatu esse, assentiretur; de omnium sententia kal. August. candido e mœnibus vexillo, signum Turcis faciunt colloqui se cum iis velle ». Ex quibus forte colligere est, ideo invidiam, crimenque (si tamen hoc nomine censerri potest) deditæ Famagustæ Turcis in Astorem rejicere Maurocenum voluisse, quod liberius quam par esset, de Veneto senatu conquestus esset; amore siquidem patriæ civiumque abreptus, ut ea plerumque reticuit, quæ suorum segnitiem ignaviamque in succurrendo obsessæ urbi declarabant, ut supra haud obscure sæpe monuimus; sic deditio[n]is consilium, cum Balleonio strenuissimo dueci traxerit, minime futo ei fidem habendam cognoscitur.

¹ Maurec. Hist. lib. 10. p. 402. — ² Ut sup.

¹ Maurec. ut sup. p. 427. — ² Ibid. ut sup.

346. « Facta igitur (subjungit Gratianus¹) potestate, legatos eosdem obsidesque ad Mustapham mittunt, Herculem Martinengum, et Matthaeum Colcium Famagustanum. Quibus obviam progresso cum equitatu Mustaphae filio, magnifice in castra acceptis; pari jure honoreque a Bragadino atque Astore duo Turcae legati in urbem recipiuntur.

347. « Cum iis re actitata, denum in has conditiones facta deditio est. Famagustanis salvæ res, libertasque colendi Christiano ritu Deum maneret. Praesidium omne cum armis rebusque suis, militari more sub signis oppido egredetur, quinque muralia tormenta, quæ duces elegissent, asportandi secum jus esset. Item tres nobiles equos de hostibus captos. Navigia cum triremium praesidio a Turcis præberentur, ad omnes in Cretam tuto transportandos ». Hæc Gratianus² a quibus parum differunt que Maurocenus narrat, si ea excipias, que ille adnotare prætermisit: nimurum quod Epyrotæ quoque et Graeci, cum familiis ac bonis Tureciis navigiis in Cretam perducerentur, ut qui ex Graecis discedere noluissent, iis, vita, fortunæ, filii, conjuges, ab omnibus injuriis immunes, tuto non modo, ut dicit Gratianus, in Christiana religione permanere possent, verum etiam bina illis templo in quibus Graeco ritu statas cærimonias ritusque paternos celebrarent, permitteretur. Praeter ænea quinque tormenta, totum æs campanum asportandi jus pariter factum. Et ut tandem, qui ex Graecis decennio solum non vertissent, ab omni pensione liberi essent. Deditio vero has leges, obsidibus Christianis præsentibus, Mustapham subsignasse, impressaque sigillo firmasse; necnon jurejurando in regis suumque caput, atque Mehemetis Aleoratum iis religiose observandis sese adstrinxisse, idem tradit; verum quo animo id fecerit, paulo post subsequens exitus declaravit.

348. « Mustapham enim (inquit Gratianus) ultimæ necessitatis eam esse ditionem non fallebat. Verum, ne si pacta abnuisset, duplicaretur inde hostibus virtus in desperationem versa, multoque sanguine suorum illam superbiam lueret, conventas cum legatis conditions ratas habuit, dolo ac perfidia, quæ armis nequivisset, supplicia e deditis, morataeque diu victoriae pœnas expediturus.

349. « Postera die tegendæ fraudi cibaria omnis generis dono Christianis in oppidum misit. Et jam militum magna pars impositis sarcinis naves, ad id a Turcis in portum adductas, condescenderat. Bragadinus, ad tradendam urbem egressurus, ad Mustapham præmisit, qui oraret, ut diligenter imperio, milites haberet, ne qua irruptio in oppidum injuriamque oppidanis fieret. Responsum benigne nuntio, tempusque

slatum, quo in castra Bragadinus veniret. Egressus est cum Astore et Thempulo, comitantibus Aloysio atque Hectore Martinengis, ac ferme ducibus aliis, cum eccl admodum militibus sclopetaiis. Mustapha, per speciem honoris, armari copias, frequentesque adesse circa tentorium imperavit. Admissi in tabernaculum, benigne ac latè vultu accepti, considere jubentur. Prima oratio barbari comis percutientis multa super bello, virtutemque et constantiam ducum extollentis fuit, et tum maxime eorum contrectantis laudes, cum in eos crudelitatis et perfidie exemplum editurus esset. Abituri jam erant, cum ille monet Bragadinum, ut Turcas, quos bello captos in oppido custodiaret, mitti juberet. Negante eo, captivorum quicquam esse Famagustæ, barbarus præparata ira incensus exiluit; impudentissimaque calunnia, necatos per induciarum tempus captivos a Christianis, exclamans, comprehendendi vincirique omnes, productosque extra tabernaculum nequicquam fidem paclorum implorantes, frucidari se inspectante, incitanteque suos, ut ferirent jussit.

350. « Unus Bragadinus, non ad spem vite, sed ad exsatiam inumanis animi rabiem turbæ exemptus. Atque eo quidem barbari crudelitatis effebuit, ut occidere semel haud contenta, cogere sæpius mori eum expetisse visa sit. Ter elato ad feriendum gladio priebere cervicem jussus, ter accepte invicto animo morti subtratus est. Sectis inde naribus auribusque indigne fædatum, in vineula tradit. Sequentibus diebus, cum dirutos restitueret muros, effossa terræ ingentes cophinos ferre et quoties spectantem Mustapham præteriret, summittere se ac terram osculo contingere cogebatur. Ad naves inde ductus varie crueciatur: et quo cunctis deformitas illa spectaculo esset, diu in summa antenna religatum, classi ostentavere. In forum inde jussu Mustaphæ abstracto, et pedibus patibulo pecudis in morem, appenso, viventi pellel detraxere. In his suppliciis, non gemitu, non degeneri missa voce, increpans ultiro atque exprobrans ferilatem perfidiamque hostibus, vir, tum vita, tum constantia mortis clarus, invictum spiritum edidit ». Sic Gratianus.

351. Eadem fere, de eximia Bragadensi virtute, in Deumque pietate, in horribili morte, Maurocenus¹ recenset his verbis: « In his acerrimis cruceiatibus, incredibilis viri constantia ac fortitudo extitit; non querelas, non gemitum sævissimus tortor expressit; eximia in Deum pietate, Christi humanigenoris servatoris amore, ejus opem atque auxilium continententer implorabat, confirmabat: ora in ejus tantum nominis frequenti invocatione solvebat, neque spiritum, donec ad umbilicum perveniret, efflavit. Cum eo ventum esset in divinas laudes, ac preces

¹ Ut supra p. 487. — ² Ut supra p. 427.

Ut supra p. 434.

fusus, invictam animam Deo immortali reddidit, humanasque mortalitatis exuvias, æterna ac beata vita commutavit ». Sic ille, qui addit, quod barbarus horribili tormentorum genere exearnificatum ac lacerum fortissimum virum, propriis spectasse oculis non contentus in defunctum quoque sævire vcluit; unde funi, cui vexillum in foro alligabatur, appenso, feris cadaver objecit; cunctem palea infartam, viventis instar, vaccae impositam, per urbis semitas, umbellainludibrium teetam, eireumducivoluit; mox triremis antenna sublatam, Cilicie atque Syriæ littoribus, ferali spectaculo exhibito, Byzantium detulit, ut nullus fere esset locus, in quo crudelitatis ac perfidiæ ipsius impressa vestigia non inspicerentur. Bragadini pelleam, finito bello, Byzantii in armamentaria relata, ejusdem Bragadini fitios, a custode emptam, Venetias abstulisse, domique, pro insigni familiæ decore observasse, Gratianus tradit. In reliquum etiam Christianæ militiae vulgus, impiissimum proditorem desæviisse, cum, contra datam fidem, neceti, remigioque in navibus addi jussit, scriptores referunt.

352. Sie, cum Famagusta a Christianis tota simul Cypria insula amissa; in quo certe luctuoso casu, si rem æqua lance perpendas, nescies, an majorem passa sit Christiana respublica jaeturam, cum ex regione ea, ab impiissimo ac perfido hoste perturbata est, vel potius cum insigni proditione, tam insignes strenuosque defensores, perpetua gloria memorandos, amisit. Mire effulsit inter hos, (uti in aliis, quæ memoravimus hoc anno, contra Tureas facinoribus,) tum sacerdotum invictum opus, tum mulierum robur, minime ideco in Ecclesiastica historia sua laude fraudendus, de quibus agens Maurocenus¹, hæc habet :

353. « Fœminarum quoque, vel ex plebe, vel ex nobilitate, tres aut quatuor manipuli quotidie ad mœnia ventitabant, monacho Græco præeunte, qui cruci Servatoris imaginem manibus gestans, religionem ac pietatem in animis excitabat, atque iis locis, qua verberatio siebat, horæ spatio operi inservientes, aquam, saxa, ligna importabant, neque discedebant, quin vi lapidem in fossam jactu, hostes, utcumque possent, offendherent.

354. « Amathi quoque episcopus, e divi Dominicæ familia, Græcus genere, in Deum pietate ac vitæ sanctitate insignis, assiduis sermonibus cunctos ad pugnam pro religione ac patria intrepide obeundam incendebat; vexilloque crucis munitus, qua atrocious ferrebat prælium, præsens suasor et impulsor aderat, qui mox, dum in propinquæ mœniibus horto orationi vacaret, glande ictus, ex humanis excessit ». Et inferius² :

¹ Ut supra p. 420. — ² Ibid. p. 426.

355. « Religiosi viri arma induiti acerrime dimicavere; fœminæ, pueri, effæti senes, vel arma ministrando, vel lapidum ietu, quo virium imbellicitate, vel ætate uleisci eororum vulnera ac eedes conabantur. Mulieres quoque nonnullæ sexus imbecillitatem virtute supergressæ, arreptis armis, virorum fortitudinem æquavere: inter quas Græcae cujusdam feminæ, præclaræ laus enituit, quæ ubi major hostium erat impetus, dimicans, sagitta humerostrajecta, sanguine exundante, dum eæ, quæ vulnus fovebant territæ, lacrymas effunderent, utque se domum reciperet, adhortarentur, altiori voce, ut a plerisque exaudiretur: Si vos (inquit), adeo vita oblectamini, ite, ut ignavæ solent fœminæ, complorationi vestris in ædibus operam date. Ego vero, quæ vitali hanc auram nihil aestimo, hinc non abseedam neque statuñ derelinquam, ne prius reliquum ex me sanguinis exhauriatur, animamque istam, pro conjugi, pro patria, pro religione effundam. Hæc effata, impavida iterum se certamini immiscait etc. ». Ista Maurocenus¹, ex quibus, aliisque, quæ supra retulimus, manifeste appetat (uti anonymous quidam scripsit adnotavitque): barbarum hostem, utpote mellem et effeminatum, in bello, mulierum, nedium virorum, vi opprimi posse, modo ferrum e manibus discordia non abripiat.

356. Septuaginta quinque diebus Famagustam obsessam, vult Campana². Centum vero et quinquaginta millibus bombardarum emissionibus, per septuaginta dies continenter quassalam fuisse, Foliet³, Thuanus⁴, aliisque referunt; ad octoginta millia hominum periisse, scriptores iidem tradunt, Tarcagnotta⁵, e Turcis sexaginta millia per tormenta bellica occisis; ultra viginti quinque millia morbis enecatos, scribit; ex quibus elicere haud difficile, Turcarum victoriam quavis cæde amariorem iisdem fuisse.

357. Joannis Austriæ diu expectatus adventus; causæ hujus tardioris moræ. — Verum Famagustam, totamque Cypri possessionem, et ad hoc complures urbes Epiri et Dalmatiæ, ut vidimus, amissos, omnemque fere maritimam Venetorum ditionem, incendiis, ruinis, urbium excidiis, ædibus, populationibus deformatam et exinanitam; gloria (inquit Foliet⁶) clarissime navalis victoriæ compensavit. Grandi coacta præda, captiva (ut narrat Gabutius⁷) duxerat Turca amplius quindecim millia Christianorum: ipsamque Venetorum urbem maximus terror incesserat, aliis super aliis nuntijs afferentibus, hostium classem, Creta, Zacyntho Cephaloniaque pervastatis, non cæteris modo insulis

¹ Anonymous ex MSS. cod. Vallecill. — ² Campan. Hist. par. 3. l. 5. p. 110. — ³ Foliet. lib. 2. c. 121. — ⁴ Thuan. l. 49. p. 731. — ⁵ Tarcagnot. part. 3. l. 14. p. 236. — ⁶ Ut supra libr. 2. int. p. 73. — ⁷ Gabut. Vit. Pii I. 5. ca. p. 167.

imminere, sed protinus territabundam¹, Venetias ipsas pervasuram.

358. Columna vero ac Venerius interim in Sicilia, cladi Dalmatiae spectatores, Joannem Austrium expectabant. Illius autem tardiorum adventum, quod, exacto jam fere mense Julio, nondum in Italia transisset. Pius moleste ferens, rem, utilem maturaret, sumnum studium adhibuit; ad eumque sollicitandum in Hispaniarum crebras litteras ac nuntios misit. Imo, sub praeteriti Junii finem, inter alios, Joannem Baptisam Bracellum, utriusque signaturae referendarium ad illum misisse, sequentes litterae ex Regesto Vaticano² exceptae, demonstrant:

« Dilecto filio, nobili viro, Joanni de Austria.

PLIUS PP. V.

« Dilecte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Certiores facti nobilitatis tuae adventum in Italiam jam appropinquare, præmisimus ad eum dedita opera, dilectum hunc filium Joannem Baptisam Bracellum, nostrum et Sedis Apostolicae, utriusque signaturae referendarium, hominem spectatae nobis fidei atque inlegritatis; cui mandavimus ut nobilitatem tuam salutet nostris verbis, benedictionemque impertiatur. Quamvis autem magno nobilitatis tuae vidende atque alloquendæ desiderio teneamur, tamen cognoscentes, omnem in conjungendis confederatorum adversus Turcarum tyrannum classibus, moram Reipublicæ Christianæ periculosissimam esse; libenter privatam nostram laetiam publicæ utilitati anteponimus, nobilitatemque tuam per litteras, perque eumdem Joannem Baptisam salutavisse, ac benedictionem nostram impertivisse, contenti, vehementer in Domino horfamur, ut quam maximam adhibere potest, adhibeat in navigando celeritatem, quo mature, atque in tempore, se cum sua classe, ad nostram Venetorumque classem adjungere possit. Nisi enim ea, quæ huic expeditioni contra Turcas valde necessaria est adhibeatur celeritas; periculum est, ne excuso fere jam æstatis tempore, omnis noster comatus, magno cum Christiani populi delimento ac scandalo, vannus futurus sit. In quam sententiam plura ad nobilitatem tuam scribebemus, nisi persuasum nobis esset, te pro tua eximia in Denm pietate, et erga reipublicam Christianam studio, nullo loco esse religionis causæ, neque communi populorum Christianorum saluti, neque privatum gloriae tuae defuturum. Prædicto autem Jo. Baptiste, super his, quæ illi nostro nomine exponet, nobilitas tua fidem habeat. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die xxix

Junii MDLXXI, Pontificatus nostri anno vi^o.

359. Plura affert Gratianus¹, quibus tardiorum in Italiam Austrii protectionem, pro eujusque ingenio, tributam fuisse, scribit. Alii siquidem insite Hispanis ingenii cunctationi; alii, quod ipsi rem Venetam prolabi cuperent, initaque idcirco parum sincere societati, id dedere: suspicionemque hanc omerasse (idem tradit) quod non navium apparatu attineri in Hispania Austrius intelligeretur; sed quod dumtaxat Hispanico lastu, non nisi multa veste ac divite instrumento, et suo et suorum Hispania egredi, exterisque adire gentes, regium juvenem ipsimet Hispani nollent. Et id quidem ab assuetoto nobilique Hispanorum animo minime extra-neum. Verum potissimas hujus moræ causas, in medium profert Gabutius², qui postquam retulit Joannem Austrium, denum sub kal. Augusti, cum xl. triremium classe Januam devectum, inde Neapolim transmisisse, ex qua urbe Ferdinandum Carillum Plegi Comitem, domus sua præfectum, ad Pontificem legavit, qui quod sibi per tempus facere non licet, sacros illius pedes osculatus, rebusque feliciter gerendis, per eum divinam opem implorans, moræ suæ causas exponeret: « Causæ vero (subjungit) potissimum erant, quod Alvarus Bassanus Marchio S. Crucis, Neapolitanarum triremium præfector, ad Pinnonem Mauritaniae arcem, majore præsidio communiendam, ab rege Philippo missus, Barcinonem cum triremibus, ut illi præscriptum erat, citius redire non potuisset: et Rodulpho Ernestoque Maximiliani Cæsaris filiis, Matriti male valentibus, atque in Italianum cum ipso Austriaeo transire, indeque in Germaniam reverti cogitantibus, præstotari opportuisset ». Haec ipsa de Maximiliani filiis haud silentio Gratianus præterit; licet addat indigne omnes in Italia tulisse, quod tam parvis de rebus, tanta res publica omitte-retur.

360. Carillum igitur benigne Pius audivit, acceptaque tardioris adventus excusatione, ei graviter edixit (ait Gabutius), ut quamprimum ad Joannem reversus, eum suis verbis admoneret, ut quo parente natus esset bene memor, neque sibi neque temporis decesset; sed adversus hostem ire ne cunctarelur, divino fretus auxilio fore, ut gloriosam victoriam reportaret. Quod idem disertis verbis, tum Marco Antonio Columnæ, tum aliis belli dueibus ac militibus, tum denum sacris viris in hanc militiam proficiscentibus, denuntiasse, Gabutius idem est auctor.

361. Jussit interea Antonio cardinali Granvellano (qui, ut pluries supra innuimus, nuper mortuo Parafranio Riberio Neapolitano pro-

¹ Gratian. I. 3. p. 190. — ² Gabut. Vit. P. I. 5, c. p. 161.

Gratian. de Bell. Cypr. t. IV, p. 19. — ² Gabut. Vit. P. I. 5, c. p. 161.

regi, in ejusdem urbis ac regni procuratione successerat) Pontifex, ut Joanni Austrio, ab eodem honorifice accepto, sceptrum vexillumque a se missum tribueret. Quod quidem sollemni pompa curatum est, in Ede S. Claræ, de ipsius cardinalis manibus, inter Missarum solemnia, singulari religione ac cæremonia, dati a Pio honoris insignia Austrio suscipiente. In vexillo autem Iesu Christi affixi Crucis imago, mire auro et argento adumbrata conspiciebatur; sub qua locata, in medio Pontificis Maximi, a dextera Philippi regis, e lœva senatus Veneti, atque ex iis, quibusdam annexa cænulis, ipsius Joannis pendebant insignia.

362. Eidem cardinali Granvellano, utpote proregi Neapolitano, ante haec præceperat præterea Pius, ut quæque Pontificiæ sue classi necessaria essent, e regno eodem extrahere permetteret, sequenti ad eum data Epistola¹:

« Dilecto filio, cardinali Granvellano nuncupato, etc.

PIUS PP. V.

« Dilecte fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Quoniam instituendæ nostræ classis gratia rerum necessariarum apparatus, dilectus filius Dominicus Grimaldus, ejusdem classis commissarius a nobis deputatus, indigebit interdum auctoritate atque auxilio circumspectio- nis tuæ, ut scilicet ab ea licentiam facultatemque obtineat, qua commeatus ac munitiones, cæterasque res triremium usui necessarias comparare possit. Ideo circumspectiōnem tuam vehementer in Domino hortamur ac requirimus, ut illi quotiescumque opus fuerit, et eam nostro nomine requisierit, auxilium favoremque suum præstare velit, provideatque etiam, pro sua æquitate, ne ab his, qui portoria ac vesticalia exigunt, ei molestia exhibeatur. Nam, præterquam quod hoc tuum officium communem adversus Turcas expeditionem valde adjuvabit, erit præterea hoc tempore nobis gratissimum. Quo quidem officio sic tamen tecum fungimur, ut meminerimus etiam tibi a nobis agendas esse gratias, pro ea devotione, quam hueusque, pro omnibus nostris et hujus Sanctæ Apostolicæ Sedis indigentiis, erga nos eamdemque Sudem, ostendisti. Ituic autem ipsi officio, quamvis pro comperto habemus, circumspectiōnem tuam, pro sua erga nos sanctamque hanc Sudem Apostolicam devotione, et erga rem publicam Christianam studio, etiam sine nostra hortatione non fuisse defutram: tamen paternis nostris vocibus admonitam, aliquanto id alaerius promptioreque animo facturam esse judicavimus. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die vi Julii MDCXXI. Pontificatus nostri anno vi ».

xxix Junii MDCXXI, Pontificat. nostr. ann. vi ».

363. Ipsius Pontificiæ classis causa, non-nihil Pium inter et Granvellanum, nihilominus intercessisse, ob Pompeium Columram, quem suum locumtenentem M. Antonius item Columna elegerat, eo quod Granvellanus fungi illum eo munere nollet, Epistolæ docent a Pontifice ipso ad Joannem Austrium scriptæ, ac per tabellarium missæ, priusquam ille ex Hispaniæ littoribus solvisset, quæ ejusmodi fuere¹:

« Dilecto filio, nobili viro, Joanni de Austria.

PIUS PP. V.

« Dilecte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Cum nostra et communis expeditionis adversus Turcas susceptæ magni intersit, dilectum filium Pompeium Columnam, quem M. Antonius Columna, nostrum et sanctæ Sedis Apostolicæ locumtenentem sibi de legit, præsentem operam suam illi navare posse; cumque a cardinali Granvellano, Neapolitani regni proroge, ne id faciat, ob eam fortasse causam impediatur, quia existimet serenissimum regem Catholicum. illius opera uti velle: has ad nobilitatem tuam, litteras confestim dare voluimus, propter tabellarium dedita opera ad eam missum, quibus illam vehementer in Domino hortamur ac requirimus, prædicto Pompeio mandet, ut sine mora ulla, se quamprimum ad prædictum M. Antonium nostramque classem conferat, et in ea locumtenentis munus atque officium, a generali nostro sibi commissum exerceat. Hoc enim, non solum nobis, atque huic sanctæ Sedi Apostolicæ, sed etiam serenissimo regi Catholicæ utile futurum est; qui ejus hominis, nobilitate atque militari virtute præstantis, et M. S. deditissimi, fidelissimo semper obsequio usus est. Sed, et nobis, qui hoc eisdem et aliis præterea, justis de causis valde desideravimus, erit gratissimum. Cui quidem desiderio nostro persuasissimum habemus nobilitatem tuam satisfacturam esse, pro sua erga nos et sanctam hanc Sudem Apostolicam observantia. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die vii Julii MDCXXI. Pontificatus nostri anno vi ».

364. Austrius Messanam appellat, et a ducibus cum magna lætitia excipitur. — Pii voluntati petitionique statim ab Austrio satisfactum proculdubio; neque in hoc dumtaxat, sed in cæleris quoque, adeo Pontificis ejusdem dictis obediens fuit, ut eum die nona Augusti Neapolim appulerit, ac die decima quarta vexillum a Granvellani manu, ut dictum est, aeeperit; die vigesima ejusdem mensis, ea civitate relieta,

¹ Ex MSS. Cod. Vat.

¹ MSS. Cod. Vat. ut sup.

Messanam perrexerit; ut Thomas Costus¹ scribit.

363. A. Marco Antonio Columna, et Sebastiano Venerio, Venetie classis praefecto, atque aliis ducibus et militibus, longo desiderio expectatus, in Messanae portu Joannes summo honore ac alacritate susceptus est. Nulla autem res, inquit Folieta², ex multorum saeculorum memoria ac tota Europa conspectior fuit, quaeque majore admiratione intuentum animos defigeret. Nam praeter bellatorum copiam, ac non exiguum oneriarum numerum, quas Philippus conculcit, ac galeatas sex Venetas, quae instar arcium, inter ceteras eminebant; tot triremes unum in locum congregatè conspiciebantur, omni bellico apparatu, omnique navalì instrumento ingentique vi tormentorum immanis pretii, ad hoc, sociis, nauticis et remigio refertæ. Sed nihil (sequitur ipse confirmatque Gabutius) spectaculum aequè adornabat, ac magna procerum atque hominum multitudo, fortuna et genere præstantium, quos ardor animi, Pio cohortante, ut pios Ecclesiæ filios decebat, ac fama splendidae militiae, divinusque instinctus in eam urbem contraxerat, ad voluntariam operam religioni et reipublicæ navandam, quod præclaræ virtutis documenta, quæ in ea Christiani orbis luce edituri essent, obscura nou fore sperarent. Eodem siquidem fere tempore, quo Austrius, nempe kal. Septembr., inquit Gabutius, Marcus Quirinus et Antonius Canalis, Venetæ classis legati, qui Famagustanis, ut innuimus, opem ferre debebant, ex Creta senalus Veneti jussu revocali, cum LX triremibus, citato cursu, etiam Messanam appulere; adfuere etiam Alvarus Bassanus Neapoli; et Panormo Joannes Cardona Sicularum triremium praefectus; et Joannes Andreas Auria, cum triremibus undecim et novem onerariis navibus, quibus duo millia militum imposita erant, sub Sigismundo Gonzaga, et tria Germanorum millia sub Alberico Lodronio, Genua profectus. Et nonnullos enumerans Gabutius ipse, qui ex omni fere Italia, Gallia, Hispania Germaniaque convenerant, præter memoratos duces: In iis (inquit) eminebant Alexander Farnesius Parmae princeps, Franciscus Maria Ruverens Urbini ducis filius; ambo summæ spei adolescentes. Prosper Columna, Pompeii, quem paulo ante memoravimus Zagaroli ducis frater; Paulus Jordanes Ursinus, Bracebiani dux; Antonius Carafa dux Montis-Draconis, Pompeius Lanoia Sulmonæ principis frater: Vincentius Cybo, Marchio Carrariae: Ludovicus Requesentius, Major Castellæ Praeceptor; Sforlia comes S. Floræ et Paulus ejus frater, Vincentius Tutavilla Sarni

comes; Andreas Provana Linii Comes; Bernardinus Cardenas; Ascanius Corneus castrorum magister; Octavius Gonzaga, Franciscus Ibarra; Horatius et Virginius Ursini, et alii quamplurimi veterani duces ac milites, quos, prout restulerit, suis locis commemorabimus.

364. Inter hos etiam fuisse Michaelum Bonnellum, sororis Pontificis nepotem, adolescentiam nondum egressum, qui egregiam nobilium manum secum duxit (quod silentio præterivit Gabutius) Folieta adnotavit.

365. Post multas procerum altercationes, decernitur, Pio præsertim hortante, prælum hanc diutius differendum. — Interea ab Egydio Andrada, Hierosolymitani Ordinis egregio milite, e Coreyra (quo ad res hostiles explorandas cum duabus triremibus, Hispania altera, altera Veneta ab Austria missus fuerat) reverso, munitiatur sibi, a nonnullis (quos in adversa Coreyra parte, que Italiam respicit, in terram exposuerat, et eo usque processerant, unde in circumiecta maria late prospectus esset) delatum, se classem Turcicam contemplatos; verum numerum ejus, utpote ex longinquio, inire non potuisse; retulisse tamen sibi Graecorum nonnullos, qui classem eamdem ex propinquo recensere potuerant, ex trecentis longis navibus constare, quarum ad centum nonaginta triremes fuissent; reliqua minoris formæ, ac variis generis et modi, diversorumque nominum navigia extitissent. Quanquam (inquit Gabutius) longe major numerus esset, quippe triremes cxxv, biremes xxxv, præter alias plurimas minores naves, Turcicam classem habere, postea cognitum sit.

366. Turcas præterea, post Uleinum in Epiro, atque Antivarim, et Buduam in Dalmatia captas, ut dictum est, urbes, cum animis esset copias Cataro admovere, eamque jam urbem petiissent: auditio Austriae Neapolim adventu, eo consilio omissa, illico discessisse ac sua repelere perrexisse; et in itinere descensione ad Coreyram facta, magnis cladibus eam insulam vastasse, nulla tamen acta hominum præda, qui omnes in urbem confligerant: hinc insulam, nonnullis ex suis amissis, reliquisse, atque inde se Brutotum transtulisse.

367. His ab Austria aliisque auditis, de ratione gerendi belli agi cœptum est; diuque consultationem tenuisse, multumque temporis rebus gerendis exemisse, qui longo dictamine præfectorum classis concertationes super hac re prosequitur, Folieta asserit. Breviori stylo rem complexus Gratianus¹, scribit alacre promptumque ad res gerendas studium, et parande gloriae cupidinem Austria ostentare conatum esse. At in privato ejus consilio, cui præter Auriam, atque Hispanos, Landrianus

¹ Thom. Cost. Hist. Neapol., lib. 20, p. 38 et seq. — ² Folieta de sac. fæd., lib. 3, p. 438.

¹ Gratian. ut sup. p. 139.

Siciliæ præses, Sfortia Sanctæ-Floræ Comes, Ascanius Corneus, et Glabrio Serbellonus adhibebantur, longe alia sententia rem agitatam; cum Requesensius, penes quem summa rerum omnium auctoritas erat, tuta disserens, fortia ac decora consilia, atque omnem pugnae mentionem respueret, neque eamdem Venetorum ac regis rationem esse ostenderet; quod illis ab imminenti periculo, ac desperata pace, qua nulla tolerabili conditione a superbis Barbaris impetrare quivissent, ex metu audacia esset, atque ultima spes desperatione tentari. Regi vero procul a tali periculo et necessitate res, cui victoriae instar esset, conservata classis, Austriumque monuisse se prius Philippi fratris, quam fœderatorum imperatorem esse meminisset. Adversus hæc vero (addit Gratianus idem) cum Itali duces tendere non auderent, quod que Requesensius diceret, perinde accipiebantur, ac si regis ore missa essent, quod arcanis Philippi mandatis unus maxime instructus putaretur: id modo illos disseruisse scribit, cayendum esse, ne Veneti, desperata sociorum ope, pacem, vel servituti junctam, ab hoste acciperent; Piusque, quod futurum apparebat, a rege penitus abalienaretur.

370. Et revera res Pontificem minime lauit, qui, ut malo occurreret, statim Jo. Paulum Odescalcum Pinneum episcopum (cujus alibi meminimus) Messanam misit, qui Austriaco cæterisque omnibus ediceret, pugnam non modo, si ferret occasio, non detrectandam, sed etiam quamprimum exquirendam, ac fortiter ineundam. Placeat hic ea referre, quæ alibi memoratus *Anonymous*¹ in Ms. nostræ Vallianæ Bibliothecæ adnotata reliquit:

« Per eos dies pervenerat Messanam Paulus Odescalceus, a Pontifice illuc missus, ut Austriacum ad prælium inflammaret; et quanquam non multis opus esset cum eo, qui sponte sua maxime in hanc partem inclinabat, ille tamen non destitit ab officio, Austriacum convenit, coram Pii mandata retulit; hortatus est hominem ad pugnae maturitatem. Ad extremum, ut id facilius efficeret, polliceri Pontificis nomine certissimam victoriam; affirmare hujus signa ostensa e cælo: denique vaticinationi addere promissa, et divinis adjungere humana, quæ apud homines magnam vim habent. Pontificis esse in animo, primum ex his regnis, quæ Turcarum imperio subtraherentur, illi, victoriæ merito, dare.

371. « Hic sane nuntius sicut in Austriaco pristinam alacritatem auxit; ita in multis, quibus ille suspicabatur, non parum imminuit. Nee defuere, qui postmodum dicenter, dissoleta idecirco post navale prælium fœderis vincula, metu, ne ea res Austriaco vires opesque

plus æquo pararet, ejusque potius victoria quam reliquorum esset; quanquam ea tunc suspicio, timore majoris et impendentis mali, si non penitus oppressa, certe ad tempus composita est. Quare, ut tanti facinoris consilia decoquerentur domi, antequam prodirent foris, consultationem adhiberi placuit ea super re, quæ omnium maxima erat. Ergo ad se advocari jussit imperator strenuissimos quosque, atque primarios clarissimos, tum ne properare plus æquo videretur, tum etiam, ut ea consiliorum communione, aretius sibi ac inter se capita exercitus devinciret. Ut duces concedere, idem qui senatus ac helli princeps habebatur, rogavit unumquemque de prælio, vel committendo, vel deliberando, quanquam ipse proniore in alteram partem esset animo, bellumque concludi averet, idque, nec vultu, nec oratione occultabat contra quam fieri ab aliis deceat, qui suffragium in re dubia flagitant; nam rogatorum plerique, ut principis ab nullu pendent, afferuntque non tam quod sentiunt, quam quod sentire privatæ utilitates persuadent; ita ad eum non audendo fidem abrogare, satis tutum non esse putant. Non tamen nactus Austriacus huiusmodi sententiaram venditores, propterea singuli, qui sedebant pares ipsi imperio erant, alioquin etiam in eadem alea imperii afferebant varii varia, prout euque animus et ratio suggerebat. Sed insignis fuit Ascanii Corniensis oratio, viri, et sanguine, et re potissimum bellica perillustris, cui quantum ab omnibus haberetur fidei probavit exitus. Persuasurus igitur non esse committendum, ita dicere orsus est.

372. « Utinam, viri principes, ad eum locum devenissemus, ut obeundi certaminis causæ ipsæ se proderent, pugnaque nos haud dubie invitaret! sperarem fore, ut calamitatem terra marique latius serpentem, intercipere aliquando atque opprimere possemus. Nunc autem, cum Mars minime anceps videatur, alio deferre victoriam, nolite per Deum immortalem ipsi vos antevertere, eamque per se salis adversam, cum certis importune præliis urgere maturius. Dicam libere quod sentio, quod apud eos dico, quibus veritas (contra quod usu venit) amicos parit, et quanquam videam, ac me sententia, adversus famam, rumoresque hominum imperitorum minime restituturum, cautiisque nimium, et fortasse etiam timidi nomen subitum; scio tamen a veritate..... interdum laborare, extingui nunquam. Et vero, sicut Othomanis animi magnitudine excellimus; ita reliquis belli præsidiis, si minus præstaremus, certe, aut pares, aut non longe inferiores haberemur. Primum ergo in hostes ire, hortator pugnae, moræ castigator, et inerritum querelarum. Sed ut video, quæ vobis animum addere possent, omnia delhortantur;

¹ MSS. Cod. Vallisel.

dissuadent Othomanicae vires, quas et militum copia, et trirementum numero, nostris multo superiores esse, quotidie, ut scitis, indicia deferunt; dissuadet hostium animus, et suapte natura et victoriae ingenio audacissimus; dissuadet pugnae locus accommodatus hosti, qui iis maribus magna ex parte occupatis, domi suae pugnaturus est, ac visurus omnia circa civibus ac sociis suis, plena armorum, com-meatuum, virorum copia adjuvantium; nos in aliena sede pugnare inituros, longe a domo, longe a praesidiis, minoribus in praesens viribus, exigua spe in futurum, pectore uniuscujusque nostrum excepto, praeterea non conferendos. Inter omnia infesta maris pariter ac rerum angustiae accipient. Convertite, si placet, oculos ad eas regiones, quarum in sinu confidentiam collocatis; quid vobis animorum ferre possunt? Urbes incensaæ ac prostrata oppidorum cadavera, quorum ex incendiis nostros paene oculos fumus invadit, et clamor consternatorum civium aures ferit: mox etiam hostium gladiis feriendos. Quid vero esset (quod in Barbaros potius omen convertat Deus) sed quid tandem esset, sicut saepe accidit, si classis hæc nostra, qua spes ac vota omnium ipsamque incolumitatem Europeæ deferimus, fracta demum, fugataque turpiter, aut etiam capta, in hostium manus adveniret? An existimatis hunc nimbum et procellam citius transituram, quam ad Italianam victoriae tempestas detulerit, magnoque cruxis imbre omnia fœdaverit? Horror animum subit, duces, quoties recordor, ferales hostes, quibuscum agimus, mores; videoque obvios immanitati barbaræ nosmet ac nostra magnis nos ipsos animis dare. Quid enim aliud Selymus imperator, quid hostes hodieque cupiunt, nisi prælium, in quod fata nos adversa præcipitant? Aut ego rei militaris ignarus sum plane et tyro, aut aliquem propono locum nostris cladibus illustriorem, velis remisque miseri queramus. Cur hic potius non aliquantis per subsistimus, donec prudentiores nos ac fortiores tempus diesque faciat? Temeritas impetu bono, consilia bona convalescant. Quod si tum obstinato adhuc animo pugnare statuitis, sequar ego quidem præeentes per tela ac mortem, nec arma abjiecam, nisi cum vita. Sed eum testor, qui rei exitum videt: testor fœderatorum principum, atque vestram quotquot adestit fidem, si quid nobis adversi acciderit, vatem me antea fuisse, ac malum alio declinare conatum esse. Quare sic sentio, rejecto in aliud tempus prælio per eas aras tamdiu pugnandum, quamdiu hostis, nostræ classis accessu, suspensus, incœptam Dalmatiae populationem omittat, eoque artificio felices Othomanicos processus, metu potius quam armis retardandos».

373. *Enim vero movit hic sermo audien-*

tium animos, consequaque deinde admiratio-
natio, quantum ille persuaserit, argumento
fuit; non tamen idecirco Austriaeus rogare
destitit, ut optima quæ esset sententia pluri-
morum conspiratione ratam faceret. At Marcus
Antonius Columna, quippe qui Pontificis jussu,
non pugnatus modo general, sed auctor sua-
sorque ut ab omnibus pugnaretur, quod vide-
ret senatum ad opinionem Corniensis inclini-
nare, commoto nonnihil animo, ita incœpit:

« Ut poteramus, duces, ante incendia cœ-
desque nostrorum deliberabundi sedere diu-
tius, atque Othomanicis incendendo vastan-
doque omnia concursantibus, tamquam in
theatro suspensos afferre animos ac studia in
diversa distrahere. Victor est Othomanicus, sed
amissis suorum non paucis, sed multis sau-
ciatis, sed omnibus defessis, est victor; ut ipsa
quæ audaciam parit victoria, vires ademerit,
ac nocturno sit futura pugnanti. An vero
cunctari volumus, donec inimica classis refici
per otium queat, neque ante hinc movere,
quam illa Italiani coperit? Sedeimus domi
muliebri ritu, neque animadvertemus, ex hac
cessatione brevi multiplex bellum reditorum,
sicut ab toties victore hoste vinei aliquando
desiisse. Quantum ferme virium potentiaque
habet Europa, id totum in armis est, nobisque
ducibus se in classe subjicit. Hanc ergo tam
validam gentium conspirationem, non modo
parem Barbarorum animis existimo, sed longe
majorem etiam, nisi nobis ipsi deerimus: su-
periorem acedia belli eam, in cuius æquitate,
non minus quam in armis reponendum est
spei. An divinæ opis argumenta obscura sunt?
Pio Pontifice divinæ mentis interprete utimur,
dictisque sanctissimis et gravissimis nimirum,
qui, ut auctor fuit hortatorque belli, et certissimæ sponsor victoriae, ita in hanc causam,
quam suam agnoscit, non minus apud Deum
precibus, quam nos vi armisque pugnabit.
Hæc una spes, si cætera omnia deessent, hor-
tatur satis. Quare ita existimo quamprimum
arma capessenda, hostemque præteritis præliis
defatigatum exhaustumque celeriter opprimen-
dum».

374. Sic ibi, ubi etiam refertur Columnæ orationem, pro dicentis auctoritate ac facundia secundissimis quidem auribus exceptam: sed nihilominus magis Corniensis sententiam pla-
cuisse; statutumque idecirco, ut Christiana
classis per vicina maria exurrens Dalmatiae
clades impediret, navale vero cum hoste præ-
lium devitaret. Quæ quidem his congruere
videntur, quæ Gratianus scribit; nempe post
longas inter duces concertationes, Hispanorum
præcipue studio eo itum, ut in Graeciam pro-
grederentur, speciemque belli ostentantes tem-
pus tererent, donec reducendæ classes in hi-
berna essent.

373. At tum Austrum, tum Corniensem, ab his, quae Gratianus scribit, ac in allato Ms. Cod. afferuntur, vindicat Gabutius, dum eorum alterum non fiele, sed ex animo, rei gerendae cupidum ostendit; alterum vero, non modo a consilio praeliandi deterrere studuisse non dicit, verum ad idem committendum potius horlatum esse demonstrat: licet in eo cum Folieta aliisque conveniat, quod Hispani a fortuna tentandæ pugnae aperte abhorrent. En ejus verba, quibus rem diligentissime exorsus, ab oratione Jo. Pauli Odescalchi ad Joannem Austrium ita prosequitur:

« Deum ducem sequeretur, magna et prospera omnia speraret, ac memor se Carolo V patre natum, bellum ita gereret, ut si domesticas laudes exsuperare non posset, eas pro viribus æquaret. A Carolo parente ei quidem vitam traditam, sed regnum nullum relictum esse. A Pio cuncta, quæ ad dignitatem et ad commodum pertinenter, in eum profectura; eundem, qui nomen et charitatem parentis sibi sumeret, id effecturum, ut opportune, et bene cunctatam gratiam referret; id tantummodo ab eo postulari, ut se regno dignum ostenderet. Magnam Deo gratiam habendam, quod ei campum aperuisset, in quo excurrere ejus virtus cognoscique posset. Ceterum divinam open sibi esse piis precibus implorandam, eamque affuturam, si militum animos ab effusa timentia ad sanctiora instituta revocaret; militaremque disciplinam tota classe ad Christianæ pietatis formam componeret. Mixtos ex perdita et infima hominum fœce sicarios, exules, latrones, oberatos, ad nomina danda confluere: itaque purgaret ipse exercitum missiōnibus flagitiosorum; in primis vero detestabiles et maxime Deo invisas blasphemias interdiceret, infames ludorum labes et desidiam, maximas peccandi illecebras, arceret; socios ac milites prohiberet injuria; denique prius adversus peccata, quibus ira coelestes provocantur, et acuuntur hostium tela, quam adversus hostes ipsos, bellum sibi gerendum putaret. Ille si fecisset, non solum milites obedientiores habiturum, sed victoriam quoque hand dubiam brevi relaturum.

« Ille et id genus alia Pontificis monita, tantæ fuere apud Austriacum auctoritatis ac fidei, ut has ille voces, velut oraculo editas, in pectus animumque demitteret, ac rei bene gerendæ majorem in spem ingredieretur. Non ignorare se dicebat, hac de se concitata expectatione, magnum sibi onus imponi; sed quantum in se esset, enisurum, ut quæ sanctus Pontifex præcepisset, summo studio ac pie late præstaret.

« Itaque denuo advocato concilio, cui Pontificius internuntius belli duces, et alii principes viri, veteranique præcipue interfuerere, suam

singuli sententiam rogati, eamque scripto edere jussi, hostium vires diligentius explorandas prius esse, quam ultimum periculum subvenundum nonnulli consulebant. In iis Ludovicus Requesensius, magnæ vir prudentiae et auctoritatis, qui juveni Austriaco legatus et consiliorum moderator datus erat, que ferro decernerentur, summo consilio administranda esse, præcavebat errori, quo, temere conserlo prælio, summa rerum periclitarentur, haud facile remedium reperiri. Scipionem illum Africanum, scite quondam admonuisse, non, nisi magna opportunitate, aut urgente necessitate, cum hoste contingendum. Importunum videri pugnam querere, cum hostis intra sinum Corinthiacum se recepisset (id enim tenebat fama) neque ulla facultas eum inde eliciendi præberetur.

« At enim Austriaco, M. Antonio Columnæ, Sebastiano Venerio, Augustino Barbadico, summis belli ducibus, Alexandro Farnesio, Gabrieli Sorbellono, Ascanio Corneo, atque aliis plenisque magnis viris, militarique virtute præcelentibus, longe alia mens erat, et quamprimum fieri posset, rem prælio decernendam esse, firmis rationibus demonstrabant; nec committendum ut consilium, quod animorum magnitudo gloriosum ac fortunatum facere posset, pugnae detrectatio fœdum atque irritum redderet. Ergo jacturam apparatus tanto sumptu ac labore facti, vastationem finium, hostium insolentiam, nostra, inquit, augebit ignavia? inulti nos Turcæ toties lacescent? ostentabimus semper hosti, neque unquam inferemus arma? repellimus bellum, non inferimus. Tanto igitur promptius alacriusque prælium ineundum est, quanto necessitas major arcentis periculum, quam inferentis esse debet. Neque vero dubium est, quin hostis ingenita superbia ac victoriis elatus, occurrentibus nobis, classem sit educturus, ac pugnae copiam facturus. At si nulla alia ratio, dignitas ipsa nos ad prælium impellat. An mediocre disserimen existimationis non subiluros putatis, si inani apparatu contenti, ne levi quidem tentata pugna, ac ne viso quidem hoste, cum summa nostra Christianique nominis ignominia, dominum redeamus? Hostes tacitam hanc, sibique optabilem cedentium deliberationem, pro expressa victoria laeti jactabunt. Foederati principes, et alii qui animos et vires in hanc belli curam intenderant, se sua spe frustratos, ac nequicquam tot impensis ac laboribus fatigatos, jure conquerentur. Populi se injuria, tribulis exhaustos, condolebunt. In proximum annum major validiorque hostium classis nobis imminebit, quæ majus nobis belli negotium facessat, omniaque prosternat. Nos vero classem, aut majorem aut validiorem nunquam comparabimus; quid igitur cunctamur, aut cur non, Deo duce,

eiusque in terris vicario Pio Pontifice, fausta ac prospera omnia divino instinctu pollicente, summisque votis ac viribus, una cum sociis principibus in id conspirante, hoc prælium inimus, quod non modo utile, sed etiam valde necessarium videatur?»

376. Haec, et alia, una cum iis, quos memoravimus summis ducibus ab Austria atque Corneo prolatâ seribit Gabutius, que quoniam, ut innumimus, minime cum illis convenient, quæ Gratianus significare voluisse videtur; neque cum aliis, que ex MSS. Codd. attulimus; aut dicendum erit eorum alterum vera non scripsisse, vel potius (cum plures Austrici, ducum consilio coacto, de sententia rogaverit,) primum quidem Austrium ac Corneum a consilio præliandi abhorruisse, deinde quod in illud descenderint; cui minime adversari cognoscitur, quod cœleri commoliebantur Hispani, nimirum, quod in Graeciam Christiana classis progredetur, ut speciem belli tantummodo ostentaret, quod animo aversabantur: nam quæ Hispanorum aliquibus mens esse potuit, non ideo Austria etiam fuit; vel si primum fuit, non ideo, ex eo, quod semel fuit, educi potest, quod semper fuerit.

377. Quidquid sit, quam diximus, Christianæ classis expeditio, communi omnium decreto statuta fuit; complures enim rei militaris atio qui scientissimos, et auctoritate graves, rerum causis et rationibus omissis, nra Pii auctoritate contentos, prælium haud differendum suassisse, scribit Gabutius; additque cunctis in hanc sententiam descendantibus, spem tantam, lætitiamque animos incessisse, ut quidquid intercederet temporis, id victoriam e manibus eripere videretur.

378. *Christianæ classis Christianæ accingitur ad pugnam.* — Statim itaque, indicto tridui jejunio, supplicationes decernuntur, quæ in natalem diem festum Deiparæ inciderunt; omnesque, per sacram Confessionem elulis peccatorum maculis, cœlesti pane se communiant, naeti amplissima Apostolicæ indulgentiae præmia, quibus Pius ornabat eos, qui rite expiati, nomen in hanc expeditionem darent. Hinc non pauci inter se discordes, condonatis injuriis, ex inimicis amicos factos, memoratus scriptor tradit, et ad communem rem bene administrandam conspirantes voluntates, præse tulisse. Miram fuisse, pro cuiusque ingenio, toto exercitu, et publice et privatim religionem. Cumque Pontificis judicio, ex Religiosis Ordinibus, Cappuccinorum videlicet et Societatis Jesu sodalitatibus (ut scribit Guarnerius¹) delecti, et in hanc militiam dati sacerdotes fuisserunt, hi piis cohortationibus, alque aliis charitatis officiis obeundis, omnes in Christiana

disciplina continuere. Ita ut alios videres, ex praescriptis libellis, aliis ex calendaris in coronam insertis, sacras ad Deum ejusque Genitricem preces fundere, opemque divinam supplices implorare. Omnes praecularibus granis, et cereis Agni Dei imaginibus, quarum ingenitem vim Pius miserat, et singulis singulos milites donari jusserrat, tamquam firmissimis tegumentis gavisi sunt, pro certo habentes, si quis gravior casus accidisset, se in celestes sedes excessuros. Qui autem se tota mente pietati haud dedere, ii inter inertissimos habiti sunt. Ea demum (inquit Gabutius²), fuit apud omnes Pii Pontificis auctoritas et exemplum, ut otiosum, aut lido intentum, toto exercitu neminem videres; neque qui Deum sanctosque maledictis incessisset, haud impune tullit; ideoque duo apud Austriaeum ejus criminis delati, taquo suspensi penas dedere; quod quidem magnum classi universæ terrorrem injecisse, idem scribit.

379. Neque hoc ipso ferme tempore sibi defuerat, licet longe constitutus Pontifex, ut Christianæ classi divinam opem impioraret; ad quod adstruendum, totidem verbis ac exaratum reperimus, ejusdem orationem referre sufficiat, quam sub die vigesima septima Augusti in toties memorato cardinalis S. Severinæ Diario² in Consistorio, ad cardinales habuisse invenimus:

« Claudio Consistorio, Sanctitas sua dixit in hunc sensum: Calamitates horum temporum, non est opus commemorare, cum undique Dei Ecclesia tribulationes sustineat, et præserit a communi hoste Turcarum tyrammo, cumque vos seitis, charissimus in Christo filius Philippus Hispaniarum rex miserit Joannem de Austria ductorem classis generalem, pro federe inito, inter ipsum et dominium Venetorum; et eum tanta nobilitas Hispana comitetur ad hoc sanctum bellum, et plurimi etiam nobiles Veneti accesserunt ad eamdem classem dimicaturi contra hostes tidei immanissimos Tureas, hie nullam fecit mentionem de aliis principibus, et nobilibus Italæ viris, qui idem egregie præstiterunt), exposituri eorum corpora et objecturi caput, pro salute Christianitatis et omnium nostrum: non est æquum, ut nos quiescamus et oscitemur in tot tantisque discriminibus. Si enim ipsi laborant et fatigantur in itineribus et navigationibus, cur non et nos laboremus et fatigemus? Si ipsi vigilant, cur non et nos vigilamus et orationibus attendamus instantius? Si ipsi in classe, et famem et siti sustinent, cur non et nos jejunemus? Si ipsi exponunt sua corpora pro nobis, cur non et nos non exponamus orationes et eleemosynas pro nobis et ipsis? Et nos quidem, tanto magis

¹ Guarner. de Bell. Cypr., lib. 2, p. 616.

² Diar. orig. card. S. Sev. er.

hoc facere opportet, quia Deus posuit nos, ut mediatores et sequestros inter se et populum, et inter justitiam et peccatores, ut etiam dixit saera Scriptura de Moyse. Nos enim, cum simus sacerdotes, et populo Dei præpositi ad intercedendum pro eo, et ad offerendum pro eo, sumus sequestri, mediatores et propitiatores, ad placandam iram Dei, ad reconciliandam gratiam cum peccatoribus, ad promerendam veniam scelerum nostrorum, quibus illam ad iracundiam provocavimus. Proinde, durante ista necessitate nostræ Christianæ classis navigationis, in hoc tempore ad debellandos hostes fidei nostræ, vel ad illorum furori occurrendum, humiliemur in conspectu Dei, et pœnitentiam agamus de peccatis nostris, recurrentes ad thronum gracie et misericordiae ejus, ut ipse sit propitus populo suo, et nobis; nam certum est multis sacrarum Scripturarum exemplis, divinam Majestatem, peccatis populorum offensam, pœnitentia placatam esse. Quæ ut faciamus attenius et diligentius, unusquisque vestrum in primis id curet et agat, ut ad idem suam horletur familiam, et ex corde recurratis ad Deum, orantes et alia bona opera facientes, præsertim mane, cum vestri cappellani sunt celebraturi, vocata et præsenle familia, devote recitent eum precibus consuetis, et aliis orationibus, pro Ecclesia Dei, et pro navigantibus nostris propugnatoribus contra Turcas et infideles, ut videbitur. Deinde etiam jejundum est aliquo die; unde indicatis familiis vestris unum diem jejunii in unaquaque hebdomada, ac propterea etiam attendatis aliis pietatis operibus; eleemosynas quoque aliquas egenis et pauperibus, præter consuetas erogate, ut oratio sit comitata jejunio et eleemosyna. Sic et erit accepta in conspectu Altissimi, qui dignetur nobis suam misericordiam impertiri, et opem in tantis necessitatibus præstare ». Hucusque Pii oratio; addit statim Diarium:

380. « At cum ad seniores DD. cardinales esset conversus, quasi audilurus eorum sententiam, dominus cardinalis Augustanus respondit: Cum monita, et hortationes Sanctitatis Vestrae sint sancta, et salutaria, et pro Reipublicæ Christianæ beneficio alique salule, ego et DD. mei cardinales illa libenter suscipimus, et erimus obedientes, et parati facere quæcumque Sanctitas Vestra mandat.

« Sic, et cœleri omnes, delecto capite, nulanles præ se tulerunt idem sentire, et idem implere se paratos ». Sic ibi.

381. Internuntio igitur Odescalcho, Pontificia auctoritate¹, classi Christianæ bene precanti, ingenti multitudine lœlis ac faustis clamoribus abeuntes prosequente: (confluxerant enim pene innumeri ad spectaculum Messanam tola-

insula, vicinisque Italiæ littoribus, ut narrat Gratianus², enī nunquam antea Christiani tantam classem adversus Barbaros eduxisse memorarentur,) e portu solverunt. Non prius, quam septimo kal. Octobr. id accidisse, seribit Foliet³. Quinque decim kal. Octobr. e contra Andreas Maurocenus⁴ id factum asserit. At Gratianus⁵, Gabutius⁶, Catena⁷, aliquique, decimo sexto kal. ejusdem mensis, hoc evenisse narrant. Qui quidem Catena etiam seribit, præfatum Odescalchum summo studio, una cum iis, quos memoravimus religiosis sacerdotibus, omnes explorasse, qui classem conseruerant, ne forte inter eos, vel mulier, vel puer, qui militum aliorumque castilatam labefactaret, reperiretur.

382. *Messana solvit classis.* — Christiana autem classis Messana movens, ad pugnam instructa progressa est; nam quatuor in partes sic distributa fuit, ut medium aciem cornua duo et subsidia constitueret, uti narrat Gabutius⁸: medium agmen LVI triremium ipse duelabat Austriacus, enīs latera eingebat, dexterum Pontificia, Veneta Prætoria levum; illi M. Antonius Columna, huic Sebastianus Venerius, socialis belli duces cum potestate præerant. Dextrum cornu, quod LIV triremium erat, ducebat Jo. Andreas Auria; jussus, ut antequam pugna iniretur, semper alios antecedens, ad sex millia passuum in altum procederet, ac sub certamen in locum suum æqua fronte pugnaturus revehiceretur. Quinquaginta quatuor triremium erat cornu levum, quod regendum datum est Augustino Barbadico, summo Venetæ classis procuratori, cui Sfortia, S. Floræ Comes, regiis Italicae nationis copiis præfectus additus est. Aciem postremam, quæ a tergo navigans e xxx constabat triremibus, Alvarus Bazanus, S. Crucis Marchio, regebat, claudebatque agmen, huc illueque open allatus, prout easus hostiumque incursus poposisset. Modicum intervallum medium aciem a cornibus dividebat. Subsidia quoque suis quæque locis assignata; nam Austriacum Ludovicus Requesensius ejus legatus, suis munibus triremibus sequebatur. Columnam vero suffulciebat Genuensium Prætoria, in qua Alexander Farnesius, Hectore Spinola duce, vehebatur. Post Venerium tandem in subsidiis constituitur ducis Allobrogum prætoria, in qua erat Urbini princeps, Andreæ Provani Linii comitis ductu. Qua media acies a sinistro cornu dirimebatur, Petri Baptista Lumellini prætoria, quam Paulus Jordanus Ursinus regebat, subsidio futura, navigabil. Petrus vero Justinianus, triremum Melitensem præfectus, post cornu dextrum

¹ Gratian. de bell. Cypr. lib. 4, p. 194. — ² Foliet. de sac. fed., lib. 4, p. 47. — ³ Maurocen. Hist. Ven., lib. 11, p. 433. — ⁴ Gratian. ut sup. — ⁵ Gabut. ut supra. — ⁶ Caten. Vit. Pii, p. 211. — ⁷ Ut sup. c. 3, p. 466 et seq.

¹ Gabut. ut supra, lib. 5, c. 2.

fuerat constitutus. Antonius Canalis, et Marcus Quirinus, Venetæ classis legati, hunc ille, hic cornu dextrum sequebantur. Joanni Cardone, decem Sicularum triremium duci, qui in agmine erat Auriæ, cornuque dextrum ad regiam claudebat, imperatum est; ut cum octo triremibus (uti Maurocenus ac Folieta scribunt) ad decem millia passuum continenter præcederet, et simul ac hostilem classem prospiceret, snum in locum reiectus, classarios de rebus omnibus admoneret, suasque triremes ita divideret, ut quaternae quidem singulas uliusque cornu prætorias, reliquæ vero due imperatoriam præmunirent. Tantum autem spatii (ait Folieta) præcipere jussus est Cardoni, ut celotes exploratum a Turcis præmissæ in ipsum incidentes, prius ab illo in fugam conjicerentur, quam in conspectum Christianæ classis venirent, ac numerum navium oculis notare possent. Ad cornua porro singula, et ad medianam aciem binae majores triremes remulco trahebantur, in diemque pugnæ condixerant, ut simul ac vexillum magnum a Pio Pontifice Max. missum, ad regiæ puppim extensem conspexissent, sese omnes colligerent, aciesque instruerent, ordinarentque ea ratione agminibus distributis, ut tam in acie media, quam in utroque cornu, unam omnes hosti frontem objicerent. Majores vero triremes quisque suas ad millarium ante navigare præciperen, quæ singula tanto inter se intervallo disjungerentur, ut universam Christianæ classis, ad quinque millaria late patentis frontem æquarent, eique propugnaculo essent: et copiosa, quam secum devehebant, aeneorum tormentorum vi primæ cum hoste congressæ, quanta possent maxima in eum inferrent damna, aciesque illius, ut fecere, disjicerent ac perturbarent. Distribuerant præterea quingentos milites in illas majores triremes, singulas minoribus instrumentis instructos, qui de operto loco tuti hostem glandium procella verberarent; erant enim ea peralta amplaque naviglia, veluti munitissima propugnacula. Prætoria vero quæque diversa ac diversis affixa locis vexilla gestabat; et quæ prætorias sequebantur triremes, cum illis ejusdem pariter coloris signa ferebant: ut in turba et confusione prælii (inquit Folieta¹) suum singulæ naves locum, ac suam singulæ aciem, ad quam sese agglomerarent, internoscerent. Non constipatae triremes, sed modico intervallo inter se distantes collocantur, ut ad emittendos tormentorum globos ubi tempus posceret, spatium relinquatur. Pontificiæ, regiæ, Venetæ triremes intermiscentur, ut æquata omnibus commodi incomodive conditio, majorem auxilii motui curam singulis injiceret. Quin etiam, inter firmas infirmæ dis-

tributæ, que tanquam alis meliorum protecta, hosti fortius obsisterent; sed et milites ipsi non omnes separatim per nationes, verum ad mutuam concordiam, openque tovendam, prout opportunitus videretur, tota classe distincti. Quæ quidem omnia, quam probo consilio disposita sint atque sancta his verbis docet Folieta²: « Illud autem sapienti ratione multis de causis provisum est, quod non suus enique nationi, ut fere sit, separatus est assignatus locus, ut sic essent tanquam distincta membra; sed totius classis unum ac promiscuum corpus factum est, navesque immixtae, ac Venetæ et occidentales (ita enim naves cæterarum nationum appellabantur) alternae statutæ, quæ res multas utilitates habuit; nam principio imbecillioribus, cum iis, quæ firmiores erant, copulatis, vires classis æqualiter perlibratae sunt; factumque est, ut æquali in omnem classem, velut infuso robore, nulla pars claudicaret; deinde nullus seditionibus et conpirationibus relinquebatur locus: quæ res exercitibus perniciiosior et periculosior, quam hostilis vis stepe fuit; cum nationes, nullo inter se consensu, aut colloquii commercio sibi privatum consulere, aut a communii bono consilia separare non possent. Ad hoc necessitas æqualiter omnibus pugnandi imponebatur, facultasque subtrahendi se certanini imbecillioribus eripiebatur, quod valentioribus interpositæ vel invite attrahebantur: cum mutuus pudor timoris latendi atque ignavie extero aperienda, ad pugnam animos acneret. Fugæ præterea consilia impediabantur, quæ singulis ab universo suorum corpore discretis, constare non poterant ». Sic ille; addit Gabutius³, quod cum nonnullæ Venetæ triremes, minori quam oportet militum numero instructæ viderentur; iis supplendis qualuer Hispanorum millia, Italicosque mille Austrum tribuisse. At ex his exorta incommoda infra narrabimus.

383. Cum igitur sic munitissima instructissima contra hostem Christianæ classis, qua prædictimus die, Messana multa luce solvisset; quarla hora (ut narrat Gratianus) ad D. Ioannis Promontorium applicuerunt, ubi ligna, aquam, lapides, qui ferrent in naves, expositis, ibi reliquum dici, atque eam noctem in anchoris fuerunt. Sequenti die, haud ita multum viæ progressi, ante noctem item aquandi ac lignandi causa appulerunt. Idem fere alio et sequentibus aliquot diebus est factum, ægre id ferente Venerio, qui tam lentæ navigationis moram suspectam jam habens, cum ad eum Austrins misisset monitum, ut aliquot dierum aquam in naves importare juberet, quo, sine quotidiana applicatione, cursum tendere possent; renuntiari ei jussit xv dierum aquam lig-

¹ Foliet. de sac. fid., lib. 3, p. 146.

² Ut supra, p. 147. — ³ Ut sup.

naque sibi in navibus esse, quin acceleraret ipse aliquando iter. Subesse enim Autumnum, ac prope tempus præteriisse gerenda rei, atque hostem interea superbum toto potiri mari. Se quidem Austrium pugnæ, et gloriae cupidum existimare; ceterum vereri, ut idem animi sit omnibus, quos in consilio haberet. Quia liberi senis voce excitatus Austrius (inquit Gratianus) iter paulo quam antea magis intendit. Trium dierum navigatione ad Caput Columnarum, quod veteribus Lacinium Promontorium fuit, pervenisse, ibique totidem dies subsistere coactos esse, quod validis aquilonibus flantibus periculosa existimaretur tanta classis conjunctæ navigatio, narrat Folieti; idemque confirmare videtur Maurocenus. A Capite demum Columnarum solvens Austrius, decim. kal. Octobr. cum tota classe sext. kal. ejusdem mensis, vel, ut scribit Gabutius, septimo Corcyram tenuere.

384. Triduo reficiendis ex maritima jaetatione militibus, expectandisque navibus, quæ reliquarum eursum adæquare hand poterant, ibi commorati sunt, quo tempore Austrius in consilium duces adhibuit, inter quos fere eadem, quæ jampridem Messanæ sententiarum dissimilitudo concertatioque intercessit; ulti enim legitur in superius memorato Vallicellano Ms.¹ Cod.: « Erant sententiae, quæ censerent, e sinu Adriatico expeditionem suscipiendam, tum quod Ottomanicum eo facilius aliceret ad repugnandum; tum quod subsidia nostris magis in promptu forent. Erant, qui existimabant magis honorificum esse, si bellum in simum Naupaticum sponte transferretur, ut hostes, vel nolentes, pugnam aggredi cogerentur. Alii utrumque improbantes, consilium illud tantum superesse dicebant, ut aliquid ex hostium oppidis invaderent, quod absque dubio tutaturi essent Ottomani, atque ita in certamen extrahendos ». Sic ibi. Quod autem revera fuit, illud extitit, nul aerius Venetos curasse, quam ut cum hoste bellum committeretur, totisque e contra nervis intendisse Hispanos, ut nequidem hostem prospicerent, licet specie prælium omnino detrectare non auderent. Eorum vero studia, nobili ingenio fefellisse Columnam, scribit Gratianus, dum secreto illos, Austriumque monuit, viderent ne forte Veneti, frustrata atque elusa quotanuis eorum spe, ad præcipitia consilia agerent. Tot belli incommodis fessos, tot cladibus afflictos, qua Cypri ademptæ, qua navium amissarum, super tot oppida tantum agri ab hostibus captum, singulasque direptas ac vastatas insulas; nisi re aliqua invenerint, dissidentesque confirmarent, ignominiosam quidem ipsis, sed damnosam omnibus pacem eos cum hostibus facturos.

Si commissa res prælio, plus periculi Philippi rebus, quam emolumenti allatura videatur: saltem quod tuto facere possent, speciem non abhorrentis a pugna animi ferrent. Nam Turcas, quis adeo nullius esse consitii putet, ut quam, quiescendo sedendoque in manibus victoriam habeant, eam temere dent in unius pugnae fortunam, in quam, ne viribus quidem æquis, nunc essent descensuri? Haud ignorare eos, si panulum modo sustinendo rem distulissent; collectitias Christianorum classes, continuo hinc diversas esse abituras, liberamque sibi maris possessionem relicturas. Ha fore, ut et Venetos in officio retinerent, nec ipsi quod nolent, ullum ex eo discrimen subire cogerentur. Sic Columna.

Hæc igitur opinio non facturos videlicet potestatem sui Tureis movit, nam (subdit Gratianus²) et idem fere primores disserebant, et comodum hæc agentibus, visas ix Turcicas naves Methonem petentes, nuntii Zaeyntho missi attulere. Qui quidem, neque falsus (inquit Foliet³), neque verus omnino nuntius fuit. Vere enim discesserant (inquit) a Tureica classe navigia, sed triginta diu taxat, et pauperum pyratarum. At scriptores ceteri Gratiani potius narrationem confirmant. Nuntium autem, qui hujusmodi detulit, languentem multorum fiduciam erexisse, magnumque pugnandi ardorem vulgo excitasse, metu illo, quo in primis pugnam cum tanto navium numero horrebat, dempto; ipsorumque ducum ac procerum dubios ad eum diem animos, atque inter alterutrum consilium nutantes, idem narrat Foliet. At probabilius Gratianus deinceps, plerosque ducum, feroes et magniloquos se in hostem ostentasse scribit, quod eum se non visuros putaverint, arma licet præliaque jactantes, exercitum in pugnae expectationem exercent.

385. *Inter Turcarum duces disceptatio.* — Dum hæc inter Christianos consilia agitantur, Turcicæ classis duces haud parva pariter disceptatio tenuit, faciendumque periculum navalis certaminis esset. « Mahemetes Syrochus (inquit Gabutius) Alexandriæ præses, aestate, rerum usu et auctoritate gravis, aliisque nonnulli Turecarum primores, minime negligendum esse hostem dicebant, qui ultro lassitudine veniret; et classem, cui regis Philippi frater, cum florissimis totius Christianæ Reipublicæ principibus præcesset, non nisi optime instructam advenisse; neque cum stipendiariis militibus, sed cum honorariis ducibus præliandum esse. Intra sinus Corinthiaci claustra se tutissimos in omni rerum copia fore. Quare sumnam rerum, nulla cogente necessitate, Martis temeritati committendam non esse, cum præsertim classem infirmiorem haberent, suorum plurimis,

¹ Ms. Cod. Val. ut sup.

² Gratian. ut sup. p. 499. — ³ Foliet. ut sup. p. 149.

aut morbo consumplis, aut longa navigatione debilitatis. Christianorum vero classem, aut ducenti dissensionibus dissolvendam, aut aliqua tempestate, si his locis, hoc anni tempore perstiterit disjiciendam; igitur sedendo se plane victuros. In hac sententia erat etiam Portaus, alter summi belli dux, rei terrestris prefectus, vir pariter astate gravis, et bellicis artibus insignis; qui hec pugnae consilium privatim abnueret, tamen, ut se culpe exortem ostenderet, neque Selymi decreto repugnare videretur, quod hostes pugnae potestatem non facturos existimaret, in contrariam sententiam pertractus est, quaer erat Ali Bassae collegae sui, totius classis prefecti, et Lucialis archipyratae, navalium certaminum peritissimi; qui turpe ducebant semper alias victorem Turcam, intra suos fines a Christianis armis provocari, magnamque ignominiae notam Turcico nomini, ex ignavia et metu, si pugnam detrectassent, inuri: nec se de victoria quidquam dubitare; nam et numero navium, et militum robore, alique ex multis secundis praeliis comparata experientia, se omnino prestat; denique satis superque compertum habere, quid valeat navali praelio Christianus, quem olim Solymanus Selimi parens, aliqui Turcarum reges ac duces saepe feliciter debellasset. Itaque secundissimorum praeliorum memores, forti et alacri animo in hostem incurserent, quidquid esset Christianarum virium uno certamine proligaturi; nam hanc unam victoriam adeptos, perpetuo terra marique victores fore. Sed nulla re magis ad id sentiendum movebantur, quam quod tyranni Selimi, omnino praeliandum esse jubentis, voluntatem exploratam haberent, eamque pro oraculo ducerent, ac meminissent anno superiore Phialim Turcicae classis ducem, eo quod Christianam classem non profligasset, loco motum, Selymi gratiam ac dignitatem amisisse ». Pugnandi vero consilium adjuvasse etiam Carcossam archipyratam, virum acerrimum, bellorumque navalium scientissimum, qui ad explorandas Christianorum vires missus fuerat, idem scribit. Memorabile autem audacie illiusmet facinus illud Gratianus⁴ tradit, quod, concubia videlicet nocte, parvo navigio evectus, ita Christianorum stationi concessit, ut omnibus circumillustratis, singulas numerando percensuerit naves, ac paucioribus opinione sua repertis, latet ad Cassas recepit, eisque haud plures clxx naves habere hostes pro comperto affirmans retulit. Cum enim se nostra classis in multos sinus, ut cuique commodum fuerat, diversa intulisset, verum inire navium numerum speculator non potuit, ex cuius tamen relatione permotus Alis (ut refert Maurocenus²) e sinu Corinthiaeo

proficisci, et ut federatos adoriretur Cæphaloniam usque progredi, quo se Christiana classis, ut mox dicemus, contulerat, decrevit. Haud absintifi certe errore, quo Christiani prius decepti, pugnam cum hoste haud detrectandam duxere; cum nempe a ix navibus, quas abiisse Methonem supra memoravimus, vel tringita pyratieis, quas a Turcica classe discessisse retulimus, ad pugnam cum Turcis committendam nostri vehementer accensi sunt. Verum iste, noctu a Christianis non conspectar, ad classem Turcicam redierunt.

386. *Classis Christiana ex re parvi momenti in maximum discriminem adducta.* — Federati igitur profecti prid. kalend. Octobris, magno repellente vento, portum, cui Gomenize est nomen, intrare coacti sunt. Hic Austria simul Iustranda classi, quod intenta cura est ab eo, reliquisque factum ducibus, simul recentioribus de hoste muntis expectandis biduum subsistit. Tertia vero die, cum consentaneos ceteris de Turcica classe numerios accepisset, audiissetque eam ad Naupactum, intra sinum Corinthiacum stare, illo se cum Christiana classe conferre decrevit; jamque iter motiebatur, cum ex re parva (quod haud raro accidit) tanta periculi moles exorta est, ut classes illas, Christianae rei columnen, prope inter se, exitiali bello commiserit. Rem narrant Foliet¹, Maurocenus² et demum Gratianus³ in hunc modum:

387. « Commodatas (uti paulo ante vidimus) ab Austria in Sicilia aliquot militum cohortes, Veneti suas in naves, prout usus erat, distribuerant. Ex his Mutius quidam a Cortona ordinum duxtor, in Creteni triremi, cui Andreas Calergius praeerat, insolenter multa ac turbulentem egerat, dixeratque contemptum in ipsum praefectum. Cum benigne admonitus timem non faceret; Calergius rem ad Venerium defert, querens vix jam navem in sua potestate esse. Venerius castigaturus hominem verbis, acciri ad se Mutium jubet; vocanti nec paruit ille, nec agnoscerere se imperium ejus contumaciter respondit. Vexilli custodes, quos appellant, extempto ad eum comprehendendum Venerius misit. Tectorum loco hi sunt, eisque praefecti iussa exequentibus, dicto audientem non esse, ex disciplina Venetorum capitale habetur; et ita ei cum Austria convenerat, ut capere atque in vincula tradere, si quid commodati milites delinquissent, licet; ultima animadversione Austria, pro jure majoris imperii reservata. Mutius non repulit modo ab se ministros, qui adprehendendum eum accesserant, sed adjutus a suis, armis arreptis, impetum in apparato fecit, unoque interfecit;

¹ Foliet, ut supra. — ² Maurocen. ut supra. — ³ Gratian. ut sup. p. 200.

⁴ Gratian. lib. 4, ut supra. — ² Mauroc. lib. 14, ut sup. p. 436.

aliquot vulneralis, omnes navi exegit, probris in ipsum quoque Venerium jactis. Vel moderatum ingenium accendere tam superbe despeeta atque obtrita majestas potuit. Senex certe natura vehemens, ac peritus, et iræ alioqui nonquam satis potens, ita exarsit, ut ademptum ergo sibi in suam classem jus, exclamans, Mutium, ac tres praeterea audacie ejus socios, vi ad se pertractos, nihil Austrio consulto, ac Paulo Sfortia, qui deprecator pro tribuno suæ legionis aderat, repulso, prætoria navis antennæ, protinus suspendi jussiterit. Id factum adeo non modice Austrius tulit, faces iræ ejus subiectibus, quos insitum in Venetos odium urebat, ut confessim suorum advocate consilio, de immunita majestate imperii sui vindicanda retulerit.

388. « Hic adeo atroces quidam, ex occasione in Venerium Venetosque coorti sunt, ut idem supplicium, ab furioso atque importuno sene expetendum, et exempli severitate jus supremæ præfecturæ sanciendum esse contenderint : temerarie factum in unum hominem ac qui præcipiti temeritate, et in omnium caput recasura, ultum euntes. Apparebat Austrium talibus consiliis obnoxium fore, nisi Columna rem, aliorum improbitate, aliorum inconsulta ferocia prolapsam, restituisset. Is nocte media certior de tribuni pœna, deque Austrii deereto factus, nihil cunctatus (neque enim moram tanti discriminis momentum ferebat), ad Austrium adit. Quo Venerii arrogantiam, se violatum ab illo, iras supplieaque jaectante, insigne etiam posteris, ne quis talia posthac audeat, documentum in hunc daturum minante ; Columna nihil levare, sed aggravare potius verbis Venerii facinus, dignumque ob stolidam arrogantiam illa animadversione ferre ; miscendo inde consilia precibus, lenire paulatim juvenis iram, hanc consilio iniamicam, improvidam, cœamque procul a magnarum rerum consultatione habendam : et cum fidei ejus, ac spectate indoli, virtutique, et rex, et Christiana Respublica omnes spes suas, ac majus quam capere actas illa possit, imperium potestalemque permiserint ; non corrumpenda impetu tanta judicia, tantam de se expectationem esse : ne quid per concitatum iracundia animum, sed cuncta rationis pensata momentis agere eum debere. Delicta in castris, non ut in foro, ex præscriptis juris formula decernenda, sed consilio moderanda imperatoris esse. Facinus suppicio vendicandum Venerium admisisse ; nemo (inquit) negarit. An ergo, ad id persequendum facinus, ita præceps ira ipse feraris, ut nihil quæ inde secutura sint cogiles ? Acie decernenda tibi, Austri, cum Venetis est, si feroces istos audias, qui meritas pœnas a Venerio repetendas, obliti Reipublicæ, obliti fidei suadent, centum et viginti naves sunt, quæ pro

duce suo, nihil decernentes jure an perperam factum, stabunt ; ne tu parem numerum es habiturus. Incertus igitur et haud dubie cruentus rei eventus erit. Sed, ut superior ipse, vindicata dignitate tua, evadas, loetane sibi ea victoria futura est, quæ Christianum nomen, præceps, in quantum nunquam antea fuit, periculum det ? Inde perniciem feret, unde maximum præsidium res publica sperarit. Huc passurus es, lantarum rerum initia, tantæ, tam exploratae, tam propinquæ gloriæ spem recidere ? Illa principum juxta ac populorum tot officiis, obsequiisque testata in te studia ; illam nominis tui per gentes celebrationem in sœvam invidiam, lacerationemque, et odium inexpiable vertes ? Recipe Austri obsessum ab iracundia animum, qnam viciisse, tibi haud minus decorum fuerit, quam expugnatam urbem hosti arripuisse. Non quid possis ipse, aut meritus ille videatur ; sed quod præsenti tempore consultum sit, reputa. Nam tanto maiorem laudem constantis et moderati animi feres, quanto ab justiori causa ortam indignationem, cum uleisci posse, Reipublicæ remiseris.

« Cum cessisset Columnæ monitis Austrius, eam conditionem dixit, ut Venerius poslhae in conspectum suum ne veniret ».

389. Subdit Gratianus, præter recentem iram, a Venerio Austrium abhoruisse, quod pro hujus sœculi projecta in adulationem elegantia, qua Hispanorum ingenia maxime delectantur, parum apte ac minime demisse ab eo salutari, colique juvenis inflati spiritus quereretur. Nam senex antiqui moris, apud omnia officiorum ac verborum momenta pendentes, cum ea integre magis quam scite obiret, ruditus ac tyro habebatur. In sœpe memorato MSS. Vallicellaneo¹ vero, quæ sequuntur, narrantur :

390. « Fuere aliquot, inter primiores imperatores classianos, qui, an quod revera id sentiebant, an quod sentire privata in Venerium odia persuadebant. Uteumque fuerit, Venetorum fidem apud Austriacum verbis assere conati sunt, tanquam ejusmodi bellum, non ita ardenti animo, ut par erat, acciperent, ac propterea fore, ut in bellico ipso præcinctu, segniores se ad nutum imperatoris ostenderent ; egerunt apud eumdem, videret etiam atque etiam, quam parlem exercitus potentem pollentemque faceret : meminisset paucorum socordia reliquorum industriam retardari, etc. Quare illud unum superesse remedium periculi subterfugiendi, si Venetorum in classe plures Hispanorum admiserentur, qui eos in imperatoris auctorale continerent, intimaque inibi consilia, clandestina, si quæ sie-

¹ Ex MSS. Cod. Val.

rent machinationes, ex umbra machinationis eruerent. Austriacus, quanquam nihil tale suspicatus, quippe cui probata iam satis esset Venerii virtus, adhibere tamen statuit cautionem, sive quod Venetorum insimulatio, tunc falsa tactaque esset, eamque sic haberet Austriaeus, in eum tamen, ut plerumque fit, nonnihil suspicionis injecerat, videlicet quaenamque commemoratione; ac veluti facibus accusacionis, sin minus comburitur, afflatur certe dignitas insimulatorem. Ergo denuntiari Venerio specie consulentis jubet, quantum militum penuria laboraret, certum Hispanorum numerum in classe recipere, ipsisque tanquam Venefis uteretur. Venerius bono animo recusare, sive quod artem intelligeret, sive quod timeret, ne quod tumultus ex populorum varietate concitaretur; quanquam recusando nutanti jam Austriaco, omnesque conjectura latebras pervaganti, occasionem dubitandi fecit; utque accidit, inclinatis ad suspicionem animis, dum ipse alios cavebat, magis idem cavebatur. Quare imperator, Venerio jam infensus, non tam quia multi ita volebant, quam quia revera erat obfirmato in alteram partem animo, rursus admitti jussit milites in classem; hic vero Venerius annuit imperatori, sed in aperto professus est, atque interminatus Hispanos, nisi essent in officio, pœnam continuo pro maleficiis soluturos. Ergo militum, in quibus plus esset fidei ac fortitudinis, delectum fecit Austriacus, qui statim in classem introducti sunt, ac sua cuncta munia destinata, etc.». Narrantur deinde Venerii factum contra Mutium, et extrema ea, quæ retulimus consilia, excogitasse Austrius dicitur; quod, ex mox recensis causis, jam in Venerium male affectus existeret.

391. Cum igitur Austrii animum ea quam diximus ratione Columna delinisset, ipse protinus ad Augustinum Barbaricum se confulit, cuius in Veneta classe, ut non par cum praefecto imperium, ita auctoritas prope major erat; nam, et senatus rectorem hunc impotentiae Venerii dederat, et ab ingenit commoditate, constantique prudentia, etiam gratia in exercitu excellebat. « Cognitis, quæ agilata erant a Barbarico (inquit Gratianus), ante omnia Columnæ amplissimas pro merito gratias egit; deinde consilio convocato, de omnium sententia cum Venerio egit, ut congressu Austrii abstineret, ne tam levibus de causis, tantorum consiliorum apparatus, et spes inchoala manus cum hoste conserendi everteretur. Se quoties communicato, aut consulto opus esset, vicem ejus impleturum: Cui superbe senex: Faciam (inquit) dum æque puer iste, quique ei in consilio sunt, conspectu nostro absistant ». Haec Gratianus.

392. Quinam vero fuerint, qui ob insitum

in Venetos odium faces irae Austrii subjicerint, ut extrema ea consilia meditaretur; ex his, que alibi diximus, facile colligere, et Maurocenus¹ palam profert, scribens, Joannem Andream Auriam, ac Aloysium Requesensium, acres illi in Venerium stimulos addidisse.

393. His igitur, quas prediximus, artibus, belli fortuna, periculo proxima, multis etiam in præcepis urgentibus revocata, demum ad integrum restituta est; et haec seditionis turba cautionem Austrium in credendo, reliquos in agendo fecit: potissimum vero motum illum animorum otio jam desidiaque torpentium celeritatis ignem excessisse in plures memorato Ms. Vallicellano Cod. legitur. Institutum idecirco iter indicitur; acie instructa processere, cum, ut appropinquantes hosti, nulla improvisa res imparatos turbare posset; tum ut quisque locum suum agnosceret, et cum res posceret, sine ulla trepidatione agmen explicaretur. Ob id lenta navigatione proiecti, sequenti die Cephaloniam appulere, fretumque ingressi, portum, qui Alexandriae dicitur, corpore, in eoque biduo commorati sunt, quo tempore lugubris, de capta Famagusta, cum id nondum recevisserint, nuntius allatus est: qui non modo animos non fregit, sed ira, dolor, indignitas præliaundis tantes stimulos adjecit, ut pugnandi cupiditate, ac delenda macula studio, (ut Gratianus ac Gabutius referunt) vehementius exarserint.

394. In ipso tamen Alexandriae portu apud Christianos disputationem de hoste ad necessitatem pugnae attrahendo, et de ratione belli gerendi repetitam esse, eumque ne tum quidem in tot disreputibus sententiis exitum invenisse, Thuanus², et Folieta³ scribunt; decretum nihilominus fuisse hic subjungit, ut portus Petaliae peteretur, qui ab ostio Corinthiaci sinus minus quadraginta millia passuum intervallo distat. Ibi propinquitatem hostium, illorumque motus, et cœpta certius consilium forte datura. Sed revera hostem sinus ostium exiturum, ac copiam pugnandi facturum, nemo credidit; ideoque non tam victoria, quam provocatae pugnae gloriam quisque petens, ejus discriminis, quod nullum imminere putabatur, magnam plerique cupiditatem vultu et verbis præferebant, ex tuto feroes. Eadem vero, quæ nostris, et mens fuit Turcis; adeo siquidem nos contemptui Barbari habuere, ut descensuros in aciem Christianos persuadere sibi non posse viderentur. Hinc factum est, ut utriusque hostis motus, non magis tempore quam habitu animorum congruens fuit; non enim tam cupido certaminis, quam opinio utriusque penitus insita, hoslem sese pugnae non commissurum, utriusque alacritatem, atque impetum stimularunt,

¹ Ut sup. p. 433. — ² Thuan. Histor. lib. 70. — ³ Foliet. ut sup. lib. 3. pag. 163.

cum uterque non tam vietii, quam fugati hostis decus petens ulterius processit; eadem siquidem die, qua fuit prid. non. Octob. veluti ex condicione, quo Christiana classis ostium sinus Corinthiaci aditura, Alexandriae portu exiit; Turciae quoque Patris, quæ urbs est in ora Peloponensi, haud procul ab ostio sinus Corinthiaci, solvit; ostiumque prætergressa, nocte appetente, ad locum Galangas vocatum, qui est in littore Epiri substitit. Christiani autem secunda navigatione totam noctem usi, cum ad Echinadas insulas nondum satis certa luce pervenissent, a nominato portu exiguo intervallo distantes, veriti classem in tenebris hostili terræ inexplorato applicare, cursui moderantur, ortum lucis expectantes. Prima vero luce utraque classis, ignara allierius, e statione movit, quibus navigantibus primum interpositæ Echinades, quæ hodie Curzolares appellantur, prospectum ademerunt; at iis a nostra classe superalis, et visi Christiani ab hostibus sunt, et ipsi vicissim eos videre potuerunt.

395. *Apud Echinades insulas naves utriusque partis in conspectum veniunt.* — Ali priusquam cætera prosequamur, haud incongruum visum est, ut totus ille tractus, in quo navale, de quo mox loquemur, commissum est prælium, præliis maximis celebris, uti Folieta ac Thuanus¹ observarunt, oculis subiectialur: « Ab Actio Promontorio, (dicit igitur Thuanus) Octavii victoria contra M. Antonium et Cleopatram Egypli reginam parta famoso, quod Ambraeum Sinum claudit, et non plus quam LCIJ passuum, (quinquaginta millibus tantum dicit Folieta²) ab Echinadibus distat. Leucas subest, saltu, ob amorem furentibus saltari solito, atque adeo Saphus morte insignis. Inde Austrum versus descendantibus occurunt Itacha et Cephalenia, quam mox ulterius progradientibus excipit Zacynthus, quæ Chelonatum. Peloponesi sinum, in Elide spectat; freto tantum XXCIJ passuum disjuncta; dein per Peloponesi oram Septentrionem versus reflexo itinere ad Rhium usque, et inde per Anthinum ad continentem objectam ascendentibus interjectum spatiū, speciem lacus præbet, in quo sunt Echinades, ex arena et limo Archeloi amnis, taurina fronte per aggestis enata, ut veleres scripsere, et ab Echino, cuius speciem asperitate et sterilitate referunt, dictæ». Sie ille, qui etiam innuit, quod Folieta³ expressius ante Enchinadicam, de qua est sermo, pugnam, triginta et quatuor annis, eo ipso in loco et ad idem ipsum promontorium accidisse refert; cum videlicet duo ejus ætatis clarissimi navales duces, Ariadenus Atenobarbus Turca, et Andreas Auria civis Genuensis: ille ejusdem

Ottomanici imperatoris, hic eorumdem fœderatorum principum summi præfeti, cum eo concursuri convenissent, acieque in pugnam directa, ac potestate congregandi mutuo facta, aliquandiu in conspectu fuissent, neuterque alterum invadere prior ausus, nulla re tentata, discessere.

396. *Ultimi pugnæ apparatus.* — Nonis igitur Octobris, quæ dies hoc anno in Dominicam incidit, utraque classis sese mutuo prospiciendam dedit. « Ad duodecim millia passuum distabant (inquit Gratianus⁴), cum Austrius conspicatus hostem, pugnæ signum, ingens e præloria vexillum explicuit, quod ei Pius ab Urbe Neapolim miserat, in quo imago Jesu Christi Crucis affixi conspiciebatur; quam tota classis venerata laeto clamore consulutavit. Ferunt, (hoc ipsum Maurocenus confirmat) ausos tum monere Austrium quosdam, ne spe incerta propositæ gloriæ evectus, se classeque in easum irrevocabilem tam dubii eventus daret: nec quicquam fratri Victoria acquiri, et eadem, si penes hostes foret, in discrimen Italiae regnum Barbaris patefactum adduci. Quibus juvenis cum sere atque importuno consilio rejectis, curare corpora milites, ac eibo firmatis viribus, capere arma jubet, simul armamenta demi, aptarique omnia ad pugnam. Atque haec, quando spatii satis ad omnia supererat, ut sedate, sine trepidatione ulla ant tumultu fierent, curæ ducibus fuit. Ipse actuario exceptus a tergo puppes singularium navium cum Aloysiis Requesensio et Cardona adiit, singulosque evocans duces, ipsos militesque ad pugnam est adhorlatus; cunctis alaeri clamore transeuntem prosequenteribus. Recessus ad prætoriam suos allocuturus, Christi in Vexillo effigiem inluens, humiliis precatur Deum, ut sibi, classique, et Christiano populo volens placatusque adesset: formidinem, fugam, clamemque in impuros et numinis sui contemptores hostes verteret. Tum duces in singulis navibus, ut convenerat, accepto signo, nisi genibus Christi numen omnes adorant, militesque idem facere jubent. Videre fuit, tantæ multitudinis copias, armataque expedientis, in media cogitatione cerlaminis, ad cædem, ad sanguinem vadentis subito humiles procubuisse, et alios ad cœlum, alios ad Dei simulaera oculos manusque tendentes supplices veniam victoriæ orare. Diceres, melius perterritos, ac dissidentes viribus, ad divinam opem confugisse, nisi pietalem mox virtute comprobassent».

397. De his fusius agens Gabutius⁵: « Culparum (scribit) indulgentiam, quam universis depugnantibus pro potestate Pius liberalissime concederat, jubet promulgari, pugnæ signum extollit, et omnes se ad dimicandum comparare.

¹ Thuan. Histor. lib. 50. pag. 743. et seq. — ² Folieta. ut supra, pag. — ³ Ut sup.

⁴ Ut sup. pag. 510. — ⁵ Gabnt. Vit. Pii lib. 5. cap. 4. pag. 170.

Sacerdotes a Pontifice missi, triremes omnes obibant, militum errata, brevem per confessio- nem expiantes, Christique de Cruce pendentis effigies, per naves circumferentes, praecolare hortabantur omnes, uti bono essent animo, nec dubitarent Christum Deum, pro cuius sanctissimo nomine dimicaturi essent, e Celo ipsis opem allaturum. Mox Austriacus cum in celo- cem descendisset, idemque Columnam et Requesensium facere mandavisset, illum ad sinistrum, hunc ad dextrum cornu circumspiciendum, classiariosque ad pugnam adhortando- emisit. Ipse vero medium aciem circumvectus, snum quemque locum tenere jussit, atque omnium animos ad certamen pie ac fortiter ineundum, optimis rationibus acuebat. Nam praecolare cum illis agi putandum, sive superes- sent, sive mortem oppeterent. Superstites quidem, quod sibi tam felici certamini interesse contigisset; demortui vero, quod pro Christi no- mine Christianæque Reipublicæ salute fortiter occubentes, se per amplissimam peccatorum expiationem, cum beatissimis mentibus feli- citer consociare potuissent. Neque vero esse de victoria dubilandum, præsertim vero tam sancto Pontifice pro ipsis apud Deum, cuius res ageretur, intercedente. Ad hæc autem respondebant milites, ne quicquam de illorum virtute dubitarel, facturos se quod fortis viros deceret. Columna quoque et Venerius, aliqui duces, optime confirmabant suos: nec quicquam eorum omittebant, quæ adipiscendæ victoriæ opportuna fore viderentur; quæ res ingentem Austriaco lætitiam attulerunt quoad imperato- riā suam reverso, tympanis, tubis, et id genus aliis instrumentis, magis etiam erecti et accensi sunt militum animi, altaque voce Deus Omnipotens Trinus et Unus invocatus est, et ipsa quoque Sanctissima Virgo Christi Mater, ut quæ plurimum possit apud Filium suum, quod illis præscripserat Pius) reverenter salutata ». Hæc Gabutius¹.

398. Auxil autem foederatorum alacritatem, (ut narratur in pluries memorato Ms. Codice Vallicellano²) pietas, et opportuna liberalitas Austriaci, qui Christianos omnes, scelerum luendorum causa ad triremes damnatos, libe- tale donavit, perpetuamque promisit, (inquit Gratianus³) si victrix Christiana classis, profligatis hostibus ea die a pugna rediisset. In eodem etiam manuscripto Codice egregium aliud ipsius Austriaci facinus hoc modo referitur:

399. « Ferunt illo temporis articulo deletas ex animis imperatorum suspiciones, altius paulo quam par erat insculptas. Cum enim Austriacus ex una parte, ex altera vero M. Antonius Columna, celocibus inventi, classem

circumspicerent, adiere Venerium, quocum commune fuerat odium utriusque, verbisque magnificientissimis extuterunt eum. Venetarum triremium alacrem promptumque ad pugnam ineundam animum, tum ipsius Venerii supra aetatem, virile robur, qui senium armis tegeret, quasi gravissimum annorum onus, contra quam usuvenit, a ferro alleviaretur. Venerius, ut erat, animi nequaquam impotentis, callebatque attemperare injuriarum memoriam, seu deponere, seu videri depositisse; exceptit singulos humaniusime, insertisque supra collum brachiis illachrymasse fertur, ac singulos ad arctiora societatis vincula impulsisse, ex quibus victoria penderet. Et vero corporum illa complexio, ad animos usque pervasit in eadem vota conspirantium, ut imperatorum alacritas, in classem opportune transferit ». Sic ibi. At prosequamur Graliani⁴ narrationem.

400. *Summam cladem subenunt Turcæ, qui nunquam antea natali prælio a Christianis profligati fuerant.* — « Inter hæc inquit appropin- quabant classes, leni flato et hostibus secundo, cum sub ipsum congressum concidit repente ventus, miraque tranquillitate secuta, veluti de industria æquante omnia fortuna, et pelago placatum æquor ad edendam nobilèm pugnam præbente; quin tantum tenuis auræ, quantum a nostris ferret in Turcas fumum, citius ingentes nubes explosæ bombardæ effudere, in hostes verlit. Id Christiani in miraculum vertere, et favere suis Deum augurabantur. Et sacerdotes, in quibus Cappucini aliquot, e summis puppi- bus imagines Dei Crucis affixi ostentantes, illius præsens adesse numen, illum imperasse ventis, illum sequerentur ducem, multa adhortatione clamabant. Hie vocibus concionibusque insti- tuti religione atque impetu ardentes, cupide capessunt pugnam, pari et vietiae fiducia, et mortis conleptu, qui sunt acerrimi ad fortitudinem stimuli.

« Turcæ, cum superantem Echinadas nos- tram classem tendere in se viderunt, primo mirari audaciam: propius deinde conspectus numerus navium multo, quam ipsi rati fuerant, major, tacilo metu pulsavit pectora, ac præter cæteros Pertaubi vehementer commolum, fatum snum seque incusasse ferunt, quod paucorum adolescentium ferocia, in tam dubii eventus aleam dari se præcipitem passus esset. Sed eo progressis, vertenda in audaciam necessitas erat. Itaque cum successissent, nec jam amplius mille passuum intervallo abessent, tormentum maximum, quod superbe provocantium signum fuit, magno cum sonitu primi emisere. Quibus cum pariter ab Austrii Prætoria responsum esset, Turcæ sublato ingenti clamore, quem vario cantu strepitique tympanorum ac tuba-

¹ Ut sup. pag. 181. — ² Ibid. pag. 19. — ³ Gratian. ut sup. pag. 215.

⁴ Ut sup. pag. 212.

rum adjuvant, in galeatias quae binæ ante singulas nostrorum acies, evectæ sese primæ obtulerunt, concitant naveas. Sed eam minantiam crebris tonitribus tormentorum tempestatem galeatæ dedere, ut Turcæ, vulneratis aliquot suis navibus, quo pestem eam declinarent coacti sint inhibere, et ordines interrumpere, ac multis locis disjicere: quos inde, dum arctius necessario restituunt, et nonnullæ inter se naveas implicitæ sunt, et in confertas minus irritæ tormentis actæ, e nostris navibus ferreæ pilæ incidebant. Quod si Christiani galeatias ipsas minus longo intervallo subsecuti, in turbatos primo incursu hostes impetum dedit, opinio fuit, victoriam nequaquam diuturni aut ambigui certaminis futuram fuisse: sed dum nostra acies, ut navium ordo et frons æqua servaretur, lente admodum procedit, galeatæ longius paulo, quam utile fuit, agmen proiectæ sunt.

« Ubi classes in conspectu ac sub iectu fuere, tanta vis bombardarum uno tempore utriusque est emissâ tanto fragore, sonituque, ac fumo Cœlum ipsum densis nubibus obscurante, ut omni erepto oculorum atque aurium sensu, prope alienaverit horrore hominum mentes, cum sine discriminâ ullo, aut generis aut honoris æque omnes cæcis aperti iectibus, nulla cavendi arte essent. In transgressos galeatias, et proprius terram capto ambitu, iuvadere ab latere nostros conantes, et nonnihil in explicandis navibus, dirigendoque iterum agmine, inter se trepidantes hostes primus ab sinistro Christianorum cornu Barbaricus, facto impetu aggreditur, admittentesque vim facere, et ad circumveniendum erumpere, quantum potest occupat claudere, et ad terram urgere; et erat locus quo se Syrocos ductor dexterî hostium cornu ab littore in modum promontorii prætenso, cui Molosegni est nomen, ad Echinadas intulerat, per angustus, cingente hinc Molosegni, atque insulis, hinc nostris ab alto objectis. Sed commixæ remis aliquot naveas hostium nostrorum transvectæ cornu, obversis inde proris, in adversas puppes Venetorum, qui maxime in ea parte pugnabant, negotium ab tergo adortæ faciebant, laboratumque non sine periculo foret, nisi claudæ quædam Turcarum naveas, primo incursu nostrorum territæ, impulsæ in littus fugæ initium fecissent, quæ res, et hostium animos debilitavit, et adjecit fiduciam nostris.

« Prima igitur in concursu vis majorum tormentorum fuit, in quo, et copia et usu administrandi, facile Turcas Christiani antecellunt, et tum novo quoque invento rem adjuvere. Teretem ligneum cædum, haud ferme cubito longiore, fatum ad bombardæ modum, in quem inserebatur, plumbeis glandibus globosisque saxis ovi maxime magnitudine replebant.

Hæc tormento effusa, veluti pestifera grando, quo cumque incidissent, ingentem stragam dabant. Majoribus explosionis tormentis, quorum tamen ipsorum, prout spatium dabatur, ictus repetiti sunt, levioribus missilibus accensum certamen Turcæ more suo spicula ingerunt, anceps multitudine ipsa telum; caelerum vix satis efficax, si tecto armis incidat corpori. Christianus sclopeto rem gerit, rariore, sed mortifero vulnere, quod non clypeo, non lamina, non ulla armatura arceas; tanta vi ab igne excussum figitur telum. Ad id nostræ naveas pluteis inædificata latera habebant, quibus teeti milites, tela in hostes ignesque, vario artificio compositos jacebant, et milites ipsi thorace galeaque armati, tutius audentiusque pugnæ se offerebant. Turcis nihil horum erat, naveas sine ulla pluteorum munimento: miles, aut perlevi, aut nullo armatu, nuda atque aperta corpora nostrorum iectibus præbebat».

401. Extraordinarium quoque nostris subsidium accessisse deinde refert, ex liberatione, quam memoravimus eorum qui ob noxam damnati in naveas vincti remis habebantur: « Prefecti siquidem navium (inquit¹) demere catenas, et traditis armis cohortari eos jussi, ut quando fortunam in dextris haberent, dignam ea mercede operam Reipublicæ navarent. Horum libertatis studio alii prædandi aviditate, ut est genus omnium remigum feracissimum, per tela, per vulnera in hostium naveas transiliebant; meritique manu sunt, ut promissum eis cum fide exsolveretur». Nec tamen undequaque id utile consilium fuisse subjungit: « Nam quemadmodum in certamine ipso, et concursu res strenue adjuta est noxorum opera, illa nudatae remigibus naveas, ad insequendum hostem, ubi opus fuit, tardæ atque inhabiles fuere ».

402. Contra vero, hostibus repentinum ab eadem re malum ortum esse subjungit; nam cum omnes fere Turcarum remigium esset ex Christianis captivis, quibus minimam miseriarum, ipsa servitus esset, adeo dure et truculenter a Barbaris habebantur; hi, ut quæque navis inter pugnandum laborare cœpisset, solutis aut fractis repente vinculis, quibus erant necti, prosilierunt, et peremptorum armis, aut quod cuique ad manus accidisset, arreptis, haud magis cupidine libertatis, quam ulciscendi crudeles dominos rabie, ut missæ caveis feræ, sanguine ac cædibus grassali sunt, qua veluti intestina fraude, multas Turcarum naveas oppressas perhabet: sequitur deinde²:

403. « Jam pugna ab omni parte conserla erat, permistæque naveas, ut cuique hostis obviam fuerat, conflixerant, variaque fortuna his aut illis aduersa multiplicem prælii faciem

¹ Ibid. ut supra pag. 216. — ² Ut sup. pag. 216.

præbebat : aliae congressum agilitate atque arte declinantes, inferentesque majori navium quam virorum certamine agebant : contra aliae mutuis innexæ ietibus conimus vires contulerant : hinc proris, hinc pupibus laerere, implicari, obverti ; hic Turcicam unam duabus Christianis premi, ibi unam Christianam a Turcis pluribus circumventam cerneret ; huic remos detergi, hanc rostro obliquam peli : tum deprimi hanc, illam capi, elabi aliam, aliam teneri : denique aliam fugæ, atiam spei innumbere : jam fluctus sanguine rubentes volvi, jam enueta strage ac cæde miseri, egregia passim facinora, audacia ac fortitudinis edi.

« Austrins cum Italo congressus, Venerius, Columnaque pariter in adversas illati naves, longe acerrimum in medio certamen miscerant : nam et bellatorum robur, et valentissimæ naves circa duces constiterant : et quisque eorum a tergo applicatas puppi triremes habebat, e quibus novi assidue milites submittelbantur, qui vulneratis caesisque succederent. Et cum in oculis ducum eneta agerentur, ut nullum egregium facinus obscurum esse posset, et eventus eorum fortunam omnium traheret, utrinque summa vi gerebalur res. Initio Turcæ, toties abs se victos fugatosque Christianos, et nunquam ante eam diem armis consistere contra et conferre secum signa ausos, ut imbelles ac timidos despicerant, idipsum ubi, et religione, et animis accensos, et quia victimis nihil reliquum spei esse persuaserunt duces, ruere in pugnam nullius rei præterquam victoriae memores, cupidæque petere hostem, et magnis prôsternere ietibus videre, terruit barbaros ; et audacia Turcæ, quam perseverantia majore prælia ineunt, ut si primum impetum retundas, sensim resideant eorum vires. Itaque in multum diei extracto certamine, languidius in negotio versari videbantur; eo nostri, qui haud dubie militum robore superabant, instare acerius, et spem suam fovere ».

404. Ex fœderatis vero, omnium primos Venetos extitisse, qui egregio certamine hostem fuderint victoresque evaserint, idem scribit Gratianus, cui cæteri convenient, inter quos Gabutius¹ hæc scribit :

« Ducibus ac militibus tam atroci prælio dimicantibus, jam totis classibus pugna conserta erat. Sinistri cornu sociorum triremes, quæ vergebant ad Aearnam, acriter primæ conflixerunt, graveque et longum certamen sustinuerunt. Sed præfecti Barbadici præstantia, ac reliquorum præterea Venetorum ducum ac militum virtus sie enituit, ut ex parte victores primum evaserint. At Barbadico, non minus egregii militis quam fortissimi ducis partes

implenti, aincipitique prælio strenue dimicanti conjecta sagitta, levo effuso oculo, caput trajectit ; ipseque præceps cadens, inter manus abtatus est ; sed extrahi sagittam noluit, donec pugnatum esset ; quod illa extracta, præ dolore se illico moriturum cognosceret, optaretque se victoriae letitiam fruentem emori. Absoluto certamine, cum victores Christianos fuisse intelligeret, e capite sagittam elici passus, gaudio plenus, elatis in Cœlum manibus, immortales Deo gratias agens, vir singulari pietate, consilio, eloquentia ac militari virtute clarus, aeternaque memoria dignus, e vita excessit. Tanti dueis casum sensit ultraque acies, nam Turcis in turbatam, duce amisso, prætoriam impigre transilientibus, actum de illa foret, ni Federicus Nanus et Silvius Portius, citato cursu, hosti se fortiter objecissent : horum subsidio factum, ut semicarta triremis reciperebatur, et atrocior prælio, nostri in hostium triremes irruentes, cæso Turcarum robore, mixta cum dolore letitia, eas obtinerent. Non vero aliorum magis in hoc cornu pugnantium virtus enituit, quam Joannis Contareni Sforzia Comitis S. Flora, Jo. Baptista Benedicti Cyprii, Marci Quirini, Antonii Canalis, et Marci Ciconiae. Quorum fortissimorum duenam, non minus, quam et aliorum, singulari ardore dimicantium, robore, fractis hostibus, corumque ducibus Syrocho, Caracossa, et aliis multiplici vulnere confectis, inde Christianis affulgere victoria cœpit ». Sic ille.

405. Prementibus vero impigre Christianis, ex pluribus navibus Turcas trepidos se in proximum littusejecisse, ab ejusdem propinquitate illectos; idque haud dubie magno, et ad salutem Turcis in ea parte, et ad victoriam Venetis adjumento fuisse, narrant scriptores; inter quos Folieta¹ ista habet :

« Cæterum enim hand exigua navium Turcarum pars, quarum claudicantium, neque ita remigio valentium, (quod est omnium magnarum classium vitium) tardior cursus fuerit, animadvertisserunt Christianos, quos ne primum quidem ipsorum aspectum faturos arroganti fiducia sperarent, pugnam acriter commisisse; neque resistantibus, ac fortiter pugnantibus, sese pares inteligerent; imbecillitatibus suæ conscientia, quam salutis viam loci commoditas expediens, ea usi sunt; nullaque fortune pugna tentata, proris in proximum littus versis, triremes in terram ejicinunt, ex quibus trepidatione desilientes, fuga sese imminentem pesti eripiunt, triremes littore illis, ac defensoribus vacuas relinquentes. Quia in re consilium Turcicum ducum vehementer reprehensum est, qui rem non ante providentes, classem, nemine prohibente, in altum procul ab amico

¹ Gabut. Vit. Pii lib. 4. cap. 4. cap. 4. pag. 472.

² Foliet. ut sup. pag. 176.

littere non evexerint, quod in dubiis rebus animos pugnantium ad tutam fugam invitet ». Sie ille; addit Gralianus navium multitudine, qua Turcae nostros superabant, in angusto se mutuo impedisce, ita ut nostrorum impetum sustinere haud valuerint.

406. Lætus igitur clamor Venetorum victorum cum pervenisset ad Austrium, diu cum Halyo, ut vidimus, aëcipi marte fuctatum, et tum spe meliori pugnam clementem: invidia quædam eum stimulavit, utpote quod secutus ipse potius Venetorum, quam dedisse victoriam videretur. Movit, (ut idem narrat Gratianus¹), et Hispanos milites æmulatio, qui idecirco sese mutua cohortatione incitarunt, ac veluti tum primum cohorti pugnam, sclopetis ingentem glandium procellam dedere: unde ipso Halyo cadente, dum ad accendendos suos in medium excurrit, glande trajecto, vel aliter imperfecto, in navem ejus transcurrent, vexillum regium prosternunt, momentoque expugnatam capiunt; et continuo Austrio jubente, clamorem victoriae indicem tollunt; quo, et alacritas addita pugnantibus passim Christianis, et spes magnopere fracta Turcis.

407. Austrio ac Hispanis pugnantibus magno adjumento fuisse Columnam, ejusque potissimum præsidio Turcicæ regiæ eosdem politos esse, his verbis Gabutius² testatur: « Austriacus iu Haly Bassæ regiam invectus, ad proram ab eo gravissimi certaminis impetum sustinuit: cæteris Turcarum triremibus, passim suis opem ferentibus, seque tam pertinaciter defendantibus, ut Hispani vulneribus affecti, gravi cum periculo, cædeque mutua identidem repellerentur. Interea Columna, cum triremem, qua cum diu admirabili contentione dimicaverat, in potestatem redegisset, aliasque vicinas, velut tempestas, pari virtute disjecisset, quacumque pergeret magnam hostium faciebat stragem, ac demum in Turcarum regiam sese insinuavit ». Et haud multo post³: « Tandem Austriacus, et Columna, aliorum dueum ac militum viribus suffulti, cum Haly per tres fere horas acerrime dimicantes, singulari virtute, hostiū regiam superarunt, Turcis quam pluribus contrucidatis ». Quod autem dicat Columnam et Austrium aliorum ducum præsidio prætoriam obtinuisse; his verbis scias Venerium, præter alios innuere voluisse, qui iisdem Columnæ et Austrio opportunam, ut vincerent, opem lulis, ut etiam Maurocenus narrat.

408. Quoad Haly Bassæ mortem pertinet⁴, quem glande transfixum, vel alio pacto cecidisse retulimus, dissidente ligni fragmendo ex adacta pila de triremi Pontificia, cui præerat Alphonsus Appianus, summum ei caput effra-

ctum, duplique illum vulnere transfossum esse, idem scribit Gabutius¹. Probabilius tamen, de illius obitu, hæc in memorato Vallicellano Ms. Cod. leguntur²: « Auxit Ottomaneis trepidationem Haly summi imperatoris fatum. Hic seu telo, seu globo transfixus, (incertum id cujus manu) latuit parumper, mox ejus cadaver, inter caeteros agnitus, et coeque cumulo subtractum est, paululum adhuc spirans, ac ferociam, quam habuerat vivens, in vultu obtinens ». Exsangui antem detrahi spolia, caput abscondi, idque in has^a suffixum extollit Austriacus jussit; ex quo factum est, ut imperfecti hostium imperatoris cognitum os, vinecentium Christianorum clamor, illico totis classibus exaudiatur, et Turcarum ardorem adeo restrinxerit, ut capta fuga sibi plerique consulerint.

409. Cum in suam igitur potestatem regiam Turcarum navim nostri obtinuissent, salutare in ea, (in qua cuncta hostium depressore vexilla, quamvis post regiam suam remulco agebat) Christi signum elevari Austriaus imperavit; signum, inquam, illud, cui inimici insultaverant. Qua de re haud prætereundum duximus, quod in præfato Cod. Vallicellano³, his verbis narratur: « In oculis omnium facinus accidit, miraculo proximum, in quo non parum infuit momenti ad illud quantum supererat momenti reportandum, nam tum telorum tempestate, sagitta, sive casu, sive arte collibrata Christi in Crucem acti effigiem, prætoriæ vexillo depictam transverberavit, atque hæsit in vulnere; cum ecce sibi ad illud spectaculum, simiola satis humanum animal, quam imperator in classe detulerat, oblectamento navigantium, quasi sensum tum pietatis induisset, quanta maxima potuit agilitate, ad signum emicuit, detractumque in vexillo telum, in aquas magna vi retrorsit. Hac vero Austriacus ex re orationem nactus: Ne istud, inquit, Deus Opt. Max. sinat, ut latroni iniquissimo, atque alienæ libertatis tyranno impune licet in Deum furere. Quandiu bellum intra homines stetit, pro nobis pugnabit Deus; nunc eum in eum pugna transfertur, Dei causa suscipienda nobis est, ac pro imperatore certantes, pudeat in officio a mutis animantibus anteverti; et quoniam sagittam illam criminis cœlestis ream repellere non potuistis, saltem quoad licet, injuriam propulsate ».

410. Ad hæc, (subdit) omnes milites infremuisse, una omnes voce, canes Ottomanicos conclamassem, tantoque se impetu in hostes intulisse, ut ex ea demum irruptione victoria maturata sit; ita ut (sicut diximus) fortioribus hostium cæsis, expugnata imperatoria triremis fuerit, tanto tumultu, ac Turcarum trepidatione,

¹ Ut sup. pag. 218. — ² Gabut. lib. 5. cap. 4. pag. 273. — ³ Ibid. pag. 174. — ⁴ Maurocen. ut supra.

¹ Gabut. ut supra. — ² MSS. Cod. Vallic. pag. 29. 1. —

³ Ut sup. pag. 18. 2.

ut jam duces, potius quam regerent, a multitudine regerentur : hostiumque ipsorum furore in desperationem verso, pars salutem fuga queritaverit, alii se præcipites in undas agerent, objectaque victoria spe, nihil præter salutem suam meditati sint; inter quos Pertavus, vite quam gloriæ amator, abjectis dignitatis insignibus, una cum filiis, relicta triremi, in celum descendit, ac fugam profusissime arripuit, eam denique victoram ratus, si hostium manus cavere fugiendo posset.

411. Pontificiorum militum robore munitum Paulum Jordanem Ursinum, ejusdem Pertavi triremi potitum esse, scribit Gabutius; additque quod quæ in subsidiis erant triremes acriter et ipsæ dimicantes egregie se quoque præstiterunt; nam et Bazanus, et Requesensius, et Cardona, et Linius, aliqui præterea duces, ut quæque pars premi aut laborare videbatur, pro communi fide, quam omnibus debebant, auxilia impigre subinisere; ipsique strenue dimicantes, ad victoram non mediocrem opem confluenterunt.

412. Dum vero hostes in acie media, ac dextro cornu strenue cœduntur, in dextro nostrorum cornu minus feliciter pugnatur. « Ulucialis enim, et Auria (inquit Gratianus¹), cum scientia maritimæ rei facile reliquos antecellerent, veluti præcipue inter se æmulatione accensi, ad primum conspectum classis, idem prope consilii agitarant, amplexu eirennire hostem, atque inde in terga aut lafera impetum dare. Igitur Auria, ubi a sua parte longe protensam in mare hostium aciem, neque abs se facile æquari cornu posse cernit, sequi aliis jussis, protinus altum petere intendit. Longe a reliqua classe evectus, cum porro pergeret ire, octo Venetæ naves, sive eum suspicatae subducere sese prælio, ut integrum consilium fortunę accomodaret, (semper enim ei viro deffisi sunt Veneti) sive ipsum abscedere longius a suis non placaret, sustinentes remos, resistere, secundæque earum exemplum aliæ quinque naves ignaræ consilii, idem fecerunt. Jam nec sequi Auriam, nec recipere se ad medium aciem poterant. Quod ubi conspicatus est t'Incialis, qui jam Auriam, suo intellecto consilio circum-eundi dexterum Christianorum cornu, tendentem in altum, seque conatui objicientem, animadverterat, repente in eas versus, magnoque impetu invectus, pluribus navibus circumstetit, omnibusque, aut dejectis, aut cæsis propugnatoribus in potestatem redigit, ac temerariæ suspicionis penas pendere coegit; quanquam illæ quidem haudquam inultæ, aut segni certamine victæ, sed strenue omnes atque enixe dimicantes periere. Ipsam deinde aciem invadendi obvius fuit Petrus Justinianus

cum duabus Melitensibus navibus, tum maxime vixor quatuor hostilium navium, cum quibus primo incursu confliverat: quarum tres vi atque armis expugnatas trucidarat, quam in turpem conjectam fugam insequebatur. Vir eum ipse egregie fortis, tum ex omni numero Melitensium equitum delectam promptissimorum juvenum manum veliens. Sed tum non magno negotio, pauci a pluribus repente, a tergo, a fronte, a lateribus, circumventi superantur, fortissimeque pugnantes fere omnes ad unum cœduntur. Justinianum ipsum multis vulneribus sancium, Turca, qui in devictam ejus navim insilierat, cum forte antea virum agnovisset dendentem se, liberaliter promissa salute, ab injuria prohibuit. Sed idem, versa haud ita multo post fortuna, deditii sui captivus, cum ejus se fidei ad pedes provolutus commendasset, non servatus modo ab Justiniano est, sed in libertatem etiam restitutus. Cæterum Ulucialis vixor pugnantibus in media acie imminebat, nisi et expugnata stali prætoria impetum ejus inhibuisset, et Auria quamvis sero, ac patrata prope victoria, (longius enim abscesserat) revectus, cum integro navium globo, vertentibus terga Turcas in latera invadens, terorem addidisset, et Bazanus cum discusso paulum fumo, quæ circa agebantur, animadverterisset, quo res poscere est visa, se intulisset. » Sic ille.

413. Auriæ consilium varias subiisse repræhensiones, scriptores tradunt, inter quos Maurocenus¹ ista habet: « Joannes Andreas Auria, qui dextrum ductabat cornu in altum adeo se evexerat, ut triremes nonnullæ, vel quod illum celeritate assequi non possent, vel quod astu id efficere suspicatae, ne a media se acie sejungarent, vererentur, substiterint. Que res Uluzalio subeundi, atque acriter manum conserendi, certa prope victoria spe, magna nostrorum damno dedit. Id ex rei militaris præscriptio factum Auria tuebatur, ne ab hoste, qui jam triremes longo circuitu ducere cœperat, circumveniretur; satius fuisse ampliori ambitu aciem protendere, quo tutius a latere Turcas, eorum excitato impetu, aggredi posset: plerisque factum improbabatur, quod proiectum nimis extra fortunæ aleam, ex eventu consilia capturum dicerent. Verumtamen haud dubie constat, post longas ambages, adhuc hærentem suppétias sociis triremibus jam distractis ac fere ab hoste captis attulisse. His a Pontifice maximo cognitis, dixisse ferunt. Auriam pirate potius, quam ducis munus abiisse ». Addit non defuisse, qui culpam in alios congererint, ac Joannem Cardonium, primi agminis ducem, cui medium inter aciem dextrumque cornu in prælio locus obvenerat, nec dum inspecto hoste, in

¹ Gratian, ut supr. Pag. 219.

¹ Maurocen. ut sup. pag. 4395.

Petalum portum antegressum, sero adeo supervenisse dicerent, ut aditus hostibus, ad proximiiores invadendas triremes, intercludi non posset. Ab aliis quoque crimen in Alvarum Bazanum rejectum, dicit, quod mediæ aieci, ubi cardo praelii vertebatur intentus, laboranti dextero cornu opem non tulerit. Verum ab hujusmodi calunniis, communis omnium fere scriptorum consensus, qui egregiam uno ore istorum dueum virtutem facinoraque prædicant, satis superque vindicant. Qui e contra ubi de Auria loquuntur, si Folietam, vel paucissimos, si tamen sint) excipias, ejusdem consilium nulla laude dignum existimant, inter quos Gabutius¹, eautissime de illo agens, scribit: « Varias subiit reprehensiones, plerisque suspicantibus eum in fugam dare se voluisse. Sed illum alii vindicabant a culpa, quod arte cautus, artem eludere studuisse. Quoquo modo se res haberet, graviter hoc loco percussae sunt complures Christianorum triremes, in primisque prætoria Metiliensis; nam Ulcialius nostrorum triremes, quæ ab Auria se disjunxerant, nulloque ordine, et incerto imperio, mari ferebantur, conspicatus, eas incredibili celeritate continentis triremium agmine circumscriptis; easque aggressus, cæsis propugnatoribus, feroeissime percutiit ».

414. Sic ille. Esto enim quod culpandus minime Auria fuerit in eo, quod Ulcialis consilium circumveniendi Christianam classem antevertere studuerit, imo, quod artem illius arte eludere conixus fuerit, summa laude dignus visus sit, tamen cum longius, quam res posceret, abscesserit, ideoque conatus Ulcialis ipsius impidere nullatenus valuerit; saltem imperitiæ notam effugere haud potuit, ut his verbis in Ms. Vallicellano² narratur: « Qnod autem æmulis in classe non careret Auria, ideireo aliquorum seomatis obnoxius fuit, priesertim cum victoria paulo libiores faceret militum animos ac voces. Extat ejusdem Auriae libellus, quem ipse post edidit, ut facti sui rationem testatam omnibus haberet, seque omni suspicione culpæ liberaret ». Ita ibi: sed narrationem Gratiani³ prosequamur.

415. Ulcialis qui occasione intentus consilium, quo res atque ratio vocasset, flexurus nulla se propria pugna implicarat, ubi vento fumum auferente, nullum regium vexillum, quod Halyo occiso dejectum erat, et non dubiam Christianorum victoriam, Auriamque in se revertentem cernit, sublatis velis capessit fugam. Secuta sunt cum ad xxx naves suorum, quæ proxime steterant: reliquæ, aut captæ a nostris, aut demersæ sunt; neque enim occiso Halyo, et Ulciali pugnam fuga deserente, qui ultra resisteret, fuit ». Et ne Ulcialis ipse

quidem pestem evasisset, ut scribit Foliet¹), ni Auria tardioribus triremibus usus esset, magna remigum parte exinanitis, qui ut diximus, nexus soluti, et ad pugnam armati in hostiles triremes prædæ eupidi plerique transgressi erant. Addit tamen Auriam eumdem, omni impetu in eas quæ restiterant, ad triginta numero, verso, illas in terram compulisse littori illisas: unde qui in illis erant trepidantes, atque in turba alii, alios impedientes, dum se pesti eripere properarunt, sese in eam præcipitarunt; temere enim ex triremibus se dejicientes, neque præ pavore, quo tutus esset desultus, discernentes, partim evasisse, partim vero undis haustos esse scribit.

416. Quale vero spectaculum, tam atrox pugna, tam clara victoria exhibuerit, vix verbis scriptores consequi valent. De illo haec habet Maurocenus²: « Detruncata brachia, erura succisa, dissecta cervicibus capita, stratum cadaveribus, aut semivis hominibus mare sanguine mixtum conspiciebatur; vela, mali, umi, omnisque generis arma, aquis innatantia, insuetum, ad stuporem usque, spectaculum præbeant ».

Et Foliet³: « Misérabilis omnino, ac fœda rei facies intuentibus erat; mari circa sanguine late rubente, atque innatantibus capitibus a cervice desectis, brachiis, cruribus, thoracibus, integris etiam corporibus Turcarum, partim expirantium, partim graviter sauciorum late consperso, quos Christiani nonnullos ex triremibus supernis sceloporum ictibus incessebant et exanimabant; nonnullorumque ad ipsas Christianas triremes adnatantum, remosque ac gubernacula apprehendentium, ac supplicibus vocibus misericordiam implorantium, manus præcidebant, ardore certaminis illos irritante, atque ira suorum ab iisdem Turcis interemptorum, et ante pedes jacentium efferrante, omnemque misericordiae et pietatis sensum opprimente: cum nonnulli tamen essent qui partim animi mollitie, partim spe lucri ex mancípio faciendi, restibus demissis, illos in naves extraherent, ac servarent ».

417. Pugna a decima septima diei hora, usque ad vigesimam alteram protracta est; atque tam brevi temporis intervallo, videlicet quatuor circiter horarum spatio, placuit Deo, maximam omnium, quæ in mari, post hominum memoriam extiterint, victoriam dare Christianis. At quid eo ipso hoc tempore, quo commissum est prælium, Pio acciderit, Gabutius⁴ his verbis tradit:

418. *In ipso momento quo pugna committitur, Pius cælitus eductus victoriam noscit et nuntiat.* — « Hoc ipso pugnæ die nocteque præ-

¹ Gabut. ut sup. — ² MSS. Vallicell. pag. 30. 2. — ³ Ut sup.

¹ Foliet. ut sup. pag. 177. — ² Ut sup. pag. 439. — ³ Ut sup. pag. 176. — ⁴ Vit. Pii hb. 5. cap 6. pag. 179.

cedenti, Romae Pius, quippe qui classes jam prope esse, ut congregenderentur existimaret, multo majores se in preces dedit. Id ipsumque sacerorum hominum in collegis ac coenobitis per omnes hōs dies faciendum curavit, ubi in singulas horas Dei finuli erant distributi, ob id assidue Dominum deprecantes. Neque enim ulla magis eum premebat cura, quam felix et optatus expeditionis hujus eventus; cuius causa, tot tantisque vigiliis et jejuniis, aetate aliqui devexa se esse afflictaverat, ac tot lacrymas precesque profuderat, quibus misericordiam elementianique divinam in Christianos inclinans, meruit exaudiri, ac praeterea dignus est habitus, cui Deus, licet tantis locorum intervallis, in Vaticano videlicet, suis in cubiculis agenti, eadem die ac hora, qua pugnatum est, victoriam divinitus indicaret. Ubi cum familiaribus suis, praesertim enim Bartholomeo Bussoto aerarii Pontificii questore, gravibus de rebus agens, illis ex improviso relatis, fenestram aperuit, oculisque in Coelum sublatis, paulisper fixus ita persitit; ac speculam subinde claudens cogitabundus Bossotum intuitus: Non est (inquit) nunc tempus negotiandi. Vade ergo, et Deo Domino gratias age; nam classis nostra cum Turcia congressa, hac ipsa hora viatoriam retulit. Hoc ille audito, statim admirationis plenus abscessit. Sed eundo respiens Pontificem, ad parvam aram genilium provolutum, junctis manibus Deo grates agentem vidiit. Id vero Bussotum mirum videretur, tamen, praeter domesticos ac fidos amicos, cum aliquo rem communicare noluit, veritus, ne si minus verum foret visum, de Pontificis existimatione quiequam defraheretur. Dominum igitur profectus certo libro, ejus rei memoriam, diem horamque notavit. Cum porro certus de Victoria nuntius esset allatus, nullus de visionis ejus dictique veritate dubitandi sibi relietus est locus. Idque multis proinde cardinalibus, atque aliis principibus viris ipse Bartholomeus enarravit, Pontifice praesertim vita functo. Cardinalis quoque Cæsius, se ad Pontificem tunc statim introisse, eumque in genua pro cumbentem et orantem vidisse testabatur».

449. Hisdem tere verbis haec eadem refert Catena¹, innuitque in Vita Pii etiam Archangelus Carracchia. Nec medo eadem die, ac momento, quo pugna commissa est, rem Pius cognovit; verum, nisi pluries innuimus, longe antea, sicut non prefati modo scriptores tradunt, sed etiam in processu pro Canonizatione ejusdem Pii exarato jus jurando confirmat Fabritius de de Maximis Domicillus Romanus², ac S. Philippi Nerii addictissimus cliens; dum asserit hand semel eundem S. Philippum sibi dixisse Pon-

tificem Maximum secum colloquenter, nostros cum hostibus certo bellum commissuros, victoresque evasuros asseruisse, diu antequam res accideret.

450. Hinc merito tam insigne Reipublicae Christianae beneficium Pii meritis accepit, et alii, et altri scriptores refulerunt; inter quos Joannes Antonius Guarnerus³, quem mox in medium attulimus confirmans, ista habet:

«Sub pugna tempore, Pto auctore, iudicis jejuniis, apud omnes fideles continentis ferme preces habita fuerant; ipse Pius vigiliis, jejuniis et lacrymis confessus, acris intentiusque precibus institerat; in ipso tamen discriminis quasi certa spe ominatus esset pugnam jam esse consertam, intelligereturque in ejus diei easu, Reipublicae Christianae summam consistere, totus in preces obtestationesque versus, impensis orabat, et a Deo demisse et libeliter petebat, ut fausta felixque pugna, et matura ex hostibus victoria esset. Atque, ut erat divinorum exemplorum peritus, veteres viatorias, quas divina manus mirifice largitus fuisset, altius a saeculari litteris repetebat, divino quandam beneficio factum fuisse, ut Holofernis, præfocis ducis caput, moliebris et intima Judithes manus præcideret; Goliam prævalentem et Hebrais superbo fudibrio præsultantem, Davides adolescentulus, funda prosterneret; Samson mille viros, maxilla asiniua concideret; fugienti populo Israelitico, Rubri maris undis cedentibus, et ad utrumque latus instar muri se collocaentibus, iter in arido patesceret; insequentesque Egyplii, confractis curribus, et disjecto belli apparatu, fluctibus obruerentur. Sapientissimo ejusdem consilio, lapillum de Monte delapsum, ingentem statuam contrivisse, et Apostolos intimi generis homines, minaces regum secures refudisse: qui tunc tam propitius fuisset, idem nunc præsens adesset, gentisque Christianæ periclitantis misereretur: maximas et barbaras nationes recideret, remque Christianam prolapsam erigeret et periculis liberaret, concedereturque pro immensa clementia, ut quos pauci ante sollicitos, ut jus fasque erat, proficientes ad bellum, precibus et lacrymis prosecutus esset; eos mox laetos, viatores plenos fortunarum et gloriae, cum publice, tum private exciperet. Affuit divinum numen Pii precibus, quodque cordi erat, concessum est; pro argumento miraculum rei adjicetur. Pium eodem momento, quo pugnatum fuerat, habitis obsecrationibus, ad fenestram caenaculi progressum tradunt; ibi adaptis vitreis foribus, Coelum spectasse, quasi deinde rem, ut gesta erat, oculis ac auribus percipisset, augustiori et latiori vultu eis, qui coram aderant, nuntiasse, pugna commissa, caeos

¹ Caten. Vit. Pii pag. 225, Caracci. Vit. Pii pag. 81. — ² Process. canoniz. Pii. Dom. testim.

³ Jo. Ant. Guarner. de bell. Cypr. lib. 2, pag. 123. 2. et seq.

hostes devictamque esse Tureicam classem: irent, immortalesque Deo pro collato beneficio gratias agerent; ipse, quod aliis praecipital, id sancte pieque exercitus est, projectusque ante Christi crucis affixi signum, quinque maximas animus capere poterat, Deo gratias agebat. Id erat maius feliusque, quam quod mente capi aut satis credi posse videretur, quo magis qui haec audierant, incerti suspensique obscura spe pendebant, hoc majori admirationi res fuit, cum allatis litteris compertum est, Pium, divino Spiritu attulatum, nuntios inenarrabiliter praecurrisse, et quae evenerant, praedixisse». Sic ille,

421. Nec signa defuere, quibus tam magno navalni conflietu comprobaretur, quod Pium ipsum alloquens, post modum M. Antonius Muretus¹, his verbis effatus est: «En, senex sanctissime, et veterum illorum Pontificum simillime, scelerum ulti, justitiae cultor, veteris disciplinae restitutor, qui bono publico his miseric ac turbulentis temporibus Ecclesiam suam gubernandam commisit Deus; hic est fructus lacrymarum atque observationum tuarum; tui tletus pepererunt nobis hoe gaudium: tua quotidiana sacrificia hanc nobis a Deo victoriam impetrarunt. Metis exultans, quod lacrymans seminasti. Te novo Moyse manus in cælum tollente, novus hic Josue² superabat Amalecitas. Tu mentem in Deo, nostri milites in barbarorum corporibus tela figebant. Confirmabant illorum dexteræ presæcæ tue, et hostilium gladiorum cuspidem retundebant etc». Nam in felici tantæ victoriae eventu, rem vere reputantibus, divinum numen inquit Foliet³ multipliciter apparuit.

422. Primo: In secunda navigatione, eo potissimum anni tempore, qua tanta classis ac tot impedimenta secum trahens, tantum maris spatiu tam brevi emensa sit.

Secundo: Quod hosti, nulla re urgente, pugnandi ac tanto se disserimini objiciendi mentem dederit, qui in sinu Corinthiaco quiescens, rebus ea æstate bene et feliciter ubique gestis, Christianorum conatus ex tuto eludere potuerit.

Tertio: Quod classis tanto procul intervallo sit conspecta; quæ res tempus Christianis dedit ad armamenta componenda, classemque explicandam, et ad pugnam aptandam.

Quarto: Evidens autem in primis miraculum existimatum est, quod cum ventus primo Christianis adversus, Tureis secundus staret, itemque æstus contrarius Christianis ferretur; sub pugnae tempus utraque res cesserit. Qua de re Gabutius⁴: «Ventus, qui in eam usque horam faverat Tureis, restavit illico, mareque prorsus conquevit, et omnem se ad prælium compo-

¹ M. Ant. Muret. Orat. 21. pag. 271. — ² Intelligit M. Anton. Columnam. — ³ Foliet. ut supr. pag. 179. — ⁴ Gabut. Vit. Pii libr. 5. cap. 1. pag. 171.

nendi, et in pugna consistendi sustulit difficultatem; dein sol, qui nostris adversus incurrebat in oculos, prospectumque impediens, transmissa media cœli regione, radiis suis hostium offendebat obtutum; simulque hora quadam ab occasu leniter spirans, fumum, quem tot tormentorum excitabant tonitrua, a nostris in Tureas deferebat». Sic ille: cui que Catena aliisque scribunt, concordant, quibus addendus Laurentius Gambara, qui cecinit:

at unda
Strata, silensque (tuo sed non sine numine) ventus,
Auxilio nostris init: et tot clara per annos
Præteritos virtus et formidabile nomen
Turcarum in ventes abit

Quinto: Quod mentem Turcis eripuerit, qui cum in altum, nulla re impediente, classem propellere possent, non animadverterent, quanto cum periculo secus amicum litus prælium committerent.

Sexto: Demum, quod portum tam magnæ classis capacem sub manum habuerint Christiani, quo, prælio confecto, sese recipientes, atroem (ut infra dieetur) ea nocte coortam tempestatem vitarent, quæ totam noctem sieviens, classem laequare, ac victoriam partam ingenti naufragio deformare potuerit.

423. Confirmatdenique Pii precibus maximam hanc Tureis illatam cladem tributam fuisse, præclarissimus ille Achilles Slatius Lusitanus¹, qui de toto fere eodem navalni prælio, percelebre Eucharisticum hoe exaravit:

Quas dicam, meritum non est par copia, grates.
Aut quibus acemulem supplex altaria donis
Digna ferens, ketusque tuas quo carmine landes.
Conelebrem nunc, o magni regnator Olympi.
O scelerum toties nostrorum oblite, tuique
O patrii immemores toties memor inter amoris.
Cumque iterum ad summum vitorum venerit error,
Et quos non decuit maculis inficerit atris
Tu tamen hanc iterum ruptis ferus imbris alto
Diluviem ultricem, aut infestum depluis ignem.
Sed magni precibusque Pii, precibusque piorum
Pauorum, immutatis largiris munera virtus,
Totque mala exsuperans cumulus pietatis inundat.
Ibat ovans spolis, et preda victor opima
Barbarus, atque sua captivo remige classis
Pellebat vada salsa, tuis pater Hadria totis
Littoribus simul insultans, dum multos utrumque
Servitio abductus tuis, an dolor, accola tristis
Notie tecta domus cedentia respicit, atque
Dulce nemus longe, suaque arva, suosque labores
Susppirans, vitæ aprico flet colle relinqui.
Ecce autem apparent fide vestigia flammæ.
Et nuper nemorose injuria facta Zaeyntho,
Hac rueret nostras cum perita classis in horas,
Iamque Corinthiacus Cretam sinus excipit, urbes
Viehue plausere suis. Naupactos amicum
Litus, et hospitio non unam præbuit aulan.
Danque foveat redicem, dum raptor puppis altis
Hesperia ostentat opes, prælaniisque carini.
Confertam Ismariis, furtivumque explicat aurum.
Dum numerat captos, et ferrea vineula captis

¹ Habetur in calce Libr. rer. Sac. Laurentii Gambara Brixien. edit. Antuerpien. typis Plantin. sub anno 1557. pag. 191.

Innotescit res suae, et quod non potest
Hebreos 10. 11. — Auctoritate patrum
Austriacorum, et deinde
Imperii legibus, et iuris consuetudinibus.
Namque anima in trahitur, ut non possit atra munus
Sacerdotum propter Prosternere, et mortificare.
Ita Venerabilis, et veneranda obsequia, et honorum
Ubi uires, et resiliuntur, et uincuntur.
Sicut ad eum per amorem, et misericordiam
At non Isidorus sacerdos, et uicarius.
Quo deinceps prospiciens venuit, et regnabat assensu
Olatum per primos operes, et uicem, et uicariem.
Congredi in sanctarum Venerabilium, et venerandarum
Namque sancti, et sancte, et sancte, et sancte,
Sex primorum operum, et uicem, et uicariem.
Inde alio tempore, et inuenimus, quod propter uictoriam, et successum
Quas ubi convertas adiret, et tunc pervenit.
Et trepidare incipit ipsa tempestas, calorem, et tempestatem hostium.
Et dominus suus se sibi in exercitu uicem, et uicariem.
At noster quis, si errare in via Christi
Perque preciosus et per confessam puerula pessimum
Pax magni quesita Dei, ueritas, et dilectio.
Fit sonitus, Culum horribilis sonus, unde fugere.
Tormentisque, etris, preceps, et prædictis uictimis, et uictimis.
Non unquam antea uocem, et fumum, et fumum.
Plura, nec audire possumus, et uicem, et uicariem.
Itur in silvam, et in silvam, et in silvam, et in silvam.
Hortatur simul ipse suos, et H. Clerics: illi
Vix tandem revocant omnes, utque armis retrahantur.
Omne genitum, leuis, facilius, et spiculatum.
Rem proprius que gerunt, et pupilles pupillis, et gerent,
Miscentur ne viri, ne que ingens, undique exiles.
Purpureo luteo pelagus ruit, omnes erubet.
Dat victus supplex manus, colligunt, et membra
Accipi, et longe, tanquam certamine, et
Barbarus: et en predus, en spes, et mali, et uictus.
Alme Pater, Iesus, et sunt hoc, et hoc, et hoc.
Sed tua sint facito propria hœc, ut dona quisque
Muneribus dignos presta, et quod Spiritus uultus
Teque tuo, Natumque tuum, ut iugis am, re.
Divisa inspirans animis, et cari us, et uictus.
Tres illos uno devincit, uictus am, re:
Austriacisque uno duce, gens non una triducis.
Accedat Crux, et totus illud serviet orbis.

424. Quanta fuerit clades hostium et fortitudo Christianorum. — At cetera ad rem hanc pertinentia prosequiamur:

Cæsa ea die ad xl millia Turcarum, scribit memorialis Moretus¹. Viginti quinque millia tantum, partim cæsos, partim undis haustos periisse Folieta² tradit: xxv millia dicit Thuanus³. Verior tamen communiorque est eorum sententia, quam Gabutius⁴, Calena⁵, Gratianus⁶, Maurocenus⁷, aliquis sequuntur, nempe triginta millia Turcarum cecidisse: nobiliores vero duces, et trierahas omnes, partim cæsos, partim captos fuisse tradunt, praeter Balsam Perrauum, ejusque filium, et Ulozialium, cum quibus alios pau eos fugam arripuisse diximus. De Ulozialio autem hæc narrat Thuanus⁸: Ulozialis cum circiter xxx e strage reliquis triremibus Constantinopolim postea pervenit, ubi a Selymo, qui accepto Adrianopoli cladis nuntio, ne res per suam absentiam in urbe turbarent, cita-

tis itineribus illuc venerat, non solum benignus exceptus, sed etiam amplissimo honore accepit, summa in uitium imperii ad illam delata, praeter morem ottomanorum, et nullicet in quaetam calamitatem, nulla hominum culpa manifesta, Cælo minissa, et fortune peccata, longum propera criminis duces tere capte hant. Sed in eas angustias hoc casu res illius redacte erant ut sole illæ triremes, quas Ulozilis, tamquam ex incendio servatas adduxerat, ex omni armamentario reliquæ essent, et anmissis tot duabus, Ulozilis potiorum, quem Christianis successum uerentibus opponeret, non habebat.

425. Recensendis captiis⁹, qui vivi in nostrorum potestatem venerunt in partitione quidem prædie tri*c* millia quadragesitos, et octoginta sex inventos tuisse, sed multo plures privatum occultatos, qui in communem sortem non venerunt. Gabutius scribit, tri*c* millia quingentos captos, et totidem privatum celatos, dicit Folieta¹⁰, Gratianus¹¹, et Maurocenus¹² indistincte quinque millia hostium captivos factos tradunt, inter quos insignes viros vizinti quinque, ex quorum numero extitere Italy filii, ex sorore Selini geniti; argumentum inquit Gratianus¹³, quam certa fiducia barbiturus in certamen descenderit, qui pueros filios, quos vel Naupacti deponere, vel in terra spectatores statuere potuit, secum habere voluit; ac si nullo impendente periculo, adeo rem pro non dubia duxerat, nil aliud præterea agendum esset, quam ut insultantem fugæ patrem cernerent, et sic eximio eos imbueret tyrocinio. Amathes alter eorum, decem, et octo, alter vero tredecim annos natus, Mahemetes appellabatur.

426. Ad quindecim millia Christianorum, quos superioribus annis Turcæ captivos fecerant, fuisse in libertatem vindicata, Gabutius¹⁴ narrat: prope xx M. tradit Gratianus: innumeram Christianorum multitudinem, ferreis compedibus a miserrimo servitio remigii, libertati restitutam. Maurocenus dicit.

427. Si Catena atque Gabutio credatur, capti sunt etiam centum circiter et nonaginta hostium, parlim triremes, partim biremes; quarum centum et triginta (ut idem referunt) erant integræ: eaque omnes omni commeatus, pretiosæ supellectilis, et armorum genere instructissimæ: octoginta, parlim triremes, partim biremes, aut fractæ, aut incensæ, aut depressæ perierunt: triginta vero plus minus in fugam dissipatae. Gratianus vero, Thuanus ac Folieta, non nisi centum et triginta naves, in Christianorum potestatem venisse scribunt, nonaginta et amplius, aut littori illis, aut fluctibus mersas, aut ignibus absumptas. Cen-

¹ Ut sup. pag. 152. — ² Ut sup. pag. 177. — ³ Thuan. Histor. lib. 4. pag. 717. — ⁴ Galat. Vit. Pii lib. 5. cap. 5. pag. 158. — ⁵ Caten. pag. 221. — ⁶ Gratian. pagina 222. — ⁷ Maurocen. lib. 41. pag. 440. — ⁸ Ibid. ut supra.

⁹ Gabut. lib. 5. cap. 5. pag. 178. — ¹⁰ Lib. 3. pag. 179. —

¹¹ Gratian. pagina 222. — ¹² Maurocen. pagina 440. lib. 41. —

¹³ Ibid. ut supra. — ¹⁴ Gabut. ut supra.

tum et triginta captas, omnes tamen, praeter quatuordecim, majoris formæ triremes extitisse, Thuanus contendit; tredecim dicit Foliet; ideoque, quæ ipse ac Thuanus dicunt, ab his, quæ Catena et Gabutius referunt, utpote, qui non triremes modo, sed biremes etiam enumerasse noscuntur, minime dissentunt. Subdunt Thuanus idem ac Foliet, non plus quam i. pestem vitasse, constantem famam extitisse. E quadraginta insuper triremibus honorariis, quæ, quod nocturni luminis signa ferant, Graeco nomine Phanones appellantur, omnes, una dempta, in potestatem Christianorum pervenisse, præfatus Gabutius asserit; additque ænea tormenta majoris formæ cxvi reperta, minora vero cctyi. Quæ omnia, inter foederatos, ex fœderis lege, pro rata parte divisa sunt. Praeter captivos vero, et naves, et tormenta bellica, opulenta præda, non ab direptis modo ea æstate oppidis populationibusque insularum; sed multa præterea merces, quam barbari passim a negotiatoribus Constantinopolini deportandam sustulerant, ut Gralianus refert, omnis militi est concessa.

428. Et merito tam insigni præmio nostrorum virtus rependenda erat, cum eorum quisque in prælio gerendo, plusquam excogitari queat, egregia virtutis specimen præbuisset; summis laudibus inter eos, si excipias Austum, Columnam ac Venerium, summos duces, quos præclarissime munere suo functos esse constat; Ludovicum Requesensium, Bernardinum Cardenam, Lupum Figueroam castrorum magistrum, Michaelem Moncadam, Petrum Padilliam, et Hispanos alios viros, plerumque summo loco natos, scriptores¹ idcirco extollunt. Eodem pariter² præconio exornant Pompeium Cotuniuam, Zagaroli ducem, et Prosperum ejus fratrem. Troilum Sabellum, Vincentium Vitellum, Horatium et Virginium Ursinos, Parmæ et Urbini principes, Linum Sabaudensis prætoriae ducem, Franciscum Diodum, Ascanium Cornenum, Gabrielem Sorbellonum, et Pompeium Specianum Mediolanenses; Matrinum Scuotum Gallum, cognomento Romagassum, Hierosolymitanum equitem, ad quem Epistolas plures Pontificem dedisse, suis locis vidimus; quiique per varia et magna discrimina, multis saepe editis incredibilis audaciae, fortitudinis, consilii documentis, adeo clarum in navalibus rebus sibi nomen fecerat, tantumque nominis sui terrorem toto Oriente jam pridem sparserat, ut matres, (si Thuno³ sit fides) parvulis infantibus pro terrificulamento nomen ejus inclamarent.

429. Praeter vero alios plures S. Stephani, et Hierosolymitos equites, tum Gallos, tum

aliorum nationum, eamdem laudem promeritere Antonius Carafa dux Montis Aragonii, Pyrrus Malvetius, et Michael Bonellus, cardinalis Alexandrini frater, sororis Pontificis filius, quem frustra carpere præfatus Thuanus⁴ connilitur, dum scribit, eum ex sartoria ad imperatoriam pene dignitatem, insolentis fortuna jocantis beneficio evectum; nam virtute ac animi robore, eam sibi dignitatem comparasse, atque ea se dignum præbuisse, jure merito scriptores cæteri testantur: inter quos Foliet⁵ egregia referens, quæ præsenti prælio gessit, hæc scribit: « Michael Bonellus, frater cardinalis Alexandrini, sororis Pontificis filius: enjus virtus in eo prælio enituit, multis fortitudinis et audaciae editis operibus, ac vulnere, dum discriminibus sese intrepide offert, accepto; quibus egregie indolis documentis id assecutus est, ut insequenti anno a Pio dux copiarum ad id bellum missarum creatus sit; quod idem munus a Gregorio Tertio Decimo successore illi confirmatum est».

430. Gabutius nihilominus et Catena, licet summis laudibus in hoste proterendo eundem Michaelem efferant, nullo tamen vulnere sancium dicunt; de Paulo vero Ghislerio ejusdem Pontificis consanguineo, illa cum Catena⁶ eodem, Gabutius⁷ habet: « Paulus Ghislerius, Pii Pontificis consanguineus, in hoste proterendo nemini secundus, strenue dimicans, vulnus in faciem accepit, trirememque sibi infestam, cæsis hostibus, aliorum ope devictam in potestatem redigit». Ex quibus colligi posse videtur, Folietam Michaeli tribuisse, quod Paulo contigit. Præfatum vero Michaelem, ob præclara facinora in hoc prælio ostensa, copiarum ducem a Pio creatum, ut ipse dicit, ejusdem Pii etiam Diploma comprobat, datum sequenti anno sub die xxv Aprilis, Pontificatus septimo⁸. Biennio nihilominus ante, legionariorum omnium militum totius Ecclesiastici status ducem generalem ipsum creatum fuisse, ostendit pariter aliud ejusdem Pii Diploma⁹ anno MDLXX, sub die decima quinta Septembbris, Pontific. anno quinto datum.

431. Venetos vero nobiles usque ad unum hic recensere opus esset, si enique par virtuti laus danda foret; ab ipsis siquidem, ut vidimus, cœpta Victoria consummataque demum merito diei potest. Nec insuper ex victorum numero excludendi illi etiam, qui gloriose dimicantes occisi, victoriam proprio sanguine Christiano nomini pepererunt. Inter¹⁰ eos clari bello duces fuere Germanie prior (quem Bajalum vocant), eques Melitensis, Horatius ac Virginius Ursini, Joannes ac Bernardinus Cardinei Hispani, Ferdinandus Bisballius Neapolitanus, Briatici co-

¹ Gabut. lib. 5. cap. 4. pag. 176. — ² Foliet. lib. 2. pag. 171.
— ³ Thuan. lib. 50. pag. 743.

⁴ Ibid. pag. 740. — ⁵ Foliet. lib. 3. pag. 171. — ⁶ Caten. pag. 217. — ⁷ Gabut. lib. 5. cap. 4. pag. 176. — ⁸ Ms. Cod. Vallicell. num. 71. — ⁹ Ibid. — ¹⁰ Maurocen. lib. 11. pag. 440.

mes, atque alii, quorum nomina ad memoriam posteritatis insignia, summis sunt concelebratae praeconiis. Ex Venetis perierte, preter eum quem supra memoravimus, Augustinum Barbaricum, Benedictus Superantius, Andreas ac Georgius Barbarici, Antonius Paschalicus, Marinus ac Hieronymus Confareni, Jacobus Medius, M. Antonius Landus, Franciscus Bonus junior, Catarinus Maripetrus, Joannes Lauretanus, Jacobus Trevisanus, Vincentius Quirinus, Quibus ex regionibus aliis addendi sunt, Hieronymus Bisantus, Jabobus Trissinus Vicentinus, Joannes Baptista Benedictus Cyprius, Jacobus Medices, Andreas Calergius Grecensis, Petrus Bua Coreyrensis, ac denum Fabius Gratianus¹, Antonii Mariae Gratiani germanus frater, qui, ut ipsemet narrat, cum acerrimi animi ac summæ spei adolescens esset, in Columna navi audacissime dimicans, plumbata glande scelopeto adacta, media in fronte lethaliter ietus, ante imperatoris pedes occupauit. Hos vero omnes ac cæleros, qui in nostrorum classe mortem obiere, non tam vis hostium perculit, (ut observat Gabutius²) quam ille, pro quo pugnabant, sibi pignoratus est Christus. Credibile namque est, (inquit), qui prius Catholico ritu expiati, ac culpis omnibus soluti, tum vero in Deum intuentes vitam pro illius gloria profuderunt, eos eodem tempore Angelorum agmine stipatos triumphantes in Columna evolasse: « Tanta enim (subiungit) belli sacri contra S. Ecclesiæ hostes vis est, ut quod ex divinis Litteris tradunt auctores, bonos, vel parum probos, sanctos et Dei Martyres efficiat: ubi vinci salutare, vincere vero gloriosum ».

432. Inter omnes vero³, qui gloriose funere victoriam hanc gemino quadam triumpho honestarunt, tres fuere præclaræ indolis ac virtutis adolescentes fratres, nempe Hieronymus, Franciscens et Sebastianus ex inelyta Cornelii gente, atque Aloysi, cui Sobrio cognomen fuit, nepotes. Nam hi (ut refert Gratianus⁴) navi ab Iluziali circumventa, cum effugere duo eorum possent, curatori admoventi seapham, hortantique adolescentes, ut se discrimini eriperent, fratrem, qui accepto vulnera, juxta dimicantes prolapsus, sequi fugientes nequibat, negarunt deserturos; ita circa morientis corpus pugnantes, publica privatique pietate insignes occubuerunt.

433. Ex omni Christiana classe octo millia cecidisse, paremque sauciorum numerum extitisse, idem scribit Gratianus⁵. Ad decem millia perisse, refert Foliet⁶, minimum vero partem in pugna, sed post ex levibus sagittarum vulneribus prave curatis. Eadem fere Thuanus⁷, et iisdem paene verbis confirmat.

Censu habilo, septem milia quingentos sexaginta sex destideratos tradit Gabutius⁸, eorumque partem magnam Venetorum fuisse dicit, nam quatuor millia et quingentos ex iis pugnantes perisse asserit. Maurocenus tandem: « E nostris scribit in universum militum, remigum, navalium sociorum, quinque milia caesi, totidem vulnerati fuerunt, qui certiorenum numerum ex fabulis publicis referunt, quater millia octingentos sexaginta quatuor saucios tradunt ». Ex Christianis triremibus, ut Thuanus ac Foliet scribunt⁹, quindecim tantum deletae sunt, quarum decem Venetæ fuerunt, in quas primas impetus Iulianalis illatus est.

434. *Ex historicis nulla clarior victoria, sed ob pravum usum nulla minus fructuosa.* — Praeterea victoria! inquit Gratianus¹⁰, nec post Actiacam illam, celebratam veterum scriptorum monumentis, Octavianus Caesaris adversus Antonium et Cleopatram eodem mari ac prope eodem vestigio partam, nobilior ulla navalis pugna mille sexcentis terme annis pugnata est; nec, si conferre libeat, sat seias, utri alteram præferas. Numero illa navium, haec navibus ipsis prestitit: apparatu illa et concursu magna, sed transacta brevi est; haec certamine ac contentione aerior ac diuturnior; plus ibi fugae, hic stragis fuit; merito idecirco, ut diximus, quam humanis viribus, divino Numinis assignanda. Quare Laurentius Gambara præfatus, Christum alloquens, inquit:

Gloria tua tua est, neque enim victoria nostro Consilio, aut armis parta est, aut viribus ullis.

435. Ceterum Gratianus subdit¹¹ victoria forsitan haec major prisca, at illius certe victorie non major fructus. Quæ eadem confirmat Thuanus¹², scribens, quod sicut ipsa nulla major de Turcis retro sæculis parta est, sic nulla minus fructuosa fuit ob ducum contentiones, et ob partium non ad Dei gloriam et publicam Reipublicæ Christianæ utilitatem consilia sua referentium, sed privatum ubique commodum captantium, dissidentia studia. Quæ quidem Foliet¹³ impulere, ut scriberet de ipsa disserens: « Haec est victoria ad Enchinadas, ad omnem posteritatem memorabilis, qua ut nulla navalis clarior aut major a Christianis unquam parta est, queque ad majora præmia iter aperiret; ita pravo illius usu nulla minus fructuosa unquam fuit. In qua occasione omittenda, si, ut veteribus mos fuit, ita nobis quoque fas esset, fati iniquitatem, jam pridem Christianis rebus adversi, lamentarer. Nunc, ut pius et Christianum hominem deceat, sceleris nostra accusabo, divini Numinis iram nobis irritantia, quod sive impedimentum in re fuerit,

¹ Gratian. lib. 4, pag. 223. — ² Gabut. lib. 5, cap. 5, pag. 178.
— ³ Maurocen. ut supra. — ⁴ Gratian., lib. 5, p. 223. — ⁵ Gratian. ibid. — ⁶ Foliet. ut supra, pagina 179. — ⁷ Thuan. lib. 70, pag. 717.

⁸ Gabut., lib. 5, pagina 178. — ⁹ Maurocen. ut supra, pagina 410.
— ¹⁰ Ibid. ut supra. — ¹¹ Ut supra, pag. 222. — ¹² Thuan. ut supra, pag. 747. — ¹³ Foliet. ut supra, pag. 178.

non illud sustulerit; sive in hominibus culpa, Christianis proceribus neque victorum animum deque magnorum ducum consilium dederit; utrum vitium fuerit, libera hominibus iudicia relinquam». Sic ille.

436. *Earente Vnumine, tempestati suborta se subdit federatorum classis, in portum Petalam configiens.* — Ut in prælio, sic etiam eo patrato, magnum inquit Thuanus¹ præsentis Numinis favorem experti sunt nostri; (nam ut supra inuimus) nocte insequenti, subito feda tempestate suborta, Petalam portum, tanta classis capacem, sub manum habuerunt, quo se tuto recipierent. Sub solis igitur occasum turbato celo, cum propinquæ ipsius tempestatis signa apparerent, a memorabili aieci campo eadem digressa classis, pupibus hostiles triremes trahens, impedito ut narrat Maurocenus² sex millium passuum itinere, in præfatum portum e regione Echinadum situm, lento gradu concessit, undique cadaveribus, collisis distractisque triremis, malis, remis, velis, rudentibusque referto mari, in quo complures adhuc vitalem spiritum ducentes, præstis tabularum fragmentis innixi, lamentis ac vocibus fletu intermixtis, supremam opem implorantes exaudiabantur, qui passim contossi in orcum detrucebantur, horribiliorem aspectum innalante undis sanguine præbente: qui Archeloi confossi, in mare fluentis cursu ferebatur; ut classis in portum primis tantum tenebris pervenerit, undique ardentium triremium colluecentibus flaminis. Ibi tota nox, ac sequens dies per gratulationem ac lætitiam acta; sauciorum, quæ potuit, habita est cura, et procerum intervenienti Austriae omnino simultatum oblitus, rursus perbenigne longæva ætate Venerium senem complexus, se in ejus voluntate futurum dixit, landibusque est prosecutus, non dueis modo, sed streui militis officiis funetum ferens. Nihilominus minime diuturnam eam concordiam atque gratiam fuisse, et Gratianus scribit, et exitus comprobavit.

437. *Discrepantes sententia de reducenda classe in hiberna: ducum querela mutua.* — Postera die, cum ventum in consilium esset, ad unum proceres, classem in hiberna reducendam, neque porro quidquam conandum, censuisse, Folieta² scribit: « Tria quippe inquit in consilium adhibita sunt, non exigua cæsorum et sauciorum multitudo, cibaria deficiencia, et anni tempus, quod ita jam processisset, ut novis longi tractatus consiliis locum non daret, ac periculum esset, ne adversæ tempestates mare redditui clauderent: satis eo anno, tanta classe deleta, navalibusque Turcarum opibus contusis ac proligatis, et ad fructum et

ad gloriam profectum esse. Quod ita facere decrevit Austria, atque interea classe quassata et manca, per Hyemis quietem reparata ac sublevata, militumque animis et corporibus ab exanthis laboribus refectis, et ad novos exhanriendos firmatis, sese ad novum tempus comparare ». Sic ille. Subdit tamen consilium hujusmodi a multis vehementer reprehensum, nihil dubitantibus, quin si præclaram occasionem urgere perrexissent Christiani, trepidi omnia subito oppressuri fuerint, ac ad loca quaecumque terrorem vetricis classis ac nominis sui circumfulsissent, exemplo sua potestatis facturi, Turcarum animis tanto vulnere ictis, ac tanto ingruente terrore obtorquentibus, etc.

438. Maurocenus¹ vero ac Gratianus² rem aliter, et quidem probabilius narrant, cum dicunt, in consilium ab Austria, adhibitis Christianæ classis ducibus, omnibus idem visum, instare nempe victis, nec spatium colligendi animos viresque hostibus dare; statutumque, ut depositis sauciis, atque Coreyram cum agmine impedilo navium missis, ex reliqua universa classe centum et quinquaginta selectis apprise instructis triremibus, atque ex his Turcorum navigiorum euslodice triginta relictis, cum reliquis Peloponensi littora percurrente, populi ad defectionem sollicitarentur: oppido vel urbe occupata, ac sede belli constituta, inde ad ulteriora, pandente sinum fortuna, adspiraretur. Dumi vero haec in omnium animis atque ore versabantur, repente (inquit Maurocenus) immutata rerum facies: tepere Hispani: pristinus Austriae ardor restingit: multa profectioni prælendi: militibus plerisque cæsis ac vulneratis, tantam copiarum vim, quæ terra exponeretur non esse: commeatus deficere: eorum navitia cum annonâ et reliquo apparatu reliquam sequi classem non posse: anni tempus procellis ac tempestatis obnoxium, bellicisque conatibus infestum, subduei classes suadere, ut iis refectis ac sartis, sequenti anno tuto hostis invaderetur. Et haec ab Hispanis jaetata asserit, postquam jam nova expeditio in Turcas statuta fuerat, non vero statim ac de re agi cœptum est, ut Folieta contendit.

439. Ad diluendas autem Hispanorum contra expeditionem excogitatas rationes, qui veriori estimatione rem pensabant, subdit Maurocenus idem, multos cæsos, complures vulneratos esse minime diffitebantur; sed prælii pondere in lævum cornu incumbente, Venetorum internectionem præsertim factam, neconon Hispanorum militum, qui in triremibus Venetis intermixti depugnassent; in altero cornu serius atque minus acriter dimicatum, plerisque Hispanis triremibus nullum detri-

¹ Thuan. ut supra, pag. 748. — ² Foliet. ut supra, pag. 479.

¹ Maurocen. lib. 11, pag. 44. — ² Gratian., lib. 4, pag. 424.

mentum perpessis, incolumes, propugnatores servatos memorabant. Huc accedebat Philippus Bragadenus, sinus Adriatici cum imperio praetectorum, qui pugnae non intertuerat, cum majoribus quatuor, minoribus tredecim tremibus supervenisset: ex onerarus navigis in tristimes traduci commutatus posse, neque tempestivam anni rationem a rebus gerendis abducere: in hostili solo dimicandum: portus ad hyemandum, classemque opportune instaurandam non deesse. Concludit tandem Maurocenus, quod cum haec, tantaque, ut omni abjecta mora vixit fugienti occasione insistret, hortarentur; attamen suorum impulsu ac snasionibus permoto Austriaco, neque M. Antonio Columna dissentiente, Venerio vero, vel aegritudine corporis, vel gravioribus in administranda classe curis conlecto, vel aliorum repugnantibus sententiis, distracto, cum classe Calogerum portum itum est.

440. Verum Gratianus Venerii culpa facatum scribit, ut tam salubre reipublica Christianae hostes insequendi consilium abrumperetur, et quod turpius est, laevissima ex causa: «Austrius inquit, alacrior ad omnia successu factus, et haud dubie elatus dulcedine glorie, depositis sanciis atque Coreyram cum agmine impedito navium missis, centum et viginti naves ex omni classe deligere, easque supplere ex aliis, ac protinus ad tentandum Naupactum contendere parabat, quam urbem recipi primo adventu, adversa re territis hostibus, posse non desperabatur: atque inde ex propinquuo Graecos in Peloponeso sollicitare, et fama navalis pugnæ, atque præsentis spe præsidii cupidos novandi res, ad armia concire. Totum id consilium, quo nihil eo bello cogitatum salubrius fuerat, impotens animi Venerius turbavit. Statuerant, ut nuntii victoriae sequenti die cum litteris communiqueret scriptis ad Pium mitterentur, a quo deinde reliquis nuntiaretur, atque eos Baptista Contarenus Hydruntum cum sua triremi deportaret: quibus expositis, Venetas ipse cursum intenderet, Venerius, et stare consilii decreto velle, et aegre eam sustinere moram, et senatum de rebus gestis docere, et civitatem quamprimum participem ejus lætiliae facere, gestiebat: magnam gratiam fore, si antevertisset ipse aliorum nuntios, ratus. Haec volventem animo forte Onfredus Justinianus adiit: erat is longe acerrimus juvenum, nec quisquam magis impigre, si quid jussum esset, exequeretur. Conspectus juvenis subdidit Venerii cupiditali faces: occupat percunctari, paralamne ad iter navim, et an Venetas ire velit: Justiniano se vero exemplo profeculum, si jubeat, profitentis. Venerius litteras tradit. Quibus ille acceptis, haud mora,

regressus ad navem moliri juliet velo atque impulsis exemplo velis iter involti. Terrus eam rem, quem dignum erat, accepit Austrius usque adeo, ut fastidio hominis rem ipsam publicam omiserit, rejectaque mentione. Naupactum, atque in Peloponnesum cundi, conversis repente prioris, velisque in alium datis, Coreyram redirent, non improbantibus magis quam cupentibus idem Venerio ipso, et aliis quoque ducibus praetectorisque, quorum annis, insolita Victoria Fœtida dissolutis, longius nihil videbatur, quam ut ad pacienda sua quisque egregia ficeret, ostentandaque hostium spolia in Italiam atque dominum redirent: scilicet victoria, qua uti nesciernit, trui properabant. Sic ille.

441. Praeter haec insuper Thuanus¹ haud diffitetur, a quibusdam Venerium reprehensum tuisse, qui vulneri in cruce accepto curando intentus, ac præliorum telorumque mentionem exhorrescens, Austrio discessum suadenti facile minis acqueverit. Sed Venerium (subiungit excusal perspecta Hispanorum mens ac consiliorum ratio, qui Veneta Reipublicæ intesti, jasi ab initio eos semper Iudicati, et in tempore auxilio negato trustrati fuerant: nec nisi pudore vietii, et spe certa, ut Turci ad manus non venirent, in pugnam consenserant. Majorem haec Venerii culpam in eo etiam agnoscit, quod cum Philippus Bragadenus Adriatici sinus praetector sub id tempus, nondum pugnae nuntio accepto, ad classem cum tredecim quas paulo ante memoravimus majoris formæ tremibus venisset, subsidio a senatu missus, et gemens ac moerens tam pulchram occasionem sibi arreptam, omni ratione a praetectori contenderet, ut saltem quinquaginta attributis navibus, cum iis fugientes insequi sibi liberet, provinciasque hostiles casu attonitas adire, et ex successu rei gerendæ consilium capere: nihil timen ab eo impetrare potuerit, cum negaret se alteri, quæ sui munieris essent, delegaturum.

442. *Terror Ottomanicum imperium undique perrendit: pictura, victoriae commemorative, in Vaticano.* — Fuerit id tamen, vel Venerii tantum, vel aliorum etiam culpa, certum est, ut supra etiam innumius, præclarum occasionem Turcas perdendi ac penitus delendi Christianis e manibus clapsam esse. Constituit enim, accepto cladi Turcicæ classis nuntio, Turcas eosdem timore perterritos publice Constantiopolit excessisse, et in Asiam confugientes, eo res plurimas comportasse: omnesque, qui Christum olim abnegaverant apud ipsos Turcas transfugqs, pari formidine correptos jam perfidiam suam purgare, seque oretenus, non ex animo, Christum ejerasse professos esse, abji-

¹ Gratian, lib. 4, pag. 223.

Thuan, Histor. lib. 50, pag. 748.

ciendique Turcicam superstitionem, et ad Christianam disciplinam redeundi tempus advenisse, fassos esse. Adeo siquidem Ottomanicum imperium terror corripuerat, ut amantibus similes ipsi Turcae (ut narrat Gabutius¹) sese Christianis submittentes dictitarent: Cum in vestra potestate fuerimus, nostri, quæsumus, vos misericordia teneat: tamet vero tantumque pavorem illorum animos invasisse, eoque existimationis apud eos Christianorum arma venisse, non modo propter celebrem hujus victoriae, sed insuper propter virtutis Pontificis famam, eamque, quam de ipsius precationum vi, opinionem sanctitatis conceperant, idem testatur.

443. Turcarum hunc timorem (subdit ipse²) auxisse e Cœlo ostensa prodigia, quæ Ottomani imperii excidium portendere videbantur. Nam Constantinopoli supra Moscheam, (quæ olim S. Sophiae nomine Deo dicata insignis Basilica fuit) tres luentissimas crueles ignea specie puro claroque æthere apparuisse, fama percrebuerat; easque a barbaris plurimis sagittis petitos, nunquam credi potuisse; verum celeri motu sese in sublime attollentes, vanos irritosque ietus reddidisse. Guarnerus³ eadem confirmat, hocque ostento prolationem Christiani imperii, et Turci regni occasum, perniciemque gentis portendi, Turcas eosdem prædicasse scribit. In ipso quoque navalis pugnae conflietu Christum Redemptorem nostrum, et SS. Apostolorum Petrum et Paulum, Angelorum agmine stipatos, strictis gladiis Turcis minitantes in sublime aere constitisse, Turcas eo prælio captos se conspexisse testatos esse, Gabutius tradit; idque indicat usque adhuc ejusdem prælii affabre adumbrata pictura, quæ in Vaticano in aula regia conspicitur, subjectis hisce inscriptionibus, quarum altera id innuere videtur:

CLASSES OPPOSITÆ TURCARUM UNA CHRISTIANÆ SOCIETATIS, INTER PIUM V, PONTIFIC. MAX. IISPANIARUM REGEM, VENETAM REMPUBLICAM INITO JAM FOEDERE, IN GENTIBUS UTRINQUE ANIMIS CONCURRUNT.

Altera vero :

HOSTES PERPETUI CHRISTIANÆ RELIGIONIS TURCÆ, DIUTUNNO VICTORIARUM SUCCESSU EXULTANTES, SIBIQUE TEMERE PRÆFIDENTES, MILITIBUS, DUCIBUS, TORMENTIS, OMNI DENIQUE BELLICO APPARATU AD TERROREM INSTRUCTI, AD ECHINADAS INSULAS, A COMMUNI CLASSE, PRÆLIO POST HOMINUM MEMORIAM MAXIMO, PERSPICUA DIVINI SPIRITUS OPE PROFLIGANTUR.

¹ Gabul. Vit. Pii, lib. 5, cap. 7, pag. 181. — ² Ibid. ut supra.
— ³ Guarner. de Bell. Cypr. lib. 2, pag. 131, l.

444. *Duces inter se prædam partiantur, et ad redditum se comparant.* — Quidquid de rebus hujusmodi fuerit, omnia certe Christianis fausta feliciaque haec, et alia pollicebantur, si territum hostem insequi voluissent: verum hi, sive dissidiis, sive desidia, sive nostris peccatis id emergentibus, a salutari eo consilio (ut diximus) discesserunt. Ne tamen nihil actum post rem tam prospere gestam videretur, de oppugnanda ex itinere Leneade, cui nunc insula ab Christiano in ea templo S. Maura est nomen, agitarunt, ac Prosperum Columnam, juvenem impigrum, ad explorandum locum. situmque oppidi cognoscendum premissum, Gratianus¹ narrat. Maurocenus² autem Jo. Andreae Auriæ, aliisque, quos ipse non nominat, id preceptum asserit. Folieta³ vero, tum Auriæ tum Ascanio Corneo, et Gabrieli Sorbelleno (ut vult etiam Thuanus⁴) hanc provinciam demandatam scribit, jussumque eis dicit, ut an exiguo tempore insula expugnari posset, exceptione facta, contemplarentur. Illi igitur, cum intra quindecim, aut ad summum viginti dieorum spatium rem se confecturos recepissent, consilium de ea oppugnanda omissum est, cum diceret Austrius, iisdem Folieta ac Thuano testibus, exiguum insulam, cuius accessio parum Christianas opes aut opportunitates esset auctura, satis dignum moræ pretium minime sibi videri. At Gratianus, qui, ut modo diximus, ad Leucadæm explorandam Prosperum Columnam missum affirmat, hunc quoque Christianorum conatum, Venerium, gloriam rei, ut ipse rebatur, factu haud difficultis, uni sibi, sine sociorum ope reservantem, avertisse testatur⁵, datis Prospero (nam is Venetis militabat) occultis mandatis, ut augendo negotii difficultatem, ab eo inceplo Austrium deterret. Quo inde præmunitum natura atque opere, et valido firmatum præsidio locum referente, satis causæ præfestinantibus domum, cur eam quoque rem omitterent, est visum. Quare institutum iter persequentes fœderati, secunda navigatione usi, Coreyram perverterunt, ubi et prædam inter se partiantur, nonnullorum, de quibus non salis conveniebat, arbitrio ad Pontificem rejecto. Quæstionem hanc ob captivos commotam, decimum quemque eorum jure majoris imperii sibi vindicante Austrio, Gralianus⁶ dicit; additque Pium jussisse selectos a vulgo nobiliiores captivos Romanum adduci, atque ibi custodiri ad redimendos permutatione eorum, qui Christiani captivi apud hostes essent, voluisse; reliquos eadem, qua cætera, ratione, inter fœderatos partiri: « Venetorum (inquit scriptor idem) abominatos consilium, qui omnes, ne unquam dimissi infestius in Chris-

¹ Gratian. ut supra, pag. 226. — ² Maurocen. ut supra. — ³ Folieta. lib. 3, pag. 181. — ⁴ Thuan. lib. 50, pagina 748. — ⁵ Ibid. ut supra. — ⁶ Ibid. ut supra.

tianos sacerdos, necandois in carcere stradebant. Quin Romae in honesta custodia, atque liberatior sicut habili, cupiente Pro ea humanitate ad Christianae religionis cultum allieare barbarorum animos ». Addit Columnae admonitu non ante Coreyra solvisse Austrum, quam, aut deposita, aut dissimulata simulata, adiri se ac salutari a Venetio passus fuerit, quem subridens, manuque senis humero imposita, magni spiritus virum, et egregie sibi fidentem appellavit. Messanam vero cum venisset, dimisso Romanam Columnam, ipse in Sicilia hibernatus, Panormum ad audiendas legationes, quae ad eum gratulandum undique concurrebant, transiit. Post federalae classis discessum, Veneti (ut narrat Thuanus¹ ac Murecenus) Margaritimum in Chimeriorum regione, hand procul a Coreyra situm, deditione cœperunt prid. id. Decembris, vitam fauillalesque salvas pacientibus barbaris, et ipsam arem mox igne concrematam diruerunt. Soppotum quoque a Turcis desertum Albaui occuparunt, et Venetis restituerunt, a quibus postea Selymo redditum fuit.

443. *Summa luctu recipitur tum Venetiis, tum Romæ, nuntius de reportata victoria, ob quam a Pontifice instituitur festum Commemorationis S. Mariæ de Victoria.* — Pontifex interea, ut pole eorum, quæ tam prospere acciderant, ut vidimus, divinitus edocetus, mirabatur (ut narrat Gabutius²) quod sibi res serius quam tempus posceret, emulfiaretur, quippe qui de felici rerum eventu nihil dubilaret; Ferdinandus enim Carillus, et alii ab Austrio Columnaque ad eum legali, rellanibus ventis præpediti, Romanum tam cito pervenire non potuerunt. Duodecimo tandem kal. Novembris de re bene gesta certior est factus per nuntium Venetas profectum. A Venerio (ut diximus) missum Onfredum Justinianum, qui accelerato, quantum remis velisque contendere poterat, itinere, nono, ut scribit Gratiatus³, vel duodecimo, ut Guarnerius⁴ asserit, postquam a classe discederat, die, Venetas pervenit. Eadem civitali res tam prospere gesta quam ingentem laetitiam attulerit, inler alios his verbis narrat præfatus Gratiatus :

« Gemini castelli intrans osium (Onfredus) (qui mos est navium urbem ademnum), omnes bombardas magno cum sonitu explosit. Auditus fragor multorum concursum, quos cupidio cognoscendi, si quid ab classe, traxerat in forum, fecit. Mox ipsam incidentem tritemem, captivis circumornatam signis, quæ dimissa, ut adempta hostibus viderentur, aquam verrebant, videre : simul terti clamores ab navalibus sociis accepti. Eretis spe ingenli

¹ Thuan, ut supra. — ² Gabut. Vit. lib. 5, cap. 6, pag. 480. — ³ Gratiatus, ut supra, pag. 229. — ⁴ Guarner. lib. 2, pag. 423.

animis Justinianus ipse applicans foro ex ipsa navi dexteram tollens, victoriam nuntiat, repletoque inde pallio expeditus in terram exiliens, in curium, atque ad principem, et ipsum tumultus et clamoribus excitum, perrexit. Amplexum offerenti, pugnatum cum Turcis Fachinidas instulas : non vietam modo, sed deletam hostium classem esse ; et quot deinde captae naves, quot mersae fluctibus, quantæ copiae hostium occisæ essent, discernit. Princeps, solito dignitatis sua cultu insignibusque non expectatis, in templum ad agendas Deo gratias descendit ; et totam momentu civitatem nuntius victoria evasi. Proripiunt se audibus homines, clauduntur tabernac, omnibus privatis publicisque intermissis rebus, in forum, in curiam undique concurrunt, tanquam non forum modo, sed omnes circa vias multitudine replevit, ut multi senatorum jaetae inter turbam adire templum nequierint. Justinianus, litteris in templo apud principem collegiumque recitatis, ac patricis verbis edocetis patribus, eorum jussu egressus ad populum eadem nuntial : collata cum Turcis signa ; viros profligatosque hostes ; omnem clausam, aut in potestate venisse, aut absumentem in prælio : esse supra triginta millia xxx M. Turcarum caesa ; Halyum ipsum occisum, politosque prætoria hostium Christianos ; Perlaeum parva abditum scapula inermem uno comite servodici evasisse, Sirocum, Caracossam, multos prælereæ præstantes inter barbaros honore atque opibus duces in acie occidisse ; caplos Hali filios, sorore regis natos, et cum his Melhemelum Eubœæ præfectum, aliasque pari dignitate viros ; victoriam quantam optare aut capere mente ausus nemio esset, Deum dedisse. Ireni ergo, eidem Deo Opt. Max. grales laudesque agerent, et ut ea res Christiano nomini, ac Venetæ Reipublicæ aeternæ gloriae alique amplitudini esset, precarentur.

« Tum effundente se in omnium animos ingenli laetitia, amplecti inler se noli ignoque, gratulari, manare omnibus gaudio faciemae, recordantibus, quanto nuper in terrore atque cura fuissent, tot aliis super aliis nuntialis cladibus, ut ipsimet limere urbi, obseprique a mari ingressus, ne hosti pateret, vidissent ; et subibat, quæ fortuna civilatis futura fuisset, si quid adversi evenisset Christianæ classi, a qua ut unica spe, omnium pendebat salus. Hujus memoria metus, ut jucundiorem laetitiam haurirent, faciebat. Patres ad principem congerunt, alii ad tempora, atque inde digressi ad communicandum cum conjugibus et liberis gaudium abeunt : pars maxima videre, audire narrantem Justinianum, jungere dexteram, atque amplecti gestientes, domum ejus viasque ferentes in dominum obsident, ut matri a sacris redeunti aditum ad amplexum prope non pa-

tuerit; abiisselque inde exclusa, nisi verecundia majestatis ejus moti, qui proximi impiedebant, admonentes alii alios, per confitam turbam precanti, ac summoventi singulos, ægre viam dedissent, etc.

« Patribus, simul ac animum ab effuso gaudio recepere, nihil prius fuit, quam ut datis ad legatos Reipublice litteris, jussisque tabellariis, dies noctesque mutatis currere equis, tam laetis res Pio quam primum, Philippoque, ac reliquis regibus nuntiarent.

Postero deinde die vocalo senatu supplcationes ad omnia tempora, nominatim ad Edem Justina, cui divae nona Oct. sacrae Venetiis sunt, decernunt. In his Didacus Gnzmannus Silvius, Philippi legalis, sacra fecit, et eum principe senatuque ac primoribus patrum, divinam hostiam communicavit. Additum decreto est ad prodendam posteris victoriae memoriam, ut populus die nonarum Octobris festum haberet, servarelque in perpetuum, et quolamvis ad idem templum eadem die princeps senatusque cum populo supplicatum irent, ibique solemni sacrificio interessent». Haec Gralianus. Addit Guarnerius¹, rei per se insigni id etiam ornamentum additum fuisse; quod videlicet magna argenteæ pecuniae vis Justinae effigie, et litterarum nota quæ rei index esset, signata fuerit. Et quod insuper ad bellicæ virtutis memoriam posteritatisque incitamentum senatum simulacrum concurrentium classum in curia pingi jusserril, ubi spectabatur par in ultraque acie alacritas, multorumque effigies ad viventium similitudinem influeri licebat. Nihil (inquit) erat illa pictura nobilius; easu ornam incendium quinquennio post tam preiosum opus absunpsit.

446. Per tabellarium igitur a Veneta Republica, ut vidimus, missum cum nocte intempesta Pius victoriae nuntium accepisset, statim ex lectulo exiliens, atque ad domesticum sacellum accurrens, singularis letitiae, parisque pietatis, et gratarum actionis indices voces supplex obluit Deo, bonorum omnium auctori, ac palatinos et familiares suos omnes (ut narrat Gabutius²) evigilare jussos ad eamdem gratarum actionem excitavit. Orta vero ince, occurrentibus inde cum gratulatione Patribus, quæ allata fuerant expositi, exsuperasse divinam benignantalem vola hominum disserens. Solemnia sacra, quibus ipse operaretur, ad aram maximam Valicanæ Basilicæ Principis Apostolorum, in sequentem diem apparari jussit, omnesque, qui haberi in tali re possent Deo honores, quibus accepti beneficii gratiam testaretur, decrevit. Per omnes etiam parochias iis, qui tam præclaro bello mortem oppetierant, rite justa persolvi, et eorum egregia fa-

cinora virtutesque publicis orationibus, religionem Pontificis imitata civitas (inquit Gralianus) compleat divorum tempora: ubique preces, ubique sacrificia, et gratarum actiones piis populi studiis celebrantur. Pii sanctitas in omnium ore: ejus fletibus quotidianisque sacrificiis impenetrabilis a Deo, quantum, ne optare quidem quisquam sit ausus, victoriam esse.

447. Ut tantum vero divinæ clementiae beneficium, qua par erat pietate, Christianus populus perpetuo coleret, ad honorem Dei ejusque Sanctissimæ Genitricis Virginis Mariæ, cuius polissimum precibus et auxilio, tantam se victoriam adeplum esse Pius profitebatur, instituit, ut deinceps in perpetuum nonis Octobris Commemoratio S. Mariæ de Victoria in Catholicæ Ecclesia celebraretur; quod videbilet Festum in Martyrologio Romano¹ his verbis descriptum legitur: « Commemoratio S. Mariæ de Victoria, quam Pius V Pontifex Maximus ob insignem victoriam, a Christianis bello navalí ejusdem Dei Genitricis auxilio hac die de Tureis reportata, quotannis fieri instituit: et Gregorius XIII annuam solemnitatem Rosarii ejusdem Beatissimæ Virginis Dominica prima hujus mensis ad eamdem causam celebrandam decrevit ».

In quæ Martyrologij verba ista cardinalis Baronius² adnotavit: « Commemoratio S. Mariæ, etc. Eo nomine Neapoli nuper erecta est Ecclesia, egregium plane divine benignitatis monumentum, cum nostra memoria anno salutis MDCXXI fidelium classis, Sanctissimi D. N. Pii PP. V ac Catholicæ Hispaniarum regis Philippi, neenon inclytæ Venetorum Reipublicæ fædere coacta, gloriosam ac eundem saeculis memorabilem de Tureis Christiani nominis infensissimis hostibus ad Echinadas insulas, captis hostium triremis centum et octoginta, caeleris dissipatis, victoriam reportavit, fractosque nosrorum animos in eam spem erexit, posse inimicos nostros (modo in unum Christianorum animi viresque conveniant) nullo negotio profligari alque deleri, præsertim si (ut tum in his actum est) præcipuum in Domino, et non in armis spem ponamus, peccatorumque sordibus expialis, puræ ad Deum preces offerantur, ac Dei Genitricis Mariæ auxilium piis votis sedulo imploretur.

« Extant litteræ Gregorii PP. XIII datae sub annulo Pisacoris ann. Domini MDLXXIII, kal. Aprilis, quarum initium est: « Monet Apostolus. Ubis in multis annis, prima Dominica Octobris, ad memoriam dictæ victoriae divinitus obtulæ perpetuo conservandam, et ad gralias Deo ac Deiparæ Virgini agendas, hujusmodi solemnitatem Rosarii perpetuo celebrandam decernit,

¹ Guarner. ut supra, pagina 427. — ² Gabut. ibid. ut supra.

¹ Martyrolog. Romæ. 7 Octob. — ² Baron. Ibid.

atque in ea officium duplex Beatissimae Virginis recitari, in iis videlicet Ecclesiis, ubi ejusdem Rosarii Altare aliquod fuerit. Cujus quidem sodalitatis pias preces ac processiones ubique terrarum ea ipsa die, qua victoria parva est quae tunc fuit prima Dominica Octobris de more factis, plurimum profuisse ad opem Dei Genitricis pro Christianorum classe obtinendam pie credendum esse profitetur ». Sic Baronius.

448. *Ingressus Columnæ in Urbem, et ei delati triumphi honores.* — Interea M. Antonius Columna, relieto Messanae Austria, qui mox Neapolim venit, cum prope esset in Romanam ingrederetur, defilatum fuit, an ei triumphi honos deferretur. Cum enim quondam in more et instituto senatus populiisque Romani positum esset, ut imperatoribus suis post devictos hostes ad Urhem redemptibus honorem illum decernarent, illosque honorificentius exciperent, Columnæ, ut diximus, Romanam appropinquantib[us] hanc honoris et communis laetitiae significationem pro victoriæ magnitudine Romani dare constituerant. Sed dum id genus spectaculi per multa saecula Romæ nūquā visi, summa pompa eximisque sumptibus publice curatur : ecce (inquit Gabutius¹) id minus expedire statim Pio refertur : tum quod id honoris uni Austriae summo classis imperatori deferri par esse videretur; tum etiam, ne M. Antonius inde majorem in invidiam apud cœmulos suos, ut contigit, adduceretur. Al vero Pius (addit) etsi eum unice diligebat, summoque honore dignum existimabat, tamen ne majori potestate majori aquare videretur, ut moderata eum pompa coherestarent, populo permisit. Quod si urbem ingrederebatur Austriaeus, maiores se illi honores habiturum, Subiungit tamen, Romanorum studia, quia Columnæ ingressum triumphali honore et omnium ordinum celeberrimo concursu celebrarent, cohiberi non posuisse.

449. Eadem ferme Guarnerius² etiam refert. At longe aliter, et quidem probabilius, si Pontificis ingenium spectetur, rem narrat Gratianus³: « Eum (nempe Columnam) Pius, cum singulare honore pro magnitudine tam clarae victoriæ et viri ipsius merito, accipi a populo Romano jussisset, adversari Hispani, impedire: minui Austriae dignitatem, si alteri tribulum esset, quod imperatori debebantur, cavillari. Derisi rejectique a Pio, atque impudentiae redarguti, qui modum sibi decorandi ducem, abs se præpositum bello, ac re bene gesta domum redeuntem præstitti, aequum putarent. Eo descenderunt invidis animis, ut prohiberent, ne quis Hispanus, Hispanorumve stipendiis obligatus, Columnæ aut occurreret venienti,

aut omnino spectatum prodiret ingressum eis in Urbem ; eo civitas propensius studis in Colloquio accendi, etc. »

Et describens⁴ triumphalem ejusdem in Urbem ingressum : « Romana plebs dicit, delecta ex suo numero sex hominum millia sub signis ac splendido vestrum atque armorum ornatu ducens, adveniētem extra mēnitū instructis ordinibus exceptit. Omnes urbani magistratus cum suis insignibus pariter egreditur, comitante in equis nobilium juventute, populoque omni ad spectandam celebrandamque rem effuso. Exiit et a Pio missa Helvetiorum cohors, quae corporis et Vaticani custodiam agit; duaque ab eadem custodia equitum turmae; et præter hos Pontificie domus dispensator cum turba togatorum et purpurato familiariū agmine ».

450. Quæ eadem, et quidem fusiū confirmat his verbis, quem paulo ante memoravimus, Gabutius⁵ : « Ad XVII kal. Januarii, Capena porta Urbem ineniti, et Pontificis propinqui, et magistratus, et alii præterea summi viri, Pontificieque custodia equites obviati prodierunt, atque honorifice salutatum, equo ornatisimo incidentem magnifice deduxere. Porta, qua invectus est, sumptuosius exornata : ad eam erexerant magna trophya, duo, ad quæ nonnulli captivi religati cernebantur ; supra portam vero hoc positum erat eloquim :

MARCO ANTONIO COLUMNE PONTIFICE CLASSIS PRÆFECTO, ET DE APOSTOLICA SEDE, SOCIORUMQUE SALUTE, AC POP. ROM. DIGNITATE OPTIME MERITO.

S. P. Q. R.

« Complures porro aliae passim, preservim ad veteres arcus, eruditæ et honorificæ legebantur inscriptiones, quibus et parte victoria magnitudo, et Pontificis, et tanti dueis laudes paucis memorabantur. Ubi vero duci pompa cepta est, ducenti circiter captivi composito ordine Pontificie familie vestitu præcedebant : alia porro cxx mancipia proxime disposita sequerantur, hostiumque spolia hinc inde elata pulcherrimum triumphi spectaculum præbebant. Pontificie custodia equitibus, inde magistratibus, ordine dispositis, graviter incedentibus, socialis federis vexillum, aliaque signa militaria præferabantur. Columnæ latera cingebant Hieronymus, et Michael fratres Bonelli, Pontificis propinqui.

« Ad Romanum Forum progressis obvia fuit Urbana militia in septendecim distributa cohortes, que decore instructa, post captivos incedens, egregiam spectantibus referebat speciem, pompanque perficiebat. Ille ordine ad

¹ Gabut. ut supra, cap. 8, pag. 183. — ² Guarner. lib. 3, pag. 128, 2. — ³ Gratian. lib. 4, pag. 231.

Ibid. ut supra. — ⁴ Ut supra, pag. 183.

Capitolium, inde ad Vaticanum processerunt; ibi Pius Pontifex, plurimis cardinalibus aliisque summis viris inspectantibus, ad deosculandos sacros pedes summitten tem se, Columnam sustulit, amantissimeque complexus est. Ille, de more ducum, rebus ab se gestis breviter expositis, statim productos captivos in potestatem Pio tradidit. In iis erat Halis minor filius: nam etsi umerque, perinde ac si principum Christianorum liberi essent, commode ac liberaliter habitus fuerat, tamen major ex aegritudine, quae eum somno privaverat et inedia confeccerat, Neapoli jam excesserat e vivis. Captivos vero Pius, partim in domicilio ad id preparato, partim in Adriani mole sub custodia condì, ac sumptu publico tam humaniter haberi voluit, ut hospitum potius quam hostium loco esse viderentur ».

451. Sic Gabutius, ex quo et scriptoribus cæteris erroris convincitur Maurocenus¹, qui inter captivos Pontificie oblatos Achmetem ac Mametem Halis filios recenset; cum certum sit, eorum alterum, ut audisti, Neapoii diem obiisse. Liberalissime vero captivos a Pio habitos fuisse, ut ea humanitate ad Christianam illos religionem amplectendam alliceret, quæ supra diximus satis superque demonstrant. Addit Thuanus², inter memoratos captivos fuisse etiam Caregalem famosissimum piratam, et Mahemetem Euboæ Sangiacum, quem a prælio Iam validis rationibus dissuasisse diximus: « In aretam (inquit) initio, dein liberiorem custodiam conjectus, quemque biennio post Romæ vidimus, cum homo suæ religioni, quæ maxime a pompis et a cultu exteruo tamquam impio abhorret, summiopere addictus, e fenestra ædium, quibus asservabatur. Pontificem solemni supplicationum publicarum die tripli corona insignem, et sublime succollantibus ministris per vi eos incedentem cum insolito oculis suis cardinalium ac sacerdotum comitatu, non sine occulta offensione, quam et affectato ad Iubibrium risu testabatur, indignabundus spectaret ». Sic ille. Verum, uti Thuanus tanti facere non debuisset barbari ac infidelis hominis, insipientissimæ ac rudis superstitionis sectatoris, judicium vel animum, ut ad detrahendum insignibus honoribusque, quibus Romani Pontificis dignitas, qua nulla major sub caelo est, colitur, propterea in medium proferret; sic rite mendacii ipse coar-guitur, cum nunquam pompa, quam ipse describit, per vi eos circumlatum Pontificem nec Sangiacus nec alii videre potuerint; dum sic incedendi nullo Romano Pontifici per vi eos unquam mos fuerit. Sed ad Columnam redeamus.

452. Illum Pontifex non modo ornavit mag-

nificis verbis³, sed verba secuta liberalitas, cum ipsi L. nummorum aureorum millia numerari exemplo jussit, et Ascanio filio admodum adolescenti beneficium praedivitis Abbatiae apud Beneventum dedit, cum haud dubia spe cardinalatus, ubi capere per alatem eum honorem licuisset. Columnæ autem animus omni auro præcellentior pecuniam sibi a Pontifice traditam non ad privatum suum sed ad publicum referens commodum, in pauperes puellas collocandas erogavit; eum ad cæterorum indigentium tenuitatem subleyandam, publicæ hujus laetitiae causa, Pius alias pecunias large distribuisset.

453. Postride in Capitolino Arae Cæli templo magna cæremonia sacrosanctum Missæ sacrificium pro Deo gratiis agendis celebratum est, cui complures sacri præsules, aliquie quamplurimi Romani proceres interfuerere præter Marcum Antonium, qui ubi sacra rite peracta fuerunt, argenteam collumeltam, rostratarum navium figuris ex argento expressis ornatam, Beatisimæ Virgini ejusdem ædis patronæ singulari pietate dedicavit. In hac tanta solemnitate luculentam orationem habuit Marcus Antonius Muretus, præclarus illius temporis orator, ex qua nonnulla nos supra protulimus.

His autem habendis celebritatibus inquit Gabutius²) tam benigna favit cœli clementia, ut post hominum memoriam per Autumnum aut Hyemem fere nulla felicior vel augustior unquam fuisse diceretur; nam sudo et temperato cœlo rosæ, flores, novellique fructus de arboribus, non modo in Urbe, sed alibi quoque per Italiam præter consuetudinem pendebant, ut aspectantibus ubique esset admirationi, ac de tam felici rerum successu cuncta exultare viderentur.

454. *Lutheranis neconon imperatori ipsi hæc victoria tristitiam parit.* — Delatus a Pontifice M. Antonio Columnæ triumphi honos, uti bonis omnibus gaudium, ita Catholicæ religionis hostibus, præcipue Lutheranis, nil nisi confusione tristitiamque parere poluit, utpote qui calumniis inaledictisque Pii ardenti studio in promovendo contra Turcas bello impiissime negare, palamque detrahere ausi essent; ut patet ex sequenti cardinalis Hosii Epistola³ ad alias memoratum episcopum Torcellensem Delphinum, apud Maximilianum Cæsarem Sedis Apostolicæ nuntium:

« De meo in se studio propensa que bene-merendi voluntate nihil est, quod sibi domina-tio vestra non possit recte polliceri, quod ego re quam verbis, modo detur occasio, declarare malo. Quod autem bonam spem ostendit, futu-rum ut post hanc insignem de sempiternis

¹ Maurecen. ut supra. — ² Thuan., lib. 10, pag. 553. —

³ Gratian. ut supra. — ² Gabut. ut supra. — ³ Card. Hos. Epist. ibi, pag. 320.

Christiani nominis hostibus victoriam, qui se disjunxerunt a S. Romana Ecclesia, ad illius gremium reducantur, ardentibus votis a Deo precandum est. Anno superiori tuerant a Caesarea majestate, et serenissimis Galliarum et Polonorum regibus, et aliis nonnullis principibus in Pomeraniam oratores missi, qui pacificandis Daniae et Suetiae regibus operam darent; quo tempore eo fuit rumor perlatus de federe contra Turcas inito inter Sanctissimum D. N. et serenissimum regem Catholicum et Rempublicam Venetam. Quod cum renuntiationum esset quibusdam Lutheranis, ut auctorem et socium federis hujus esse Pontificem crederent, adduci nulla ratione poluerunt, quidquid illis ea de re narrabatur: scire se certo dicebant, quod pridem cum rege Turcarum Pontifex Romanus ad opprimendum Dei verbum fœdus insistet, quod etiam productis quibusdam rythmis Germanicis a Luthero conscriptis probare conabantur, quos illi quotidiane cantillant. Denique precantes, ut eos liberet a papae Turcaeque tyrannde. Cum itaque coniuncti sint, aiebant, in cantilenis nostris Pontifex alique Turca, qui fieri potest, ut auctor federis ineundi contra Turcas tuerit? Ex eo videre licet, quam sint homines isti miseri, ab hoc idolo suo Islebiensi dementati; ut, quod crassissimum est illius mendacium, ei nomen Evangelii tribuere, et haud aliter, quam si scriptum foret in Evangelio, credere non vereantur. Quo mihi gratius illud accidit, quod cum species quedam antiquae orationis cum primis excellenti duci Marco Antonio Columnæ propter res præclare gestas in hoc bello, Romæ decreta fuisset, quod non pauci Turcae captivi ducti sunt: vellem tunc adsuissent aliquot ex illis, qui pro Christo colunt Islebiensem Antichristum, ut videre potuissent, quam sit hoc verum, quod ab illo persuasum istis est, papam cum Turcis fœdus fecisse. Quamobrem in hoc tanto, quo flagrant erga sanctam Sedem Apostolicam, odio, quid reele spectare possimus, non video, nisi fiduciam nostram omnem in Dei misericordia delixam habuerimus, qui potest etiam ex his lapidibus suscitare filios Abrahæ: potest auferre eorū lapideum, et dare eorū carneum, ut sanæ doctrinæ credant, et insanis ac horrendis mendaciis, quibus misere seducuntur, fidem deinceps habere desinant, etc. Romæ ». Haec tenus Hosius.

453. At Maximilianus, anciptis semper animi princeps, publicis laetitiae significationibus, quibus pre alius hereticos Lutheri sectatores mendacii coarguere poterat, tantam Christianorum victoriam, ut oportuisset, celebrari minime voluit. Postulavit ab eo Commendonus (qui tunc in aula Caesarea, ut vidimus, Apostolicæ sedis legatus morabatur, ac magnis, tum minis, tum precibus ab eo extorserat, ut tandem

sacro foderi nomen daret, ubi Christianas classes nobilem de Turcica triumphantem retulisse nuntium accepit, ut supplicationes decernerentur, solemnibusque sacris Deo grates redderentur, simul quo alacritas populis adversus Barbaros adderetur, juberet ignes aliaque, quibus publicum gaudium significari solet, fieri. Quod Caesar inquit Gratianus¹, ne Turcis in suspicionem veniret, si adversis eorum rebus veluti insultasse videretur, negavit; et tantum rei diuine, quam in ipsius regiae templo, ejus victoriae causa, solemnè apparatu Commendonus ipse fecit, cum uxore et liberis interfuit.

454. In Hispania duplex laetitia et ex Victoria Christianorum et ex filio regi nato. — In Hispania e contra laetitiam maximam ex Victoria haec, viribus subsidiisque potissimum Philippi regis Catholici relatam, Dominus laetitia altera cumulavit, ut ab Isselt² et Campana referunt; nam eodem terme tempore, quo profligatorum a Christians Turcarum nuntius in Hispaniam pervenit, Philippo eidem natus est filius, cui nomen Ferdinandus impositum est. Puerum prid. non. Decemb. in lucem editum, et decim. non. kal. Januarii sacro lonte expiatum, praefatus Campana narrat.

455. Ad Lusitanum regem Pii litterarum nuntium afferentes et principis ad Pium gratulatoria Epistola. — Recens autem sese in Lusitaniam conlulerat (ut pole qui Olyssiponam, ut diximus, die tertia Decembbris pervenerat) Michael cardinalis Alexandrinus, Pii nepos, ac Apostolicæ Sedis legatus, cum illuc federalorum Christianorum victoriae a Pio eodem missus nuntius, qui has ad regem litteras defulit³, pervenit:

« Charissimo in Christo filio nostro Sebastiano, etc.

PIUS PP. V.

« Charissime in Christo fili nosler, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Cum placuerit Omnipotenti Deo pro sua ineffabili misericordia classi nostræ sancti fœderis apud simum Corinthiacum insignem et glorioissimam victoriam contra Turcas concedere, etsi ejus notitiam et famam jam ad M. T. pervenisse credimus; tamen ex nostris quoque litteris idem etiam cognoscere voluiimus, ut nobisenum gaudeas, debitasque exercituum Domino et lotius consolationis Deo gratias agens, ipsa etiam cogitare incipiat de S. hoc federe suis viribus atque potentia enixe et fortiliter adjuvando. Adeo autem gravem et ingenlem cladem accepit immanissimus hostis, ornatissima classe trecentarum et eo amplius

¹ Gratian. Vit. Comment. lib. 3, c. p. 7, pag. 277. — ² Michael ab Isselt. hist. pag. 331. — ³ Campan. Ist. mund. Volum. p. ab. 2, pag. 79. — ⁴ Ex Archiv. Bonell. M. SS. N...

navium enim defensoribus, a nostris partim capta, partim deleta, ut conspirantibus in unum, sicut decet, Christianis principibus, et ipsum undique terra marique invadentibus, minime dubium sit, res Christianorum meliores secundioresque in dies eventus ac successus habituras. Itaque, charissime fili, cum tuae et majorum tuorum laudis proprium sit contra infideles assidue bellum gerere, Christique idem angere, optamus, ut sicut in India et Africa gloriosum Portugallie regnum nomen maxime celebratur, ita in his quoque Europae locis non minori laude et gloria decreteret; itaque de fide et religione Catholica et Christiana, merita in dies magis illustrentur. Quemadmodum H. T. pro sua praestanti virtute, et pietate, animique magnitudine factaram confidimus, et persuasum habemus. Quemadmodum. Deo dante, propediem M. tue pluribus exponet dilectus filius noster Michael cardinalis Alexandrinus, Apostolicæ Sedis legatus. Datum Romæ apud S. Petrum, die xxvi Octobris MDLXXI, Pontificat. nostr. ann. sexto ».

458. Ad has Pontificis igitur litteras, aliasque sibi ab eodem Alexandrino exhibitis, respondens rex Sebastianus⁴, tum de iis agit, de quibus Pii nomine secum legatus egerat; tum id, quod de parte Christianis victoria tam ipse, quam Lusitania omnis gaudium conceperat, in hunc modum testatum fecit:

« Sanctissime in Christo pater ac beatissime domine.

« Beatitudinis tuae litteras, summæ in Deum pietatis, ardentissimi studii, et in ejus Ecclesiam charitatis, ac singularis erga nos benevolentie plenas, accepimus, quibus nos ad rem Christianam tum tuendam, tum etiam augendam vehementer sane sumus incensi; et quidem pro incredibili vigilancia, et quamtu. sanctissime ac beatissime domine, in dominico grege non solum diligenter custodiendo, sed etiam amplificando geris, sollicitudine, ad nos eximia cum pietate datis litteris non contentus; pro ea, qua nos complectaris, paterna charitate, benigne quoque voluisti ad nos mittere, tanquam optimum istius testem voluntatis, amplissimum cardinalem Alexandrinum, Sanctitatis tuae sanctaque Sedis Apostolicæ legatum a latere, sororis tuae nepotem, vel posthabitum iis levamentis, commodis et officiis, que ipse in amplissimis gravissimisque negotiis beatitudini tuae praestare consuevit. Ex eius quidem presentia, et sermonibus inter nos ultra citroque habitis, ex ejusque pietate ac religione quantum copierimus voluptatis, vix a nobis poterit explicari. Nam in eo, tanquam in speculo, præclaris earum omnium, quas ille abs te tam sancto avunculo suo

acceptas habet, virtutum ornamenti decoratam imaginem ducre perspeximus. Quantam porro beatitudinem ac jucunditatem universæ Lusitanæ optatissimus ejus adventus attulerit, ex magna hominum frequentia illi obviam prodeuntium, ex inuisitatioque ad eum honorifice excipiendum atque spectandum omnium facto concursu, agnoscere facile potuit. Enimvero cunctis veniebat in mentem cogitare ipsum esse et legatum et affinem ejus Pontificis, cui multo pluris et antiquior sit Christiana religio salusque mortaliuum, quam vita ipsa, quæ alioqui cæteris rebus omnibus charior hominibus esse solet. Ac tanto quidem gaudio cunctorum animi perfusi sunt, vix. ut possit aestimari; fereque triumphum agentibus subibat memoria gloriosissimæ victoriarum. Beatitudinis tuae diligentia, vigiliis ac precibus assiduis, de eruditissimo Christiani nominis hosle reportata; ob idque ad eum suspicandum ardissimis animis certatim omnes confluerebant. Nam post natos homines, de Christianæ religionis hoste tam illustrem præclaramque victoriam navalem Christiani principes nunquam relulerunt, de qua, tu, sanctissime ac beatissime domine, qua es in omnes humanitate, ac pro eo, quo nos regnumque nostrum summo complectens amore, nos commonefacere voluisti. Ex quo quidem nullo nos incredibilem sane perecipimus voluptatem, non secus ac si hæc, quæ Sanctitatis tuae propria est, nostra victoria fuisset; atque, ut par erat, quantas maximas potuimus, Deo potentissimo gratias egimus: cui benigne placuerit pias Beatitudinis tuae lachrymas assidueque jejunia, quibus in ista tam gravi devexaque jam astate te ipse diutius afflictasti, clementer aspicere, ac voti compotem facere; quique ardentissimas precaliones tuas gemitusque, quibus divinæ Majestatis oculos inclinasti, voluerit exaudire. Summo præterea studio faciendum imperavimus, ut in regno nostro toto, pro tam singulari divinitus accepto beneficio, magna celebritate supplicationes instituantur, atque ut a sacris concionatoribus per omnes ditionis nostræ populos ineffabilis elementissimi Dei misericordia prædicetur; ut scilicet universi, gratissimi hujus nuntii participes effecti, quique per se Christo Deo ac Domino nostro gratias agerent immortales. Neque vero quispiam est omnium, qui ore plenissimo non conlitteratur, hoc tam inexpectatum bonum primo quidem Deo Optimo Maxime, tum vero Beatitudinis tuae merito accepit jure esse referendum ».

459. Ad alia deinde transgressus, de quibus legatus Pii nomine (ut supra fuse narravimus) secum egerat, subjunxit :

« Venio nunc ad litteras ac legationem beatitudinis tuae. Ego vero, sanctissime in Christo pater ac beatissime Domine, postquam

⁴ Guadian. Epist. Pa. lib. 5, Epist. 5, pag. 403.

ipse mecum rem omnem diligenter considerans, alque prout sane tandi negotii a me dignitas ac magnitudo postulabat, cuncta mature consilio perpendi, ad ejusmodi expeditionem libentissimo animo conspirandum mihi esse constitui, cum propter ipsius rei splendorem et amplitudinem (ulpote cum hic totus Christianae reipublicae salus agatur), tum etiam ut prompto magnoque animo paream Sanctissimo Christi Domini vicario. Cui quidem ego vicario me praeter caeteros omnes sane plurimum debere intelligo, et propter maxima, que ille in me benigne contulit beneficia, et ob summam ejus in me benevolentiam: tum denique, ne forte cuiquam Christiano principi veniret in mentem suspicari, utrumque velle me exemplo meo vel minimum occasionem dare, ut non nulli ab hoc sanctissimo jungendo foderet aliquando possint retardari. Quod si potentissimi Dei elementia res fuerit eo loci, ut caeleri Christiani principes gloriosissimam hanc expeditionem simi agredi decernant, polliceor ego et constanter affirmo (quanquam nupole in extremis orbis terrarum finibus collocatus, a Turcarum imperio longissime absim) velle me primum in hanc sacri belli societatem adscribi, ipsique expeditioni praesentem interesse. At licet id bellum tam felicissime instituti, si privata commoda respiciamus, non tam ad me, quam ad alias Christianos principes pertinere videatur, quippe quorum regnis sibi propinquioribus maxima dama Turcae olim intulerint, majoraque sint in dies illaturi, nisi impiis illorum conatibus obsistatur; tamen, quando tandi referat Christianae reipublicae istos sceleratos hosles e medio tolli, ut nulla major hoc tempore nobis incumbere necessitas possit, cumque id bellum si S. Ecclesiae causa suscepimus, cuius gubernacula pro sua providentia Deus Opt. Max. hoc infelicissimo tempore tradidit Beatitudini tuae, alque ego cum res ipsius Ecclesiae ac Sanctitatis Tuae aequa ac meas, vel gravi fortunarum mearum, sive etiam vitae cum delimento, defendere debeam; sacro sanctae huic societati et me ipsum et fortunas et opes meas, seu quae in Lusitania, seu quae mihi sunt in India, sponde mea offero, modo res eo, quo dixi, loco sint. Atque haec, ut Ecclesia Christi Domini ac Salvatoris nostri, tot tantisque tempestatibus atque immutissimae tyrannidis aestibus confictata, in tuto ac tranquillo libertatis portu aliquando tandem conquiescat, ut proinde sanctissima Hierosolymitanæ domus, pretiosissimo Redemptoris nostri sanguine respersa, pristinum in statum ac dignitatem suam vindicetur: ut denique Christianorum in Europa, in Asia, et in Africa, summo saevæ tyrannidis oppressæ scelere, provinciæ demum a tam intolerabilis servitulis jugo liberalæ, divinum cultum et honorem

Christo Deo ac Domino nostro tributere: et quam debent, sacrosanctæ Sedis Apostolicæ Romaneque Ecclesie observantiam alque obedientiam praestare queant. Interim igitur, dum optimi istius rerum status cogitatio nos ipsos recreat et consolatur, domine hoc laustum initium optimos successus pollicetur, novum quiddam aliud nobis sese offert decernendum; nam etsi res Indiae eo loco sunt hoc tempore, ut cunctis perfidis regibus continenter in ea conjurantibus, magis quam cetera loca, subsidiis indigeant, nihil secus nos diligentissime mandabimus, ut ingens classis adornetur et commitatibus, et veterano milite, bellisque in Turcas gerendis assueto, egregie communiatur, qua quidem classe ad Mare Rubrum hostem progrediantur. Cui sane rei si clementissimus Deus, ulli speramus, aspiraverit, maximo id sanctae huic societati erit adjumento. Enim vero cum reges Arabum dira Turcarum tyrannde premantur, in eo potissimum laborant, ut a cervicibus suis gravissimum illud servitutis jugum exuentiant, quippe qui jam ab illis defecerint, aliquotiesque terrestri commissso puelio viatores evaserint: sed tamen navalibus pugnis congregandis, aut certe navibus, ne suppedita ferantur hostibus, impediendi, hanc pares vires habent. Haque et nostro foderet, et a nobis expedienda classe ipsi vehementer incitati, divinoque auxilio primum, hostilibus minis ac terroribus contemplis, stabunt a nobis. Hac enim classe Turcarum portus atque profugia, que sunt maritimis in illis oris, permittente Deo, conflictabuntur. Hac classe deinceps intercedet aditus eorum navibus, quibus pretiosissimis mercibus Orientalibusque divitiis onustis tyraunicum imperium sumunditare consueverunt. Hac classe fieri, ut in posterum illis facultas omnis eripiatur habendi remiges, aliosque homines navigandi peritos et exercitatos, quos ille tyraunus ad classum suarum usum vel ex Arabia solet evocare, quorum etiam hoc tempore ob gravissimam acceptam cladem summa laborat inopia; tanta scilicet est in Arabia hujus generis hominum copia, ut fere omnes, quorum servitio in navigationibus uluntur Lusitani. Arabes sint. Hujus praeterea classis ope maximum illud Ethiopum imperium, cuius salus et restitutio continententer sollicitat Beatitudinem tuam, quodque Turcae saepius invaserunt, ac pro ea, qua ejus potundi (quod omnino Deus averat!) id enim magno Christianæ religioni esset incommodo spe et cupiditate flagrant, inflammati animis insolescunt, divina favente clementia, respirabit, atque ad sanctæ Ecclesie Dei praestrandam obedientiam excitabitur. Praeter hanc autem hoc toto Lusitano regno militem, munitiones, commissarius, naves, et omnia, quibus ad instruendam classem opus fuerit, confestim

imperabimus, ut id subsidiis, vel ex toto, vel ex parte sanctae huic belli societati opem queat afferre; nisi forte necessitas aliqua, cui non obtemperari non potest, id nobis consilii præpediret: aut Lutherani, aut etiam Africani Saraceni colligerent copias, quibus copiis nos obsistere oportaret. Id quod accidit hoc ipso anno. Etenim, cum ipsi Lutherani validissimum sexaginta aut septuaginta navium classem aditieavissent, qua furenter has Occidentis oras in primisque Lusitanos diripere et vexare moliebantur, ubi classem nostram ad bellum gerendum expeditam esse cognoverunt, perniciuos illam cogitationem statim abjecerunt; atque inde factum, ut eorum e faueibus ingens præda sit erecta. Nam si malo aliquo fato contigisset, ut istæ ex Oriente Occidenteque profectæ naves utriusque Indiae divitis onustæ, quas ipsi spe quadam et cogitatione devoraverant, eorum in potestatem pervenissent, facile cruento bello Christianam Rempublicam afflictare potuissent. Hac nos adducti necessitate, et vero quoniam Ludovicus de Torres sero admodum Beatitudinis Tuæ mandata retulit, exacto. Vere proximo, id quod vehementer optabamus, sanctæ isti societati auxilium mittere nequivimus. Quod si etiam rerum difficultate coacti hoc anno pariter classem in id belli subsidium mittere non potuerimus, curabimus tamen, ut aliquo saltem numero navium, praeter eas, quæ in Mari Rubro dirigentur ex Indiis, federatorum classibus opem feramus.

“Quod autem ad matrimonium attinet, narro tibi, sanctissime in Christo pater ac beatissime domine, nos id, quemadmodum vel quam sustinemus personæ dignitatem, vel etiam hujus regni nostri honor et salus postulabat, adhuc tractavisse. Sed nunc maxime reverendus cardinalis Alexandrinus eadem super re beatitudinis tuae nomine mecum sermonem contulit. Quod quidem Sanctitatis tuae jussa fecisse illum cognovimus, non solum ut vel rebus nostris optime consuleres, regique nominis nostri rationem haberes, vel ut summam tuam in nos charitatem atque elementiam planius omnes agnoscerent, vel denique ut posteris nostris tantæ in primisque memorabilis rei testimonium relinqueres; sed eo etiam amplius, ut per ejusmodi occasionem afflicti Galliæ rebus, cuius salus tibi dies noctesque ante oculos observatur, opem ferre tua posset Beatitudo; idque, ut ea provincia aliquando tandem pristinum in statum restituatur, atque in posterum conservetur incolumis; atque ideo, ut Christianos reges omnes, quorum quidem mutua benevolentia charitasque magis ac magis in dies refrigerari videtur, ad Christianæ pacis et concordiae se vinculis conjungendos accenderes atque inflammares. Hinc

vero, sanctissime pater in Christo ac beatissime domine, Sanctitas tua confidit fore, ut sacro-sanctæ huic, quæ adversus crudelissimum tyrannum Christianique nominis hostem conflatur, societati prospera cuncta fausta sint eventura. Quæ quidem omnia cum ita revera sese habeant, cognoverimusque, non solum a Beatitudine tua, sed etiam ex aliorum cum sermonibus, tum litteris, Christianissimi Galliæ regis sororem maximis clarissimisque virtutum ornamentiœ ita fulgere, ut ea jure optimo nobis placere possit; faciendum esse decrevimus, ut ea de re cum eodem cardinali Alexandrino apertius ageremus, idque negoti ipsius in manu poneremus, ut ipse beatitudinis tuæ nomine, cum primum pervenerit in Galliam, quo nunc ab ipsa legatus contendit, eadem super re loquatur cum oratore nostro ibidem agente. Quod si Galliæ res, quod ad negotium attinet, eo loco fuerint, ut salva et auctoritate et existimatione nostra, de his agi posse videatur, tunc solum ad præpotentis Dei honorem et gloriam, ad sanctaque matris Ecclesiae salutem et tutelam, atque ad Christianorum principum inter se concordiam et pacem refinendam, libenti animo feram, ut hujusce matrimonii affinitatisque vinculis Beatitudo tua me obliget atque devineat. Enim vero si unquam antea, nunc certe commodissima atque opportunissima sese offert occasio, qua Christiani principes suam in Deum pietatem, propensamque ad officia promerenda voluntatem, atque in Ecclesiam Catholiceam amorem, mortalibus optime declarare queant. Nunc enim præclarissima datur opportunitas Christianam Rempublicam non tutandi solum, sed etiam amplificandi. Nunc aditus palet ad gloriosum Christi Dei et Domini nostri sepulchrum, cæteraque amplissima divinæ sue in nos charitatis monumenta pristinum in statum et honorem restituenda. Nunc optata nobis tribuitur facultas, quod immanis illius atque importunissimæ bellum feritatem nefariosque conatus reprimere ac labefactare facile possimus. Nunc egregiam nobis defert Deus communitatem debitas a sceleratissimo tyranno poenas sumendi. Ad hanc porro tam illustrem, tam gloriosam, Christianisque principibus tantopere dignam expeditionem nos elementissimus Deus adhortatur, hac ipsa gloriosissima concessa victoria, cum arrhabone certissima spe, fore ut inde triumphos omnes agamus. Deus immortalis! Vos nunc appello, reges ac principes Christiani, quousque tandem per dissensiones nostras ac temeritatem fieri patiemur, ut sordidissimis Turcarum pedibus conculeentur ea loca, quæ sacratissimo Iesu Christi Dei et Domini nostri madafaeta sunt sanguine; Haec, hæc, inquam, sunt bella Domini: hæ veræ Christianoque nomine dignæ

expeditiones. Cum igitur ad has conficiendas nuptias, Christi Domini ac Liberoris nostri sponsae, et salutis et libertatis studio moveamur; ac licet nobis persuasum sit, Christianissimum Gallorum regem fratrem nostrum in hoc sanctissimo federe ita se gestum, ut ante in rebus ejusmodi perpetuo se gessit, atque ad rem Christianam et tutandam et etiam augendam, eam charitatem, quam majores ejus semper contulerunt, ex quo etiam Christianissimum regum sibi nomen pepererunt: tamen, ut huic regi nonnullam optimam nostram in cum voluntatis significationem demus, universo declaremus orbi, quanti faciamus et affinitatem illius, et etiam totius Ecclesiae Catholicae conservationem: nos sane amplissimae atque opulentissimae dotis loco ponimus, si haec ipse nobiscum belli societatem coire voluerit, unaque nobiscum in hunc Christianae reipublicae, omniumque salutis hostem infensissimum, conjurare. Sanctissime in Christo pater et beatissime Domine, Deus Opt. Max. beatitudinem tuam diutissime servel incoluim, ad nostram totiusque Christianae reipublicae utilitatem. Datum Olyssipone, XIII kalend. Iannarii MDLXXI.

460. *Cardinalis infans Lusitanie post acceptas Pii litteras, Pontificis benignitatem et eximias dotes celebrat.* — Magnificentissimus hisce Sebastiani verbis facta minime consonasse, et praeclare composita consilia longe alium, quam sperabatur, exitum habuisse, inferius narrabitur. Henricus autem cardinalis infans ad Pontificis Epistolas sibi a cardinali Alexandrino exhibitas rescribens, Pio victoriam de Turcis relatam in hunc modum gratulatus est¹:

« Beatissime pater, ac sanctissime domine nosler.

« Maximam fætialiam, qua omnipotenti Deo pro maxima et gloriosissima victoria contra Turcas classi sancti fœderis concessa, gratias agere non cessamus, plurimum auxit et confirmavit jucundissimus felicissimusque reverendissimi domini cardinalis Alexandrini legati, et pronepotis Sanctitatis tuae vestigia secutus, ita videtur eminere, quasi ceteras virtutes non habeat; id maximi fecimus, et congratulati nobis sumus, quod tantum virum, tot illustrum ac piorum virorum familia sociatum, ad regem dominum meum mittere sit dignata Sanctitas tua. Agnoscimus, pater sanctissime, beneficii magnitudinem, et immensam Sanctitatis tuae benevolentiam, qua sane digna est regis domini mei propensissimus in Sanctitatem tuam et Apostolicam Sedem amor et benevolentia, meaque et totius regni hujus affectio, et observantia singularis. Que circa negotia sibi a Sanctitate Tua commissa confecerit re-

verendissimus D. cardinalis, ex eodem, et litteris regis domini mei cognoscet Sanctitas Tua, que sibi persuadeat, velim, me omni ope atque studio curasse, ut ea ex Sanctitatis Tuae sententia celeriter et teliciter conciperentur; qua de re, et de aliis a me illi communicatis, te certiore prope diem, Deo dante, faciat reverendissimus D. cardinalis, cui felicissimum ad Sanctitatem tuam redditum exopto et precor. Deus omnipotens Sanctitatem tuam nobis et Ecclesiae sue dulissime felicissimeque servare dignetur incoluim. Olyssipone, die xiii Decembris MDLXXI.

« Humilimus et doxofissimus S. V. servus, et creatura, Hen. cardinalis Intans.»

461. *Per fidos Lusitani regis nuntios Pius litteras curat perferendas ad reges Persir, Arabie et Ethiopia, ut eos ad proterundos Turcas incitet.* — Similiter et Christiani alii principes felicem et singularem Christianae classis eventum Pio per litteras et nuntios gratulati, illi secundum Deum tam insignem victoriam acceptam retulerunt. Vicissim ille, cum probe intelligeret, non satis esse vincere, nisi victoria quoque ulli victores scirent, ne tam opportuna e manibus laberetur occasio communis hostis vires imperiumque frangendi, non federatos modo aliosque Christiani nominis principes, sed ethnicos quoque, et extremi prope terrarum orbis reges per litteras oral et obtestatur, ut contra Turcarum tyramnum arma sumant. De legatis a Christianis principibus ad Persarum regem intendis egerat, ut supra vidimus, cum Philippo Hispaniarum rege, Pii ejusdem jussu, Alexandrinus, agebatque hoc tempore in Lusitana aula degens cum Sebastiano, quando, priusquam de illius super hac re sententia certior Pius fieri posset, una cum exemplis Epistoliarum ad exteris eos principes datarum, hanc Epistolam¹ misit:

« Charissimo in Christo filio nostro Sebastiano regi illustri.

PIIS PP. V.

« Charissime in Christo fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Maximam et gloriosissimam de Turcis relatam victoriam, omnipotentis Dei benignitate nuper nobis concessam, de qua superioribus diebus per litteras nostras Majestatem tuam certiore fecimus, universæ Christianæ reipublicæ tanto adjumento futuram esse confidimus, ut nihil in eo genere majus sane possit unquam excogitari; si modo posthac tam opportunam rei bene gerenda occasionem Christiani principes atque alii ipsis hostibus finitimi reges minime negligant aut abjiciant: quin potius, qua par est, celeritate virtuteque

¹ Ex Originali, apud nos. MSS. 5. Tom. LXVII.

¹ Apud Gobh. Ep. 76, lib. 5, Epist. 6, pag. 413.

eamdem arripiant ac fortiter perseguantur; sique nos nullum quod a nobis proficisci possit, officium haudquam prætermiserimus. Nos igitur Ethiopum Persarumque regibus ac cæteris iltarum genitum principibus sine cunctatione perscribendum esse putavimus in eam sententiam, quam ex ipsis litterarum exemplis, quæ cum hisce ad te mittimus, poteris intelligere; quocirca abs te etiam petimus, ut eisdem litteris nostris tuas quoque, si commodum judicaveris, ad eosdem reges ac principes, magna efficacitate scriptas, velis adjungere, curareque diligentissime, ut illæ per homines ejus tantum rei causa missos, qui et virtute et eloquentia sua rem conficiendam procurare valeant, summa fide ad ipsorum regum ac principum unumquemque singillatim perferantur. Quod quidem majestatem tuam tum Christianæ reipublicæ causa, tum etiam suo suorumque regnorum beneficio libenli promptoque animo facturam non dubitamus. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, XV kal. Decembris MDCXXI. Pontifical nostr. ann. vi ».

462. Exemplar Epistolæ¹ ad Persarum regem hujusmodi fuit:

« Illustri viro Siecco Persarum regi potentissimo.

PLUT. PP. V.

« Illustri viro Siecco Tahamaso Persarum regi, Spiritus veritatis illuminationem. Nullum nobis dubium est, quin et litteris multorum et nuntiis ac denique rumore ipso ad te sit allatum de ingenti et glorioissima atque adeo post hominum memoriam maxima naval Victoria, quam Dei Opt. Max. ope ac benignitate, nonis Octobris proxime præteritis, Christiani principes foderem sociati in sinu Corinthiaco, prælio cum validissima in primisque copiosa ferocissimi ac potentissimi Selymi Othomani tyranni classe commisso, divinitus reportarunt. Quo quidem in prælio videre fuit captas vel depressas ad trecentas, easdemque instructissimas atque ornatissimas hostium triremes, aeneis tormentis partim receptis, partim vero demersis, trierarchis suis ac ducebuis, navarchis, militibus, atque remigibus cum omni apparatu militari fusis, occisis, ac penitus occisione deletis, paucis quibusdam exceptis, qui statim erepta fuga periculum evaserunt. Quod sane divina providentia factum esse certe scito. Nam anno superiori, non sine summo animi nostri dolore, cum intelligeremus Selymum pro effrenata atque inexplicabili aeterna rapiendi cupiditate, ac pro insito sibi ac perpetuo rerum potiendi desiderio, rupto pacis vinculo, quo se non ita pridem

enim dilecto filio nostro nobilique viro Venetorum principe, eaque cum Republica sese conjunserat parens ejus Solymanus, quodque ipsem, posteaquam est ad maximam illam ac præter alias omnes formidabilem regni potestatem evectus, arietius confirmaverat, cunctis sive humanis sive divinis legibus nefarie violatis, ac collectis undique militibus, se Cyprium in regnum jandiu Venetis subjectum intolisse, summisque belli viribus instructum urbes crudelissime expugnasse diripuisseque, ac demum eam insulam omnem devastando in potestatem redegisse; ad boni pastoris officium nobis divinitus commissum pertinere existimavimus tanta super re nihil amplius esse cunctandum, sed vehementer in Deo Domino cohortari, et commonere, et rogare oportere Christianos principes omnes, in primisque charissimum nostrum in Christo filium Philipum Catholicum Hispaniarum regem, ut pote inter ceteros præpotenter, et regnorum amplitudine, et multorum robore populorum, et opum divitiarumque splendore florentissimum, ut ipsi omnes nobiscum una, et cum iisdem Venetis, sensibus viribusque conjunctis, in istius tyranni rabiem et furorem comprimentum, atque in eum a nefariis cogitationibus suis revocandum conspiraremus. Quo quidem laudabili utilique consilio nostro, perpetuis laboribus, assiduis vigiliis, singulari sollicitudine nostra ac patientia, Deo bene juvante, feliciter constituto, optabilem aequa ac necessariam inter nos societatem coivimus ad laudem et gloriam Dei; idque non quidem, quod bellicas ac militares cogitationes libenti animo suscipiamus, cum aliqui pacis amantissimi vindices simus, sed ut, quæ attollere superbia solet cornua deprinamus omnino atque adeo confringamus. Nobis igitur talem, ut diximus, ac tantam victoriam adeptis, id prorsus non solum Christianis, sed cunctis etiam regibus totiusque terrarum orbis principibus maximo est adjumento futurum, in primisque tibi perpetuas easdemque gravissimas eunq; Ottomana domo inimicitias gerenti, pro veteri vestro et inexpiabili in eam odio, a majoribus vestris haereditario quasi jure in vos usque derivato. Quod quidem facile fiet, si hanc, que ultro sese offert, opportunam rei bene gerendæ facilitatem haudquam prætermittendam esse judicaveris. Quamobrem ejus te merito admundum esse duximus, quin etiam ad communem utriusque nostrum utilitatem ad oculos tibi omnino decernendum proponere voluntus, ut ejusmodi occasionem divinitus oblatam forti alacriisque animo complecti ac persequi velis, qua nullam meliorem poteris unquam reperire. Haque primo quoque tempore justum exercitum colligere, atque in istis Orientalibus plagiis de improviso communem

¹ Apud Goub. ut sup. Ep. lib. 5. Ep. 7, pag. 445.

hostem invadere debes omnino, ut dum ipse, **rebus suis afflictis, atque ipsa maxima, quam supra commemoravimus,** clade conflictatus interjacet, possis eas, quas Othomanus clarissimis Persarum regibus identidem intulit, injurias uleisci, vel dama compensare ac resarcire, atque etiam ut Mesopotamiam ac Syriam provincias, nec ita pridem vobis sujetas, sed erectas et a Selymio inique per vim occupatas, eodem tempore recipias atque recuperes. Quae res tibi haud difficultis erit obtentu. Nos enim illa nobiscum considerantes vere colligimus: Selymus incredibili hac calamitate fractus ac debilitatus, vidensque maritimo se spoliatum imperio, teque isthine fortissime depugnantem; ex alia vero parte Christianos foederatos validissimas ac fortissimas copias ex Europa ad bellum in eum terra marique gerendum educentes, uno et eodem tempore tot tantosque impetus sustinere, aut paribus viribus congregari nullo modo poterit. Quapropter nos potentissimum Deum, in eius manu regum sunt corda, supplices deprecamur, ut te ad praeclara illustriaque fortiter aggredienda facinora, ad eademque deinceps summis viribus confliienda commoveat, accendat, inflammet, atque ut res tuas omnes acerbissimo ac telerrimo humani generis hoste benigne tueatur, simulque felices eventus tuos augere velit ac prosperare. Quae quidem omnia is, quem cum his litteris ad te mittimus, plenus explicabit. Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, XVI kal. Decemb. MDXXI, Pontificatus nostri anno sexto ».

463. Epistola¹ vero ad Arabiae Felicis regem exemplar hujusmodi fuit:

« Potenti Seriphio Mutahar regi Arabiae Felicis.

PII S PP. V.

« Potenti Seriphio Mutahar Arabiae Felicis regi, Spiritus veritatis illustrationem. Dubium non est, quin communis imminentium periculorum metus, injuriarumque earundem communio ad quorumvis vel principum vel populorum animos consociando plurimum valeat, tametsi maximi locorum intervallis disjuncti, aliisque permultis rationibus inaequales essent et impares. Turcarum tyranni tantam dominandi propagandique sui fines imperii cupiditate, tantaque divitiarum el auri siti continenter exardescunt, omnibus ut principibus et gentibus ob id infesti esse non desinant, mortalesque omnes aequi sibi subjicere, eosdemque opprimere concupiseant. Sed quoniam vires suas ac potestatem quamvis magnum haud salis esse subinde cognoscant, hac semper arte astutiaque sunt usi, ut tanisper, dum bellum in certos

adversarios moverent, cum caeteris intermixtis pacatos se et amicos esse simularent. Ex quo factum est, ut summo perfidie scelere Persis, Aralibus, Graecis, Alemannis, Hungaris, Italis, nobilissima regna provinciasque identidem eripere, tyrannidique sua adjungere non dubitarint. Quarum quidem felici rerum successu, regnique potentia et amplitudine, eorum audacia, temeritas atque superbia eisque pervenit, ut qui illorum armis sese audeat opponere, neminem esse sibi persuadeant; quin omnes homines vel ad unum dicto sibi putant audituros. His igitur consiliis Selymus, qui nunc tyranus imperiali Turcis, diligenter instructus, anno superiore nobilissimae Venetae reipublicae Cypri regnum, atque alia tum maritima, tum terrestria loca eidem reipublicae subjecta, hostilem in modum eripere corpori atque occupare, spreto jure societatis, violatis pactis et conventis, nullaque jurisjurandi a semel ipso dati habita ratione, neque ulla vel minima occasione lassitus. Quonobrem nos et pro paterna, quam nobis meritis licet imparibus Christiani totius populi sustinendi curam Deus commisit, repente per litteras ac muntios Christianos principes omnes monere coepimus, et cohortari ad conspirandum in maximam istius crudelissimi hostis nostri comprimentem insolentiam ac ferocitatem. Hinc igitur, fodere inter Catholicum Hispaniarum regem et nos et ipsos Venetos ieto, ac, quanta maxima brevi temporis spatio colligi potuit, classe comparata atque missa contra Turcas, cum insubitu Corinthiaco, nonis Octobris proxime decarsis, navale praelium est commissum. Quo quidem praelio tantopere dignam gloriosamque victoriam nostri sunt consequenti, ut nunquam antea par vel visa fuerit vel etiam audita. Nam validissima et optime instructa Turcarum classis, que trecentarum navium eiusvis generis erat, coque amplius, maxima parte capta est; reliqua vero depressa ac penitus excisa. Caesa præterea sunt plus triginta Turcarum milia una cum duicibus suis, in quibus erat illorum militiae robur. In primis vero centum et nonaginta triremes cum eximia captivorum multitudine nostrorum in potestate pervenerunt. Quare cum hostis noster saevissim is omni sua sit classe spoliatus, acceptaque gravissima clade fractus merito jaceat, cumque omnis ejus maritima ditio nostrarum classium incursumibus libere pateat: in eam curam incumbere omnino debemus, ut tam præclare illustrisque Victoriae fructus quam uberrimos colligamus. Neque vero nos conquiescimus unquam, donec Christianos principes omnes incitaverimus efflagitando, ut adiuveta societate, et quoniam maximum poterunt, belli præsidis et copiis comparatis, insequenti Vere, terra marique immanem hostem circumveniant atque aggrediantur.

¹ Apud Goub. ut sup. Ep. 8, p. 420.

diantur. Sed hoc ipsum etiam consilii tibi significandum esse censuimus, ut intelligeres, in praesentia commodissimam tibi atque optatissimam occasionem offerri, sic ut fortasse nullam talam unquam sis habiturus, communem videlicet hostem aggrediendi ac perse- quendi, recuperandique res tuas, si quas olim ille per injuriam occupavit. Quod quidem ad agendum, atque ad hanc ipsam et rei tua bene gerenda, et istius scelerati hostis deprimendi opportunitatem arripiendam ac summo studio complectendam te etiam atque etiam hortamur et suademus ac simul etiam obtestamur. Sie enim dubitare nemo debet, quin hostis iste circumseptus maximis et validissimis exercitibus et classibus duxatus, vestros simul et nostros acerrimos impetus handquaquam sub- stinere queat. Potentissimus Deus optimam quoque hujuse te consilii rationem edoceat, ut prorsus moliaris id atque perficias, quod ei sibi sigillatim, et universo terrarum orbi sit saluti futurum; quemadmodum etiam, qui has nostras ad te litteras perferet, latius edocebit. Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, XV kalend. Decembr. MDCXXI, Pontificatus nostri ann. VI ».

464. Ad Ethiopum tandem imperatorem, quam scripsit, Epistola talis fuit:

« Charissimo nostro in Christo filio Mennae, regi regum illustri, Ethiopum regi.

PIUS PP. V.

« Charissime noster in Christo fili, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Quoniam pro ea charitate, qua deceat, in Domino nos valde diligimus atque aestimamus majestatem tuam, utpote magnum, excelsum ac præpotentem principem, atque Christianæ religionis amantem; cumque præterea istis in oris ad gloriam et honorem Dei ac Domini nostri Iesu Christi, potentiam tuam auctam esse cupiamus; faciendum esse duximus, ut his litteris nostris certior fieres de maxima glorioissimaque victoria, qua idem Dominus ac Redemptor noster Christianorum classem exercitumque nuper dignatus est. Etenim anno superiore Selymus Turcarum tyrannus, societatis pactorumque legibus nefario perjurii scelere violatis, neque ulla vel minima occasione provocatus, sed sua ipsius sibiisque insita toti terrarum orbi imperitandi cupiditate permotus, clarissimam Venetorum rempublicam, et Cypri regno, atque insula, aliisque præterea tum terrestribus tum maritimis locis eidem Reipublicæ subjectis, hostilem in modum spoliare ac diripere aggressus est. Quo quidem iniquo nos facinore commoti, pro ea, quam, sic Deo disponente, Christianæ reipublicæ curam gerimus, contestim animum adjecimus, et per

litteras et per internuntios ad Christianos prin- cipes cohortandos et incitandos, nihil ut non agerent, quo possent perfidissimi hujus tyranni furorem et insolentiam reprimere ac colibere. Itaque, inter serenissimum Hispaniarum regem Catholicum et nos Venetosque ipsos federe percosso, ac non ita magno temporis intervallo ingenti classe ædificata, missaque contra Turcas, cum iis nonis Octobris proxime lapsis in Graecia sub Sinu Corinthiae navalı pugna signa nostri contulerunt: indeque tam illus- trem gloriosamque victoriam reportarunt, ut prioribus sæculis nunquam viderent homines aut etiam audierint. Nam Tureica classis, quæ erat omni genere navium numero trecentarum eoque amplius instructa, suamque belli præsidiis et viribus egregie communita, majori ex parte capta fuit: reliqua vero vel demersa vel prorsus occisione delela. Occisa præterea sunt triginta et amplius Turcarum millia una cum ductoribus suis, ac proinde nostrorum in potestatem venerunt cum ingenti captivorum multitudine centum et nonaginta triremes, in quibus summum eorum militiae robur inerat. Cum igitur noster hic inmanissimus hostis, omni sua classe despoliatus, gravissimaque accepta clade perterrefactus ac merito fusus et fractus succumbat, cumque omnis ejus ora maritima nostrorum pateat excursionibus, nos neque prætermisimus antea, neque adhuc in dies prætermittimus Christianos principes exci- tare et impellere ad tam præclare nobilisque victoriae fructus uberrimos percipiendos, ut et ipsi etiam in societatem adscripti quantis maximis poterunt bellicis apparatibus ac viri- bus instructi teterimum hostem terra marique petere, atque undique cingere aggrediantur. Qocirea nos pariter hortamur majestatem tuam oramusque, ut posteaquam potentissimo Deo. Patri misericordiarum, et Deo consolationis. Dominoque exercitum, de tam excellenti honorificaque victoria, uti nos quoque fecimus, quas deceat, gratias egeris, libenti promptoque animo velis opportunissimam hanc captare occasionem crudelissimi cunctisque infestissimi tyranni, ac potissimum Christiani nominis hostis accerrimi temeritatem, ferociam atque superbiam compescendi. Id autem eveniet, si undecimque fieri a te potuerit, bellum in eum commovendum esse decreveris, quo Longinus latiusque fines tui possis imperii, ac simul Christi religionem propagare. Qua quidem in expeditione conficienda nihil omnino dubitamus, quin Latini sanguinis vires, opera et studia majestati tuae sint adjumento futura. Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, XI kal. Decemb. MDCXXI. Pontificatus nostri ann. VI ».

Ibis litteris, ad Sebastianum igitur missis, Sebastianus ipse suas etiam adjuxit, ac per

peritos viros ad eos, ad quos scripte fuerant (uti narrat Gabutius¹) perferendas enviravit.

465. *In locum cardinalis Alexandri duximus in Lusitania commorantis, Salvios mitteremus ad regem Galliae ut ipsum ad sociale bellum inducat.* — Nondum vero Alexandrinus Lusitanam legatione pertinens literat, cum Pontifex Gallicanam, quam longe ante animo conceperat, eidem demandandam existimavit. De ipsa in cardinalis S. Severina Diario ista adnotata reperimus:

« Die Veneris xvi Novemboris m DXXI.

« Fuit consistorium secretum, etc., et Sanctissimus dixit: Venerabiles fratres, jam pridem, cum decreverimus mittere legatum ad regem Catholicum, et ad imperatorem, et alias reges, decreveramus mittere Christianissimum regi cardinalem Alexandrinum in reversione a legatione ad regem Catholicum et regem Portu-galliae, pro tractanda confederatione contra communem hostem. Cum autem jam tempus instet, et occasione hujus victoriae sit diligenter illud procurandum fœdus principum Christianorum, ut communibus armis illum aggrediamur, et Victoria ut sciamus, ne forte nobis dicator illud, quod regi Israelis dielum est: *Et quia tu pepercisti regi,..... erit caput tuum pro capite illius, etc.*; multa alia exagerans, dixit, ipsum et principes Christianos non debere negligere gratiam Dei Omnipotentis, qua Turcica classis est devicta, ut arma moveant contra tyrannum illum pro liberanda Christiana republika a tanta oppressione et servitute, ac pro recuperandis regnis et provinceis ab eo occupatis; et plura in hunc sensum pie et zelanter dixit; et properea instantem esse cum principibus, ut in fœdus simul convenient, et ideo ad regem Christianissimum esse mittendum, et rogavit vota.

« Cardinalis Moronus decanus plura in laudem cardinalis Alexandri dixit, et quam præclare se gerat in legatione, et quam pie et devote ex his, que ex Hispania scribuntur,.... et sic tandem probavit et laudavit electionem illius pro hujus legationis munere.

« Similiter cardinalis Augustinus breviter idem dixit; sic et ceteri.

« Cardinalis Paceenus gratias egit.

« Cardinalis Gambara item; et aliqui alii breviter collaudarunt.

« Cardinalis S. Severina intellexit, quod Sanitas sua rogaret sententias, ut etiam non expectato cardinali Alexandino, propter tarditatem illius mitteretur legatus, ut negotium celerius conficeret, dixit: *Placeat, praesertim quia per adventum reverendissimi legati in curiam Christianissimi regis effugabuntur inde Hungonotti.*

¹ Ut sup. lib. 5, cap. 9, p. 180.

Domes laudarunt et probarunt, et sic Sanctissimus instituit, et crevit legatum ad regem Galliarum illustissimum et reverendissimum dominum cardinalem Alexandrinum cum facultibus alias sibi concessis. Hoc in Diario,

466. At cum diutius quam Pius putaverat, ob hec et alii que supra memoravimus negotia, legatus Alexandrinus in Lusitania commorari cogeretur. Ubi spona etenim tantummodo idib. Decemb. ut testatur Diarium legationis, quod in Chisani Bibliotheca servitur, discessit neque tam cito in Gallias, ut Pontifex ipse desideraverait, contendere posset: visum est idcirco Pro eisdem, ad Christianissimum regem, suum et Apostolicæ Sedis internum statim rursus mittere etatis equis ut Gacinius² scribit Antonium Mariam Salvitum Sancti-Populi episcopum jam pridem ad Italie principes legatum diximus, ut regem ipsum ad sociale contra Turcas bellum impelleret, ad quem idcirco his fidei litteras scripsit:

Charissimo in Christo filio nostro Carolo Francorum regi Christianissimo.

PIE'S PP. V.

« Charissime in Christo fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Cogit nos gravissimum hoc Summi Apostolatus munus, nostris humeris a Deo impositum, omni studio et cura incumbere in eas cogitationes, quae haec temporum conditione et statu possunt esse Ecclesie Christianae maxime salutares. Qui quidem cura a Deo incendimur et stimulamur, ut nihil potius habeamus, quam ut ea, que maxime cupimus, in Ecclesia Dei, sua primum ope, tom Christianorum principum (in quibus majestatem tuam, ut nomine, sic re ipsa Christianissimam cognovimus) consilia alique opera constituta videamus. Hinc factum est, ut cum dilectum filium Michaelem cardinalem, Alexandrinum nuncupatum, nostrum de latere legatum, cur ad majestatem tuam mandata de rebus gravissimis dederassemus, tardius desiderio nostro ventrum esse arbitrarentur, venerabilem fratrem Antonium Mariam episcopum Salvitum, nobis multo usu, in quo speramus majestati probatissimum, eisdem de rebus mitteremus. Quod autem a majestate tua in primis cupimus, illud est: nostro semper malo experti sumus, quantum ex Christianorum disjunctione et dissidiis creverit teterrimus ille barbarus atque hostis Christi, et ejus nominis deleto. Postquam vero sua ipsius impietate et rabie execratus nulla non solum re, sed ne cogitatione quidem lacessitus, tracto fôdere, atque omni,

² Codic. T. a. IV, p. 79, sub Gregor. XIII. — ² A. ad 6. ab. 6. Ep. 3, p. 22, 301.

non modo divino, a quo ille semper fuit alienissimus, sed humano etiam, ac gentium jure violato, universum Cypri regnum internecione delevit: nec tanto sanguine satiatus, quacumque pervasit, classe illa funestissima sempiternum suæ crudelitatis monumentum reliquit: divino consilio factum est, ut nobiscum una charissimi in Christo filii nostri, Philippus Hispaniarum rex Catholicus, et serenissimus Venetiarum dux, ad extinguendum communem incendium invictis viribus concurrerent. Itaque iecto fœdere statim et classe instrucla venerunt, vidernut, vicerunt: partaque Victoria ex omni memoria maxima et glorioissima, re ipsa experti sumus, non minus adversus canem illum rabilissimum valere nostram voluntatum ac virium conjunctionem, quam adversus nos valeat nostra disjunctio. Hæc igitur via, quam nobis digito suo commonstravit atque aperuit Deus, incedere statuimus: cuius quidem via te regem Christianissimum comitem, gloriaeque consortem omnes in primis cupimus, rogamus, et quantum possumus, per viscera Dei nostri, per quem reges regnant, obsecramus. Hoc te ipso, id est, tua virtute et potentia dignissimum est, tuis rebus utilissimum, tue matris Ecclesiae, qua nati sui opem implorat, maxime salutare. Et quanquam non pulchram majestatem tuam nostra cohortatione indigere, tamen longiores nos fecit nostrum desiderium, quo inereditibliter ardemus. Cetera haec de re, deque aliis, quas ei mandavimus, accipies ab eodem episcopo, cuius rationem ut cum nostra sententia plane congruere existimabis, et quasi a nobis ipsis præsentibus eam proferri, sic tuam operam desiderio nostro, alique hinc rerum statui congruentissimam, et tua majestate dignissimam expectamus. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xii Decembr. MDCXXI, Pontificatus nostri anno vi. ».

467. Praeter rem fœderis contra Turcas, quæ summe omnium Pio cordi erat, habemus Salviato iu mandatis datum¹, ut apud regem quereretur de Aquensi episcopo, ad eumdein Turcarum imperatorem a Carolo rege oratore misso: quodque Hugonoltæ liberum sibi esse superstitionis suæ exercilia citra montes habere gloriarentur, ut supra diximus: et insuper ut doleret pacis leges a rege quidem ipso religiosissime custoditas, seens ab hereticis. Pontificis etiam nomine jussus est idem internuntius nuptias inter regis sororem ac Navaræum execrari; ac demum dare operam, Anglorum Catholicorum, qui in carcéribus delinerentur, ut protectionem Carolus suscepere.

468. *Inter eundem Salviantus a Genuensibus petit ut subsidium tribuant pro sacro bello prosequendo. — Praeloyanti in Galliam Salvianto*

ipsi nihilominus Pontifex aliud jubet, de quo cum Iannensibus agat, per quorum civitatem commigrandum ei erat, cum in Galliam proficeretur. Victus legati Commendoni oratione tandem Maximilianus Caesar ea lege sacro fœderi nomen dederat (ut supra diximus) quod a fœderatis sociis viginti millia peditum, quatuor equitum ei tribuerentur. Has igitur copias ul colligeret Pius, pecuniarum ingenti vi cum egeret, ab opulentissima Republica subsidium pecuniarum per Salviantum, hisque litteris² petuit:

« Dilectis filiis, nobili viro duci, et gubernatoribus Reipublicæ Genuensis.

PIUS PP. V.

Dilecti fili, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Quod semper optavimus, atque omni mente a Deo precati sumus, ut videamus Christi fidem toto orbe propagari, ejusque hostes aut resipiscere, aut si nolunt, ab ejus facie ut fumum et ceram liquefcere et disperire; hoc postquam ad summum Apostolatus gradum nullo nostro merito sumus a divina voluntate proveeti, non optandum modo, sed pro nostro etiam minnere curandum atque efficiendum cognovimus. Quam quidem voluntatem, ut nos a summa Dei benignitate accepisse profitemur, sic immortales ei gratias agimus, quod et nobis et charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum regi Catholicæ, neenon dileolo filio, nobili viro Aloysio Mocenigo duci Venetiarum eamdem mentem ac voluntatem immiserit; quodque nos non ad nostra tantum luenda quanquam nec hanc quidem cogitationem abjectendam putavimus, sed ad totius etiam Catholicæ Ecclesiae salutem atque amplitudinem procurandam sanctissimo fœdere obstrinxerit. In quo incœpto non præsentia tantum nobis spectanda esse duximus, sed futura etiam providenda, semperque illud tenendum, ut neque in adversis ita frangeremur et caderemus animis, ut non aliquando speraremus meliora et lætiora: neque rursum in prosperis et ad voluntatem fluentibus adeo efferrremur, ut non putaremus posse ea interdum communari et verti: sed in omni slalu omnem primum spem repositam haberemus in Deo, tum nihil prætermitteremus, quantum quidem humana ope et consilio provideri atque effici potest, ad ea, quæ nunc essent, vel in futurum esse possunt, adversa repellenda, ac meliora vel paranda, vel, quæ in manu essent, refinenda. Hæc cogitatio effeciit, ut neque initio desperaremus de rebus Ecclesiæ, tum cum monstrum illud telerrimum videbatur omnia maria occupaturum, atque omnes Christianorum oras

¹ Ex instruct. dat. R. P. D. Salvianto Romæ 15 Xbris 1571.

² Apud Goob. Epist. lib. 5. Epist. XI, pag. 432.

vastaturum; neque hoc tempore putemus ita fractum et comminutum quieturum; quin potius existinemus, illud ac plaga irritatum, noctes atque dies cogitare, qua ratione possit virus suum in Christianos evomere, ac in insigni aliqua illorum clade suum inerorem consolari. Postquam autem pulsum est mari, nihil videtur ejus furori aptius, quam si charissimi in Christo filii nostri Maximiliani in imperatorem electi vicinam et finitimam ditinem magna aliqua manu invaserit. Quod quidem periculum et cum communis omnium Christianorum periculo conjunctissimum est, et ab omnibus, quando fieri potest, propulsandum; et nos quidem, et nobiscum una, quos diximus, federati, quidquid hoc tempore potuimus pecuniarum, peditatus, ac equitatus, eidem Maximiliano polliciti sumus. Verum cum eae copiae sint pauciores, quia tamen ingentem nos classem sustinere oportet, cogimur alios etiam dilectos filios (in quibus vos vestro merito charissimos habemus), ad opem ferendam vocare. Qua in re non putamus intendum alia cohortatione, quam ea, quae ducitur a vestra ipsorum, atque ab illius persona, qui vestram opem implorat. Sumus enim unum corpus in Christo, ipsi autem inter nos membra; omnes igitur debemus concurrere ad Christum tuendum, quem quotidie in suis membris confidere parat hostis immanissimus. Implorat porro hanc opem Christus ipse, qui nosler pater et mater est. Qui autem substrahit aliquid a patre suo vel a matre, et dicit hoc non esse peccatum, particeps homicidæ est. Ut autem intelligerelis, quantum praesidii in communem salutem conferre possetis, sic arbitrati sumus, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium consilio, posse vos toto hujus federis tempore facile dare pecuniarum centum et viginti millia scuta. Hac de re venerabilem fratrem nostrum Antonium Mariam episcopum Salviatum ad vos mittimus, eujus orationi eamdem, quam nostræ, fidem adhibebitis; vestrum autem responsum cupidissime expectamus, quod nobis, quanto celerius poteritis, dabitis, quo possimus Maximilianum certiore reddere, ipsumque non solum ad hostium impressionem sustinendam, atque ad Christianam rempublicam communis praesidii spe tutandam, sed ad communem etiam hostem invadendum et superandum animare. Hujus autem auxili, quod vos libenter atque alacriter missuros non dubitamus, non solum magnam vobis ab omnibus Christianis laudem, sed maximam etiam a Deo mercedem pollicemur; is enim neque in hac vita suo vos ac res vestras auxilio destinet, ac Christianorum principum, quos vos hoc facto devincietis, animos atque opes ad vestram amplitudinem aggregabit: et in futura vita hanc vestram

pietatem coronabit semperno honore et gloria. Quotquot in hanc rem pecuniarum indigebitis eas omnes ut a vestris subditis aqua pro eiusque facultate portione novis etiam tributis impouendis sumere possitis. Apostolica auctoritate concedimus. Datum Romæ apud S. Petrum, sub anno Piscatoris, die xvi Decembris mœxi, Pontificatus nostri anni, vi.⁴

469. Constitutio quia Pius bona aliquo alienare permittit ob timorem conceptum nova Turcum invasionis. — Genuenses vero Pontificis pie voluntati obsecundare remisisse, ex datis ad ipsum sequenti anno litteris perspicuum erit. Eo ipso studio cogendi ingentem pecuniarum vim ad sacrum bellum prosequendum sub finem hujus anni, sequentem etiam reperrimus Constitutionem.⁴ Pium edidisse:

« Pius episcopus, servus servorum Dei.

« Venerabilibus fratribus Joann. Hostien., Morono; et Joanni Albanen, episcopis, de Montepolitano; et dilectis filiis Aloisio S. Marci S. R. E. camerario, Cornelio; Michaeli S. Mariae supra Minervam, Alexandrino; Joanni Paulo S. Paneratii, ab Ecclesia; Marco Antonio S. Callisti, Maffeo; Petro Donato S. Vitalis, Cæsio; Hieronymo S. Susanne, Rusticuccio; et Joanni Hieronymo S. Joannis ante Portam-Latinam, Albano titularum nuncupatis, presbyteris cardinalibus, seu majori parti vestrum in curia nunc et pro tempore existentium, salutem etc.

« Etsi benedictus Deus et Dominus, Pater misericordiarum et totius consolationis, qui servos suos sperantes in se non derelinquit, nos misericorditer est consolatus, tradendo partem inimicorum suorum in manus servorum suorum; dum tamen de gregis Dominicis salute ita exactam curam gerimus, ut illius non solum presentibus, verum etiam futuris periculis occurrendum esse judicemus, animadvertisimus plane nobis omnino necesse esse hanc victoriam ea, qua possumus, ratione prosequi, cum si perido Christiani nominis hosti quiescendi, et vires instaurandi, novamque classem instruendi, terrestremque exercitum comparandi spatium dederimus, fructus, qui ex nuper parva victoria uberrimi sperantur, inane et vacui prorsus redderentur; quod ne fiat, omni prorsus ope emendandum est, ut novis copiis terra marique instructis, qui nuper nobis ipsis timebamus, et ipsius hostis terrestres, quos maximos, ut accepimus, parat impetus reprimere, et illius loca invadere et durum servitutis jugum quampluribus Christifidelibus impositum excutere, et Christi nomen propagare studeamus. Verum, cum in hoc opere adimplendo multa ac ea, quia ararium nostrum retroactis subsidiis labefactatum non habeat, pecuniarum summa sit expedienda,

⁴ Estat in Bull. povo III. V. 206

mirum nemini videri debet, si pecunias unde-
quaque, licet tamen, exquirimus, quibus p̄ae-
missa equevi valeamus. Habita igitur super iis
eum venerabilibus fratribus nostris S. R. E.
cardinalibus in consistorio nostro secreto
discussione et deliberatione matura, de ipso-
rum fratrum consilio et unanimi assensu, ex
cerla nostra scientia, ac de Apostolicæ potesta-
tis plenitudine, aliorum Romanorum Pontifi-
cum prædecessorum nosrorum, qui similibus
vel aliis tunc urgentibus necessitatibus non
nulla bona Ecclesiastica vendiderunt, vestigis
inhærendo, circumspeciōni vestra, quorum
integritas, in rebus gerendis dexteritas, nec-
non fides et prudentia, ac cum rerum expe-
rientialia conjuncta solertia nobis jamdudum
perspectae et cognitæ sunt, quosque propterea
ad infrascripta omnia et Apostolicæ Sedis
commissario executores facimus et deputamus:
quod infra annum, a die publicationis præsen-
tium computandum, per vos vel alium seu
alios a vobis per vestras patentes litteras depu-
tandos, quoscumque canones, livellos, respon-
siones, recognitiones, et census perpetuos vel
temporales, precariæ, perpetuae, seu emphiteo-
sis, vel usus, et quoctumque alio etiam feudi
(jurisdictione tamen temporali carentis) no-
mine nuncupatos, sub quibusvis caducitatibus,
et aliis pactis, et conventionibus, ac obligatio-
nibus, neenon modis, etiam recognitionis di-
recti dominii et proprietatis, seu etiam causa
honoris, aliave jure, occasione, vel atiler quo-
modolibet constitutos, super quibusvis casalib-
us, possessionibus, terris, vineis, domibus,
prædiis, pratis, nemoribus, sylvis, vallibus,
paludibus, tenimentis, et aliis bonis immobili-
bus, eujuscumque quantitatibus, valoris ac exis-
timationis, etiam speciali nota dignis, existen-
tibus, et quorum omnium et singulorum bono-
rum corpora pro expressis hic haberi volumus,
periinde ac si singula ipsa corpora cum suis
cohaerentiis et qualitatibus descripta essent:
quarumcunque Ecclesiarum, etiam cathedralium,
et metropolitarum, ac patriarchalium: neenon
basilicarum, et monasteriorum, con-
gregationum, Ordinum, hospitalium, etiam
actu hospitalitatem servantium, militiarum, et
aliorum religiosorum, et piorum locorum,
etiam quantumcunque privilegiorum et
exemptorum, ac habentium quod in speciali
vel generali expressione, nisi certis modis et
forma servatis, non veniant neque comprehen-
dantur, in Urbe primum, neenon extra illius
muros, ac quibuscumque civitatibus, terris et
locis per totam Italianam constitutis consisten-
tium, exceptis tamen dictaxat canonibus,
livellis, responsionibus, recognitionibus, et
censibus super castris, fortificiis, villis et
oppidis constitutis et assignatis, ad quæcumque
loca supradicta spectan: per quoscumque, tam

collegia, capitula, conventus, communitates,
universitates quarumcunque civitatum, oppi-
dorum, terrarum, castrorum, villarum, et
locorum, quam particulares personas, etiam
episcopali, vel alia majori Ecclesiastica, vel
mundana dignitate et excellenlia prædictos sol-
vere: seu debitos, vel debendos pro prelio seu
pretiis, quod, seu quæ vobis, vel majori parti
vestrum videbitur, seu videbuntur, etiam per
interpellatas vices, nobis et camera Apostolicæ
in aetu extinctionis, seu, liberationis infrascrip-
tarum, seu infra tempus per vos statuen: per-
solven: seu persolvendis; etiam sine aliqua
cognitione, et nullis tractatibus, nullisque so-
lemnitatibus desuper habitis et servatis, et
sine requisitione et consensu eorum, qui de
jure vel aliter requiri deberent: ac, illis etiam
invitis et reclamanlibus, extinguere: neenon et
cum quibuscumque dictorum canonum, livel-
lorum, responsionum, et quovis alio nomine
nuncupatorum censum debitioribus transi-
gere, et casalia, possessiones, vineas, domos,
prædia, prata ac terras, nemora, sylvas, valles,
paludes, tenimenta, et alia bona prædicta,
etiam si minus legitime aut alias nulliter a
principio alienata fuerint, illave, seu aliorum
aliqua adveniente fine certarum linearum et
generationum, quibus, seu temporis, ad quod
concessa sint, vel concedi consueverunt, ex
forma et pactis in investituris desuper factis
expresse appositis, seu ob canones, census,
usus, responsiones, debitos, ac loco et tempore
consuetis non solutos, aut investituras legitimo
tempore non acceptas, alienationesve de rebus
ipsis, tam jure proprio, quam etiam ratione
utilis dominii, Ecclesia tamen irrequisila, aut
etiam contradicente factas: aliave quavis occa-
sione et causa, etiam speciali mentione digna,
ad Ecclesias, monasteria, prioratus, plebanias,
archipresbyteratos, praecoptorias domos, colle-
gia, capitula, conventus, congregations, hospita-
lia, militias, illorumve mensas quæcumque;
neenon cælera alia cum cura vel sine cura,
sæcularia, et quorumvis Ordinum regularia,
beneficia Ecclesiastica qualitatemque qualifi-
cata, et alia loca religiosa et pia hujusmodi
spectent: aut eo ipso et pleno jure reverli et
devolvi deberent: tanquam forsitan propereas,
seu alias quomodolibet inter quoscumque in
quavis instantia litigiosa existenter, et pro tem-
pore fuerint: aut investiture et concessiones de
casalibus, possessionibus, vineis, domibus,
prædiis, pratis, nemoribus, sylvis, vallibus,
paludibus, tenimentis, et aliis bonis hujusmodi,
etiam ab antiquissimo tempore factæ; paetaque,
conventiones et promissiones inter dantes et
recipientes in id etiam iteratis et multiplicatis
vicibus apposita inita et jurata, aliquomodo
taete vel expresse repugnare seu obstarent,
illorumque feudatarios, usuarios, emphiteolas.

precarios, censuarios, livellarios, locatarios, conductores, ac utiles dominos a feudi, ut prefetur, a jurisdictione vacui usum, censum, canonum, livellorum, precariae, responsionum et recognitionum hujusmodi, ac etiam laudemiorum, seu capsoldorum in pensionia numerata, vel alia specie debitorum præstatione, onereque, nexu, et obligatione, reversione, et devolutione prædictis, ac renovatione investiturarum, consensu directorum dominorum in alienationibus et translationibus de illis, in quoecumque etiam penitus extraneos pro tempore factis adhibendo, neconon omni superioritate et jure Ecclesiastico, atque vexatione litium quarumeumque, que forsan superinde etiam inter ipsos directos dominos ex una, et possessores honorum hujusmodi parte ex allera, nunc et in futorum motæ extiterint, et indecisæ quomodolibet, in quaecumque instantia pendeant, quarum statutum et merita, nominaque et cognomina, judicium et commissariorum et delegatorum, coram quibus, et collitigantim, inter quos forsan sic indecisæ pendent, simulque eorum titulos et jura, etiam nulla et infecta, pro expressis hic haberi volumus, perpetuo in toto vel parte affrancare, et liberare, illisque possessiones, et alia bona hujusmodi, etiam in commissum, quia direclum dominium et proprietatem eorum, quorum juris sunt, aut esse prætenduntur, in judicio vel extra, expresse etiam, et pluries negaverint; recognitionemve de directis dominio et proprietate hujusmodi, etiam requisiti facere neglexerint, seu recusaverint; vel ob canonis non solutionem, aut extinctam lineam, aut alienationes, ut supra factas, sive quovis alio prætextu cecidissent, ad Ecclesiastique, monasteria, prioratus, præposituras, plebanias, archipresbyteratus, præceptorias, domos, collegia, capitula, conventus, congregations, hospitalia, militias, mensas, ceteraque beneficia et loca prædicta, quomodolibet devoluta, et pleno jure jam reversa essent, ab omni et quoecumque, etiam caducitatis, devolutionis, reversionis, renovationis, consensusque adhibitionis hujusmodi molestia, libera et franca, dimittere, et perpetuo concedere; neconon quoecumque instrumenta et scripturas pactis, præmissionibus, cautelis, et aliis similibus apponi solitis et necessariis, vallata et firmata, confidere et celebrare, ac quemcumque seu quoecumque commissarios tam speciales quam generales, qui præmissa, ut eorum aliqua vice nostra suppleant, cum simili, vel limitata, ac nobis benevisa potestate deputare, et subdelegare, ceteraque in id quomodolibet necessaria et opportuna facere et exequi libere et licite possitis et valeatis, plenam et liberam licentiam, et facultatem, ac auctoritatem Apostolica auctoritate tenore præsentium concedimus. Nec

non secuta liberatione hac, lites et causas hujusmodi, et tam pendentes, quam inchoandas, ex nunc prout ex tunc, et e contra, harum serie avocamus, et penitus extinguimus, abque perpetuum silentium super illis, alisque præmissis, præsulibus, abbatis, prioribus, præpositis, plebans, archipresbyteris, præceptoribus, commendatarius, collegis, capitulis, conventibus, congregationibus, rectoribus, administratoribusque supradictis, et aliis quibuscumque ejusvis status, gradus, ordinis, conditionis, dignitatis et præeminentiae existentibus, quorum id quomodolibet directe vel indirecte interest, vel in futurum interesse poterit, imponimus.

“ Insuper ne ullo unquam tempore dubitari contingat, si liberatione et affrancatione hujusmodi seutis, privilegia, immunitates, libertates et exemptiones, que tam Ecclesia ipsa, quam possessiones et alia bona supradicta, illisque sic pro tempore titulo tendi, usus, emphiteosis, livelli, precariae, seu alias quomodolibet obtinentes, habuerunt et habent, perierint et expraverint, quod catenus, quantum vobis visum fuerit, exemptiones, immunitates, privilegia, libertates, de quibus supra, et præsertim quod in publicatione et confiscatione honorum et particulari vel universali etiam ob quoecumque delictum et crimen pro tempore commissa, casalia, possessiones, terræ, vineæ, domus, prædia, prata, nemora, sylvæ, valles, paludes, tenimenta, et alia quoecumque bona feudalia, emphiteotica, livellaria, precariata, censualia, seu alias quomodolibet Ecclesiis, monasteriis, prioratibus, præposituris, præpositatibus, plebaniis, archipresbyteratibus, præceptoribus, domibus, collegis, capitulis, conventibus, congregationibus, hospitalibus, militiis, illorum mensis, ceterisque beneficiis, et locis piis hujusmodi obnoxia nequaquam veniant aut comprehendantur, aut ullo modo publicari, seu curiæ ejusvis domini Ecclesiastici, vel temporalis confiscari possint, vel debant, que tam Ecclesie, quam eisdem possessionibus, terris, vineis, domibus, prædiis, etc, illisque sic ea in feudum, livellum, emphiteosim, precariam, usum, censem, aut alias quomodolibet pro tempore obtinentibus retroactis temporibus de jure, privilegio, consuetudine, seu alias concessæ fuerunt, et competere dignoscuntur; ac durante superioritate, nexu, obligatione, et onere præstationis, canonis, livelli, census, precariae, responsionis, reversionis, devolutionis, directique dominii et proprietatis supradictorum utebantur, potiebantur et gaudebant, utive, potiri et gaudere poterant et debebant, nequaquam ob liberacionem et affrancationem hujusmodi, aliave, harum nostrarum vigore quomodolibet pro tempore secuta, expirent aut cessent; sed in suo

pristino robore et vigore permaneant, eisque oblinientibus pro tempore terras, vineas, domos, prædia, prata, etc., et alia bona hujusmodi, etiam ut præfertur, affrancata et liberata, ut prius, non solum pariformiter, sed æque principaliter et absqueulla prorsus differentia, ac vere, et non per fictionem, perpetuo gaudeant, potiantur et fruantur in omnibus et per omnia, sibique suffragentur, et suffragari debeant, perinde ac si superioritas, onera, nexus, et obligationes canonum, feudi, usuum, empliteosis, livellorum, precarie, censum, responsionum, reversionum, devolutionum, investiturarum, directi dominii ac proprietatis hujusmodi durarent ac nullatenus extincta essent, si, et prout vobis concedere videbitur, concedimus, statuimus, et indulgemus: ita tamen, ut privilegia et exemptiones hujusmodi per vos concedi et reservari nequeant reis criminum læsæ majestatis divinæ vel humanae, assassinis, et officionis cardinalium vel episcoporum; his enim casibus, si alias de jure locus futurus sit confiscationi, privilegia hujusmodi concedi aut suffragari nullo modo posse volumus. Decernentes, affrancationes, liberationes, investitures et concessiones, ac alia præmissa per vos, seu majorem partem vestrum, aut a vobis respective deputandum, vel deputandos, ab eis et singulis eorum, ut præfertur, facienda et exequenda, perpetue firmatatis robur oblinere delbere, ac feudatarios, usuarios, empliteotas, livellarios, precarios, censuarios, et utiles dominos, ac alios prædictos, eorumque haeredes, successores, et quocumque alios, quorum interest ac interesse poterit, modo aliquo contra præsentium tenorem desuper molestari, inquietari, vel impediri non posse: sed illos, ac possessiones, vineas, domos, prædia, ac jura hujusmodi, franca, libera et allodialia perpetuo fore et esse: et ut talia, ac prout alia bona mere laicalia et profana, in quocumque etiam penitus extraneas et incapaces tam ex dispositione inter vivos, quam causa mortis et ab intestato, transferre ac transferri et alienare libere et licite posse et debere.

« Et insuper non modo Ecclesiæ, monasteria, prioratus, praeposituras, praepositatus, plebanias, etc., ceteraque beneficia, et loca prædicta, eorumque præsules, abbates, priores, etc., rectores, administratores, quocumque nouine nuncupatos: sed neque nos, aut successores nostros Romanos Pontifices, aut eam rem Apostolicam ullo unquam tempore præmissis se opponere, aut ab illis reclamare, vel beneficium restitutionis in integrum sub laetacis etiam enormous, enormissimæ, aut etiam totalis, aut alio quocumque pretextu petere vel impetrare, aut ab alio impetratis, seu etiam motu simili concessis uti: minusque

præsentes litteras, sub quibusvis similium vel dissimilium alienationum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, et aliis contrariis dispositionibus comprehendi nullatenus posse, sed semper ab illis exceptas; et quoties illæ emanabunt, toties in prælinum statum repositas, et plenarie etiam sub quacumque data per ipsos eligenda concessas, vimque validi et efficacis et onerosi contractus inter nos et Sedem Apostolicam, et dictos liberatos, etiam cum juramento initi et stipulati sortiri, et ita ab omnibus censerit, atque incomparabilis voluntatis et intentionis nostræ esse; sieque in præmissis omnibus et singulis per quoscumque judices et commissarios quavis auctoritate fungentes, et locorum ordinarios, etiam causarum palatii Apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, ubique decidi, cognosci et judicari debere: irritum quoque, si secus super iis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

« Caeterum, ut indemniti Ecclesiæ, monasteriorum, prioratum, praepositurarum, plebaniarum, etc., ceterorumque beneficiorum et locorum hujusmodi, aliqua sallem ex parte consulatur; volumus, quod eisdem Ecclesiæ, monasteriis, prioratibus, praeposituris, etc., ceterisque beneficiis, et locis prædictis, quorum canones, livellos, responsiones, recogniciones, census, etc., seu alia quacumque jura, per vos, seu majorem partem vestrum liberari, affrancari, alienari, et transigi contigerit, aliqua recompensa, non quidem fundo, super quo canones impositi sunt correlative, sed respectu anni reddiūs per ipsas Ecclesiæ, monasteria, prioratus, etc., ceteraque beneficia, et loca hujusmodi percipi soliti equivalent, aut minor, si vobis aliquando visum fuerit, super alius bonis stabilibus, seu tot locis montium non vacabilium, etiam pietatis nuncupatorum, et per singulas universitates, civitatum, oppidorum, terrarum, et locorum hujusmodi pro tempore, et institutorum; vel facto partis pecuniarum ex d. affrancatione, liberatione, et transactione redigendarum vobis bene visa, actuali deposito ad effectum illum ad Ecclesiæ, monasteriorum, praepositurarum commodum investiendi, assignetur, ipsaque assignata recompensa perpetuo pro evicti ne jurium affrancatorum hujusmodi remaneant, et exinde amoveri nullatenus possit.

« Atque et eo magis securitati eorum, qui vobis aut deputandis a vobis sunt contracturi, provideatur, statuimus quoad ipsos affrancantes et liberantes, facultatem hanc affrancandi, liberandi, transigendi et alienandi vobis concessam, nullatenus conditionalem, aut ad certam formam, et modum restrictam, sed quoad validitatem contractum celebrandorum, ipsorumque affrancantium et acqui-

rentium securitatem, puram et liberam censeri, nullamque recompensæ assignanda rationem haberi, affrancationesque et liberationes faciendas sic valere ac tenere, ac si praedicta omnia sine aliqua recompensæ mentione concessa essent. Ac insuper affrancationes, liberationes et transactiones prefactas perpetuo effectum sortiri, ipsosque affrancantes, liberantes, et transigentes securos esse, etiam si continget, recompensationes per nos eisdem Ecclesiis, monasteriis, prioratibus, etc., ceterisque beneficiis et locis hujusmodi, vel nullo modo dari, vel dandas et assiguandas, ab eisdem de facto vel de jure in toto vel pro parte evinci: eosdemque affrancantes, liberantes, et transigentes nullo unquam tempore in perpetuum teneri ad probandum actualem pecuniarum numerationem, aut pecunias per eos erogatas in Sedis Apostolicae utilitatem versas, minusve recompensam esse assignatam; cum pro corum perpetua securitate sufficere velimus exhibitionem vestrarum litterarum patentium, quibus affrancatio hujusmodi concedatur; etiam si continget ullo inquam tempore contrarium probari: et nihilominus universis et singulis personis in dignitate Ecclesiastica constitutis in dd. locis consistentibus motu simili mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se vel alium seu alios, præsentes litteras et in eis contenta quæcumque, ubi, et quando opus fuerit, ei quoties pro parte alienus fuerint requisiti, faciant auctoritate nostra extinctiones, affrancationes, liberationes, et alia præsentium vigore facienda, ab omnibus, quos illa concernunt, inviolabiliter observari, illisque, ac bonis affrancatis et liberatis hujusmodi, dominos ac possessores, ac omnes et singulos, quos quomodolibet concernunt, eorumque haeredes et successores quosecumque pacifice frui et gaudere; nec permittant, quemquam, contra præsentium, aut ipsorum instrumentorum, seu litterarum patentium tenores, modo aliquo molestari, impediri aut inquietari: contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras, et pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris et facti remedias, appetitacione postposita, compescendo: legitimisque super his habendis servatis processibus, sententias, censuras, et pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis.

« Non obstantibus, etc.

« Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominiæ millesimo quingentesimo septuagesimo primo, tert. non. Decembr. Pontific. nostr. ann. vi.

- * Ego Pius V Catholicæ Ecclesiæ episcopus.
- * Ego Joann. cardinalis Moroni, episcop. Ostiensis.
- * Ego Otho card. Augustanus, episcop. Praenestinus.
- * Ego A. card. Farnesius episcop. Tusculanus, vicecane.
- * Ego Jo. card. Urbini, episcop. Sabini.
- * Ego J. cardinalis Politianus episcopus Albaen.
- * Ego S. card. Pisarum.
- *
- * Ego Jo. Antonius card. S. Georgii.
- * Ego Stan. cardinalis Varmien.
- * Ego F. card. Pachecco.
- * Ego M. Antonius cardinalis Amulius.
- * Ego Jo. Franciscus cardinalis de Gambara.
- * Ego M. S. card. de Altaempis.
- * Ego A. card. Giesnaldus.
- * Ego N. cardinalis de Sermoneta.
- * Ego M. Antonius card. Columba.
- * Ego P. card. Comensis.
- * Ego P. card. de Sancta Cruce.
- *
- * Ego Fla. card. Ursinus.
- * Ego Alexander card. Cribellus.
- *
- * Ego Gul. cardinalis Sirletus.
- *
- * Ego F. card. Aleijatus.
- * Ego Jo. Paulus card. ab Ecclesia.
- * Ego M. Ant. card. Malfeus.
- *
- * Julius Antonius card. S. Severinæ.
- * P. Donatus card. Caesius.
- *
- * Ego F. A. card. Theanen.
- * Ego Fr. Felix cardinalis de Montalto.
- * Ego Paulus cardinalis Placentinus.
- * Ego Jo. card. Aldobrandinus.
- * Fr. Vincentius card. Justinianus.
- * Hieronymus card. Rusticuccius.
- * Ego Jo. Hieronymus card. Albanus.
- * Ego Ferd. card. de Medices.
- * Ego Anton. card. Caraffa.
- * Ego Jul. card. Acquaviva.

470. Constitutionis hujus meminere in Pii Vita Catena¹ et Gabutius², qui licet Pontificem nil prætermisssse narret, quo ferre sacri belli onera valeret, magnaue nihilominus premetur pecuniarum inopia; tamen vel minimum quid unquam patrare voluisse dieit, quod per-

¹ Catena, Vit. Pii, pag. — ² Gabut. Vit. Pii, lib. 5, pag. 186 cap. 9.

sona, quam gerebat, minus justum minusve dignum videretur: ideoque cum plures supplices libelli de beneficiorum, quos vocant regressibus, ei offerrentur, audiit ille quidem omnia, quasi oblatam vellet occasionem arripere, sed mox: « Averta (inquit¹) hoc a me Deus, ut pietatis causa quidpiam agam aut permittam, quod vel minus pius, vel avaritia speciem prae se ferre videatur ». Atque inter haec libellos omnes in ignem conjecit.

471. Quod autem in allata Constitutione asserat Pius se accepisse Turcarum tyramnum maximos in Christianos impetus hoc tempore parare, ad illum utique referendum est, quod his verbis Gratianus² scribit:

« Turcae, postquam collegere ab adversa re animum, primo e mediterraneis locis evocato militie tueri praesidiis maritima loca statuerant, rati Christianos vacuam maris possessionem nactos occasione non defuturos. Sed ubi ex speculatoriis navigiis, quae in omnes partes dimiserant, et Austrum in Siciliam, contentum unius secundi praelii gloria, abiisse: et Venetos hanc quaquam pares fortunae animos gerentes semirulnis Epiri castellis expugnandis, neque ipsum satis prospere occupari; Veneriumque Coreyrae segnia stativa habere, didicerunt; hostium inseitia Iæti omnem curam reparandæ classi intenderunt: verti in eo dignitatem regis gentisque, et salutem tot maritimorum circa orbium, in quas, nisi classis objiceretur, omnia impune conari hostis posset, satis intelligentes: plurimumque ad animos atque opinionem populorum interesse, si tanlae viderentur Turcarum opes, ut non resarcire solum brevi tempore acceptum detrimentum, sed pluribus adaugere copiis possent ». Sic ille.

472. *Martyrium inflictum ab haereticis qui busdam societatis Jesu alumnis.* — Praeclariorum tutioremque vero, quam e Turcis nostri milites, aliquos societatis Jesu alumni ab haereticis triumphum hoc anno fuso sanguine retulerunt, qui ex eæde prælerito anno, ut diximus, a Calvinistis facta Ignatii Azebedii et sociorum triginta novem, superfuerant. Rem narrat Franciscus Ilericus, rector domus Ulissiponensis, in data ad Patres, qui Romæ versabantur, seqnenti Epistola:

« Post obitum Ignatii³ Azebedii et sociorum, cum Lusitanicæ naves e Madera insula cursu in Brasiliam directo solvissent, aliæ alium eventum sortitæ sunt; ea vero, qua Petrus Dias cum sociis aliquot vehebatur, ad Cubæ insule portum, cui a S. Jacobo nomen est, fluctibus ac procellis adeo labefacta pervenit, ut eam relinquere plane sibi necessarium duxerint. Sed cum alia esset ibi nulla, Banam

¹ Idem Gabut. lib. 6, cap. 4, pag. 207. — ² Gratian. de Bel. Cypr. lib. 4, pag. 24. — ³ In addit. ad Hist. Societ. a Mallo script. pag. 232.

ejusdem insula portum in Orientem procedere statuunt; ac tridui primum iter emensi pedibus et quidem excalceatis, imbre denso atque perpetuo, via terrima, difficultatibus præterea, ut in ejusmodi regione, maximis, exiguo et aperto sese commisere navigio, ventis pluviaeque adeo expositi, ut non commeatus modo corrumperetur humore nimio, sed et ipsa, quibus induiti erant vestimenta, pene putrescerent. Eo navigio leucas quatuor et septuaginta Banam usque proiecti, majoris formæ navi in eo portu conducta, Augusto mense denique ad insulas Tertiarias, Aloysium regium præfectum, et e nostra Societate Franciscum Castrum, et quinque fratres, qui antecesserant, assequuntur. Hic Aloysis, navalii turba vehementius immunita, quod et ex oneraria ipsius in tam difficili et diuturna mensuram quindecim navigatione viri sexaginta perierant, et ad Antillas (id loco nomen est) multi substiterant, multi etiam laboribus periculisque defatigati, mutato consilio in Lusitaniam inde reverterant, cum superesset vectorum et nautarum vix, quod in unam satis esset onerariam (in quibus tamen ipsis feminæ quinque et viginti imbelli cum puerorum grege numerabantur, redactis in unum omnibus) cœptum iter unica navi peragere instituit, solvitque Feria quarta Oct. id. Sept. Porro e Societate nostra (totidem aliis fere tempestate disjectis, de quibus nihilrum compertum est) quatuordecim aderant, patres duo, Petrus Dias et Franciscus Castrinus, duodecim fratres, Alphonsus Ferdinandus, Gaspar Gois, Andreas Pais, Joannes Alvares, et ex novitiorum numero, Michael Tarraconensis, Franciscus Paulus, Petrus Ferdinandus, Sebastianus Lopes, Didacus Ferdinandus, Didacusque Caravallius. Dies octo in altum Oceanum prospero statu proiecti, naves quinque sole jam occidente conspicunt, quarum erant Gallice quatuor, una Anglica. Eæ, dissimulato in noctem usque consilio, conversis deinde repente proris vento secundo navem nostram insequuntur. Id ut animadverlit Aloysis, ratus, id quod erat, et hostes esse, et haereticos, advocata statim concione socios navales ad prælium acriter obeundam; deinde arma expediri, culcitrae locis opportunis prætendi, saxorum vim congeri, sulphurei pulveris cados promi, eleuteriter imperat; dispositis denique ad pugnam stationibus, peccala rite confessus est ipse et cæteri, quibus ea nocte confitendi spatium datum est.

« Verum inalbescente jam die, rostralâ hoslium navis ex earum genere, quos Galeones appellant, ad nostram appropinquaverat amplior et eminentior multo, duabusque tormentorum significationibus de more jusserset a Lu-

sitanis vela submitti. Cum illi nequaquam patrarent, tum hostis facto ter in onerarium impetu, quinque ex eorum numero occidunt, septemdecim, eosque fere omnes in cruribus, vulnerauit, sic ut funibus, ne caderent, altera manu apprehensis, non nisi altera decertare possent. Et quanquam haeretici e superiori admodum loco pugnabant, hand tamen in cruentum eis fuit certamen; siquidem et initio dimicacionis homines fere viginti amisere, vulneratis praeterea circiter undecim; et deinceps tribus bombardae ietibus laeti gravissime sunt; quorum uno diffractus malus, et vela prostrata, altero perforatum carinæ latus, non sine magno eorum discrimine aquas accepit, tertio disceperti decem simul haeretici; que tametsi erant omnia non levia incommoda, nihil tamen hostes aequa perturbavit, ac vela dejecti, prorsus ut de se actum jam arbitrarentur.

« Tum vero ex ipsa desperatione omnibus connixi viribus quartum jam nostros invadunt, et minore, quam putaverant, negotio superant; decem quippe non amplius propugnatores erant relieti, quorum quinque in prora collati primo impetu ecidere. Iaque patelacto jam aditu haeretici ad sexaginta vi maxima irrumpunt, quos Aloysius cum duas ferreas glandes, alteram accepisset in pectore, allera in crure, quanquam exhaustis jam corporis viribus, magno tamen animo constituit operiri, gladioque ac scuto nunquam abjecto, ad extremum usque spiritum dimicavit egregie. Ejus morte a reliquis deditio facta, qua tamen ad mitigandam hostium crudelitatem minime valuit; nam diabolice instineti furiis obvios quosdam obruncant, Aloysium, ignari quis esset, nudatum, itemque aliorum corpora, multis adhuc spirantibus, in undas projiciunt.

« Versus deinde in sanctorum reliquias et saeras imagines furor, quarum erat ingens in ea navi numerus. Has haeretici Catholicis per vim extorquere, trahere per tabulata, calcare pedibus, in ignem denique gratolabundi projecere; simul ore impurissimo in sanctos, quorum erant illæ reliquia, blasphemias evomentes, quas horret animus scribere; quin etiam repertas vigesimo post die statuas duas, alteram saceratissimæ Virginis, alteram Angeli, elatas in publicum sacrilegis fregere manibus, caput Angeli per bidibrium tota navi circumferentes.

« Tertium et trigesimum vagali diem, capto etiam Algarbiensi navio, prædam exposuere postremo ad Orvium promontorium ora Galliae. Classis præpositus erat Joannes Cadavilius Gallus, haereticus vehemens, et Ecclesiastico-rom Ordinum inimicus acerrimus; rostrata vehebatur eadem, qua Jacobus ante Soria Ignatium Azebedum et comites cooperat, et occiderat. In Aloysium vero præfectum incidere

Calviniani, cum ab insula Gomera, eam depopulati, solvissent; atque is fuit Aloysi et Lusitanorum obitus, cojus de longitudine virtuteque frater noster ita multa commemorat, ut pro certo habendum sit animam ejus in celeste domicilium commigrasse. Nunc veniamus ad nostræ Societatis homines, quod maxime nobis propositum est.

« Illi, cum hostes infesti adventarent, a media nocte ad lucem usque expiandis per confessiones criminibus quisque suis vocarunt. Deinde tabulata subire jussi, non nisi commissi prælio ascenderunt ad animandos milites, cibo recreandos, et curanda vulnera; sed quo tempore facta est deditio, in summa navi præter Castrum extabat corum nemo; namque is paulo ante ad excipiendum unius e gubernatoribus confessionem ascenderat ad imam prorætum, ex vulnere agentis animam. In eo inunero occupatum haeretici vulneribus quamplurimis punctum cæsimque confodunt, ira maxima percili nimitem eo, quod Ecclesia sacramenta ministrantem offenderant. Nam in cæteros non adeo sieviere, in Castrum vero certatim omnes.

« Sub idem tempus Petrus Dias, qui ad eam usque horam confessionibus eorum, qui sub tabulatis erant, operam dederat, atque hilari semper atque sereno vultu animaverat cæteros, Gaspare Goe sequente, in apertum prodiit. Et primum apparuere, utrumque Galli contestim occidunt, nec puero quidem ætatis admodum teneræ pareunt, qui a Petro ægre sese divelli patiebatur. Atque hoc maxime modo tres ii primo congressu cæsi ac trucidati dejiciuntur in mare.

« Tum undecim reliqui, sedato jam paucisper tumultu, sese invicem plenis pietate sermonibus adhortati, ullro in editiora navis evadunt, nec modo latendi causa in cæteram turbam sese non inserunt, se etiam in unum dedita opera congregati omnes aperle confitentur se et ejusdem esse religionis, cuius tres modo perempti, et aequa paratos ad mortem communis Domini gratia subeindam. Quos circumfusi confessim haeretici dictis factisque eo die foto contumeliose ac petulantiter illudere ac divexare non desinunt, cum illi respondeant nihil, nisi si quid ad honorem Dei vel ad dignitatem Ecclesie Catholicae pertineret.

« Ubi nox adfuit, manus ad terga religantur insontibus, atque inter vincientum accidit, ut Michael Tarragonensis e vulneribus, que in brachiis a principio acceperat, ingemisceret. Quæ res tantum abtuit, ut ad misericordiam permoveret haereticos, ut etiam arreptum furenter hominem nulla ingerentes probra e navi præcipitaverint; et ne incomitatus abiret, Franciscum quoque Paulum (nam is erat proximus) eodem impetu deturbaverint. Cæteri omnes,

vinclis aut dicebamus injectis, in Aloysij cubiculum detruduntur, adhibitisque custodibus, totam eam noctem partemque insequentis diei prope per inediā transigunt; cum interea super alios alii ad ostium adessent careeris, modo lata modo tristia nuntiantes, quidam etiam truci obtutu strictis minaciter gladiis fremerent: Papista, latrones, equis erit aliquando, qui vitam vobis eripiat? et alia hujusmodi.

« Interea nostri, quasi futura prospicientes, magno animo sese ad extrema quæque paraverant, nec eos fefeller opinio: nam educti e carcere damnantur capitis. Jamque parabantur laquei, ut suspenderentur singuli e maximo navis malo; cum praefectus, majoris prædictæ spe, quod eos putaret pecuniam ad templum in Brasilia exædificandum secum attulisse, rem in præsentia distulit, sed eorum comperta denique inopia, Pedro Dia, Didacoque Caravallio ibidem relictis, septem reliquos in rostratam ex oneraria transferunt.

« Hic eos haeretici denuo cirenumsistere: nec solum in fratres nostros, verum etiam in Romanum Pontificem, Christi vicarium, in Ecclesiasticos ritus, in sanctos eorumque venerationem, denique in sacramentum ipsum Altaris contumeliosa atque impia verba proferre: ad quæ cum illi fortiter admodum responderent, caedebantur pugnis, alapisque frequentibus defensores Catholicæ fidei: quin etiam exquirebantur diligenter in summis capitum vertiebus, sacrae, quas appellant, corona, quarum haeretici, si quas invenerant, has vero iterum iterumque singuli tundere; et simul jurgis et maledictis in eosdem invehi, cum aliis multis, tum illis præsertim, canes, fures, veteratores: per vos stat, quo minus conspirent universi mortales atque consentiant, sublatisque discordiis ac tumultibus, tranquilla omnes pace atque otio perfruantur. Vestro seelere, non modo Germania et Gallia, verum etiam Brasilia, atque adeo toto terrarum orbe prava doctrina diffunditur.

« Erat e novitoriorum numero Petrus Ferdinandus faber lignarius, omnium recentissimus ille quidem, sed apprime humilis, et magna virtute vir. Is initio deditiois, pilo talarique tunica exutus, ab hostibus ne deinde fallente vestitu pro sæculari haberetur, et præclaram pro Christo moriendi occasionem amitteret, aggregabat se ad fratres, identidem, vultu oenlisque ad modestiæ religionisque significationem ita compositis, ut vel ex eo satis intelligerent haeretici, hominem esse de nostris. Quo etiam vehementius irritari, caput ejus arreptum ultraque manu subrigere, colaphis petere, digitis oculos aperire, palpebrasque distendere, pavillis denique mento subdere, ne vultum dimitteret; ad hæc illum contumeliosis

incessere hujusmodi: Canis, attolle faciem; frontem exporrigi: quæ ille nimirum excipiebat tanta, non solum animi æquitate, sed etiam oris hilaritate, ut eo bono se indignum existimans, conversus ad Deum diceret: « Quo meo mihi merito tribuis, ut pro te patior, Domine? Per haec simul procacitatem atque severitym haeretici cum sese miseri diutius oblectassent, alii demum alio varios in usus digressi sunt, spatiumque fratribus datum ad inflammados mutuis cohortationibus animos, viresque colligendas, quo in genere Petri maxime Fernandi ejus, quem modo dixi, charitas ac virtus eniuntur, cum in singulos congressus, latissimo semper vultu cæteros ad constantiam ac fidem accenderet, atque ad agnoscendam insignem hanc in se Dei beneficentiam multis rationibus excitaret.

« Cujusmodi sermonibus dum se invicem confirmant fratres, magna rursus convenit eos haereticorum manus. Instituitur de religione cerlamen, ex quo, ut genus videatis, unum attigisse sal fuerit. Oppugnabant haeretici supplicationes et preces, quibus auxilium a sanctis more Catholicæ exposcimus: qua in disputatiorne aerior coortus quidam ex ipsis: Nonne (inquit) cernitis in nostra potestate vos esse captivos? quin vos igitur Maria Virgo, sanctique, quorum opem implorandam affirmatis, e manibus nostris eripiunt? Cui Fratres: Si expediatur nos esse superstites. Sacratissima virgo, sanctique et vitam nobis a Domino, et liberatatem oblineant utique: sed quia præstat emori, idecirco non impetrant.

« Haec et alia id genus respondebant fratres, quæ illi cum ferre non possent, amentes iraundia et rabie, consputabant ora subinde nostrorum: quin etiam quodam Alphonsi Ferdinandi responso permotus unus ex iis, furensque: Ob idipsum (inquit) quod ita divisti, perribis, Cui Alphonsus, utpote prominster: Non solus ego, sed omnes plane mori parati sumus. Alqui expectate taut haereticis molossi, canes, caput egomet vobis præcidam, vosque (meam fidem testor) in mare projiciam.

« Hic altercatione in cœnam usque producta discedunt haeretici. Fratres vero tempus nacti rursus molestia vacuum, de integro adhortari se mutuo: divinam opem in tali tantoque salutis æternæ discriminé expetere: Christi morte cruciatibusque memoria repetendis sese ad perseverantium atque fortitudinem incitare: Deo denique pro iam præclarâ sibi oblata bene moriendi occasione gratias agere.

« Interea haeretici, expleto epulis ventre, animi quoque feritatem extremo supplicio nostrorum exsaturare constitunt. Nec mora: singulos octem denive circumstant, exulosque tunicis, quanta maxima vi, quamque possunt,

longissime a navi ejaculatori in Pelagus. Ac Petrus quidem Ferdinandus, et Joanes Alvares natandi minime periti fluctibus hauriuntur illico; ceteri quinque unum in locum divinitus congregati diu sese sustentant, postremum vale sibi dicentes invicem, ac venam inter se delictorum petentes. Didacus vero Ferdinandus, quem una cum Sebastiano Lope qui deinde superstites ambo fuere, sub noctem haeretici quidam quasi divino jussu, cibo potuque refecerant, validus viribus et issem, quod repentina pluvia venti quiverant, tordus euntem assecutus, et nescio quo pacto in manu navium acceptus, divine consilio Providentiae mansit incolunis. Inctantur cum fluctibus reliqui, et quamquam in summa difficultate ac defatigatione, Apostolico Symbole pectibusque fundendis ad Iteum sese contra spiritales nequitias communite non desinunt, Jamque nox erat media, cum Alphonso Ferdinando in verba praecunte, certos e quinquagesimo Psalmo versiculos decantare cœperunt, atque illum præsertim: *Tibi soli pacaci*, etc. Verum lassitudine taudent victus et aquarum vi olentus Alphonsus extinguitur, spectata prohibita ac religione vir, cuius præcipue robur animi et virtus in haereticis modo relutandis eluxerat. Hunc autem eo consilio e Lusitania secum abduxerat Arbedus, ut philosophiam, cui magna cum laude vacaverat, in Brasilea provincia proficeretur.

« Alphonsum securus est mox, Iesum invocans, Andreas Pais: postremus omnitem Ferdinandus Alvares mergitur, tum Sebastianus Lopes in mari medio, nocte intempesta, densis tenebris, imbre maximo derelictus, elatum forte quidam in classe lunari eminus intuens, mille enterler et quingentorum passuum intervallo distantes consequitur naves, quarum ad itemque alteram accedens, et, ut admitteretur, supplerter postulans, cum acerbe mantlantes hostes, intentaque in se tela sensisset, quasi ad extremum pertugum contendit ad unam e scaphis, cuius ad marginem stans forte quidam haereticus paulo minor, tum Sebastianam aerumnari, tum etiam forceps ab se desertæ vere fidei religiosisque recordatione commotus, exceptit hominem, penitusque coniectum, ac tortum in navem impostum, comitemnis quibusdam hostium furori atque immunitati subtraxit. Duos autem illos, qui in Lusitanica relixi fuerant, eodem genere mortis eadem animi magnitudine defunctos accepimus. »

473. Huc usque Epistola, que data legitur Ullissiponae quint. id. Decemb. hiujus anni. Additur in fine ipsius, totonca rei gestæ praefatam historiam quam paucis molatis etiam refert Faustinus Bassus, memoratum Sebastianum Lopes docuisse, scriptamque ab Heurico

eundem Sebastianum recognovisse, qui rursus illius veritatem ac fidem suo testimonio comprobavit.

474. *In Orientalis Indiae partibus, per conspirationem regum indigenarum, Ecclesiae reges crevæ in magnum discrimen adducuntur.* — Hoc eodem anno in magnum discrimen in Orientalis Indiae partibus res quoque Christiani adducta est: cum videbret tres reges Idaleam, Zamalucus, et Zamorimus ad delendum nostorum imperium, Lusitanorum iugo excuso, una conspirarunt, Idalam Goæ obsidionem suscepit: Zamorimus, Malabrum rex, classe oram maritimam intestare estaggressus: Zamalucus frontem sibi Grandum ac Bizandum tentacula sumpsit; ut distractis Lusitanis viribus nullus viri hostium sustinerent diuæ diuturnaque obsidionis, qua Goa pressa fuit, accessit quoque pestilentia et famæ, contagiosis febris in omnes ordines late vnguis, commeatuque intercepto, qui plurimus ex Idaleam terris convolu solebat. Solitam nimilominus post decimum mensem magno cum Idaleans detimento ac dedecore obsidionem lutesse, narrat Sacchinius⁴; qui addit, intusto exitu Zamaluci et Zamorini quoque conata cessisse. Cum enim Zamalucus diem Apostolorum principibus Petro et Paulo sacram elegisset, ut summam vitium (peditum centum milia, equitum quindecim, ac elephantes octoginta, sub signis habuisse dicitur experiretur adversus obssessos, sperans, quoniam ea tempestate in his regionibus Hyems asperrima est, quæ lamennoutrigote, sed imbrum perennitate censur, Lusitanos, tido ac pluvio celo tomitem ac pyreum pulverem hebetum, minus comode tormentis usuros, ideoque copias omnes contra prælatam urbem movisset; a Lusitanis ne in modo strenue rite agminaque ejus rejecta sunt, quoniam adeo ingentem ipsorum eadem perpetuarunt, ut insignem ex eis triumphum reorunt: ita ut tactum stupentes hostes ipsi, divitatus partam victoriam faderi computisi stat, ac describendo affirmare se vidisse Bepparam Virginem, et Apostolos Petrum et Paulum aut eadem hec anno Tuncæ in navalی prælio hostium aciem ruga eadēque seruentes.

475. At nec Gentiles circumsesam tamdiu Graui loco anno tenuerunt, indutomitus, ut mem Sacchinius narrat, Georgius remunius ejusdem urbis archiepiscopus ad provinciale Concilium in ea habendum Goemensem et Malaceasem episcopos vocavit. At eundem inundum hoc ipso tempore vita functum, idem testatur. Cum vero referam inlettuisse quoque Gasparem, qui autem illum ipsi Goensi Ecclesiae præfuerat, et a Pio frustra, ut supra vidimus, obtinere sal-

⁴ Sacchini. Hist. societ. Jesu Part. 3, lib. 7, pag. 363, n. 450 et seqq.

egerat, ut sese episcopatu abdicaret, Pontifice eodem annuente, onus illud postmodum depo-
suisse, fatendum erit.

476. Summo autem Meacensis Ecclesiae danno hoc anno e vivis sublatis est alias memoratus Vatandonus, cuius tum gesta tum mortem Ludovicus Frojus¹ ad Antonium Quadrum scribens prosequitur in Epistola, IV kal. Octob. Meac. data, cuius initium est: « Qua mentis humanæ perversitate fieri dicendum est, pater, ut quæ nobis Dens bona largitus est, ea carendo fere magis quam fruendo sentiamus? Id adeo ex obitu Vatandoni Comidoniclarissimi atque optimi viri quotidie certius ego quidem experior, cuius de incredibili studio erga nos nomenque Christianum universum, licet saepius te per litteras docuerim antehac, tamen hoc tempore, cum ille ingenti meroe honorum omnium in bello ceciderit, faciendum mihi existimavi, ut paulo fusius ad te præsriverem ». Cum ditioni suæ finitimo Iquennæ regulo bellum gerens, in insidias præcipitatus, invicto animo dimicans Vatandonus occubuit, visumque est cum ipso Christianum rem concidisse. Verum, Deo cuncta gubernante, non plus inde amisisse, quam securitatem adeptam esse hoc ferme tempore ex strage Bonziorum Tyevenymæ, longo dictamine idem Sacchinus² narrat; confirmatque scripta quart. non. Octob. hujus anni ad eundem Antonium Quadrum Epistola præfatus Frojus³.

477. *Constitutio qua præcipitur Inventorium actorum criminalium in utriusque Sicilia regnis.* — Hoc autem elabente anno, nempe sua die xxviii Decembris, ad cardinalem Granvelnum Neapolitani regni prærogem a Philippo Hispaniarum rege scriptam reperimus Epistolam⁴, in qua rex ipse eundem Granvellanum de sententia rogat super ea, de quibus Pii nomine secum egerat Alexandrinus legatus, pertinebantque, ut supra vidimus, ad Ecclesiastica regni ejusdem negotia.

Sed quia respondit ordine Granvellanus his regiis litteris sequenti anno, idecirco hic jam inserere superfluum judicavimus. Interim tamen Pius, dum in aula Hispanica negotia hujusmodi subdole protrahuntur, suo muneri minime defuit, tollendisque abusibus, qui in utriusque Sicilia regnis in re Ecclesiastica irrepserant, omni studio incubuit, uti appareat ex Constitutione⁵ hoc anno edita, qua episcopis circa et ultra Farum, quotannis Inventarium Actorum criminalium confidere et custodire his verbis præcepit:

« Pius episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam,

¹ In add. ad Maph. Hist. Ind. Epist. select. lib. 4, pag. 455.
— ² Ibid. ut supra, pag. 366, n. 171. — ³ Ut sup. Epist. select. p. 461. — ⁴ Ex MSS. Vallicel. collect. ex Archiv. Neapolit. pag. 9.
— ⁵ Exstat in Bull. Const. 422.

« Muneris nostri est aditum prohibere, per quem salubris delictorum animadversio perperam disturbatur. Nefarium etenim facinus in plerisque episcopatibus regni Siciliae citra et ultra Farum audivimus exoriri, quod cathedralibus Ecclesiis præsule viduatis, vicarii a capitulo constituti, gratia, timore, odio vel sorribus, quas volunt inquisitiones et testimonia rerum et causarum criminalium, violent, subripiunt et lacerant, ne delictorum cognitio vel vindicta uspiam consequatur.

« § 1. Nos ad hoc malum, qua potest industria, coereendum pro nostro officio intenti, præcipimus omnibus archiepiscopis et episcopis dicti regni præsentibus et futuris, ut deinceps inventarium authenticum omnium et quarumcumque suæ curie querelarum, accusationum, inquisitionum, denunciationum, testificationum, instrumentorum, processuum, ceterorumque actorum, causarum et negotiorum criminalium, etiam mixtorum, quæ apud curiæ suæ notarium fuerint, quotannis in perpetuum confiant; confectum et dicti notarii manu subscriptum penes se custodian, donec super iis fuerit judicatum. Et si eos de vita decedere interim contigerit, illud universum, sigillo suo obsignum, fidei sacerdotis, cui peccata confitentur, morte impendente, committant, qui ea secuta protinus ipsum prælato, ac domui sive conventui digniori Regularium illius civitatis debeat resignare, ut ab eis tute et fideliiter asservetur, donec futurus advenerit præsul, cui illud itidem clausum et integrum tribuatur; quod ipsimet per se faciant, si quando necesse habuerint peregre proficisci, ita ut illud ipsum statim, cum præsentes redierint, recipient ab eisdem.

« § 3. Quicumque autem testimonia, processus, scripturas et instrumenta hujusmodi, quoicumque modo violaverit, corruperit, subtraxerit, combusserit, suppresserit, ac jusserrit id fieri, seu auxilium, consilium vel favorem præstiterit, omni sit dignitate, officio et beneficio præsentium auctoritate privatus, et ad futura inhabilis eo ipso. Idem quoque et pariter notarius, eni quid prædictorum defuerit, in prædictis, tamquam falsi reus declaretur, poenasque omnes subeat, quæ sunt in hujusmodi rerum falsarios per sanctiones canonicas et Constitutiones legitimas irrogatae.

« Nulli, etc. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ, MDLXXI, kal. Martij, Pontific. nostr. ann. sexto ».

478. *Concilium provinciale Neapolitanum.* — Habuit in eodem Neapolitano regno hoc anno provinciale¹ Concilium Jacobus cardinalis Sabellus archiepiscopus Beneventanus sub die vigesima quinta Aprilis. Ejus Acta habentur in

¹ Synod. Benevent. sub ann. 1571, pag. 373.

Synodico Beneventano, cura labore et studio
Emmi Fr. Vincentii cardinalis Ursini, ejusdem
Ecclesie archiepiscopi, edita. Oppidum autem
Ripae-Transonis in Marchia Pius in civitatem
erexit, Sanctique Juliani, principem loci Eccles-
iam, in cathedralem dedicatam Pontifici Ro-
mano immediate subjecit. Cum vero Sixtus V.
Firmam Ecclesiam metropolitanam effec-
set, ei Ripanos praesules suffragari mandasse
suo loco dicetur. Primus autem, qui a Pio
Ecclesiae hujus praefectus fuit, extitit Lucius
Saxus Neapolitanus, vir singularis experientiae,
a Clemente VIII postmodum in cardinalium
ordinem fit. SS. Quirici et Julittae cooptatus.
Non. Octob. cum ad Ripensem cathedralm subli-
matum scribit Ughellius¹⁾, datumque legitur
tert. kal. Augst. hujus anni Pontificium Diplo-
ma, quo episcopali honore, ut diximus, Ripa-
Transonis decorata fuit, extatque in Bul-
lario.

479. *Monstra et prodigia in Germania.* — Magna prodigia (inquit Thuanus²⁾) hoc anno in Germania memorantur; nam præter id, quod supra retulimus, quod angustia annonæ nimis-
rum fere ubique summa, tum præcipue in Suevia ac Norico laboraretur; rara præter na-
turam beneficio pisa, rapula, frumentum, ac
triticum compluribus locis Goulebergi, Lem-
bergi, ac Lambii in Quadis decim. septim. kal.
Sept. pluit, ex quo collecto trituratoque homi-
nes undique accurrentes triduo post panem esu
optimum confeccere. Haud multo post ut ipse
auctor scribit eodem mense in Saxonia Leo-
burgi ad Albim, quæ Saxoniae inferioris princi-
pum sedes est, a Luneburgo ii, ab Amburgo vi
milliaribus dissita, duo sordidi et inhumaniter
avari institores, aliquot millibus frumenti
modiis coemptis, dum illud Amburgum de-
ferri, quo carius divenderent, curant, horreï
foribus reseratis, frumentum iis in oculos
sponte obviam fertur, atque per fenestras evolat,
ut ne granum quidem in tabulato reliquum
fuerit, magna popularium admiratione. Quo
casu unus ex Dardanariis attonus concidit ac
mox expiravit; alter ex horreo desiliens, cum
ad Albim se suffocaturus tenderet, a bajulis
ægre retractus ac vinctus est. Princeps vero,
qui Hasegurbi erat, re ad eum præscripta,
Leoburgum venit, ut coram de re omni certius
cognosceret; cumque miser ex desperatione,
rejecto omni salutari consilio, tandem animam
a malo spiritu diu vexatam efflassel, princeps
cadaver ejus publice cremari jussit, pœna
capitis et bonorum omnium in eos sancita,
quicunque ex suis subditis ad annonam flagel-
landam, et gravando pauperes frumentum pre-
meret aut interverteret.

¹⁾ Ughell. Ital. sac. T. II, pag. 834 et 841. — ²⁾ Thuan. Histor., pag. 766, lib. 5.

480. *Spectrum quoque horrendum subdit*
scriptor idem³⁾ Pragæ, XIII kal. Octob. ple-
risque noctu visum narratur; equilatus juxta
Emauntis cœnobium magno cum fragore dis-
currentis et currum trahentis, quem octo
ocreati homines sine capitibus sequebantur; que
omnia lucido igne exorlo subila ingentis
turbinis vi ditthata evanuerunt, Cujus rei inquit
penes scriptores fides esto. Nec multo post
tert. kal. Octob. solis aspectus per omnem
illum tractum tristis, rubicundus ac sanguino-
lentus fuit: proditumque demum fuisse a
quibusdam scribit, in ditione Emdensi apud
Erisios Orientales anno eveunte plusse sanguinem.

481. *Pharimorum principum mortibus annus*
memorabilis. — Hoc pariter anno⁴⁾ in Italia
parentalia celebrata sunt Duci Alburquerque
Mediolanensi gubernatori, Duçi de Alcala regni
Neapolitanî, et Marchionî Pisaria Sicilie, pro-
regibus, vita functis: et apud Germanos inquit
Thuanus aut principum aut aliorum virorum
mortibus annus iste tantum memorabilis fuit; nam
statim initio ejus III non. Januarii Joachim-
us II Brandenburgicus, septemvir, in arce
Copenica ad Suevum fluvium, cum hilariter
cœnasset, subito vi veneni, quod in poculo
cubitum itero Judeus quidam miscuerat,
extinctus est. Eum decimo post die secutus
est Joannes frater, ob eujus morlem Bran-
deburgicam ditionem regendam suscepisse
Joannem Georgium Joachimi II filium, idem
narrat.

482. *Merlini et aliorum Ecclesiæ inimicorum obitus.* — Theodorici morte nobilis quo-
que ac per antiqua familia Plessia extincta est,
amplissimum illius patrimonium Hassiae prin-
cipe, cuius erat beneficiaria, obtinente. At
majori Catholicae fidei bono Petrus Viretus e
vivis sublatus est. De illo haec habet Remundus⁵⁾, eum scribit, qua ratione Calvinus pro-
pria auctoritate Gebenensem Ecclesiam op-
pressit. « Porro duo isti Farellus et Calvinus
tertium quemdam sibi adsciverunt, constitulo
velut triumviratu, quo omnia suo arbitrio
circumagerent. Is era Pelrus Viretus Orbensis,
Sabaudus natione, qui monachus olim fuerat
Ordinis Carmelitarum, homo non tam discretus
quam loquax, inde a Calvinio, qui neminem
quam seipsum magnificiebat, Maistre de Caquet,
id est, loquacitatis magister appellatus, quem
ego Lutetiae tum, cum Calvinismus magno
impetu in Gallias erupisset, concionantem
audiui. Communis tum sermone, Calvinii scien-

¹⁾ Sacchin. Hist. Soc. Jes., lib. 7, pag. 336. — ²⁾ A Basilie,
Petri Vit. S. Carol. lib. 2, pag. 89. Ripamont. Hist. Mediol.
par. 3, lib. 3, pag. 179. Guisan. Vit. S. Carol. lib. 2, pag. 29,
pag. 173. Thuan. Histor. lib. 50, pag. 763. — ³⁾ Begenvol. Hist.
Selav. lib. 3, pag. 368. — ⁴⁾ Remund. Histor. Hæres. lib. 7,
cap. 18, pag. 277, n. 2. Moterius. Histor. verb. Vact.

tia, vehementia Farelli, et eloquentia Vireti jaetabantur. Et sane negari non potest, Viretum hunc omnibus artibus, quibus ad decipiendos simplices animos opus est, fuisse instruclum. Viretus Lausannam primum, quod oppidum est Genevæ vicinum, deinde Nemausum et Montem pessulanum missus, ac tandem in Beneciam a Joanna Navarræ regina evocalus fuit, ubi e vita decepsit anno MDLXXI ». Sic ille.

483. Pessimus pariter ille Joachimus Mer-

linus pseudoepiscopus Sambiensis¹, quem tolies scriptis suis cardinalem Hosium exagittasse commemoravimus, e vivis ereptus est: et in Rhelia Ludovicus Castelvesrus demum obiit; ita ut, quod tam insignium hæreticorum clade a divina justitia simul facta, visa sit Ecclesia haud minorem triumphum ex infidelibus, quam ex hæreticis hoc anno relulisse.

¹ Regenvolse. Hist. lib. 3, pag. 353. Thuan. Histor. lib. 30, p. 765.

FINIS.

SUMMARIUM

TOMI XXXV

MDLXVI.

1-11. Pii V electio divinitus et facta et præcognita. 12-15. Quæ munia Pius obierit ante adeptum Pontificatum. 16-20. Severioris ingenii habetur non in homines, sed in virtutia. 21-27. Ad probam et sanctam vitæ institutionem se suosque rite componit. 28-30. Cardinales ad integritatem et gravitatem hortatur, et quosdam tollit abusus. 31-33. Nepotem invitum cardinalem creat, et per paucis illum honestat redditibus. 34-38. Cavet ne consanguinei opulentiores evadant, et vetat ne bona Ecclesiastica distrahanter. 39. Severe increpat cardinales de futuri Pontificis electione agentes. 40,41. Cardinalium titulos auget, et novas instituit regulas, quibus ad strictum sacrum Collegium procedere debeat in electione Pontificum. 42. Integritati cardinalium in judiciis ferendis providet. 43,44. Nonnisi probatissimis confert dignitatem episcopalem, et supprimit munera occasione pallii oblata. 45-51. Episcopos et obtinentes beneficia quibus animarum cura annexa est ad residentiam cogit. 52,53. Concilii Tridentini decreta ubique observari jubet. 54-56. Litteras gratulatorias de sua electione accipit. 57,58. Pro reformatione cleri, imprimis Romani, sanctiones edit. 59. Decernit Constitutiones de beneficiis juxta mentem Concilii Tridentini. 60,61. Missas vespertinis horis, aut ritu non proprio, celebrari prohibet. 62,68. Ecclesiarum præcipit visitationem, sicut et decentiam cultus et aedificiorum sacrorum. 69,70. Urget constructionem Ecclesiae S. Mariae in Thermis Diocletiani. 71. Mira Pontificis pietas in saeris celebrandis. 72,73. Constitutio contra Simoniacos. 74-81. Regulares utriusque sexus ad puriorem vitæ normam redigit. 82-87. Profanatores, blasphemos et Sodomitas insequitur, et meretrices expellit. 88,89. Decreta de matrimonialibus dispensationibus. 90-92. Cauponas frequentari et ludos exerceri vetat, et medicis dat gravissima monita. 93-105. Zelo fidei accensus hereses profligat, praesertim inquisitionis ministerio. 106-112. Judaeorum conversioni providet, et catechumenorum dominum instaurat. 113-116. Judices ad integritatem revocat. 117-121. Cohibet avaritiam famulorum cardinalibus inservientium, et exstinguit incuriam notariorum. 122-127. Comprimit audaciam scelestorum hominum. 128,129. Severiora prædecessorum in santes decreta clementer mitigat. 130-140. Carafarum causa denuo judiciali disceptationi subjicitur, et eorum iura restituntur sine alterius damno. 141-144. Piratarum flagitia coeret, infelicibus naufragis eonsulit, et fidei captivorum providet. 145. Ornat præclaro privilegio conservatores Urbis. 146. Vix creatus Pontifex bonos gaudio, improbos terrore replet. 147,148. Subvenit civium incolumitati et pauperum necessitatibus. 149-150. Annonæ ubertatem et facilitatem procurat per sanctiones sapientissimas. 151,158. Spiritualia cuncta per se gerit; temporalia cardinalibus tractanda dimittit, et principem se vere ostendit eximium. 159-160. Turcae astu sibi vindicant insulam Chio. 161-164. Ex Justinianorum familia nonnulli martyrio coronantur, nonnulli pretio redempti in Italiani reducuntur. 165,166. De vigilantia Pontificis in tuendis oris maritimis præmonitus Turea ad sua revertitur. 167-169. Contra Turcas Pius classem instruit et Christianas oras muniri studet. 170-181. Pontificis zelo et sumptibus optime instrueta Melita. 182,183. Salernitanus archiepiscopus corripitur quod concilium provinciale cogere neglexerit. 184-189. In Neapolitano regno dissidia propter placitum regium quod vocant *Exequatur*: Etnæ eruptio horrenda. 190-193. Nubila quæ inter Pontificem et Venetos oritura apparebant cito et facile dissipantur. 194-196. Pius componit dissidia exorta inter Venetos ac Ferrariae dueem, neenon inter Florentinos et Lucenses. 197-200. Abrogantur privilegia Mantuano duei concessa. 201. Lis mota inter Finalis incotas et eorum dueem in imperiale forum transferlur. 202-208. Helvetiis Catholicis Pontifex concedit ut eorum pueri, qui sacerdotale munus ambiverint in Seminariis rite institutis erudiantur. 209-214. Caroli Borromaei zetns in administranda Ecclesia Mediolanensi. 215. Vidae episcopi et poetæ obitus. 216-218. Maximiliano imperatori recusat præstare subsidia contra Tureas Pontifex, quod in comitiis Augustanis premiterit deliberare de rebus ad fidem pertinentibus. 219-221. Commendono e Polonia redeunti mandat Pius ut ad comitia Augustana se

conferat. 222-225. Litterae Pontificis admonitoriae tum ad imperatorem, tum ad singulos principes et episcopos tum ad ipsum conventum Augustanum. 226-228. In comitiis Augustanis capita proposita. 229-231. Num et in quo casu Commendonus nomine Pontificis eorum conventu Angustano protestationem edere jussus fuerit. 232-235. Pio proponuntur theologorum sententiae, tum quoad confirmationem recessus anni MDLV, tum quoad protestationem in comitiis Augustanis faciendam. 236-237. Inter varias et oppositas theologorum sententias anceps Pontifex encta dimitit prudentiae Commendoni. 243,244. Mira Commendoni solertia in rebus agendis et difficultatibus expediendis. 245-250. Refelluntur Thuani commenta circa gesta in comitiis. 251-257. Hinc tamen Commendono, reformationi cleri Germani insistit Pontifex. 258,259. De quadam ludi magistro ejiciendo scribit Pontifex ad archiducem Austriae. 260. Episcopo Pataviensi datur mandatum exturbandi canonicum haereticum. 261,262. Curiensis episcopus Pontifici suas aerumnas pandit. 263-266. De Frisingensis Ecclesie administratione filio dueis Bavariae concedenda rogatus Pontifex rem primum in longum prudenter protrahit, et denum ad optatum finem ducit. 267-271. Electus Coloniensis professionem fidei detrectat. 272. Praeciarum de cardinali Augustano testimonium a duce Bavariae prolatum. 273-278. Qua mensura et quibus conditionibus Pius Maximiliano subsidia promiserit in bello contra Turcas. 279,280. Pro sua quisque parte imperator et Turea se accingunt ad bellum inenundum. 281,282. Joannis Transylvanicæ principis perfidia. 283. Decreta Concilii Tridentini in Hungaria promulgare curat Pontifex. 284-287. Swendii et comitis Salmenensis praeclarâ contra Turcas facinora. 288-291. Divina elementia imploratur. 292,293. Singularis in publicis supplicationibus Pontificis pietas, et in sanandis aegrotis mira virtus. 294-299. Multis licet copiis fretus, sustinere potius quam inferre bellum Maximilianus decernit, et suo quidem detimento. 300-304. Solymani obitus dum suis tectus, et Christianis non satis, ut debuisset, fructuosus. 305,306. Pontificis merorem solantur strenua archiducem facinora. 307,308. Succedit Solymano Selimus filius, animi præstantia dissimilis patri, sed aequa ac ille Christianis infensus. 309,310. In bello societatem contra Turcas Gallie et Hispaniae reges adducere mititur Pontifex. 311. Torpentre Maximilianum Pius, interveniente imperatricis auctoritate, cogitur exstingui. 312,313. Nihil omnino negligit Pius in sociali fœdere inenndo. 314-316. Calamitatibus undique pressus Maximilianus ad meliora revertitur. 317,318. Cæsaris sorores ad Pium mittunt litteras eximiis pietatis sensibus refertas, et societatis Jesu laudatorias. 319. Danica classis procellarum vi disjecta. 320-338. In Polonia regno Lutherani et Calvinistæ ceteros heterodoxos ejicere tentant ut facilius dominentur; sed et ipsi aut se abseondere, aut alio demigrare coguntur. 339-342. Simulato religionis zelo, Gnesnensis archiepiscopus Pium decipere tentat, sed illius fraus per Hosium detecta. 343,344. Ad Hosium mittitur Catechismus Romanus in Polonicam linguam vertendus. 344. Pius palatinum Columensem in tide Catholica confirmat. 345-349. Episcopatus Sambianensis et Pomesaniensis inique suppressi, sed pejori modo restituti. 350-355. Elisabetha Angliae regina Mariam Scotiæ reginam invisanam habet, et fit artifex omnium conjurationum adversus eam. 356. Marie nuptiæ cum Darlæo. 357-363. Qualis reipsa fuerit Riccius ille qui occisus est. 364. Maria cum marito Dunblacum fugit. 365. Edimburgum Maria reversa parit filium, enjus e saero fonte suscipiendo gratia Elisabetha comitem Bedfordiam in Scotiam mittit. 366-370. Mariam commendat Pontifex principibus Catholicis, et eam litteris atque subsidiis fovet. 371-373. Pius Laureum episcopum Monilisregalis in Scotiam mittere decernit. 374-376. Maria Pontifici gratias agit, nuntiatque suum filium ritu Catholico fuisse baptizatum. 377-385. Ritualium Anglicanorum compendiosa historia: eujusnam valoris sint ordinationes Anglicane. 386-389. Impium et ineptum deeretur Parlamenti Angliae de ordinationibus. 390. Elisabetha regina nec virgo nec nupta. 391,392. Joanna Navarre regina in Bearniam se recipit. 393-397. Colloquium Parisiense utilitatem Catholicis, perniciem hereticis afferens. 398-400. Divina vindicta in hostes omnipotentiae Dei. 401,402. Laudum celeberrimum sanctissimæ Eucharistiae miraculum. 402-405. Navarre regina edicto Catholicam religionem eliminat. 406-409. Pius Bearnæ jus in regem Hispaniæ transferre minatur, ni Joanna resipiscat. 410-413. Instigante Navarre regina, motus seditionis Apameæ, Tolose et Lugduni. 414-416. Fraudes Auriacensis a Pio deteguntur. 417-420. Graves ad Pontificem de cardinali Armeniaco accusationes deferuntur, que mox, interveniente Sadoleto, diluntur. 421-423. Pontifex per nuntium incitat regem ut hereticos per Gallias saevientes acriter insecat, et reginam matrem præmonet de infelici suarum artium exitu. 424-427. Latam a prædecessore sententiam contra septem Galliæ episcopos Pius V promulga. 428-429. Gratianopolitanum episcopum erga hereticos procliviori graviter perstringit Pontifex. 430,431. Odetus Castilloneus prohibetur incedere habitu cardinalitio in aula Gallicana. 431-435. Decretorum Tridentinorum executionem in Gallia urget Pontifex. 436. Gallia regina de heresi suspecta. 437. Caroli Molinæ improba scripta. 438. Nostradamus Saloni in Provincia moritur. 439-451. Inopportuna Inquisitionis Hispanicae introductio in Belgium suscitat inter nobiles conjurationem, quam minacibus edictis gubernatrix comprimere tentat. 452-464. In pluribus Belgii urbibus, Antverpiæ præsertim, tumultus, cædes, et sacrorum direptio. 465-470. Pius nuntium cum litteris ad Belgas mittit, ut in viam rectam eos reducat. 471-474. Regi Hispano paterne mandat Pontifex ut in Belgium se conferat, sed rex Belgicu iter aggredi detrectat. 475,476. A Pio petit subsidia Margarita Parmensis. 477-481. Ex mutuo consensu Pontificis et regis, Hispania ab heresi et morum perversione preservatur. 482-487. In causa archiepiscopi Toletani, de heresi postulati, zelus Pontificis et pietas regis Catholicæ eluent. 488-491. Ad Synodos provinciales Hispaniae commonitoria Pontificis Epistola quæ a præsulibus summa cum religione excipitur. 492-496. Vigilantia Pontificis Hispania et Lusitania ab innumeris malis immunes sunt. 497-499. Hinc tamen Pius Portugalliae regem ut ducat uxorem. 500-506. Concilii Tridentini decreta mittit Pontifex ad omnes Ecclesiæ Indiarum, tum Orientalium, tum Occidentalium. 507. Catechismus Romanus, auspicie Pio V, in lucem prodit.

MDLXVII.

1,2. Pius compellit ad residentiam tum episcopos, tum parochos. 2-10. Decreta de collatione, resignatione et administratione beneficiorum. 11-13. Celeberrima Constitutio de non alienandis sive infeudandis urbibus

aliisque Romanæ Ecclesiae locis. 14, 15. Omnia præsentationis jura a predecessorē concessa Pius revocat, unde principum querelæ. 16-23. In litteris ad singulos principes directis, sicut et in agendi modo, simul eluent prudentia, comitas, liberalitas et animi fortitudo Pontificis. 24,25. Pius insectatur avaritiam, concussions et turpes in largiendis indulgentiis questus. 26, 27. Revocat privilegia militum S. Lazari Hierosolymitani et attribuit spolia Cisterciensium mortuorum suis ipsorum conventibus. 28. Lanificium in Urbem inducit. 29. Ornamentis mulierum modum imponit. 30. Providet magistratum integrati. 31. Cruenta vel turpia veritat spectacula. 32-34. Constitutiones de Mendicantibus. 35, 36. Litis inter Pontificem et Jesuitas. 37. De vestitu clericorum nova mandata. 38-54. Carnesecchius, haereticus convictus, Romanum Florentia adducitur, capite plectitur et post mortem comburitur. 55-58. Cosmus et Statius improbe ab haereticis insimulati. 59-62. Helvæorum fraudes et molimina comprimuntur. 63-69. Pius dolet injuriæ jurisdictioni Ecclesie illatam in regno Neapolitano, sub praetextu placiti regii, quod vocant *Erebatum*. 70. Sanguinis pluvia et solis eclipsis in oppido regni Neapolitani. 71-73. Causa litis inter senatum et archiepiscopum Mediolanensem Romanum evocatur. 74. Agitur de reformatione Ordinis Humiliatorum. 75. Carolus Borromaeus visitat partem sue diœcesis sub Helvetiis constitutam. 76-79. Metu Turcici periculi impulsus Pontifex undequaque subsidia studet impertiri Melitensisbus, et summus Ordinis magister ipse prospicit insulae saluti. 80-82. Veneta respublica sibi ipso timet, et ab irruentibus fluminibus magna patitur dama. 83-86. Gemenses ab intestinis et externis difficultatibus eximuntur. 87,88. Casalensis seditiones finem habent, et Cosmi Etrurie dueis principatus vires aequirit. 89. Ursinus, Pitiliani comes, Romanum adducitur, et compellitur errores abjurare. 90,91. Anxii Helvetii de transitu Hispanorum in Belgiam migrantium. 92,93. Albani dueis in Belgium itineraryum. 94,95. Ducissæ Parmensis præclara facinora. 96. Cameracensis archiepiscopus Pio urgenti receptionem Concilii Tridentini opponit indultum exemptionis capitulo concessum et ab ipsomet juratum. 97. Hollandia tota veræ religioni restituta. 98. Hermannus, seditionum et sacrilegiorum auctor, miraculo nec territus, nec conversus. 99,100. Alia miracula contra Calvinistarum perfidiam edita. 101,102. Solas Baptismi cærimoniæ præleritas esse supplendas, non Baptismum iterandum, constat ex hujus ævi historicis. 103-107. In Belgium ingreditur Albanus, a quo potius exacerbata quam sanatae res Belgicae. 108. Ducissa Parmensis veniam petit et obtinet redeundi in Italiam. 109. Celeberrima Constitutio dogmatica qua Baii errores damnantur. 110-125. Dissertatio historica in qua exponitur qui sint auctores, factores et oppugnatores hujus heresis. 126-131. Pius cardinali Granvellano committit executionem Bullæ, et Dominicanis dat potestatem absolvendi a censuris in foro interno. 132-138. Haeretici Galli totam regiam captivam facere tentant, sed profligati in Lotharingiam fugiunt, non sine multis patratis sceleribus. 139-159. Periculis et necessitatibus regiae Gallicæ subvenit Pontifex, exigitque caeteros principes ad mittenda auxilia. 160-162. Ministrum Calvinistam, heresis semina spargentem in Bisuntina diœcesi, comprehendendi iubet Pontifex. 163. Venayssini comitatus regimen in manus fidias transmitti curat. 164-187. Mariam Scotiæ reginam laudat Pontifex in Epistola ad eam directa : hujus reginae lamentabiles casus. 188. Elisabetha regina imperatori ipsi sicut et caeteris principibus illudit. 189-192. Gothianum bellum ab Elisabetha totum. 193-196. Plures haeretici, inter quos Gaspar Francus, errores suos ejurant. 197. Leoncertitum, in diœcesi Misnensi strenue laborantem, litteris roborat, et doceat quia ratione se gerere debeat erga nonnullos qui cum inconsulis petitionibus laesessabant. 198,199. Cardinalis Hosii Epistola gratulatoria ad Colonienses qui ejecerant Hermannum hereticiū : senatus Coloniensis responsio. 200-205. Disceptatio Maximiliani cum Academia Coloniensi : ejusdem imperatoris fervens religionis studium hoc anno ostensem. 206-213. Coloniensis Ecclesia a suspecto pastore liberatur, dignus et Catholicus sufficitur. 214-216. Puernum bimum, ducis Brunswici filium, electum ad sedem Halberstadensem Pius confirmare reensat. 208-223. De seminario Frisingensi erigendo agitur tum apud Albertum Bavariae ducem, tum apud ordines et capitula in illa diœcesi constituta. 224-227. Possonii comitia, in quibus Maximilianus se vere principem Catholicum ostendit, subsidiorum in Turcas promissionem recipit, et tandem aleæ preeavens tentat inire pacem cum Turcis. 228. Ariani Transylvani librum edunt plenum blasphemis contra Christi incarnationem. 229-233. Bella inter Polonus, Suecos et Moscovitas. 234. Hosius monet Polonum regem ut contra Mosehum incedere desinal. 235-242. Elbingensem haereticorum cum Hosio dissidia. 243,244. Haereticos ad veram fidem Hosius reducere studet. 245, 246. De regno Poloniae Pontificis sollicitudo. 247. Goanum archiepiscopum Pius revocat a cogitatione relinquendi onus pastorale, et illi tribuit potestatem concedendi indulgentias in quibusdam diebus solemnioribus. 248. Pius quedam Portugallia monasteria convertit in seminaria sacerdotum in Indias mittendorum. 249. Concilium Provinciale Goanum. 250. Potestatem dispensandi in gradibus a jure prohibitis Pius concedit non solum episcopis, sed etiam societatis Jesu sodalibus in partibus infidelium laborantibus. 251. Domos Catechumenorum aedificantibus aut oratoria Jesuitarum visitantibus indulgentias concedit. 252-255. Noviter a gentilitate conversos in Indiis Pontifex bene haberi curat. 256-261. Daemonis imperium in Indiis evertitur. 262-264. Pius monet Hispanos ut mitius agant eum iuolis. 265-267. Patriarchæ Ethiopæ facultas datur alio se conferendi. 268. Concilium Valentinum in Hispania confirmatur. 269, 270. S. Thomas Aquinas inter doctores collocaatur. 271-276. Faventiae imago saera in mediis flammis incolmis miraculo asservatur.

SUMMARIUM

TOMI XXXVI

MDLXVIII.

I-13. Pii V Constitutiones de residentia et beneficiis juxta normam a Concilio Tridentino præscriptam. 14-17. Pius velat ad Ordines promoveri nisi beneficiis instruetos, ex quo fit ut plures religiosorum familiae sese reformat. 18. Novum Breviarium jussu Pontificis editum. 19. Præcipuo honore coli Pius præcipit Eucharistiam, dum ad infirmos defertur. 20-22. Bullam quæ dicitur *In Cœna Domini* ab omnibus observari mandat. 23-24. Consultit Pius locis et personis Deo dicatis, declarat quo sensu intelligenda sint impedimenta publicæ honestatis, et in ordinem redigi curat Monumenta ad Romanam Ecclesiam pertinentia. 25-26. Novos creat cardinales, inter quos eminent Sucherius et Caraffa. 27-38. Ad pristinum decorem reducere Pontifex conatur religiosos Ordines, præsertim Minoritas, cooperante S. Carolo Borromæo. 39-42. Mandante Pio, Carolus Borromæus purgat hæresibus Italiam. 43. Leonardum de Marinis, visitatorem Apostolicum; Pius exstimat. 44. Januensem rempublicam monet ut religionis rem majori euret studio. 45-46. Carolo Borromæo utitur, tum ad iuria sedanda, tum ad disciplinam per synodos diecesanos restaurandam. 47. Concilium provinciale Ravanatense. 48-49. Romæ penuria et morbis laboranti large subvenit. 50-52. Veneta respublica, sibi ipsi tantum prospiciens, recusat præstare subsidia Pontifici, qui vicissim ipsi negat decimas Ecclesiasticas. 53,54. Jurgia inter Melitensem Ordinem et Pontificem. 55,56. Turcarum jugum executere tentant Arabes et Ægyptii: navalis pugna inter Florentinos et Turcas. 57,58. Concertatio de dignitatis prærogativa inter duem Florentinum et Ferrariensem. 59. Rosa aurea decorantur a Pontifice Joanna Florentina ducissa et Margarita Austriaca. 60. Januenses incepunt Pontifex quod Ecclesiam prius diripi permittam alibi non excitarint. 61-67. Astensis Ecclesiæ fædatorii a ministris Sabaudiae ducis fæduntur, favente episcopi segnitie, et aulicis hæreticis secreto inspirantibus. 68-69. Divinæ vindictæ signa Mantuae et Genevæ. 70-78. Dissidia inter Tridentinum episcopum et archiducem Austriae illam Ecclesiam opprimere conantem. 79. Austriae archiduci Pius denuntiat vexationes illatas in Colmariense capitulum. 80. Archidux sacerdotem scelestum morte plectit, et hæreticos insectatur. 81. Annuente archiduce, visitatio dieesis Aquileiensis decernitur. 82-89. Patfacto imperatoris consilio de concedenda Austriae populis Confessione Augustana, Pius Commendonum legatum suum in Germania creat, et jubet illum malo obstare, adhibitis remediis etiam aerioribus. 90-93. Litterae Pontificis ad episcopum Pataviensem de non concedenda laicis communione sub utraque specie. 94. Electo Basileensi præcipit ut consecrationem episcopalem recipiat. 95,96. Pragensi episcopo mandat ut suum opus impletat perfectius. 97-103. Abusibus qui irrepserant in electione episcoporum fortiter obsistit Pontifex, et nisi magna eum cautela electos confirmat. 104,105. Coneedit Pius ut Gaspar Franeus, recentor ab hæresi conversus, ad sacros ordines promoveatur. 106. Grata Pontifici electio Coloniensis archiepiscopi. 107. Trevirensi archiepiscopus tandem tanquam princeps recepitur. 108,109. Colloquium Altemburgense inter Lutheranos *molles* et *rigidos* hæreticis nocivum, Catholicis vero perutile. 110-112. In Anglia Puritanorum origo, mores, fautores, hostes. 113. Maria Scotia regina carecere elabitur. 114,115. Nothus illam insequitur, et commissa pugna, reginæ exercitum profligat. 116,117. Maria ad Elizabetham secedere statuit. 118,119. Maria Carleolam ducitur, ibique ut captiva tenetur. 120. Maria per litteras Catholicos ad deponenda arma inducit. 121,122. Judices ipsi testimonium reddunt de Mariæ innocentia, unde irascitur Elizabetha. 123. Dolose spargitur rumor de Mariæ nuptiis cum Norsoleio. duc. 124,125. Elizabetham per fas et nefas omnia conturbantem Pius coereere tentat, mediante rege Hispano. 126-128. Sueticæ res per mortem Erriæ crudelissimi regis compositæ. 129. Polonus inter et Moscovitas bellum. 130-132. Confessionem Augustanam Gedanenses oblinere student a Sigismundo Poloniæ rege, quem Hosius de ipsis monere festinat. 133. Acta Elbingensia. 134-136. Hosii votis non obtemperant Elbin-

genses. 137-141. Elbingensium querelæ ab Hosio diluuntur. 142. Hosius frustra contendit ut ministri haereticæ Elbinga ejiciantur. 143. Hosio ad comitia Lublinensia proficisci enti ingentes offeruntur commensus. 144. Calvinistæ Hosium calumniis impetuunt. 145. De immunitate Ecclesiastica in Polonia Diploma regium. 146. Vladislaviensis episcopi zelus. 147. Chiovensem episcopum a sede sua dejectit Pontifex. 148. De teguntur fraudes Gnesnensis episcopi. 149. Merlini Lutherani convicia in Pontificem. 150,151. Annae, infantis Polonie insigni pietas : ad comitia Lublinensia communitoriae litteræ Pontificis. 152-155. In Gallia inter Hugonottos et Catholicos pactæ pacis conditiones, neutri parti acceptæ. 156-158. Rex Carolus cancellarium Hospitium ab officio deponit, jurisjurandi formulam omnibus subscribendam mittit ad provinciarum presides, et apprehensione frusta tentat præcipuos ex Hugonottis. 159. Utrobius ad arma concurritur. 160-164. Omnium plausu excipitur edictum novum, quo nulla fides, nisi Catholica, admittitur. 165-167. Temporalibus et spiritualibus subsidis Galliarum regi subvenit Pontifex. 168-170. Haeretici undequaque auxilia petunt, et inter se juramento obstringuntur. 171,172. Avenionensem ditionem ab haereticorum insidiis servat cardinalis Armeniacus. 173,174. In Belgio ducis Albani nimia severitas, unde haereticorum horronda facinora. 175. Orangius in jus vocatus parere recusat : eadem inferunt orthodoxi haereticis, et vicissim haeretici orthodoxis. 176,177. Albano jubente, nobiles captivi capite plectuntur; curiae Culemburganae ædificationem solo aequatum. 178. Præclararum victoriarum de Nassovio duce resert Albannus, de qua Pontificem certiore facit. 179. Pii ad Albanum litteræ gratulatoriae. 180,181. E Germania in Belgium reddit Orangius, sed mox solvere exercitum cogitur. 182-184. Orangius non patriæ defensor, sed proditor. 185. Prodigium in Hispano milite : reformatio Ordinum in Belgio. 186-193. Quid sentiendum sit de captivitate et morte Caroli, regis Hispani filii. 194. Mors prepropera Elizabethæ Hispaniarum reginæ. 195,196. Bellum Granatense. 197,198. Causa Thomae Granze, insignis Toletani praesulis, Romam evocatur. 199. S. Theresia incipit reformatiōem Ordinis virorum Carmelitarum. 200. Pius mandat ut Eucharistia administretur capitali supplicio damnatis. 201-203. Portugalliae regi Pius gratulatur de suscepta reenter administratione, et illum commendat cardinali ayunculo. 204,205. Felix Portugalliae status. 206-213. Pius urget conversionem haereticorum neenon Ethniorum in Indis Orientalibus et Occidentalibus. 214. Ficta egatio patriarchæ Syrorum. 215. Mors Panvinii quem Baronius optaverat suo loco esse scriptorem Annalium. 216. S. Stanislus Koska moritur : Pontificis severitas in pronepotem.

MDLXIX.

1-5. Carolus Borromæus Scalensium collegium visitare statuit, et a canoniceis patitur repulsam. 6,7. Pontifice litteræ tum ad gubernatorem Albuquericum, tum ad Carolum ipsum de negotiis Scalensium. 8,9. Pii summa animi moderatio et prudentia. 10-13. Carolus divinitus servatur a cæle quam ipsi paraverant Fratres Humiliati. 14-16. Severis litteris perstringit Pius ducem Albuquericum, quem postea penitentem vineulis anathematis solvit, deprecante ipso Carolo. 17. Tristis exitus jura Ecclesiæ contemnitum. 18,19. Exigitur eo durius ab Albuquerio revocatio edictorum contra Ecclesiasticam jurisdictionem latorum quo benignius a Pontifice habitus fuerat. 20. Concilium Mediolanense secundum. 21. Bonifacii VIII Constitutionem contra offendentes S. R. E. cardinales Pius etiam ad non revelantes extendit. 22. Cardinalem Montium in aream S. Angeli iterum includi jubet Pontifex. 23. Pius declarat cardinales comprehendendi in Constitutione Pii IV adversus Custodinos. 24. Simoniacam labem implacabili animo persecutus. 25-39. Philibertum, Sabaudiae ducem, Astensis Ecclesiæ jura violantem, ad meliores sensus Pius reducit. 40-45. Saeram Poenitentiariam Pontifex denovo reformat. 46,47. Bulla qua constituntur leges censuum licite exigendorum. 48,49. Basilicam Lateranensem super omnes orbis Ecclesiæ extollit Pontifex et laquearibus inauratis exornat. 50. Fabricam S. Petri in Vaticano privilegiis auget. 51. Canonicos S. Georgii in Alga Venetiorum ad votorum trium professionem adgit, eosdemque privilegiis ditat. 52. Congregationem Fountis-Avellanæ suppressit, et monasteria Canaldulensis attribuit. 53,54. Binæ in singulis provinceis domus Recollectis Ordinis S. Francisci assignantur. 55. Soliditates Rosarii privilegiis firmantur, et earumdem erexitio conceditur Ordini Praedicatorum. 56. Securitati officialium S. Inquisitionis Pius consulit. 57-63. Cellariam haereticum comprehendendi iubet, et ob ejuratam haeresim vivum comburere parcit. 64,65. Mantuae ducem apud regem Hispanum bonis officiis juvat. 66-70. Joannettus haereticus propter apostasiam his careeribus mancipatur, et tandem, haeresi ejurata, in custodiā aeternam datur. 71-73. Mediolani Pallearius vivus in ignem conjicitur. 74-76. Pius haereticos ubique persequi et comprehendendi eurat. 77,78. Constitutio qua Hebrei a toto dominio Ecclesiastico, Roma excepta, ejiciuntur in plenam suæ perfidiae. 79-84. Compromuntur dissidia inter Corsicam et Januensem rempublicam. 85-88. Cosmus Medicus creatur Magnus Dux Etruriae. 89. Finalenses Carettum marchionem recipere detrectant. 90-94. Galliae regem et principes incidunt Pius aduersus haereticos, promissis auxiliis. 95-107. Magna apud Januacum Francorum Catholicorum victoria : Pontificis summa letitia, et litteræ gratulatoriae. 108. Comiti de Tavannes pro archiepiscopo Bisuntino Pius gratiam concedere renuit. 109-113. Cardinalem Lotharingum et Gallie regem monet Pontifex, ut victoriae fractus rebus Ecclesiæ firmandis inservire faciant. 114. Pontifex Carolo regi suadet ut Bearniam et Navarram oecupet. 115. Laudat Pontifex cardinalem Borbonum quod majorem Catholicae religionis quam sanguinis rationem habuerit. 116-118. Cirolum regem et ejus matrem denovo stimulat Pontifex. 119-128. Auxiliares copiae ad regem missæ a Pontifice. 129. Caroli regis illustria religionis exempla. 130-133. Suffecto in locum Conclavi demortui Henrico Benearnie principe, Hugonotti ab Elizabetha Anglia subsidia obtinent. 134-135. Dux Bipontinus arma jungit cum Hugonottis. 137-140. Bisuntini in fide confirmati, tum per Pontificis litteras, tum per detectam haereticorum perfidium. 141,142. Bipontini obitus : Andelotius veneno necatus. 143,144. Andegavensis proditorie ad necem quæsusit a Colinio : varie leves pugnae. 145-148. Quibus de causis Pontifex nova subsidia ad regem Gallorum mittere detrectaverit. 149-153. Moldensem episcopum licet a rege nominatum, confirmare renuit Pontifex ob haeresis suspicionem. 154. Dumblanensem episcopum,

Pius regi Gallo commendat. 155,156. Varie Hugonottorum contra Catholicos velitationes. 157-160. Omnibus dignitatibus exultur Collinius, cui sufficitur marchio de Villars; unde litteræ gratulatoriae Pontificis ad Capo-lum regem. 161-165. Praeclaræ de hæreticis reportata victoria apud Monconturium. 166-170. Summa Urbis et orbis Catholicæ lœtia. 171-175. Nil experientia edocti Catholicæ rursum negligunt hostes persequi. 176-179. Avenionensis ditio ab heresi præservata propter Pontificis prudentiam. 180-187. In Jesuitas coorta Avenione seditio. 188-191. Avenione julentur exceedere Judæi. 192. Valentina in Galliis Ecclesia periclitans litteris Pii in fide firmatur. 193. Virdunensis cleri pietas a Pontifice impense laudatur. 194. Dux Usensis cum Ecclesia reconciliatur. 195-197. Pontifex promovere conatur matrimonium inter Carolum Galliarum regem et filiam imperatoris, obstantibus licet principibus hæreticis. 198. Joanni de Auria Pius suadet dimittere Gallos captivos. 199-203. In Belgio Albani dueis saevitia, occasio rebellionis. 204. Mittit Pius ad Albanum ob res præclare gestas pileum et ensem pree sacratos. 205,206. Albanus aggreditur imponere episcopos novis sedibus, et inter eos Lindanum Ruremundensem, virum eruditum et pietate conspicuum. 207,208. Hosius Maximilianum laudat quod non concesserit Austriae Augustanam Confessionem. 209. Olomucensis episcopus propter eructum collegium male muletatur in sua civitate. 210,215. Satisburgensis præsulis studium, ejus meritis Pontifex ratam habet electionem Davidis in episcopum Ratispensem. 216. Pii litteræ ad capitulum Argentinense de electione episcopi. 217. Ejusdem litteræ ad imperatorem de residentia canonieorum. 218-221. Tridentine Ecclesiæ dissidia componuntur. 222,223. Albalii Medianensi deputatur munus visitandi diocesim Aquileiensem neenou Bambergensem. 224-232. Litteræ Enycelice Pontificis ad episcopos Germanie et Hungariae. 233,234. Internuntio Apostolico conceditur potestas operam dandi regi Poloniae. 235-241. Monita Pontificis ad episcopos in comitiis Lublinensibus congregandos. 242-244. Reclamante licet Pontifice, Sigismundus Poloniae rex Albertum Borussiæ ducem erat, et regale Poloniae jus in disserimen adducit. 245-247. Obsistit Pontifex regi et episcopis Poloniae, qui præscripta Concilii Tridentini labefactare tentant, nendum exequantur. 248-256. Per molesta Sigismundo regi Hosii præsentia. 257-260. Merlinus hæreticus, non Catholicus tantum, sed eliam Calvinianus intolerabilis. 261-263. Geduni commissarii regi non recepti, et utecumque restituta religio Catholicæ: Gedanenum eum Danis res composite. 264-268. Ex comitiis Lublinensibus constituta concordia inter Lithuania et Poloniæ, excogitatum fœdus inter imperatorem et Polonum, et plurimi ad veram fidem reducti. 269. Hosius Romanum revertitur. 270-274. Angliæ appellit Mortonius, ad ejus vocem Catholicæ insurgunt; Northumbriæ comitem sibi ducem eligunt. 275-280. Catholicæ se dant in fugam. 281-284. Maria Scotie regina ab Elizabetha durius habita. 285. Albano duei ruina Angliæ tribuenda. 286,287. Anglos Catholicos pecunia juvat Pontifex, et in illorum gratiam Dnæensis Collegii fundamenta jacit. 288. Elizabethæ jugum exentere tentant Hiberni. 289. Romæ obit Pechamus, strenuus Ecclesiæ defensor. 290,291. Res Moscoviticæ. 292. Pax inter Danum et Suecum confirmata. 293-305. Hispanorum similitates ex Granatensi bello exortæ. 306-308. Reformationi Ordinum religiosorum rex Hispaniæ et Pontifex simul incumbunt. 309-312. Capituli Toletani querele ad Pontificem delatae et responsio Pontificis. 313-315. In Murcia regno cavit Pontifex ne plectantur innocentes eum sotibus. 316,317. Valentimum episcopum pastorale munus deponere cogitantem Pius a sententia revocat. 318-325. Lusitanos episcopos objurgat Pius, eo quod seminarium non instituerint in sua quisque diocesi. 326. Erectioni novæ sedis episcopalæ in oppido de Elbas obstant Elborensis et Ceptensis episcopi. 327,328. Providet Pontifex ne majores Ecclesiæ dignitates neophytis in Lusitania conferantur. 329. Cardinalis infans Portugallie, relieta Ulyssiponensi sede, ad Eborensem suam priorem Ecclesiam derit. 330,331. Laudat Lusitanum regem Pius quod reformationem Ordinum Militarium aggredi in suo regno statuerit. 332-336. Lusitani regis matrimonium urget Pontifex. 337,338. Æthiopica expeditio contra Turcas Sebastiano regi communendatur. 339. Siones rex Lusitanorum ope restitutus. 340,341. Brasiliæ prorogem Pius hortatur ad Catholicam fidem propugnandam. 342. S. Ludovicius Bertrandus e novo Granatae regno in Hispanias reddit. 343. Joannis Avilæ et Xisti Senensis obitus. 344,345. Multa in hoc anno iræ Dei signa. 346. Urbini Concilium provinciale. 347. Pius, dato Diplomate, fovet studium Andreae de Gaspare Corso erga captivos.

APPENDICES

I^o Concilii Provincialis Ravennalensis Acta et Decreta.

II^o Congregationis Fontis-Avellanæ vetera monumenta.

SUMMARIUM

TOMI XXXVII

M D L X X .

1-6. Tureæ Cyprum appetentes mittunt Venetas nuntium qui causas querimoniae eorum senatu exponat : Venetorum responsio. 7,8. Veneti ad arma se accingunt et Christianorum principum opem implorant. 9-11. Pius solus causam Venetorum amplectitur. 12-15. Pius concedit decimas, et Jubileum indicit. 16. Columna huic expeditioni dux praeficitur. 17-19. Cosmi, Etruriae duces, et Melitensium equitum studium a Pontifice laudatur. 20. Auria Romanæ evocatur. 21-23. Per nuntium et litteras Pontifex Hispanum regem invitat ad foedus contra Tureas. 24-25. Ad cardinalem Spinosam et ad Joannam Portugallia principem Pontificis litteræ. 26-27. Rex Hispanus se promptum exhibet ad execunda Pontificis vota. 28. Laudatur a Pio regis Hispani studium. 29-31. Quid sentiendum sit de conuocatione Hispanorum. 32-41. Pontificis labor in conjungendis principum Christianorum classibus. 42-44. Melitenses triremes, sua classi conjunetas, Pius jubet Coreyram mitti. 45-54. Lusitanum regem ad foedus invitat et incitat ad matrimonium. 55,56. Lusitanus rex classem praestare et matrimonium imire abnuit. 56-60. Quenam fuerint partes in rebus Portugalliae moderandis, tum avie Catharinae, tum regis Hispani. 61-63. Pius frustra incitat Gallia regem, imperatorem et regem Polonum, ut, si non arma, saltem nomina, foderi contra Tureas praestare consentiant. 64-66. Principum orthodoxorum passus repulsam, Pius ad Moschum schismaticum se convertit. 67. Italiae principes una cum Pontifice coniuncti. 68. Solemni pompa Columna Pontificie classi praeficitur. 69,70. Veneti Zanum rei militaris dueem creant, sed subjectum praefecto Pontificis. 71,72. Dum litigant inter se duces Christiani, Tureæ Siciliae littora infestant. 73,74. Ragusei sibi metuentes ad Pium confugint qui illos commendat Hispanis. 75-81. Nicosia a Tureis capta et horribili eade foedata. 81-83. Auditio Nicosiae easu, classes Christianæ turpiter redemit. 84-86. Tristis hujus inertiae exitus. 87-89. Preces publicæ a Pio inditæ. 90-92. Pontificis vehemens exhortatio ad principum oratores, de novo foderi ineundo. 93-102. Teritur tempus colloquiis et altercationibz. 103-107. Ex auditâ Nicosiae amissione Veneti procliviores ad foedus. 108-110. Melitensium equitum magistrum a proposito abdicandi Pius deducit. 111-114. Cosnum Pius Magnum Etruriae ducem creat et coronat. 115-119. Imperator nullitatis arguit hanc promotionem, et per oratores protestationem opponit. 120. Ducem Ferrariensem Pius vetat sistere ad aliud tribunal quam ad Romanum. 121. Cosmus ad Maximilianum mittit legatum. 122,123. Philippi Hispaniae regis infensus animus in Cosnum. 124-126. In ornando Cosmo purus et rectus Pontificis animus. 127. Creatio cardinalium. 128. Constitutiones in gratiam canonieorum Lateranensis. 129-134. Agitur de reformatione Cisterciensium. 135. Pius reprimit abusus qui irrepserant in conferendis præceptoriorum Ordinum militarium degentium in Portugallia. 136. Invigilat Pontifex ne quid simoniæ labis subrepatur in provisione beneficiorum. 137,138. Prohibet disputationes de B. Mariae Virginis conceptione. 139-140. S. Philippus Neri in suis familiaribus concionibus orthodoxus. 141. Crucis signatorum societas nova Constitutione a Pio exornatur. 142. Gratulatur Pontifex Octavio Farnesio quod Sanseverinum haereticum in vincula conjecerit. 143,144. Rogat Pius Philibertum Sabaudiae ducem ut Joannem Thomam haereticum sibi tradat. 145,146. Comiti Tenda seribit Pius ut Albingensi episcopo plenum jurisdictionis exercitium relinquat. 147. Pestifera origo Appellationum *ab abusu dictarum*. 148-152. Ad Maximilianum Pontifex mittit Madrueum cardinalem, qui de rebus sue Ecclesiae Tridentinae sit eorum imperatore ipse tractatus. 153,154. Mediolani jura Ecclesiae primæva restituuntur. 155. Constitutio contra monetarum tonsores. 156-158. Animadvertisit in eos qui Carolum Borromensem occidere tentaverant. 159,160. Scalenses canonici ad meliorem sensum redeunt. 161. Per Helvetiorum pagos instituta Catholica denuo in honore habita. 162,163. Pius missalis Romani reformationem inchoalam absolvit. 164,165. Constitutio Pontificia de censibus. 166,167. Vexilla Hugonottis erupta Pius suspendi jubet in Lateranensi Basilica. 168-194. Regem Gallie a pace cum haereticis ineunda Pius revocare studet et jam factam improbat. 195-200. Pontifex ditionem Avenionensem tutatur et expeditionem Aransensem

cogitat. 201. Carolus Galliae rex nullum benevolentie signum negligit erga haereticos. 202-203. Maximilianus ad comitia Spirensia se confert. 204-216. Pontifex vetat ne quid de religione agatur in Spirensibus comitiis. 217-224. Attente invigilat Pontifex ne haeretici in Ecclesiis et capitula Germaniae obrepant. 225-226. Carolus Austrie archituum hortatur Pius ut Indimastros haereticos e suis ditionibus expellat, et in auxilium mittit societas Jesu religiosos. 227-230. Quid senserit Hosius de Altemburgensi colloquio. 231-234. Maximilioni segnites in plectendis haereticis. 235-236. Sanderi liber contra Altemburgense colloquium. 237. Praeclaras Hosii Epistola ad regem Poloniae contra Augustanam Confessionem. 238-240. Sandomiriense colloquium in quo haeretici frustra querunt inter se concordiam. 241-244. Fortiter obsistit Hosius haereticorum conatibus. 245-249. Reprehendit Hosius regem Poloniae quod permiserit religionis negotium ad alia comitia rejici, et docet iniri non posse concordiam Catholicos inter et haereticos. 250. Revocatur a rege Poloniae mandatum haereticis favens, unde a Pontifice commendatur. 251-256. Poloniae legati a duce Moschiorum male habiti propter eorum detectas blasphemias. 257-261. Laskium senatorem ab haeresi revocant dissidia et scandala sectariorum: Hosii ad eundem gratulatorie litterae. 262. Hosius monet alios Polenos de haereticorum fraudibus. 263-265. Hosius calumnias Bezanorum diluit. 266. Gedanenses ad regis obsequium reducti dant spem redeundi ad veram fidem, si calieis usus eis permittatur. 267. Disputatio theologica inter orthodoxos et haereticos in Iudaeum veritatis terminatur. 268. Miserrimus armiarum Lithuaniae Hosius Sigismundum a bello abstinere monet. 269-272. Pius Hosio Cromerum coadjutorem dat, cum titulo Poenaniensis Ecclesiae. 273-278. Succise regno Pius reditum ad veram fidem proeurrare enititur. 279-281. Dux Albanus edictum generale, venie muncupatum, promulgat, exclusis tamen quibusdam reorum classibus. 282. Stevit Pontifex in judices preevaricatores, et adulterine monete fabricatores. 283. Libros vetitos in flamas injici jubet Albanus, et typographis leges prescribit. 284-288. Concilium provinciale Mechlinie habitum, in quo recipiuntur decreta Concilii Tridentini. 289-290. Dioecesana Synodus Ruremunde et Namurei. 291. Immunitates suas a decretis Concilii Tridentini Iesas Belga arbitrantur. 292-296. Causa Baiana iterum agitat scholas, et imprimis Lovaniensem Academiam: qualis reipsa fuerit iste Baius ex Bellarmino. 297-298. Anna Austriaca, uxor futura Philippi regis, per Belgum transit, et magna pompa excipitur. 299-302. Agitur de discessu Albani e Belgio. 303,304. Archiepiscopum Bisuntinum, diu Romae detentum, Pius ad suos redire permittit. 305. Sub recta intentionis specie tegit Auriacus pyraticas depredationes. 306. Festo Omnim Sanctorum, tremenda tempestate Belgum atteritur. 307-309. Moravus, nothus et infensissimus frater Mariae Scotiae, occiditur ab Hamiltonio in privatam vindictam, non ex coniunctione. 310. Nothi seclera. 311. Hamiltonius ex Calvinista Catholiens. 312-315. Elizabetha nothi eadem agre fert, et Scotos fideles vexat. 316-320. Apud Philippum Hispaniae regem agitur de liberanda Maria Scotiae regina. 321-325. Processus originalis juridice instructus, quem sequitur Butta excommunicationis. 326-326. Diluuntur objectiones circa hujus Bullae promulgationem. 327. Non ex solo externo eventu Bullae effectus judicandus est. 328,329. Feltonii invictum animi robur, tum in Bullae affixione, tum in dirae mortis perpessione. 330. Gravi terrore percutitur Elizabetha ob sententiam a Pio Iatam. 331,332. Pii studium pro confirmatione et executione Bullae. 333-336. Omne operam impedit Pontifex in succurrendis Catholicis. 337-339. Elizabethae in Scotos crudelitas. 339-333. Ab Elizabetha decernitur legatio Caeclii ad Mariam Scotiae reginam: qualis fuerit iste Caeclius. 344-341. Iniquae pacis conditiones per Caeclium propositae rejiciuntur. 342,343. Pii litterae consolatoriae ad Scotie reginam, et Mariae responsum ad Pontificem. 344-346. Quaedam explanantur in litteris Mariae Scotiae. 347. Troemortonus veneno sublatus. 348. Elizabethae jugum praegrave executere tentant et ipsi Hiberni. 349-351. Sigismundus, Poloniae rex, pacis sequester inter imperatorem et principem Transylvanum; unde Pontificis litterae gratulatoriae. 352-354. Pontificis zelus in purganda haereticis Transylvaniae. 355. Pius statuit evellere abusus e quibusdam Hispaniae Ecclesiis. 356-359. Mira fidei Catholicae propagatio inter Mexicanas regiones. 361. S. Clarae cenobium in Mexicana civitate Pius confirmat. 362. De pluribus ad Ecclesiam Basileensem pertinentibus agit Pontifex apud legatum Faruffinum. 363-367. Antequarensi Ecclesiae inopia laboranti subvenire Pius hortatur Hispaniae regem. 368. Repellit Pontifex instantias episcopi Meianensis contra regulares. 369,370. Confirmat Pius Acta Concilii Goani et laudat Cochinensis episcopi pietatem et zelum. 371. Gloriosum martyrum Jesuitarum a Calvinis pyratis occisorum. 372-373. Longe lateque in extremum Orientem diffunditur fides per operarios Evangelicos. 374-375. Terrae motu concurtiuntur insula Tertia et complures Italiae urbes. 374,375. Baldini et Brentii obitus. 376. Laudibus exornat Pius opus a Surio concinnatum. 377,378. Pius Ortonensem Ecclesiam in Cathedralem erigit, et Dublinensem episcopum exulum Ecclesiae Vasconensi pastorem sufficit. 379. Beatae Clarae de Montefalco sanguis mirum in modum ebullit. 380. Nicosiae easum Gambara carnime deplorat et describit.

MDLX XI.

1. Caeclius ab Elizabetha baronis titulo insignitur. 2,3. De abdicatione reginæ Scotie agitur. 4. Proceres qui pro regina stabant vexantur: archiepiscopus S. Andreæ suspenditur patibulo. 5. Fingit Elizabetha se nuptias exoptare cum Andium comite. 6-11. Pius de sorte Mariae et orthodoxorum anxius. 12. Haereticis pyraticam exercentibus favet Elizabetha. 13-15. Zelus Pontificis et Hispaniae regis in ornanda expeditione contra haereticos Anglos irritus eadit per Albani invidiam. 16,17. Rodolphus, hujus expeditionis praecipuus ordinator, in Gallia subsidere cogitur. 18. Roffensis episcopus in aream Londinensem detruditur. 19-22. Diversa decretalia contra Catholicos. 23-27. Storei præclarum martyrium: multiplicia iræ divinae signa. 28. Nonnullæ cum rebellibus Belgis Hispanorum concertationes. 29. In aree

Antuerpiensi monumentum sibi Albaus ergil, quod a successoribus dejectur. 30. Novis impositis veelgalibus turbas excitat Albaus, cui dux Medina-Celi subrogatur. 31. Hispanie rex a Pio obtinet decimas Ecclesiasticas pro haeresium extirpatione. 32,33. Lundani Burenumensis episcopi sollicitudo pastoralis. 34,35. Aliorum episcoporum socioria a Pontifice reprehenditur. 36. Decernitur in Consistorio nullum jus competere Capitulo Cameracensi in electione sui praesul. 37,38. Leodienses in oppugnandis haereticis strenui. 39. Litterae Pii gratulatoriae ad Surium Garthuisium Coloniensem. 40-45. Ex nouis haereticorum in Germania collationibus, ne non ex zelo Alberti Bavarie ducis, spem concipit Hosius status melioris. 46. Albertus Hosio exponit cur ab errorum tenebris haereticis, imprimit principes, non difficile emergant. 47. Hosius censet nil remittendum esse de cura quam Albertus impenderat ad conciliandos haereticos. 48. Albertus novas Hosio objicit difficultates. 49. Hosius ad Carolum Austriae archiducem se convertit. 50-54. Colloquium inter *Substantarios* et *Accidentarios* desinit in mutuam dilacerationem. 55-57. Pius monet principes Germanos ne quid mali subditis Catholicis evniat. 58,59. Pontifex imperatorem laudat quod suis monitis obtemperaverit. 60. Hosius gratulatur Mendozam, quod avertit imperatorem a concedenda Bohemis Confessione Augustana. 61. Sedes Viennensis in Austria diu vacat propter *eeclsum* quod vocant *regimen*, cui subiecere certam Politici ceteras etiam sedes episcopales. 62. Cardinalem Madracium Ecclesie sue Tridentine possessionem non obtinentem. Romani redire permittit Pontifex. 63. Ernestus, episcopus Frisingensis, licet imperatoris nepos, eorum tribunali *eeclsi regimini* adstare cogitur. 64. Queritur Hosius quod in Indice Ebororum in Bohemia vetitorum, nulla facta sit mentio librorum Lutheranorum. 65. Lutherum ex impura muliere ei demone incubatum Hosius pronuntiat. 66-68. Decreta concilii provincialis Salisburgensis a Sancta Sede approbata observari curat Pontifex. 69,70. Portenta in Germania. 71. Elector Brandenburgensis veneno interficetus. 73-78. In locum Joannis Transylvanicus principis, cum Arianismi maesta defuneti, sufficitur Baldorius Catholicus fidei egregius instaurator. 79. Sigismundus Poloniae rex graviter ab Hosio reprehenditur ob concessum haereticis in ipsa urbe Graciensi templum. 80-83. Litterae Pontificis gratulatoriae, et Hosii simul increpatioriae ad palatinum Graciensem. 84. Hosius Elbingensem sedem ut suam vindicat. 85-88. Totis viribus Pius avertit Sigismundum a divortio. 99,100. Anna, regis Poloniae sororem, Pontifex cumulat landibus et gratiis spiritualibus. 101. Praeclaro elogio Nicolaus Radzill commandatur. 102,103. Joannes Chodkiew et Schalichius in gremium Ecclesie redunt. 104. Cromerus, coadjutor Varniensis, datis litteris a Pio laudatur. 105. Moschi sue immanitatis danū poenas. 106-108. Carolus Galliae rex agit cum Navarrae regina de conjugio inter ejus filium et sororem suam inueniendo. 109-112. Pseudosynodus Hugonottorum Rupellae coacta. 113,114. Cum Salvatio legato Pontificio demò agitur de matrimonio principis Navarrei cum Margarita regis sorore, ut rei Catholicae utilissimo. 115-121. Haereticis addictus Carolus, unde pluribus in locis tumultus et cedes. 123-126. Pius Bisuntinos ad pacem et jus reducere studet. 127-133. Monet Pontifex cardinales a Lotharingia et Pelleum ut abstineant omni consuetudine cum episcopo Valentino haeretico. 134. Cardinalis a Lotharingia virtutes. 135. Queritur Pius quod Aquensis episcopus, licet haereticus, ornatus fuerit legatione ad Turcas. 136-138. Odeli Castillionei olim cardinalis mors infama. 139,140. Soncherii cardinalis, et Esponeci insignis theologi obitus. 141. Burdigalae magie artis cultores. 142-143. In regionibus etiam conterminis Carolus foveat haereticos. 145. Apud Pium frustra agit Carolus in gratiam Comitis S. Severini haeresis insimulati. 146. Friburgenses monentur ut causam Lausaniensis episcopi defendant. 147,148. Carolus Borromaeus Iudimagistros haereticos ab Helvetiae pagis (jici curat). 149-153. Humiliatorum Ordo extinguitur. 155-157. Humiliatorum bona in meliorem usum Pontifex convertit. 158. Contentiones inter Fratres Eremitanos et canonicos regulares Papie commorantes. 159. Pius Papie gymnasium instituit. 160. Finalium occupat Hispanie rex. 161-164. Causa praecedentiae inter magnum Etruria Ducem et Duecem Ferrariae agitata ad Pontificem deferatur. 165. Musici conceputi prohibentur in Majori Hebdosmada. 166. Ecclesiastis et alia loca saecula, etiam exempla, episcopi visitare adstringuntur. 167,168. Abusus circa missæ sacrificium tollit Pontifex. 169-171. Sodalitates *Doctrinae Christianae* nuncupatio. 172-175. S. Philippus Neri fundator Archiconfraternitatis peregrinorum et convalescentium. 176-193. An S. Philippus Neri methodum orationis mentalis didicerit a S. Ignatio, et in ejus Societatem ingredi postulaverit? 194-196. Religiosorum familias novis numeribus ornat Pontifex. 197,198. Pius Mendicantium privilegia quoad secularium confessiones restringit. 199-202. Clericorum avaritia fortiter comprimitur. 203-205. Officium B. Marie Virginis, sed nomini a se vel a S. Sede approbatum, edi curat. 206-209. Pius animarum pastor vigilantissimus. 210-212. Joannes Austriae dux summus imperator praeficitur classi contra Turcas dirigende. 213-216. Columna a Pio ad regem Hispanie mittitur ut obstantia federi dirimat. 217-220. Gavillationibus cardinalis Granvellani impulsu Veneti a Federi declinant, et ad componendam pacem cum Turcis attrahuntur. 221-224. His electus Pontifex Venetas mittit Columnam qui persuadat senatu ut foedus accipiat. 225-235. In consistorio solemniter foedus percutitur; hujus foederis conditiones. 236. Promulgatur foedus eorum populo. 237-238. Divinam opena implorat Pontifex. 239,240. Invigilat Pontifex ut quamprimum unusquisque federatorum suas partes impleat. 241. Pius Sorianum, federis egregium propugnatorem apud se retinet: signa Iustitiae apud Venetos et Hispanos. 242-244. Similibus bellii Pius providet. 245-248. Iortatur litteris Pontifex imperatorem, ne non Gallie et Polonia reges ut ad foedus initum accedant. 245,250. Messanam convenire prescribitur variis navibus Christianae classis. 251-253. Consistorium in quo legationes ad Christianos principes decretie, et haereticorum consortium repulsum. 254-260. Cardinalis Alexandrinus aulam Hispanam petit, et cum rege agit tum de rebus ad bellum contra Turcas pertinentibus, tum de causis dissidiiorum tollendis. 261-278. Singula capita que inter regem Philippum et cardinalem Alexandrinum tractata fuere. 279-284. Mera fabula concordia a Rocheo

Pirro exegitata. 285. Constitutio pro utriusque Siciliae regnis. 286. In quibus rex Hispaniae aequum se praebuerit legati postulationibus. 287-290. Cardinalis Alexandrinus Lusitanum regem adit, a quo nihil nisi vanas premissiones obtinet. 291-293. De legatis in Persiam mittendis agitur. 294-308. De nubendo Lusitano rege Pontificis irriti conatus: an reipsa Jesuite juxta severiorem normam hunc principem educaverint. 309-317. Commendandi legatio ad Maximilium de fædere ineundo: responsio d'latoria imperatoris. 318-321. Querela imperatoris de titulo Magni dueis Cosme Medicæo, absque ipsius voluntate a Pontifice concesso. 322. Turcarum tyranni minae litteræ ad imperatorem. 323. Pii legationes ad Italie principes. 324-331. Venetorum insulas Turcæ vastant. 332-356. Famagustæ excidium; Turcarum perdidia. 357-363. Joannis Austriae diu expectatus adventus: causæ hujus tardioris moræ. 364-366. Austriaus Messanam appellit, et a ducebus cum magna lætitia excipitur. 367-377. Post multas procerum altercationes, decernitur, Pio præsertim hortante, prælium band diutius differendum. 378-381. Christiana classis Christiane accingitur ad pugnam. 382-384. Messana solvit classis. 385. Inter Turcarum duces disceptatio. 386-394. Classis Christiana ex re parvi momenti in maximum discerim adducta. 395. Apud Echinades insulas naves utriusque partis in conspectum veniunt. 396-399. Ultimi pugnae apparatus. 400-417. Summam cladem subemunt Turcæ, qui nunquam antea navaliter prælio a Christianis proligati fuerant. 418-423. In ipso momento quo pugna committitur, Pius cœlitus electus victoriam noseit et nuntiat. 424-433. Quanta fuerit clades hostium, et fortitudo Christianorum. 434-435. Ex historiis nulla clarior Victoria, sed ob pravum usum nulla minus fructuosa. 436. Favente numine, tempestati subortæ se subdicit fœderatorum classis, in portum Petalam configiens. 437-441. Discrepantes sententie de reducenda classe in hiberna: dueum querela mutua. 442-443. Terror othonianum imperium undique pervadit: pictura, victorie commemorative, in Vaticano. 444. Dueos inter se predam partinuntur, et ad redditum se comparant. 445-447. Summa lœtitia excipitur tum Venetiis, tum Romæ, nuntius de reportata victoria, ob quam a Pontifice instituitur festum Commemorationis S. Marie de Victoria. 448-453. Ingressus Columnæ in Urbem et ei delati triumphi honores. 454-455. Lutheranus neenam imperatori ipsi huc victoria tristitiam parit. 456. In Hispania duplex lætitia et ex victoria Christianorum et ex filio regi nido. 457-459. Ad Lusitanum regem Pii litteræ labrum nuntium afferentes et principis ad Pium gratulatioria Epistola. 460. Cardinalis infans Lusitaniae, post acceptas Pii litteras, Pontificis benignitatem et eximias dotes celebrat. 461-464. Per filios Lusitoni regis nuntios Pius litteras curat perfervendas ad reges Persie, Arabie et Æthiopie, ut eos ad protervulos Turcas inciteat. 465-467. In locum cardinalis Alexandrini, diutius in Lusitania communorantis, Salviatus mittitur ad regem Gallie ut ipsum ad sociale bellum inducat. 468. Inter cunctum, Salviatus a Genuensibus petit ut subsidium trahuant pro saero bello prosequiendo. 469-471. Constitutio qua Pius bona aliquip alienare permittit ob timorem conceptum novæ Turcarum invasionis. 472-473. Martyrium inflatum ab haereticis quibusdam societatis Jesu alumnis. 474-475. In orientalis Indiae partibus, per conspirationem regum indigenarum, Ecclesie recens erectæ in magnum discerim adducuntur. 477. Constitutio qua præcipitur Inventorum actorum criminalium in utriusque Sicilia regnis. 478. Concilium provinciale Neapolitanum. 479, 480. Monstra et prodigia in Germania. 481. Plurimorum principum mortibus annus memorabilis. 482, 483. Merlini et aliorum Ecclesiæ inimicorum obitus.